SEBASTIANI

PAPARELLAE

A MONTE SANCTO, MEDICI,

AC PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

EASDEMQVE SCIENTIAS IN ALMO

GYMNASIO PERVSIAE

FOELICITER PROFESSI,

OPERA OMNIA QVINQVE DISTINCTA Voluminibus, nunc primùm in vnum collecta, & ab eodem Auctore diligentißimè recognita, & aucta. Videlicet

In Hippocratis Librum de Natura humana Commentarii duo.
De Efficientia Primi Motoris Liber I.
De Calido Libri III.
De Indicationibus Curatiuis Liber Tractatus VIII. continens.
De Catarrho Libri II.

QVIBVS PRO MAIORI FACILITATE LECTORVM adiecti fuere Indices, tum rerum Notabilium, tum Capitum.

MACERATAE, Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. LXXXII.

SEBASTIANI

PAPARELLAE

A MONTE SANCTO, MEDICI,

AC PHILOSOPHI PRAECLARISSIMI,

EASDEMQVE SCIENTIAS IN ALMO

GYMNASIO PERVSINO

FOELICITER PROFESSI,

OPERA OMNIA QVINQVE DISTINCTA

Voluminibus, nunc primùm in unum collecta, & ab eodem Auctore diligentissimè recognita, & aucta. Videlicet

In Hippocratis Librum de Natura humana Commentarii duo.
De Efficientia Primi Motoris Liber I.
De Calido Libri III.
De Indicationibus Curatiuis Liber Tractatus VIII. continens.
De Catarrho Libri II.

QVIBVS PRO MAIORI FACILITATE LECTORVM
adiecti sunt Indices, tum rerum notabilium, tum Capitum.



MACERATAE, Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. LXXXII.

LECTORI S.



ON FACILE possum explicare verbis (humanissime Lector) quibus laudibus efferendi sunt ij, qui cùm quod dam cognitionis, et scientiæ desiderium cuique insitum, atque innatum esse videant, aliquid tanto præpotentis Dei munere dignum sentiunt, & faciunt. Illa enim admirabili vi rationis, intelligentia, et rerum cognitione hominum animi (sublatis erroribus) exculti, virtutem amplexantur vnam, seq; diuina cum mente coniungunt. Ac tantæ quidem rei satis commendandæ finis, nõ video, qui possit imponi. Nam præstantissimum, atque maximum hoc naturæ munus longè præclarius agnoscentes (quasi diuinum in se aliquid habere sentiant) in vita nihil temerè, nihilq; indiligenter agunt: sed cùm se noscunt apertius, et honori consulunt, tum quoque fauent iuri literarum, quas posteritatis caussa repertas esse non intelligunt, qui nihil conferunt in commune. Iidem porrò, cùm sciẽtiam summo studio, & sudore comparatam condunt, ita grauiter peccant, vt præclarò animi munere, quod ratione vti constat esse, abuti videãtur. Quis ignorat, ea nos admoneri, hominem alienis natum cõmodis? Quisnam prohibet haud cuiusque proprium esse aliquid in commune laboris suscipi oportere? Nemo quidem, nisi rationis expers, omnia ex voluptate sua metitur. Itaque SEBASTIANI PAPARELLAE Medici optimi, ac Philosophi maximè excellentis factum summis laudibus exornandum puto: qui tum docendo, tum scribendo (ita enim ciuilis vitæ societas inter homines conciliatur) magno præsentibus, posterisq; adiumento fuit, conferendis in communem vtilitatem studijs suis. Et eorum sanè operum, quæ edidit, titulis breuiter explicatis, omnes intelligent, quàm facile instituentur præsentes inflãmati cupiditate discendi, atq; numerosa posteritatis acuetur industria. Docet primùm duplici Commentario in Hippocratis de humana vita librum, quo itinere ad felicitatem sui ipsius cognitione peruenire possit. Quæ res etsi (vt ait Thales) multum difficultatis habet, Sebastiano tamen interprete facillimè percipietur. Quemadmodũ autem primus Motor, & princeps Deus ad corruptibilium descendat effectionem, vtq; Planetæ huius æmuli operationis existant, libro, qui de efficientia primi Motoris in naturalium rerum omniũ factura inscriptus est, non minus argutè, quàm breuiter, & dilucidè perscribit: ibidem præterea nonnulla ex inscriptione eiusdem generis enarrat. Tribus de Ca

lido libris caloris vim, atq; naturam explicat pernecessariam cognitu: propterea quòd nihil vel ipsa natura sine eius vi posset efficere. Hunc subsequitur liber de Indicationibus curatiuis, quo quisque instructus Medicinæ professor tutißimè suscipiat onus medendi; certè omnem huius generis rationem præstantia, & certitudine vincit indicatio. Nanque Medicus hac vna morbos promptius ratione prouidet, optima methodo curat, & omnium magna cum admiratione propellit. De Catarrho autem liber extremo collocatus loco propter aßiduas fluxiones adeo summas opportunitates habet, vt malim iudicium esse tuum, quàm vide ri me pluribus fortasse verbis quàm opus est, rem planißimam scripsisse. Illud tamen scire te velim, hæc per se olim singula excussa Perusiæ, Florentiæ, atque Venetijs post has editiones ab eodem Authore aucta, integra, ac expurgata mendis, nunc in vnum corpus redacta, vt vides, non mediocri studiosorum vtilitate nouißimè prodeunt in lucem: idq; Hæredum opera, multis efflagitantibus, & quia, vt ita fieret, Paparella testamento reliquerat, effectum est. Iure igitur optimo quidem tum illis, tum etiam Authori gratiæ agantur maximæ, immortalesq; habeantur. Etenim hic literarum studiosis probè consuluit, cùm laborem subijsset alijs fructuosum, sibi minimè necessarium; quòd in vita ad tantam profuxisset hominum famam, profectò mercedem iucundißimam studiorum, & laborum suorum, vt in celeberrima accerseretur Italiæ Gymnasia; ijsdemq; modo reliquerit desiderium sui: & illi, dum eius voluntati parent, amicèq; rogantibus obsequuntur, rem tuam dubio procul agunt. Quamobrem singulare beneficium agnoscere, & gratum præstare virum decet: quod re fecisse videberis, si aut hunc laborem non contempseris, aut non improbaueris, vt nonnulli hac ætate faciunt, ingenita potius maleuolentia commoti, quàm quia meritò quicquam damnari posse intelligant. Veruntamen te cum recto sensu iudicantibus hanc gratiam, quam Hæredes satis cumulatam existimabunt, referre volo, & opto, vt hunc laborem summa laude dignum tibi statuas mirifici fructus esse: in quo si quid errati fuerit iudicio tuo, id omnino vindicet mors, quæ præclarum, & propè singulare Medicinæ, ac Philosophiæ nobis exemplum studiosorum omnium opinione celerius è medio sustulit. Vale.

ILLVSTRISS.^MO ET REVERENDISS.^MO CARDINALI IACOBO SABELLO IN PICENIS LEGATO,

Sebastianus Paparella fœlicitatem.



EGo mehercule eam scribentium conditionem esse arbitror, Præsul Amplissime, vt nisi sub clarissimi Principis præsidio exeant doctissimorum virorum lucubrationes, eas non solum in nullo pretio futuras, verum etiam sub ipsa editionis principia, interituras proculdubio affirmauerim. Animaduerti enim Principum iudicia, sapientes dum sint, non minorem forsitan quàm scribentium doctrinam editis operibus conditionem parere: cum præsertim clarissimi Principes, clarissimis scriptoribus scribendi facultatem suppeditare consueuerint: qua causa non ineptias in lucem dare existimantur: quod vno Aristotelis exemplo probare licet, qui sub Alexandri præsidio naturæ filius, nedum Peripateticorum princeps appellari meruit. Huc accedit, quòd nisi Principis benignitas dicatum sibi opus tueatur; liuoris morsus nunquam effugiat, cum longe minor sit doctrina, quàm liuoris copia, & Momi plures, quàm iusti iudices, qui meritis laudibus doctorum virorum labores prosequantur: quod cum ipse mecum cogitarem, cumque ingenii mei imbecillitatem cognoscerem, eo magis ad Principis cuiusdam præsidium mihi confugiendum esse existimaui. Sed cogitanti mihi quem potissimum eligerem, cuius auxilio libellus hic meus tutus exiret, non parum laboris impositum esse sentiebam. Videbam namque vetustos illos scriptores hac in re nostri temporis scriptoribus fœliciores extitisse, qui sua opera dicare volentibus, viri non minus sapientia, quàm rerum gestarum gloria præcellentes propemodum innumeri occurrebant. Nunc verò (quod pace illorum dixerim) longe plures inueniuntur Principes, qui fortunæ quàm animi muneribus excellere concupiscant, & qui elegantissima ingenia fouere atque ad scribendum adhortari dignentur. Cuius rei argumentum est, quòd per multa secula nullum elegans ingenium inuenitur, quod cum vetustate meritò comparari possit. Nec illis assentiendum censeo, qui naturæ vitio id contingere affirmare audent, perinde quasi vetustati mater, posteritati nouerca ea esse maluerit. Profectò nemo est qui nesciat, eundem esse syderum cursum, eandē naturæ vim, vt eosdem nasci homines non nisi fatui negent: adde quòd nihil magis impium, atque omni flagitio dignum existimare debemus, quàm putare degenerare cœlestia. Quinimo si rectè iudicare voluerimus, præstantiora forsitan ingenia quotidie nasci fatemur, atque ad scribendum promptiora. quod vel solus etiam tanti Principis frater Doctissimus MARIANVS quàm prę-clarissime inter alios omnes ostendit, in quo equidem præter cæteras insignes animi dotes, non possum non magnopere admirari, summum ac plane diuinum illius ingenium, cuius potissimum splendore paucis iam elapsis annis vniuersa Pisarum Academia maxime gloriabatur. Quid dicam de duobus Vrsinis tibi propinquis, Iordano.f.& Io. Baptista Fratribus; quorum vterque multis nominibus est illustris. Alter tamen literarum studiis; alter verò, & terra, & mari armorum gloria. Hunc magni adolescentem animi, magnique consilii Italia prius Ducem vidit, quàm militem: paucisque ab hinc annis summum videbit. Adest Antonius Phocas cognomento Calergius Senat. Venet. cunctis ordinibus, & Equestri dignitate amplissime auctus, atque exornatus; cuius mo-

rum integritas, singularis doctrina, & summa virtus, præter id, quod fama euulgarat, magis nota mihi fuit, & perspecta nobilissimi iuuenis Sebastiani Spiritus conterranei mei præconio. Posthabendus non est Pyrrus Musephilus Saxetæ Comes, qui in vna quaque re, quid optimum est, quid pulcherrimum, perfectè nouit: tantum valet ingenio, & iudicio, quibus gratus, charusque omnibus est, sed Principi suo Cosmo Reip. Florent. Duci Inuictissimo longè gratissimus, & charissimus. Complures alios silentio prætereo: nam si singulos recensere vellem, longior esset epistola. Habebant igitur, Princeps optime, vetusti illi Reges imperio atque sapientia clariores omnis generis Scriptores in deliciis, vt quisque præstanti ingenio præditus ad scribendum illorum benignitate alliceretur. Ego verò, vt vera fatear, vbi ad Sabellæ domus amplitudinem, atque clementiam, & ad virtutem tuam singularem mentem direxi, vetustatis imaginem clarissimam perspexisse visus sum; quod inde verissimum esse comprehendi, quia tu non nisi viros ingenio elegantiores fouere, atque alere apud te conspiceris. Fecisti igitur mihi animum ad scribendum, Sacerrime Princeps, atque vt illud argumentum caperem in causa extitisti, quod tanto Principe dignum esse iudicaretur. Materia nanque de Philosophia est, ne tibi sapientissimo ineptias legendas præberem: sed quoniam philosophiæ argumenta infinita esse constat, de quibus innumeri longè fœlicius ante me scripserunt, materiam quæ forsitan nulla magis homini conducere existimabitur, excogitaui. Hæc de ipsius hominis natura est, de qua multos fuisse locutos ingenue fateor: sed laborem inexhaustum esse animaduertebam, loca omnia ad eam spectantia ex auctoribus colligere. Hunc itaque laborem tibi, & aliis libentissime substuli, atque in me ipsum suscepi, arbitratus in primis primam hanc ingenii fœturam, eò magis lectori placere debere, quò sui ipsius cognitionem docet: quantum verò difficile sit se ipsum cognoscere, ego quidem difficilius, forsitan quàm Apollo esse existimo; sed difficultatem hanc legentibus à me esse sublatam non nisi tua sententia fatebor. Hinc pariter munusculum hoc meum amplitudini tuæ non displicuisse coniiciam: quod si tuo munere mihi contigerit, munus propemodum diuinum me abs te sortitum fuisse prædicabo, atque animum ad maiora capiam. Vale fœlix.

SEBASTIANI PAPARELLAE IN HIPPOCRATIS LIBRVM, DE NATVRA HVMANA

COMMENTARIVS PRIMVS.

I.

QVICVNQVE de natura humana altius differentes audire consueuit, quàm ad medēdi facultatem pertineat; huic non est commodum hunc meum sermonem audire: neque enim prorsus dico hominem aerem esse, aut ignem, aut aquam, aut terram, aut quicquam aliud; quia non manifestum est vnum in homine esse; sed volentibus tamen hæc dicere permitto.

PLATO in Phedro asseruit Hippocratis præceptum esse, vt de rei cuiuscunque natura, cuius vel nos velimus scientiam, aut artem assequi, vel etiam alios docere, id primum inquiramus; simplex ne illa sit, an potius multiplex: alloquitur nanq; Phedrum Socrates. De naturę igitur perscrutatione, quid Hippocrates, & verā ratio dicat, attende: an non ita cuiusque natura cogitanda est; primò quidem vtrum simplex illud sit, an multiplex, de quo & ipsi habere artem, & alijs dare posse desideramus; deinde si est simplex, inuestigandum, quam & ad quid agendum, rursusque quam, & à quo patiendo natura vim habeat: quòd si species habeat multas, his dinumeratis, in singulis similiter, ac in vno naturalis & agendi, & patiendi vis inquirenda: sine his verò progressio tanquàm cæci iter esse videtur. Hunc eundem docendi ordinem primo physicorum Aristoteles insecutus dixit; necesse est vnum esse principium, aut plura. Idem profectò natura, & principium apud antiquos sunt, idemq; etiam est dicere, simplex, & multiforme, quod vnum aut plura: numeralia etenim 2. phi. tex.
nomina hoc in loco sunt, & simplex, & multiforme. Ex diuisiua nanq; methodo prisci Medici, & Philosophi in cuiuslibet naturalis entis perscrutatione ab initio quęrunt; simplex ne illorum natura sit, an potius multiformis, & vtrum vnum, an plura eorundem dicantur principia: 3. & 10.
nam ob contradictionis dignitatem necesse est, aut simplicem, aut non simplicem naturam esse: similiter aut vnum, aut non vnum esse principium. Diuisiones nanq; scientiam parturientes per contradictionem habentur, quoniam ineuitabiles sunt: quando nihil fit, quod contradictionem effugiat, & quanquàm enunciationes illæ contradictoriæ per se non videantur: attamen contradictioni æquiualent: quoniam multiplex. Idem dictum est, quod non simplex, & plura, quod non vnum. Et quamuis ex philosophis antiquis multi plura asseruerunt principia, 1. phi. t. c. 6.
& ea alij finita, alij infinita dixerunt: nihilominus omnes hi qui plurima siue finita, siue infinita posuerunt principia, huiusmodi omnia vnum secundum genus, & potestatem dixere: proinde & bene Hippocrates more suo breuitati studens, illos recensere nunc prætermittit; quando & hi eadem ferè redargutione, qua vnum tantum asserentes principium, confutantur: solummodo itaque eos qui naturalium rerum vnum tantum principium, & naturam instituunt, in

præsenti

Simplicius 1. Phi. c. 3.

præsenti commemorat: quos nunc sigillatim, idque breuiter recensebimus: vt clarius faciliusq; Hipp. præintelligatur sententia. Thales enim, quem primum Græcis commentationem, bystoriamq; de natura edidisse ferunt; aquam sensilium omnium principium esse statuit, quoniam proli procreandæ aptam esse, & ad nutritionem, educationemq; conferre censuit. Item ad partum edendum, & ad vitam commodissimam protulit: etenim calor humido veluti vehiculo & pabulo vitæ viuit, & quæ interitura sunt, prius arida, & sicca euadunt: Ita semen omnium genitale humidum est; rursus omnis cibus, siue omne alimentum est succi & humidi plenum, vnde singula eo ali, nutririq; apta sunt. Cum itaque aqua sit naturæ humidæ, & ad cunctarum rerum formationem, educationemq; prorsus conferat, idcirco ipsam omnium principium esse arbitratus est. Hippasas autem Metapontinus, & Heraclitus Ephesius vnum posuere principium mobile, & finitum; quod ignem esse affirmarunt: aiunt enim cuncta ex ignis raritate ac densitate fieri; rursus omnia in eum resolui, perinde atque sit vna natura cunctis subiecta; nam inquiunt in ipsum atque ex ipso mutuam rerum mutationem fieri. Item si elementum minimum est, ex quo alia oriuntur, & in quod dissoluuntur, & ignis omnium aliorum est tenuissimus, atque subtilissimus, qui per cuncta recipitur, alteratiuus digestiuusq; omnium, ac singulorum tandem effectiuus; erit igitur ignis præcipuus cunctorum elementorum; hic quidem vitæ parens, ac opifex dicitur, cum viuentium actionū productiuum dicatur principium. Hi nempe vnum elementum finitum, & mobile tradiderunt. At Anaximander praxiadæ Milesius vnum mobile ac infinitum instituit principium, ipse quidē primus hoc principij nomen apud Græcos vsurpauit; dixitq; ipsum, neque aquam esse, neque aliud eorum, quæ appellantur elementa, sed infinitam quandam naturam, ex qua omnes cœli, & mundi quotquot ab ipsis continentur, emanarunt; is etiam sentit, ex quibus generatio rerum esset, in eiusdem quoque earundem interitum fieri oportere. Huic conformem nos Melissum esse dicimus, qui (ex Hipp. sententia infra) vnum etiam esse principium putabat: at ex quatuor superioribus prædictis nullum; videtur enim ipse substantiam esse communē quandam commentatus quatuor subiectam elemētis, à generatione, & interitu liberam, quæ à posteris eius sylua est nuncupata; hanc ipsamq; substantiam vnum ac vniuersum etiam vocauit. Anaximanes autem Milesius, vnam sane naturam subiectam, & infinitam (vt ille inquit) licet non ancipitem incertamq; velut ille, sed definitam, & certam, quam aerem dixit: Item tradidit res raritate, & densitate, secundum substantiar differre; ignem quidem rarum fieri, ventum verò densum, deinde nebulam, qua adhuc densior aqua, & aqua terra, & terra lapides, atque cætera alia quæ his constant. Diogenes autem Apolloniates (ex Theophrasti sententia) vniuersi naturam aerem esse infinitum, & sempiternum docuit; ex cuius quoque raritate, densitateq; ac suarum affectionum mutatione aliorum formas gigni affirmauit; ex Nicolai autem peripatetici mente non aerem, sed intermedium quoddam inter ignem, & aerem cunctorum elementum constituit. Terram autem, ex eo quòd ad motum inepta, & ad mutationem segnissima est, principium statuere prorsus noluerunt; & quamuis Hipp. hic testatur, & secundo Physicorum Arist. quosdam terram posuisse principium, cum inquit; quo circa sane hi quidem terram principium, & naturam esse dicunt; dicimus enim eam ibidem Aristo. enumerasse, concursu aliorum elementorum, & non quòd ipsa per se sola talis esse dicatur; quando terram solam naturam esse naturaliter nullus profiteatur: etsi Hesiodus id antumet terram primam corporum factam esse, sic enim antiquam, & popularem contingit existimationem esse; primo Methaphysices refert Philosophus, pariter quoque, & si eam solam naturam esse ex priscorum voluntate Hipp. hic recenset non nisi iuxta opinionem, & legum sententiam, & non secundum naturaliter loquentium mentem, id enunciat in hunc quippe modum, hi qui dixere, vnum esse principium, diuisi reperiuntur. De his verò omnibus, & eorundem sententias insectantibus, & auscultantibus, in præsentiarum Hipp. sermonem habet; cum dicere exorditur. Quicunque de natura humana altius differentes audire consueuit, quàm ad medicinā pertineat, huic non est commodum, hunc meum sermonem audire. Etsi his verbis nullū hic prohœmium Hipp. facere videatur; eo tamen demonstratiui generis ipsum vti dicere possumus, quo Philosophi, ad scopum illius, quod pertractare cupiunt, explicandum, & à quibusdam, quæ ab opere aliena sunt, dehortandum, præcipuè vtuntur; hoc enim prohœmij genus finem, cuius gratia oratio est instituta, breuissimè comprehendit, alienaque ab illo dehortatur. Cum itaque Hipp. intentio sit de hominis natura sermonem habere; atque multa de ea ab antiquioribus prauè dicta, ab hoc opere amouere; breuiter in præsenti præfatur; simul libri intentum explicans, & antiquos ab hac doctrina dissuadens, & repellens, qui longius à vero, & quàm ratio medicinæ postulat, disputationem de natura abducunt. Proinde & hos primò alloquitur, qui alicui prædictorum propriè philosophandi disciplinæ, tunc temporis dicati erant. Hi altam nimium ac extraneam contra artis medicæ rationem,

Duo genera prohœmiorum, alterum philosophorum, alterum rhetoricorum Isoc. de laudibus Helenæ.

nem, & veritatem de humana natura disceptationem audire consueuerunt: nam perpetuo disceptabant vnum precisè elementum, veram ac totam hominis naturam esse. Hoc quidem docere, & disputare, alium nimirum ac extraneum ab arte medica existit, ac omnino à vero dissonans: quando ex horum positione clarè sequatur, cōtra naturalium rerum productionem, ac medicæ facultatis experientiam, nullibi rerum generationem fieri, & nunquàm è dolore hominem laborare; & si laborauerit, vnum tantummodo medicamentum fore: quæ omnia à vero dissonantia sunt, & prorsus falsa iudicantur; vt apertè infra declarabimus. Cum verò in istis institutionibus longam ij duxerint consuetudinem: & disceptandi, & intelligendi absona semper, ac extranea, & longinqua ab arte medica; proinde neque ex vsu illis est, neque commodum, & expediens, hanc Hipp. disputationem intelligere; quoniam & noua, & insueta hæc ipsis erit, & prout quid inutile, & nullius momenti existimabunt. (alia verò litera) Huius certe oratio, vt ab alijs audiatur, apta non est: Istorum quippe sermo (inquit ipse) qui priscorum illorum sectæ, & institutioni addicti erant, obstinate semper in eadem perseuerantes sententia, asserendi perpetuo, vnam prorsus solam naturam esse; siue principium, siue elementum dixerint; non est idoneus, neque dignus, vt ab alijs auscultetur, à medicis inquam ipsis veram naturam entium insectantibus. mox addit, neque enim prorsus dico hominem aerem esse. Prisci namque Philosophi illi, vt bene secundo physicorum Arist. refert; quicquid primum principium, & elementum fecerunt, id quoque communem singulorum sensilium entium naturam statuerunt; substantiamq; eam dixerunt stabilem immobilemq; permanentem, formis omnibus per se priuatam, sed ab eisdem ingredientibus exeuntibusq; omni tempore agitatam. hanc itaque informem substantiam, & hominis, & naturalium entium omnium veram ac totam profitebantur naturam, alia autem omnia istius substantiæ informis passiones, habitus, & dispositiones asseruere; quarum eas, quæ facile adimi poterant, dispositiones appellarunt; eas verò, quæ immobiles stabilesúe sunt, habitus cognominarunt. Solam autem informem substantiam prisci hi vniuersam singulorum naturam prædicabant; cuncta verò reliqua, accidentia, siue dispositiones dixerunt. Quocirca Philosophus, & Hipp. vnà inquiunt, quomodo hanc primam informem substantiam, quam veram ac totam eorum quæ sunt, naturam enunciant; Thales aquam, ignem Heraclitus, Anaximenes aerem, aeris, & ignis intermedium Diogenes Apolloniates dixerunt: Anaximander verò cum Melisso vnum quoddam infinitum, ac indeterminatum, quod vniuersum, & chaos nuncuparunt. Difformes ij profectò inueniūtur ad hanc vnam entium naturam nuncupandam; sed vnanimes, & concordes ad eandem vnicam tantum naturam constituendam. sed quoniam falsum omnes pronunciant; propterea & ipse dixit, neque enim prorsus dico hominem aerem esse, aut ignem, aut aquam, aut terram. Neque enim totam ac vniuersam hominis, sensiliumq; rerum naturam, vnam prorsus tantum esse affirmat Hipp. sicuti illi affirmabant; & rationem addit; quoniam manifestum non est, vnum in homine esse: nam clarè mox infra ipse demonstrabit, tum hominis, tum naturalium rerum omnium duas potissimas naturas esse; materialem vnam, formalem alteram. Cum itaque hoc euidens & clarum sit, & in hominibus, & in genitis alijs sensilibus duas præcipuas naturas esse; bene igitur protulit, non manifestum esse, vnam prorsus in homine naturam fore; quando hæ duæ maximæ ac præcipuæ reperiantur. Si duæ modo verissimæ in animantibus naturæ manifestantur; falsum vtique illi pronunciant eam vnam prorsus esse. vltimò subiunxit Hipp. neque aliud quicquam vnum. Quod propter Anaximandrum, & Melissum protulit: qui non vnum ex nuncupatis elementis, sed vnum quendam informem vastumque sinum omnibus subiectum, singulorum principium & naturam explicarunt. aut propter Diogenem Apolloniatam, qui medium vnū quoddam inter ignem, & aerem, ex Nicolai Peripatetici mente principium instituit; & non nominatum aliquod elementum. Verborum autem seriem probe admodum Gal. interpretatur, cum inquit. Neque enim aerem esse prorsus hominem dico; non hoc affirmat (ait ipse) quòd non prorsus sit in nobis aer, pariter nec quòd ignis, aut aqua, aut terra, nam sic falsum diceret, quādo ex his omnibus hominē, animalúe constare inferius docebit. Sed vult quòd non ex omni parte, & penitus hominis natura aer sit, aut ignis, aut aqua, seu terra. neque ibi non prorsus omnimodam horum negationem dicit, sed tantummodo illorum sinceritatem & immixtionem adimit; hoc quidem dicendi modo (οὐδὲ τὸ πάμπαν) apud Græcos non omnino significatur; non autem nulla ex parte. abnegat igitur hic Hippo. vnum tantum elementum naturam esse, siue terram solam, siue aerem, seu ignem, aut aquam, id solum dixerunt; cum non precisè vnum, sed omnia simul elementa, & horum insuper temperies vera apud ipsum nuncupetur natura. ac ita ex huiuscemodi priscorū assertione, eorundemq; impugnatione naturæ modum perquirendi adinuenit Hipp. simplex ne illa sit, an potius multiplex, & si simplex, & reliqua quæ superius retulit Plato. Et quoniam in istis sententijs veteres illi pertinaces reperie-

T. 9. & 10.

Antiqui dicebant substantiam & naturam entium esse informe subiectum.

Sep. met. co. 7. & 8. 4. cæli. 10. 27. & 2. de generatione. com. 51.

repetiebantur; hinc liberè profert, (ne cum obstinatis contentionem aggredi videretur.) Sed
„ volentibus tamen hæc dicere permitto. Concedit quidem hos omnes ad libitum omnia dicere: sed postea quod modo spopondit, non seruat: nam mox palam eis contradicit; pollicetur nempe se permittere istos hæc omnia iuxta arbitrium asserere, & meritò, quando hæc ipsa medicinæ principijs aduersantur: cum enim istorum principia arti medicæ cōtrarientur, non vtique erit aduersus eos, qui non sint medici, de re medica disputandum, sicut in non Geometricis de geometria disputare minime conuenit; latebit nanque praue disputans, ait primo posteriorum analiticorum Arist. quare & rectè ipsos dimittit omnia secundum voluntatem fari; quando & artis medicæ ij principia euertant, & diruant. Vt enim geometriæ disputatio vlterius non cōgruit aduersus eum, qui principia eius tollit; sed aut ad aliā attinet scientiam, aut ad eam, quæ omnibus est cōmunis; sic nulla est aduersus eum ratio, qui medicæ facultatis principia elidit. verumenimuero ipse (istorum forsan celebritate commotus) promissis minime stat; nam hic infra in primo aggressu suæ tractationis ipsorum rationes diminutas, & absonas iudicat; easdemq; (communioris scientiæ habitum induendo) prorsus diruit. Hanc ratiocinandi formam primo physicę auscultationis in Parmenidis & Melissi rationum confutatione imitatus fuit Aristoteles; (qua hic Hippocrates vtitur) præfatus nanque ab ipso statim initio, quòd considerare quidem, si ens vnum sit & immobile non est de natura considerare; atque hoc etiā deinde demonstrato; & proinde quòd neque sit opus rationibus Melissi & Parmenidis contradicere; quādo vtræq; sint manifestè absurdæ; attamen mox in illius libri progressu eos insectari deprehenditur. Eodem nempe modo Aristoteles, ac Hippocrates egit; vtpotè qui (tam & si modo innuat illos, qui aiunt vnum esse elementū, eo medicinam destruere ac lacerare; vt neque operæpretium sit, vt horum sermo à medicis auscultetur, neque medicorum ratio ab ipsis audiatur) eorum postmodum sententias clare & aperte refellit. quòd verò & naturalis scientiæ vt Aristoteles, & medicinalis, quemadmodum Hippocrates, principia euertant, qui vnum omnia esse dicunt, perspicuū existit; quoniam naturalis scientiæ principia & esse, & cognitionis, aiunt Peripatetici, motum, & transmutationem esse; & plura fore naturalia corpora; & horum vnumquodque motus & mutationis principium obtinere, Naturamque æqualiter & formam, & materiam esse; vt vnicuiq; ex rerum euidentia innotescit. Quòd si vnum est solum ens, & vnum vniuoco omnia (vt illi edocent) dicuntur, ista omnia è medio tolluntur; vt clare infra demonstrabimus. Pari modo alterationem, permutationem, & multa corpora esse inuicem transmutabilia, sanitatis, & ægritudinis in se ipsis impetum, & inclinationem habentia, & cognitionis, & esse, artis medicæ principia profitemur; quando & ipsa quoque circa ea quæ generantur, & corrumpuntur, suum perpetuò exhibeat ministerium. Si igitur hæc non concedantur esse simul, & ipsa destruitur. Præterea modi curationum, qui varij sunt, & multiformes, hi quoque ab illis qui vnum ens, esse omnia arbitrantur, euertuntur; nam vel nihil omnino corpora nostra patientur; vel si patientur, vnum solummodo patientur; quare & vnum erit medicamentum, vna ægritudo, vnus medendi modos: Quod si verum sit, perit tota facultas medica; quoniam cum multa sint medicamenta, & multæ morborum formæ; difficultas medendi est, id quod sit vnicuique morbo opportunum adinuenire; at cū vna tantummodo fuerit vt morbi, ita etiam remediorum ratio; nullum relinquitur amplius curandi periculum; & vnicuique ars medica in promptu facilisque foret. Operępretium itaque fore Hippocrates existimauit vltra artis propriæ munus, communioris facultatis formam suscipiens, perquirere, vtrum vnum simplex humanum corpus sit, an potius multiplex, quod præcipuum eius quæsitum esse scientifica methodo perquirendum, dubioprocul affirmamus. demum contra hos prosequitur dicens.

Cap. 11. — *Primo phy. tex. 8.* — *Primo phy. t.c. 8. & 2. 11. 2. phy. t. 1. & 6. phy. t. 22. & 23. Primo met. tex. 41. 3. met tex. 16. primo phy. t. 25.* — *Quatuor. s. elementa, et quatuor humores. Gal. lib. 1. et 2. de elementis.*

II.

At verò talia dicentes mihi nō rectè rem cognoscere videntur. Nam cum idem sentiant, idemque cōcludant, loquuntur tamen diuersa: aiunt enim vnum quid esse quodcunque tandem est; & id ipsum esse vnum, & totum: iuxta nomina autem non consentiunt: etenim alius ex ipsis aerem esse, hoc vnum & totum dicit; alius ignem, alius aquam, alius terram. Et addit vnusquisque ad opinionem, & sermonem suum, testimonia, & signa, quæ nullius momenti existunt: quia enim eadem sententia omnes

vtuntur,

vtuntur; dicunt autem non eadem; manifestum facit: quòd neque cognoscunt ipsa, quæ profitentur.

His equidem primis verbis (sicuti diximus) promissa minime seruans, contra hos antiquiores irrumpit Hippo. dicens. At verò talia dicentes, vnum scilicet quid esse quod est, ac id esse vnum, & omne, huiuscemodi homines non rectè rem cognoscere videntur. Ignorantiæ nanque nomine in hoc primo suo aggressu, hos veteres accusat Hippo: apertè nempè ipsos redarguens, quòd prauè sensilium entium elementa, & principia cognouerint; & hoc id ipsum maximè ex vanis, & falsis eorundem sententijs, & rationibus demonstrat. Prius enim vanas, & deficientes istorum rationes ostendit; quæ illos inscios, & ignaros declarant; mox duabus potissimis demonstrationibus eorundem sententias prorsus falsas esse manifestabit. Sed antea, ex multiplici ac varia primi rerum omnium principij assertione, istorum ignorantiam patefacit. Cum enim isti omnes vnanimiter vnum tantum rerum omnium elementum instituant, & concludant; postea hoc id ipsum vnum variè ac diuersè nuncupent, & appellent: etenim alius ex ipsis aerem esse hoc vnum elementum dicit, alius ignem, alius aquam, alius terram; manifestum signum est (inquit ipse) quòd non cognoscunt ea, quæ profitentur; & quòd propria artis principia ignorant: nam si cognoscerent, & scirent: illud idem semper vniformiter dicerent & appellarent. Ista quidem primi principij varia, & inconstans assertio clarum indicium facit, quòd nequaquam ipsi illud cognoscant. Mox vanas, & falsas istorum sententias, & rationes manifestat, dicens; & addit vnusquisque ad opinionem, & sermonem suum, testimonia & signa, quæ nullius momenti existunt. Quæ verò sint signa, & testimonia ista, quæ nullius sunt vigoris; primo de elementis ex Platonis doctrina declarat Gal. dicens falsas, & deficientes rationes esse, quas nos vanas appellamus: quando neque veras, neque conuenientes inferant conclusiones. Prisci namque isti, qui aiunt vnum esse, quodcunque tandem est; & id ipsum esse vnum, & totum, hoc idem cuiuslibet permutationis, & generationis primum elementum, & principium faciunt; quare vnumquodque quod isti vnum ac totum esse asserunt, ex eo, quod cuiuslibet transmutationis, & generationis principium existit, id concludunt, & asserunt. Vnusquisque igitur qui certum quoddam elementum, hoc vnum ac totum fore existimat, testimonio cuiuslibet permutationis principij ratiocinatur. Vnde, & qui aquam aiunt esse primum omnium elementum, argumentantur; quoniam hæc deorsum, ac veluti compressa, terra fiat; laxata verò & veluti fusa, aer; quòd si magis laxetur, atque fundatur, ignis; & sic reliqua cuncta fieri ex eius fusione, & compressione asseuerant, propter hoc dicunt, aquam esse primum omnium elementorum. Et qui aerem esse dicunt, & hi arguunt, ipsum rarescentem fieri ignem; densatum verò aquam; & si magis densetur, terram. Et qui terram inquiunt, rationem afferunt; quoniam si mediocriter fundatur, aqua fiat; si verò magis rarescat, aer; si vehementer hoc patiatur, in ignem conuertitur. Eodem modo qui ignem esse fatentur; quoniã ignis in vnum coactus, atque densatus, fiat aer; quòd si magis hoc patiatur, & vehementer ipse comprimatur, aqua; plurimum verò densatus, terra efficitur; pariter quoque horum densitate, & raritate composita cuncta fieri asseuerant: sic enim isti vno, & eodem ratiocinio singula elementa primum omnium elementorum, & subiectum esse concludunt. Proinde vanas, & falsas has rationes dicimus, quando ex eisdem medijs, & principijs diuersa, & opposita inferant, & concludant. Hoc ipsum Gal. primo de elementis affirmat, dum ait, at rationum istorum absurditas est manifesta: nam cum omnes de naturali elementorum transmutatione primum, informe subiectum ostendente, loquantur; non animaduertunt se hoc demonstrare; sed singuli quodcunque nominant elementum, aut ignem, aut aerem, aut aquam, aut terram, id primũ subiectum fore arbitrantur. Cum enim isti primum omnium informe subiectum, materiam scilicet primam cunctis elementis communem, vtam in horum omnium transmutatione inspexerint; eam vnum ex quatuor elementis esse, arbitrati fuere. Proinde perperam vetustiores ij vnum ex illis, primum omnium subiectum informe asseruere: & materiam primam, quam oportebat dicere omiserunt; siquidem illud certò volebant; quod communiter omnibus aeri, aquæ, igni, & terræ subijcitur, id esse primum omnium elementum: verumenimuero eam ignorarunt; & ex quatuor vnum, quodcunque id esset, elementum primum statuerunt. Ii igitur omnes easdem ferè præmissas faciunt, ex eisdem medijs, & principijs; sed primum quidem non conuenientem inferunt conclusionem. Conueniens enim erat id dicere, vnum igitur subiectum omnibus est; & vna tantum substantia, quæ omnibus primis corporibus æquè subijcitur, sicuti in Thimeo doctissimè his verbis Plato declarat: Principio id corpus, quod modo aquam nominamus, quando in solidam crescit materiam, lapis, & terra fieri videtur; quando verò liquescit, & defluit spiritus, & „

Primo phy. tex.c.10.& tex.c.22.

aer:

" aer; ignem aer exustus, ignis efficitur; ignis extinctus & corpulentior factus, aerem creat, rursus
" crassior factus aer in nebulas nubesque crescit; his etiam magis compressis pluuiæ defluunt; ex
" aqua rursus terra lapidesque gignuntur; ac ita videmus hæc omnia circuitu quodam sibi inuicem
" cem vires, fomentaq; generationis vicissim tribuere; quæ cum nunquam eadem appareant
" permanere, [illegible] redargutionisq; suspicione poterit istorum aliquid vnum, po
" tiusquam aliud, certe ac firmiter appellare? nemo certe. Quamobrem vniuersi, quod genitum
" est, & sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculumq; neq; terram, neq; aerem,
" neq; ignem, neq; aquam esse dicamus, neq; rursus ex his aliquid constitutum, aut aliqua, ex qui
" bus propriè hæc ipsa subsistunt, sed inuisibilem potius speciem quandam & informem, sinum
" omnium capacem. Qui modo quodam ambiguo, & vix explicabili diuinæ & intelligibilis na
" turæ fit particeps; ipsa quidem per se comprehendi nullo pacto potest. Sed quantum ex su
" pradictis naturam [illegible], sic vtique rectè possumus dicere, ignem quidem partem
" eius ignitam videri; humefactam verò partem, aquam; terram quoque aeremq; similiter, qua
" tenus ipsorum simulacra suscipit. Hæc omnia in Timæo Plato. Vbi manifeste demonstrat mate

Primo phy. tex. 81. existente enim quodam diuino, & bono, & appetibili.

Tertio cæli [illegible] 33. & 34. secundo de generatione 24. & 20. 15.

riam primam informem sensibus rerum omnium primum principium, & elementum esse; velut vasa sium magnumq; sinum omnium capacem, hocq; ex mutua primorum simplicium corporum transmutatione ostendit; quia enim quatuor prima simplicia corpora æquali & pari fortuna inuicem permutantur, ignis namq; in aeris substantiam mutatur, & è contrario aer in ignis essentiam vertitur; pariter quoque terra in aquam, & aqua in terram conuertuntur. Si itaq; quatuor hæc prima simplicia corpora ex propria natura mutuo transmutantur, & nunquam eadem permanent, non vnum potiusquam alterum permutationis causa existit, sed omnia simul æquali ratione permutationis causæ recensentur, idcirco iustè non possumus istorum vnum, potiusquam alterum primum principium constituere. hac quidem præcipua ratione sensibilium rerum communi principium constituitur quid vnum, & idem semper permanens, transmutationum omnium per se prima causa efficitur, sed nullum primorum simplicium corporum huiusmodi existit, quod impermutabile maneat, & cuius sibi vtriusq; mutationis causa sit; quamobrem nullum ex ipsis tale principium instituendum [illegible] ipse infert, ac ita videmus hæc omnia circuitu quodam sibi inuicem vires fomentaque generationis vicissim tribuere; quæ cum nunquam eadem appareant permanere, quis nam sine rubore redargutionisq; suspicione poterit istorum aliquid vnum, potiusquam aliud certe ac firmiter appellare? nemo certe. Nullus profectò (vt Plato) rationabiliter elementa hæc, vnum magis quàm alterum primum omnium principium, & elementum asseret, postquam nullum ipsorum semper impermutabile maneat, & aliorum omnium permutationis causa existat; sed verum, & aliquod quatuor simplicium corporum subiectum (quod primam informem materiam nuncupant) esse asseritur, quod vniformiter, & impermutabile semper permanens, transmutationum omnium per se prima causa nominatur, hoc quippe rerum omnium materiale primum principium instituit, dicens; quamobrem vniuersi quod genitum est, & sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculumque, neque terram neque aerem, neque ignem, neque aquam esse dicamus, neque rursus ex his aliquid constitutum, aut aliqua ex quibus propriè hæc ipsa subsistunt, sed inuisibilem potius speciem quandam, & informem sinum omnium capacem, qui modo quodam ambiguo, & cætera. Hanc itaque inuisibilem speciem, & sinum informem, propter superiores dictas rationes, corruptibilium rerum omnium materiale primum principium Plato ordinauit. Et quoniam natura hæc informis est, & inuisibilis, idcirco addidit, ipsa quidem per se comprehendi nullo pacto potest; sed quantum ex supradictis naturam eius attingere licet, sic vtique rectè possumus dicere; ignem quidem partem eius ignitam videri, humefactam verò partem aquam, terram quoque aeremq; similiter, quatenus ipsorum simulacra suscipit. Clarè enim per huiusmodi verba primum edocet, qualiter natura ista

Primo de generatione. t. c. 23. & 24. Primo phy. tex. 69. & tex. c. 60.

informis perpetuò quatuor primis simplicibus formis subiecta iacet, & primorum simplicium corporum verum, & adæquatum subiectum appellatur, quando tenere prima simplicia corpora nihil aliud sint, quàm inuisibilis hæc natura his quatuor primis simplicibus informata. Secundariò edocet qualiter informis, & inuisibilis natura ista, per se minime intelligi potest, cum non sit aliquid in actu habens quidditatem, sed per analogiam, & comparationem intelligitur, & per quatuor etiam simplicium corporum transmutationes, & formarum susceptiones. In præsentiarum autem nos declarabimus, quemadmodum primorum quatuor simplicium corporum inuicem mutatio informem, & inuisibilem hanc naturam nobis ostendat. Dicimus itaque quod omne quod transmutatur per subiecta quædam substantia transmutatur; (nam secus ex nihilo permutari, & fieri fateri cogimur) cum verò prima ipsa simplicia corpora inuicem permutantur, ex subiecta sibi substantia permutari necesse habent, si non ex nihilo ea generari dicere
" velimus, at subiecta hæc substantia ex qua permutantur, natura prima informis, & inuisibilis no
" minatur.

minatur: hanc igitur ipsam informem naturam, mutua elementorum transmutatio, vt subiectum transmutationem discreus, & substentans, indicabit, & attestabitur; id quod exemplo sic dilucidemus. Transmutetur enim aqua in aerem, & aer in ignem, cum corpora ista simplicissima sint, ex impermutabili informi materia, & simplicibus formis tantum constituta. tunc quærimus à quibus corpora hæc transmutata, aer scilicet, & ignis, suam essentiam in hac transmutatione sumpserunt, an à materia corruptorum corporum, aquæ videlicet, & aeris, an potius ab eorundem formis: neque enim aliæ substantiæ in his insunt. non possumus verò dicere, quòd à formis illam habeant; quoniam iam illæ corruptæ, & anihilatæ sunt, at ex nihilo nihil fit. necessariò enim sequitur quòd à materia illam acquirant, (si corporum creationem admittere nolimus) hæc autem informis materia verè apud peripateticos generari dicitur; ipsa nanque est, quæ modo sub ista, modo sub illa permutatur forma, formæ verò non permutantur, sed gignuntur, & corrumpuntur solummodo. Sic nempè apertè cernimus, & cognoscimus materiam primam informem continuè permutari ab vna ad aliam formam; & in hac perpetua mutatione versari.

Primo phy. t. c. 62. & 63.

Hoc quidem est, quod sub alijs verbis primo physicorum nos docuit Auerroes, dum ait: Apparet enim bene, quòd omne generatum semper indiget aliquo subiecto, & est illud, quod in rei veritate dicitur generari, scilicet in tempore in quo generatur in actu, generatum enim, est generatum per motum, quem habet apud generationem; generatio igitur secundum quòd est motus, necessariò habet subiectum; & est illud, quod dicitur generari in actu, & in quo inuenitur iste motus; motus nanque debet esse in subiecto; sicut diximus; & impossibile est, vt sit in illo, cuius partes successiuè destruuntur, per generationem partium illius; & est illud, quod est oppositum generato. Sed iste motus est in subiecto; & si non esset subiectum, non esset hic aliquid deferens istum motum; nec aliquid, quod diceretur moueri; nec aliquid, quod esset in potentia aliquid; & auferetur natura possibilitatis. Hæc omnia Auerrois, quibus admonet quemadmodum elementorum permutatio materiam primam iudicat, vt subiectum substentans, & deferens transmutationem; hocque ex notione motus, qui subiectum semper supponit, in quo fulciatur, ostendit. inquit enim quòd non alibi motus iste permutationis elementorum esse potest, quàm in subiecta materia; non enim in forma, quæ acquiritur, potest esse; quoniam illa fit, & adhuc non est; nec in ea, quæ successiuè deperditur, quoniam tota corrumpitur; necessariò itaque sequitur, quòd in subsistente materia existat, vt in proprio subiecto.

T. c. 60.

Quamobrem materiæ primæ ex innata natura transmutationem per se primò competere, ait: Cum eius potens, transmutationes cunctas recipere simpliciter nuncupatur; ipsa quidem prima ac præcipua transmutationis omnis causa existit. propterea secundo physicorum verè philosophus inquit; vno igitur modo natura sic dicitur, prima vnicuique subiecta materia habentium in se ipsis motus principium & mutationis. Non equidem forma ei aliqua propria à natura insita est; quæ particulariter materiei forma, & legitima eius coniux appelletur; sub qua naturaliter quiescat. Et si enim sub quatuor elementorum formis naturaliter esse videtur; vt Plato innuit, dicens; ignem quidem partem eius ignitam videri; humefactam verò partem aquam; nihilominus nec hæ naturaliter propriè ei insunt; quando neque his contenta subsistat; sed ipsis medijs nouas semper mixtorum formas suscipit, & appetit; vnde cum nulla sit ei propria, & particularis, sub nulla naturaliter quiescit. Sed cum pulchræ appetibilesque sint formæ omnes, indeferenter eas omnes, vt pellices, & appetet, & prosequetur: indiferenter etiam ad omnes naturaliter permutabitur. non enim hanc magis quàm illam naturaliter acquirit; & deperdit: Sed istam sicut illam pariter secundum naturam, & deperdit, & acquirit: Quando (vt diximus) omnes æqua ratione appetat, ad omnesque æque naturaliter permutatur.

Secus autem prima quatuor simplicia corpora, quæ & proprias formas retinent, sub quibus naturaliter sunt, & quiescunt, & cupiunt esse, easque (si fas est dicere) summopere etiam diligunt. Vnde etsi inuicem continuè secundum naturam transmutantur; & ad mixti animatorumque formas perpetuò veniant; non primò, ac per se, scilicet suarum formarum ratione, ad has mutationes accedunt, & eas appetunt; quoniam hæ esse, & permanentiam desiderant, & non ablationem, & corruptionem; sed ratione tantum informis materiæ mutationes has appetunt, & insequuntur. Nam cum ex propria natura, (vt retulimus) formis omnibus æqualiter careat, formas pariter omnes ex insita natura æquè naturaliter prosequitur, & desiderat; non igitur ratione suarum formarum prima elementa hanc transmutationis appetentiam obtinent; nam cum in mutua transmutatione illas relinquant,

Secundo de anima t. 34. 2. de generatione tex. 59.

Secundo cœli t.c.37.

& amittant; præter illarum formarum naturam eas deserunt, & amittunt; & si ad mixti animatorumq; formas veniunt, non nisi vi, ac violentia, ad ipsas accedunt, violenterque ibidem singula extra propria loca morantur.

Non itaque elementis primò, sed secundario, & per alterum, per ipsum scilicet informe subiectum, transmutatio competit; neque vnum plusquam alterum ad permutationes has in potentia esse nominatur; sed æqualiter omnia; quando & omnia pari ratione materiam ipsam, vt adæquatum, & immediatum subiectum possideant. quare & meritò materiam ipsam primam Plato conclusit permutationum omnium adæquatum, & primum informe subiectum esse, dicens: quamobrem vniuersi, quod genitum est, & sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam, receptaculumque, neque terram, neque aerem, neque ignem, neque aquam esse dicamus; Sed inuisibilem potius speciem quandam, & informem sinum omnium capacem: Qui modo quodam ambiguo, & vix explicabili diuinæ, & intelligibilis naturæ, formæ scilicet, & temperiei particeps, & compos vbique, & semper fit.

Consimile 1.phy. Aris. t.81. existête enim quodam diuino & opt. & appetibili.

Quapropter iustè dicebat Galenus mutua simplicium corporum transmutatione ritè Platonem vsum fuisse, ad substantiam primam informem elementis primò subiectam, & genitis cunctis communem demonstrandam. quod itaque Thales, neque Anaximenes, neque Heraclitus, neque alius quisquam qui nominatum vnum protulit elementum, fecerunt. Quos omnes in præsenti, & Hippocrates, & Plato æqualiter damnant, & reprobant: Hippocrates enim & addit vnusquisque ad sermonem suum testimonia, & signa quæ nullius momenti existunt: apertè his verbis insinuans hos procul ab omni demonstratione nugaris vtpote qui vnam, & eandem demonstrationem ad quatuor diuersas materias accommodantes; nullatenus verè, & propriè demonstrant. neque enim medio vno communi, & extraneo possunt demonstratiuè quatuor oppositas inferre conclusiones. Propterea hæ rationes vanæ, & nullius sunt momenti; quando vnico extraneo communique medio multa diuersa ostendere conantur; Idcirco rectissimè quoque Plato, quisnam sine rubore redargutionisque suspicione poterit istorum aliquid vnum, potiusquam aliud certè ac firmiter appellare? nemo certè. cum enim hæ transmutationum rationes materiæ ipsi informi propriæ sint; elementis verò & extraneæ, & communes: neque enim de vno, magisquam de altero ipsæ concludunt; sed de omnibus æque; non nisi igitur cum rubore hoc magisquam alterum, primum subiectum fore, asseuerare possumus. bene itaque Hippocrates dicit, quod demonstrationes illas non cognoscunt; quoniam cum extraneæ, & communes vtrorum sint, proprias, & per se simpliciter vnusquisque illorum existimaut. prosequitur iterum eosdem redarguere hominum testimonijs, qui horum disputationibus interfuerunt.

III.

Quod ex eo vel maximè quis cognouerit: qui eorum disceptationibus interfuerint: nam cum ijdem viri inter se disceptant, ijsdem auditoribus præsentibus: nunquam ter consequenter idem homo vicit in eodem sermone: sed modo hic, modo alter superat: cuiuscunque magis fuerit lingua maximè fluida, ac populo grata. Atqui iustum erat, vt is, qui de rebus se rectè cognoscere pronuntiaret, semper sermonem suum victorem statuerit: siquidem vera cognosceret, & rectè iudicaret. verum huiusmodi homines videntur mihi ipsi se ipsos destruere ob ignorantiam, quam in verbis suarum rationum ostendunt.

Primo phy. t.1. Quoniam quidem intelligere, & scire.

Quòd autem isti omnino ea quæ profitentur ignorant, ac in tenebris ignorantiæ protsus versentur: assidentium testimonio comprobat; qui illorum disputationibus præsentes adsunt, Hi enim palam omnibus testantur, qualiter nunquam horum aliquis ter consequenter inter

disputan-

diſputandum alios conuincit in eadem diſceptatione; ſed modo hic ſuperior eſt, modo ille, qui præſertim fuerit lingua volubiliore, magiſque ad turbam idonea, & accommodata. in loquacitate autem, & verborum volubilitate iſtorum palmam, & victoriam, & non in rationum veritate conſiſtere affirmant, hi qui horum contentionibus interſunt, atqui iuſtum eſt, non verborum loquacitate, & linguæ volubilitate, ſed veris, & certis ſententijs rationes ſuas inuictas ſemper afferre. ſi enim iſti verè principia intelligant, & cognoſcant; verè quidem, & rectè ex eiſdem concluſiones, & ſententias ſuas inferent, & concludent; proinde iuſtè, & verè perpetuò iudicabunt. Verum enim ſemper, & vndique verum, ſi igitur vera principia agnoſcent, verè vtique ſemper, ac rectè ex eiſdem iudicabunt, & ſententias afferent. Verum huiuſmodi homines (addit ipſe) videntur mihi ipſi, ſe ipſos deſtruere ob ignorantiam, quam in verbis ſuarum rationum oſtendunt. Hi quippe homines (inquit Hippocrates) ſe ipſos deſtruunt ob inſcitiam, quam in ſuis ſententijs, & rationibus demonſtrant; horum autem ſententiæ, & rationes, quamuis ſuperius fuerunt dictæ, eas iterum modo repetemus. Erat nempè (ſit fas modo paulisper digredi) magna ex parte priſcorum philoſophorum ſententia vſque ad Platonis tempora, vnum quid eſſe, quodcunque tandem eſt; & id ipſum eſſe vnum, & totum. Id quod multi perperam ratiocinabantur ex mutua ſimplicium corporum tranſmutatione, veluti ſupra ex Platonis verbis in Timæo præclarè oſtendimus. è contrario argumentabantur, alij ex vltima, & extrema corporum reſolutione, vt ſecundo phyſicorum ex Ariſtotelis doctrina ipſos taliter arguentes conſpicimus. Omne illud, quod in vltima cuiuſcunque ſubſtantiæ compoſitæ reſolutione ſtabile, immobileque in ſui eſſentia permanet, tale verè eſt vnum, & totum, quod cuncta continet, & natura entium nominatur, (fuit nempè natura apud antiquos eſſentia, & ſubſtantia naturalium rerum ſtabilis atque æternum permanens.) Cum verò iſtud vnum, & totum antiquorum tale vbique in entibus naturalibus reperiatur æternum ſemper, & incorruptibile; merito ergo natura apud illos nominabatur. Propterea Thales hoc id ipſum aquam eſſe dixit. Anaximenes aerem, Heraclitus ignem, Parmenides aquam, & ignem, quatuor ſimplicia corpora Empedocles, Plato & Ariſtoteles his omnibus clariores materiam primam, & primum informe ſubiectum nuncuparunt. Vnuſquiſque enim illorum Priſcorum illud idem quod ſtatuit, vnum & totum eſſe, ipſum (inquam) primum informe ſubiectum. Illud idem putauit præcipuam, & potiſsimam naturam eſſe. vnde Priſci ij omnes, qui vnum omnia eſſe aſſeruerunt: huiuſcemodi vnum, quidam principium, quidam elementum nuncuparunt; in naturæ autem appellatione omnes conuenere: Nam æqualitèr omnes id vnum naturam dixerunt. Hancque ipſam naturam triplicem ipſi fecerunt, & explicarunt; primò ſubſtantiam per ſe informem ſenſibilibus corporibus omnibus ſubiectam, ſtabilem, atque perpetuam. ſecundò habitus, & affectiones omnes, quæ per ſe primò huic informi ſubſtantiæ inſunt, (ab iſtis Habitus, à Peripateticis materiales formæ nuncupatæ) ſub latiore naturæ nuncupatione comprehenderunt. Tertiò ſenſilia omnia accidentia cùm propria, tum communia, perfectiores hos habitus, & formas inſequentia (diſpoſitiones etiam ab iſtis nominatæ) ſub amplo quoque naturæ nomine manifeſtantur. Habitus itaque, & diſpoſitiones fuſo naturæ vocabulo, & natura, & naturalia apud iſtos nominantur. antiquior autem, & potior naturæ ſignificatio, & acceptio apud veteres ſemper fuit de ipſa prima ſubſtantia per ſe informi genitis corporibus omnibus ſuppoſita; & de hac maximè, & præcipuè loquuntur, & intelligunt, cum naturam proferunt. Quam antiquiſsimam de vera natura opinionem, vt veriſsimam in Timæo inſequitur Plato dum ait, Sed apertius quod volumus exponamus; ſi quis enim cunctas figuras ex vna eademque auri materia fictas continuè in alias, atque alias reformet; & de vna quadam illarum præſens aliquis quid ſit quærat: Verè admodum, & tutiſsimè reſpondere poſſumus, aurum illud eſſe, triangulum non eſſe, aut aliam figurarum earum, quæ impreſſæ in eo ſunt, & continuè permutantur; quaſi re vera ſint, non licet dicere; ſola quippe illa reſponſione tanquam tutiſsima contenti eſſe debemus. Eadem de illa natura, quæ cuncta recipit corpora, ratio eſt; idem ſemper eſſe dicenda eſt; ſiquidem ex propria potentia recedit nunquam, ſuſcipit enim ſemper omnia, nec vllam vnquam ijs ſimilem vllo pacto ſibi formam contrahit. Omnis ſanè natura fictioni ſubiecta eſt, agitataque ab ingredientibus, & figurata quodammodo, alias aliter ſe habere videtur. Quæ verò ingrediuntur, & exeunt, verè ac ſemper exiſtentium rerum ſimulacra ſunt; miro & vix explicabili modo, ab ipſis rebus, quæ verè ſunt figurata; quemadmodum deinceps narrabimus. Tria in præſenti genere ſumenda ſunt, vnum quod gignitur, aliud in quo gignitur, aliud à quo ſimilitudinem trahit, quod

Ca.2.t.7.8. & 9.

Gal in proœmio 1. lib. de natura hominis.

Plato in Timæo.

nascitur. ideirco comparere hæc ita decet, quod recipit matri, vnde recipit patri, naturam istorum mediam proli. Sed ita intelligendum est: Quòd cùm esse debeat effigias rerum omni formatum varietate distincta; nunquam illud ipsum formationis huius gremium benè erit præparatum, nisi ioforme sit, & suapte natura omnibus formis, quas recepturum est, careat. Nam si erit alicuius eorum, quæ in se recipit simile, cum contrariam eius, cuius simile est, naturam, aut aliam prorsus suscipiet, nequaquam eius similitudinem, & effigiem exprimet, cum præ se tulerit suam. Quò fit vt nullam sibi propriam habeat speciem, quod est genera omnia suscepturum: Vt qui vnguenta suauiter redolentia confecturi sunt, humidam materiam, quam certo condire odore volunt, ita præparant, vt odorem nullum proprium habeat: & qui materijs mollibus, impressionique cedentibus figuras imprimere aliquas volunt; nullam omninò priorem in eis figuram apparere patiuntur. Sed exactissima quadam leuigatione eas poliunt. Ita illud quod in omnibus passim æternorum omnium simulacris rectè figurandum est; his omnibus formis natura sua carere necesse est. Hæc omnia Plato, vbi pulcherrimè per auri materiei similitudinem, multiplicemque eius figurarum formationem; materiam primam & solam, & veram naturam esse enunciauit. (Quæ quomodo veritatem communitet, vniuersaliterque habere posit, inferius declarabimus.) Scitè admodum etiam eiusdem materiei naturam manifestauit, formis inquam omnibus carere expropria natura, eam opus esse; hinc meritò ipsam informem esse pronuntiauit. Quam priores illi omnes (quos hic Hippocrates increpat) penitus ignorarunt; seipsos destruentes ob inscitiam, quam in verbis suarum rationum ostendunt. Isti nanque oppugnantia in suis rationibus enuntiantes, seipsos ignoranter destruunt; aiunt enim primò vnum, & omne esse quodcunque tandem est; quod ex sui natura prorsus informe existit; vt Plato benè demonstrauit, postea id ipsum vnum, & totum, ex nominatis elementis vnum constituentes forma præditum, insciänter pronuntiant. Cum itaque id quod ex sui natura informe est, formatum isti pronuntiant, tunc oppugnantia in sententijs suis insipienter afferunt, insipienter quoque se ipsos destruunt, falsis his & pugnantibus rationibus quare scitè admodum Hippocrates protulit, verum huiusmodi homines videntur mihi ipsi se ipsos destruere ob ignorantiam, quam in verbis suarum rationum ostendunt.

Materia prima æternis formis vndique figuratur.

IIII.

Et Melissi sententiam approbare.

Melissi opinionem affirmare Priscos hos Hippocrates hic asseuerat; iam supra retulimus qualiter vnum illud, quod & natura, & vniuersum erat apud istos, æque elementum, & principium nuncupabatur. Et quoniam hucusque demonstrauit vnum illud neutique elementum dici posse; illud idem modo de principio, contra Melissi assertionem insequentes, ostendit: nullatenus id vnum, quod quodlibet, & totum dicitur, rectè adæquatum omnium principium (vt opinabatur Melissus) appellari. præsupponit nempè Hippocrates absurdam (prout re vera erat) fuisse Melissi opinionem; cum statuat istorum veterum rationes absonas esse, pro eo quòd hæ Melissi sententiam approbant, & sequuntur; Si enim recta iudicata fuisset eius ratio, & horum quoque rectè iudicarentur; quando & iste illam affirmant, & imitantur; quoniam igitur hæ vanæ, & reprobatæ sunt, pariter & Melissi rationem vanam, ac reprobatam fuisse iure arbitrandum. Existimauit nanque Melissus substantiam quandam informem, & impermutabilem simplicibus quatuor corporibus perpetuò subiectam: hanc ipsamque informem substantiam primum principium, & vniuersum nuncupauit; quasi vniuersa singula amplectens, & continens. Ii igitur, qui aerem, vel aquam, vel ignem, vel terram, vnum atque quodlibet esse argumentantur, videntur Melissi sententiam construere: nam sicut & ille vnam communem informem essentiam ponebat omnium adæquatum principium esse; pariter & isti eandem informem essentiam, vnum ex quatuor simplicibus corporibus asserebant, adæquatum omnium elementum esse. In hoc solum differentes, quòd hi transmutabilem, & particulari quoque elementorum nomine eam substantiam dixere, quam Melissus ens vnum intransmutabile, & vniuersum appellauit; vnde & primò physicæ auscultationis Aristoteles, necesse est itaque vnum esse principium, aut plura; si vnum, aut immobile, vt Parmenides, & Melissus dicunt, aut mobile, vti naturales. Falsam modò Melissi sententiam esse declaramus, vnum tantum ens sensibilium omnium principium affirmantem. Vanas autem & absonas eius

T.6.

rationes

rationes recensere (quas primo physicorum Aristoteles confutauit) à nostro instituto alienas
esse iudicauimus; præsertim cum eas ibidem satis superque philosophus reprobauerit. At
in præsenti satis nobis erit, eius opinionem vaicnm tantum principium constituentem,
institutioni nostræ repugnantem, imminutam, & deficientem ostendere. Dicimus quip-
pe eas illud vnum, qualecunque ipse constituat, neutique sensibilium omnium adæqua-
tum, & præcisam principium dici posse; quemadmodum neque ex nuncupatis elemen-
tis aliquod vnum, totum & quodlibet verè dici merebatur; vt supra indicauimus. Ne-
que enim solum illud vnum, quod proferebat Melissus, corporum omnium, quæ gene-
rantur, & intereunt, principium tantum asseritur: Sed præter id etiam iuxta veritatem
primæ quatuor qualitates, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, & earundem tem-
peries, naturalium corporum, vera principia constituuntur. Et hæc alia profectò sunt à
primo illo informi principio, quando materiale illud, formalia verè ista sint, & nuncupen-
tur principia. Diuersa quidem in essentia, & functione sunt materia, & forma; hæc quip-
pe perfectio, & actus; illa autem perfectibilis, & potentia nominatur, & ista pati, &
subijci, illa verò agere, & formare asseueratur. At præter hæc quoque apud Peripateti-
cos, & veritatem ipsam priuatio genitarum rerum omnium per accidens principium af-
firmatur; & hoc etiam aliud, & diuersum est à superioribus dictis, vt infra declarabimus.
Cum itaque, & forma, & priuatio naturalium entium vera principia nominantur; & hæc
prorsus distincta, & separata realiter, & secundum rationem sint ab infinito vno illo
Melissi principio; euidens omnibus fit, imminutum, & deficientem in naturalium en-
tium principiorum positione Melissum fuisse. Materia etenim prima, & quatuor pri-
mæ qualitates cum suis temperamentis, quæ sub nomine formæ ab Aristotelicis profe-
runtur, per se principia, & permanentia nuncupantur; quoniam ex his res naturales
sunt, & his permanentibus, & inexistentibus componuntur. Permanent itaque, & exi-
stunt in composito materia, & forma; priuatio verò nequaquam permanet, sed tantum
per accidens principium existit. In quantum scilicet materiæ necessariò iungitur, & nun-
quam ab ea separatur. ex materia nanque iuncta priuationi generatio omnis fit: ne-
que enim aliter ex materia possibile est aliquid factum iri, nisi accidat ei priuatio eius, *Alex. in quæstionibus na-*
quod est generandum: ex potentia nanque adest habitudo ad id, quod generatur; *turalibus li.*
ex eo quod possit fieri id, in quod mutatur; si nanque impossibile foret in ipsum mu- *1. c. 24.*
tari, nulla generatio quippe esset; quando impossibilia nullatenus fiant. Ex priua-
tione autem est, quod nondum actu est, quod generari habet; si nanque esset, non
vtique generaretur; ex priuatione igitur, & potentia materiæ generatio omnis prone-
nit, & vnumquodque fit. Priuatio autem hæc, quæ generationis principium asseritur, an- *Simp. 1. phy.*
te formam priuatio nuncupatur, quæ cum transmutanda forma iuncta est semper; & *T. 56.*
priuationem, & absentiam formæ introducendæ dicit, cum quadam aptitudine ad il-
lam recipiendam; hæc vtique priuatio genitarum rerum omnium per accidens princi- *Simp. 1. phy.*
pium dicitur; pro quanto scilicet materiæ necessario accidit, nec pars compositi effici- *t. c. 64.*
tur. Verum differt ab alijs causis per accidens; quoniam non modo quatenus mate-
riæ accidit, quæ quidem est per se causa, dicitur esse causa. Sed etiam quoniam nihil
fieret ex materia sine priuatione; quam præesse etiam generationi oportet, (vt ex
non ente, licet apto, fit generatio) atque cedere formæ aduenienti: aliquoin forma
materiæ non aduenirec, nisi abiret priuatio. Nihil igitur aliquid fieri posse concludi-
mus, nisi priuationem illius propria ratione id prius habuerit; atqui aliæ causæ per acci-
dens nihil prorsus conferunt ad ea quæ fiunt. Quod autem & forma, & priuatio sint
cuiuslibet transmutationis naturalium rerum verè prima principia, & æterna, velut pri-
mum subiectum, materia prima: hinc facilè demonstratiuè ostendimus, ad Peripatetico-
rum sententiam.

Quibuscunque principiorum rationes conueniunt, & illa principia asserenda, & profe- *Primo phy.*
renda sunt; sed formæ, & priuationi rationes omnes principiorum conueniunt; ergo forma, *de contra-*
& priuatio principia asserenda sunt. quòd formæ & priuationi principiorum rationes omnes *rietate prin-*
congruant; declaramus ex ipsis principiorum rationibus; quæ quinque tantum iuxta eo- *cipiorū na-*
rum naturam constituuntur; primum quòd naturalia omnia ex ipsis fiant, & componantur; *turalium t.*
secundo quòd nec ex se se mutuo ipsa prægignantur, neque etiam ex alijs; & quòd prima, & *1. t. c. 42.*
æterna sint: Quæ conditiones omnes, & formæ, & priuationi competunt. Id quod de v-
naquaque singulatim ostendimus; & primò quòd naturalia corpora cuncta ex ipsis fiant,
declaramus. *T. co. 43. &*

Quæcunque in natura formaliter fiunt, & generantur, ex opposito & contrario suo primò *44.*

fiunt & generantur: Sed opposita & contraria in natura, ex quibus corpora omnia formaliter fiunt & producuntur, sunt forma & priuatio; ergo ex forma & priuatione omnia primò fiunt, & generantur secundũ naturam. Quòd omnia in natura ex opposito suo formaliter primò producantur, ex genitarum rerum euidentia, & ordinata continua entium generatione manifestamus, quando apertè in dies conspicimus, nihil per se primò fieri nisi ex opposito suo, vel ex medijs, si media habuerint; non enim quodlibet agit in quodlibet & patitur à quolibet; sed contrarium tantum in contrarium suum agit, & à cõtrario suo tantum patitur; actio nanque & passio omnis est meritò determinati contrarij: Omne nempe quod fit ex opposito suo, primò fieri inspicimus, vel intermedio, successiuè scilicet, vnum post alterum, ordine quodam; Quoniam post album, vel intermedium, mox suapte natura idoneum est nigrum fieri; & contra, corrupto nigro rursus fieri album, vel medium, & sic in omnibus contingit fieri. Non quidem fieret aliquod calidum, nisi prius extiterit id frigidum, seu tepidum; ita calidum corruptum, mox in frigidum, vel medium mutatur. Si igitur generationem, & corruptionem omnem formaliter ex contrario in contrarium primum fieri perpetuò cernamus; oportet ergo necessariò quòd ea, ex quibus res naturales formaliter primò fiunt, sint contraria seu media. Sic quippe maiorem ostendimus, quòd quæcunque in natura formaliter primò fiunt, ex opposito suo primò fiunt. Quòd modò forma, & priuatio sint contraria, & talia, quòd ex eis naturalia cuncta primò formaliter perpetuò producantur, demonstramus; & primò quòd sint cõtraria, ab effectibus declaramus; Quoniam forma & esse, & essentiæ causa existit, & cur vnumquodque sit hoc aliquid; Priuatio verò est causa cur aliquid non sit; Contrariorum effectuum contrariæ existunt causæ; contraria itaque erunt & forma & priuatio. quòd verò eiusmodi sint, quòd ex ipsis formaliter omnia primò gignantur, hinc parefacimus: Quoniam quæcunque in natura ex contrarijs fieri cernuntur, ex contrarijs primò secundum habitum & priuationem fieri cernuntur; Semper vtique priuatiue contraria post sese vnum post alterũ primo, & per se, ordine quodam fieri inspiciuntur: post album nempe, vel intermedium mox suapte natura nigrum fieri inspicimus: & contra, corrupto nigro rursus fieri album, vel medium; & sic de reliquis cunctis. At forma & priuatio verè contraria secundum habitum & priuationem dicuntur: priuatiuè nanque contraria, & forma, & priuatio generaliter nominantur: ergo ex forma, & priuatione verè omnia formaliter fieri asseruntur; quando cuncta ex eis secundum habitum, & priuationem fieri cernantur. Et quia naturalium rerum principia sunt prima, & æterna: nam ex ipsis, primò & perpetuò res naturales fiunt, & producuntur; oportet itaque contraria hæc, formam inquam, & priuationem, ex quibus naturalia cuncta procreantur, & prima, & perpetua esse; prima igitur, & æterna contraria ista, formam scilicet, & priuationem esse demonstrabimus.

Primo phy. t. c. 44. 45. 46. & 47.

In post prædicamentis, & primo phy. t. 42.

Prima etenim esse ex principij ratione ostendimus: nam ex eo principium dicitur quòd primum existit: Si enim primum non foret, principiatum potiusquàm principium esset: ex ratione quidem principij est primum esse; vnde & primo posteriorum analiticorum idem nanque dico primum & principium: Si igitur priuatiue contraria principia sunt, ex eo quòd ex ipsis formaliter omnia generantur, erunt quoque & prima; cum principia sint, quæ verè prima dicuntur; proinde & quinto methaphisices Aristoteles inquit.

Cap. primo.

Principium nempe dicitur vnde incipit motus, & magnitudo, & vnde bene incipit aliquid, & in eo quod generatur illud, quod primò fit, vt cor in animali; & primum efficiens aliquid non inexistens, & principium in disciplinis, & potestas Regis in Regno. Omnium igitur principiorum commune est primum esse, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur: horum autem hæc quidem inexistentia sunt, illa verò extra; quapropter, & natura principium, & elementum, & mens, & voluntas, & substantia, & quod cuius causa: multorum enim, & cognitionis, & motus, principium est bonum, & malum. Hæc omnia Aristoteles, in quibus multipliciter principium dici fatetur; sed omnium tamen principiorum commune est, inquit, primum esse. Cum autem forma, & priuatio principia sint veluti ostendimus; prima igitur iurè dicentur. Prima itaque meritò erunt & forma, & priuatio, quando principia sint.

Quòd verò pariter & æterna sint, manifestamus; quando vnà semper cum informi materia reperiantur, quæ apertissimè æternam esse sic demonstratur. Si enim materia generatur, oporter ei aliquid subijci, ex quo generatur: nam secus ex nihilo produceretur: sed primum quod subijcitur in generatione est materia, (dico enim materiam primum subiectum vnicuique ex quo fit aliquid cum insit, & non secundum accidens) sequitur ergo, quòd materia sit antequam fiat; quod est impossibile, aut opus esset dari aliud subiectum primum, ex quo ipsa fieret, & sic esset aliquid prius primo; quod etiam incongruum est. Et similiter omne quod corrumpitur, in materiam primam resoluitur; quando igitur iam est materia prima, tunc est corrupta; & sic

Primo phy. t. c. 82. materia, forma, & priuatio æterna esse demonstrantur.

si mate-

si materia prima corrumpatur, erit corrupta, antequàm corrumpatur; quod etiam est impossibile, vel oportet ipso vltimo aliquid posterius concedi: quod iterum inconueniens asseritur. sic nempe impossibile est, materiam primam generari, vel corrumpi; & per consequens perpetuam, & æternam esse dicimus. cum enim & forma, & priuatio vna semper cum æterna materia reperiantur; & ipsa quoque simul cum materia æterna erunt; & si enim singulares formæ, & priuationes ostenduntur successiuè inuicem mutari, non propterea negandum formam, priuationemq; vniuersaliter & simpliciter æternam esse; quādo simpliciter forma, & priuatio necessariò semper circa materiam existant. Si enim semper vtrunque ipsorum necessariò cum materia reperiatur, necessariò etiam vnà cum materia perpetua erunt & forma, & priuatio simpliciter & absolutè; & si non hæc forma, neque hæc priuatio particularis perpetua sit. Quòd autem sit necesse hæc semper esse, formam scilicet, & priuationem circa materiam, manifestum est; primum quidem ex eo, quòd materia æterna existens, nunquam potest esse sine forma, nisi imaginatione tantum. secundò ex eo, quòd ipsa est potentia opposita, & cōtraria; eo quòd non possit simul esse sub contrarijs actu; necesse est enim cum alterum contrarium ei actu affuerit, alterū inesse potentia; quod autem est in potentia, tunc est in priuatione illius, ad quod est in potentia; necesse est itaque materiam semper esse cum forma aliqua, & priuatione. Si verò semper materia cum vtrisque & forma, & priuatione reperitur, & nunquàm est, quòd sumpta materia, aut omnia quæ potest, simul actu erit, aut omnia quæ potest, in potentia tantum sit; sed semper & perpetuò æqualiter & sub forma, & sub priuatione reperitur; necesse est igitur prima ista contraria, formam scilicet, & priuationem vnà cum prima informi materia æterna esse; æquè enim perpetua sunt, & prima, tria ista principia, materia, forma, & priuatio. Quòd autem nec ex alijs, nec ex sese mutuò fiant, clarè demonstramus; nam si ex alijs, non igitur ipsa principia; sed producta, & orta nuncupanda magis sunt, quàm principia; quæ aliorum originem, & non ab alijs genita esse, declarauimus. Sic quidem prima, & non prima, (ait Auer.) principia dicerentur; quod vtique absurdum est. Primum igitur quatenus primum, non esse ex alio, neque principium proficisci ex alio planè liquet. Quòd etiam principia ex se ipsis mutuo non fiant, hinc etiam constat; nam si ex principio erit, (Plato inquit) non erit principium; & si prorsus ex se ipsis mutuo fierent, non magis principia forent, quàm ea, quæ ex principijs fiunt; vnde æqualiter & principij, & principiati rationem haberent; & non magis initia, quam initiata dici mererentur; pariter quoque & prima, & non prima. *In phedone*

Preterea cum formalia principia cōtraria diximus esse; impossibilis tunc foret horū permutatio; quando contrariū potius contrariū corrumpat, quàm in ipsum cōuertatur; non igitur formalia principia ex se se inuicē fieri possunt, cum contraria sint. Neq; hoc superius dictis cōtradicit: quòd omne quod fit ex contrario suo fiat; quoniā hic contraria ex contrarijs fieri subiectiuè negamus; quando non sic fieri ex se inuicē possunt, vt permanentibus, non enim manet vnum contrarium sub altero; sic quippe contraria ex se se mutuo fieri negamus: sicuti ex ære dicimus fieri statuam; quoniam non substinet alterum reliquum adueniens; quemadmodum æs substinet formam statuæ; & simpliciter materia formam. Nam hoc modo simul essent contraria; sic profectò hic abnegamus contraria vicissim à se se fieri. Superius autem aliter locuti fuimus contraria ex contrarijs fieri: diximus nanque ea post se se, scilicet vnum post alterum fieri, quemadmodum Plato in Phedone magis propriè nominauit, cum dixit, contraria ipsa, & opposita post se se fieri. accommodatius nanque dicuntur contraria post se se, ordine quodam fieri, quàm ex se ipsis vicissim. non enim potest aliqud nigrum fieri, nisi id prius album fuerit, vel intermedium; item calidum fieri, nisi antea fuerit frigidum, vel tepidum. Sic igitur patet, qualiter hæc diuersimode dicta, non inuicem contradicunt. ac ita manifestauimus, quomodo forma, & priuatio & prima, & æterna sint, vnà cum materia prima informi; & æqualiter vera principia existant; quando principiorum rationes omnes contineant. Nam & æterna sunt, & prima, ita quòd nullum ipsis præintelligitur prius, ex quo sit horum productio, & ex his omnia formaliter primò constant & generantur; neque ex alijs, neque ex se se mutuo prægignuntur; quæ omnes principiorum rationes nuncupantur: & primis ipsis cōtrarijs insunt, velut demonstrauimus. Cum igitur principiorum conditiones omnes primis ipsis contrarijs, formæ scilicet, & priuationi insint; manifestum redditur, quòd prima ipsa contraria, forma inquam, & priuatio principia sint. Tria itaque erunt naturalium rerum principia; duo prima contraria, priuatio, & forma, quæ formalia principia nominantur; & subiectum substentans contrarietatem, materia prima informis, materiale principium nuncupatum. ex quibus duo per se principia appellantur, & permanentia, forma scilicet, & materia: tertium per accidens principium dicitur, priuatio ipsa; quæ & generationis, (prout est via ad formam) & pariter mutationis ad non esse, quodammodo per se principium dici potest; nam vt forma est causa mutationis ad esse, ita priuatio

Primo phy. tex.42.

Qualiter omne quod fit, ex contrario fiat.

Primo phy. tex. 67. & tex.70.

Primo phy.

secundū sectionem Simplicij t. 60. T.c.79.

priuatio est causa mutationis ad non esse. Item priuatio dicitur causa generationis secundum presentiam, quoniam ex non tali oportet fieri; & secundum absentiam, quoniam ipsa seclusa, cedente, atque corrupta, aduenit forma. hæc quidem idem subiecto est cum prima informi materia, attamen plurimum differt ab ea, sicuti primo physicorū probè Aristoteles ostendit, dum ait. Hoc autem plurimum sanè differt; nos verò materiam & priuationem diuersa dicimus esse; atque materiam quidem non ens esse per accidens, vtpote priuatio (quæ est verè non ens) ipsi accidit; Priuationem verò per se non ens esse censemus, per accidens verò ens, quia accidit ipsi materiæ, quæ est ens; & materiam quidem prope, atque quodammodo substantium; priuationem verò nullo modo esse substantiam fatemur; & propterea materia permanet cum forma, quæ aduenit; priuatio verò cedit, & aufertur. Item materia appetit formā, tanquam propriam perfectionem; at priuatio non appetit formam, cum sit suum contrarium, alter sui ipsius destructionem appeteret. Sic enim patet qualiter & si materia, & priuatio, idē subiecto sint, non propterea idem essentialiter sunt, & vnum tantum principium asseuerandum; quando inuicem pluribus rationibus differant, & alia quoque & diuersa ratione, à materia principium constituatur. Sic quippe concludimus, tria omnia esse naturalium rerum principia; materiam & formam per se; priuationem per accidens. Et hæc satis profectò sunt ad saluandam rationem omnium transmutationum naturalium; quoniam formalia principia, contraria esse constituuntur, vt mutua vicissitudinariaq; eorum mutatione perpetuam rerum generationem, & corruptionem efficiant; verum fieri non potest, vt sola prima contraria, principia esse dicantur; quippe contraria sic se habent, vt vnum ab altero pati nequeat; modo sint entia per se, seclusoq; tertio: nam vnum cum altero permanere non potest, neque alterum recipit: neque vnum contrarium fit alterum; necesse est itaque ponere tertium aliud principium, quod sit subiectum contrariorum, in quo vnum contrarium vicissim cum alio agere & pugnare possit: nam hoc tertium cum non sit contrarium, permanere potest cum vtroq;, & vtrumq; ferre vicissim. hoc quidem principium est prima ipsa materia informis; quæ contrarijs primis subijcitur, & dimissim patiendo ab ipsis perennem generationem & corruptionem producit. ipsa autem per se sola insufficiens esset; quoniam (vt infra declarabimus) nihil secluso aliorum consortio, per se aliquid efficere posset; hæc nanq; tria cunctis satisfaciunt generabilibus, & corruptibilibus; igitur hæc tria tantū principia præordinantur. Cum itaque Melissus, & vetustiores alij vnum solummodo materiale principium cognouerint, & id malè, & diminutè; formale autem, & per accidens principium penitùs ignorauerint; ne mirum si perperam & confuse vnicum genitarum rerum omnium principium proferentes, defecere. Hucusq; Hippocrates improbando, recensuit illorum opiniones, vnum simpliciter omnia esse profitentium; siue id vnum elementum, siue principium dixerint. Et quoniam hoc id ipsum sensit de illorum sententijs, qui multiplicia & infinita principia, seu elementa asseruere; quando & vnum etiam isti quoquomodo omnia huiusmodi esse affirmauerint, quapropter quod de alijs primis protulit, pariter & de his proferendum esse indicauit. Vnde Galenus cum hæc Hippocrates silentio preterijsset, vniuersam præpositam absoluens methodum; quorundam istorum breuiter positiones recensēt: vt deinceps clarius eorum redargutiones percipiantur.

Principia rerum naturalia tria tantum.

Primo phy. tex. 81.

Primo de elementis.

Quoniā ex ipsis antiquis multi fuere, vt Epicurei, Leucippus, Democritus, & Anaxagoras, qui plura, & infinita posuere principia; cuncta tamen ea, vnū specie ac magnitudine asseruerunt; vnde & modo opposito superioribus Philosophis vnum statuerunt principium: illi nanque ex vno multa, (præsertim vnum constituentes elementum) isti verò ex multis & infinitis vnum secundum formam & potestatem dixere; quemadmodum Epicurei, & Democritus infinita insectilia corpora; quæ atomos vocarunt. Leucippus infinita minima incompacta & indiuisibilia corpuscula. Anaxagoras & sequaces infinitas similares partes productarum rerum omnium principia constituerunt. qui omnes tandem eiusmodi infinita cuncta, vnum fuisse elementum seu principium secundum genus, & potestatem conuenere; quare primo Physicæ auscultationis Aristoteles. Si autem infinita, aut perinde vt Democritus genere quidē vnum, figura autem diuersa, aut contraria quoque esse oportet.

Plura ac infinita facientes principia.

Primo phy. tex. 5.

Principia itaque rerum omniū Democritus, Leucipus, & Epicurus, vacuum, & atomos instituerunt; vocaruntq; atomos, pusilla admodum corpuscula, quæ propter exiguitatem perspici non possunt, qualia sunt ramenta ea puluerulenta, quæ per ostium foramina in Solis radijs visuntur, quæ sanè non elucente sole, non apparent, neque videntur propter ipsorum paruitatem. Vnde ex ipsis nonnulli vt Epicurei, eos præ duritie infringi non posse, autumant. Alij qui magis Leucippo additi sunt, ad exilitatem referunt, quòd nullam admittant sectionem. negant præterea & isti quoquomodo eos posse quapiam ex his alterationibus alterari; (quas tamen cæteri ferè omnes fatentur, vel ab ipsis sensibus edocti) quippe qui, nolint eorum quic-

Democriti, Leucippi, & Epicuri opinio.

quam

quam calefieri, aut refrigerari, pariterq; nec humectari, vel siccari, atque adeo longè minus nigrescere, aut albescere; vt tandem contendant nullam prorsus ex vlla mutatione qualitatem aliquam suscipere posse. Sunt quippe atomi isti harum omnium qualitatum nudi ex propria & insita natura, & expertes; neque verè & naturaliter aliqua qualitatum permutatione permutari possunt; sed tantum iuxta apparentiam; legè enim dicebat Democritus, calor est. legè amatum, legè dulce: atomi verò & vacuũ verè est. nihil nanque aliud significat hoc verbum legè nisi secundum existimationem, & ad nos, & non ex ipsa rerum natura & veritate. credidit enim ipse sensiles qualitates omnes ex indiuiduorum corpusculorum conuentu, per solam ad nos (qui sentimus) collationem gigni, ipsa autem natura nihil esse, album, aut nigrum, flauum, aut rubrum, amarum, aut dulce: verè autem & secundum naturam vnum, & nihil, seu firmum, & inane sunt omnia; hæc duo nanque tantum apud istos sunt verissima natura, & substantia omnium entium, vnum scilicet, & nihil, seu firmum & inane. Vnum quidem & firmum, atomos (quoniam firma & solida constant substantia) nominabãt, nihil verò, & inane vacuum dixere. est enim vacuum apud istos spatium quoddam nudum, & expers, in quo ea corpuscula omnia sursum ac deorsum agitata perpetua motione quandoque simul secundum aliquem modum complicantur, nonnunquam mutua inter se collisione resiliunt; quò fit postea vt ex huiusmodi horum conuentu & mutuæ concretiones fiant, atque iterum secretiones, generationes, inquã, & corruptiones. Voluit itaque Democritus cum aliorum omnium, tum nostra quoque ipsa coagmentari corpora, atque horum cum effectus, tum sensus ex istorum corpusculorum congressu. Propterea existimauit atomos omnes vnius, & eiusdem firmæ substantiæ esse, qualitatum omnium expertes; differre tamen eos inter se figura; quoniã quidam rotundi sunt, quidam cubici, Pyramidales alij, vel quadam alia formati figura. omnes nempè atomi, & insectilia corpuscula in substantiæ genere conueniunt, in figuris verò differunt; nec solum differre, sed contraria etiam esse dicuntur. cum enim neque caliditatem, neque frigiditatem, neque albedinem, & nigredinem in atomis esse Democritus dixerit: ex figuris omnia formaliter generari protulit, vt bene secundo de natura rerum cecinit Lucretius.

Substantia & natura rerum secũdum Democritum.

Nunc agè deinceps cunctarum exordia rerum,
Qualia sint; & quàm longè distantia formis;
Percipe multigenis quàm sint variata figuris.

Lucretius lib. 2. de natura rerum.

Mox ordine atque positione atomorum diuersas in nobis formationes, affectionesque fieri asseruit. quoniam rotunda insectilia, tanquam facile mobilia caliditatis & ignis causas esse protulit, quando facile mobiles rotundi atomi sint, & ocyus diuidant, & disgregant: peculiare nanque igni est diuidere posse, & facile moueri. cubica verò insectilia tanquam ea (vt ita dixerim) quæ magis expellunt, & coagulant, frigiditatem producere dixit; Frigus enim coagulandi & expellendi vim obtinet. eodem etiam modo in coloribus fieri statuit, quandoquidem Pyramidum vertices cum feriunt oculos talem coloris imaginationem, vt albi efficiant. quoniam albũ disgregandi visum vim habet, item diuisiuũ est, & acutum qualis est Pyramidum vertex. at bases earum quoniam obtusæ sunt, nigri coloris imaginem producunt; quando nigrum congregatiuum est, & quodammodo obtundens, congregat enim & quæ distant in idem colligendo, compellendoq; redigit, velut sunt Pyramidum bases cum igitur atomi, & insectilia corpora differentibus figuris contrarias affectiones, contrariaq; mixta parturiant; ea non modo figuris differre, sed etiam contraria esse instituerunt; quando & apud ipsos quoque actio omnis & alteratio sit meritò contrarietatis. Idem quoque & de ordine, & positione eorundem asseuerant; quoniam & penes hæc cõtraria sunt, contrariasq; producunt affectiones. veluti si contingat, primos atomos sphericos esse, & posteriores Pyramidales; Sicut forte in homine atomi qui primò supra sunt constituti, orbiculares sunt; vnde caput ad rotunditatem vergit: posteriores Pyramidales, vt in genis, & gula inspiciuntur. Quæ & Pyramidis formam gerunt; primum autem respectu posterioris contrarium nominatur; Sic primi in ordine atomi ratione posteriorum contrarij appellantur. positione etiam insectilia contraria esse dicuntur; veluti si in parte aliqua atomi Pyramidis formam gerentes inferius verticem habeant, & bases supra, ceu in gula mandibulaq; euenit; quòd inferius vertex, ex superius bases reperitur; sic contrarij iuxta situm, & positionem atomi vocantur. Contrarietas verò penes positionem dicitur supra & infra, dextrum & sinistrum, ante & retro; ac huiusmodi contrarijs mutuæ concretiones & secretiones, generationes scilicet, & corruptiones rerum omnium apud istos conficiuntur. Scire autẽ oportet apud eosdem, quòd harum trium differẽtiarum, prior quidem secundum quam ex talibus, aut ex talibus constant atomis, facit composita etiam omnino alia & diuersa; quæ autem penes positionem, & ordinem alterata solum, non autem alia.

Atomi figuris omnia conficiunt.

Caput, genæ, & gula à quibus atomis efficiantur.

Anaxagoras vnà cum Democrito infinita principia ponit, & ea omiomerias, idest similares

Anaxagora

partes



opinio de principijs.

partes, & nō atomos nuncupauit; eadem quoque & omne, & quodlibet appellauit; hinc quodlibet esse in quolibet, & omne in omni, & quodlibet ex quolibet, & omne ex omni generari protulit, statuit namq; Anaxagoras materialia rerum principia, similaria ipsa, quæ numero & contrarietate infinita sunt, omnia simul mixta in congerie quadam infinita fuisse, priusquam totum generaretur; propterea iulit mentem (quam effectricem causam nuncupauit) quodam temporis initio cæpisse omnia ad inuicem separare, haud tamen potuisse explere, perficereq; separationem; Sed dissimilaria, confusa, concretaq; ac similaria a similaribus semper segregat; hæc nanque similaria syncerè, pureq; segregare ipsa non potest, cum ea sint natura, vt inseparabilia sint; Illorum tamen (cum illinc principium datum sit separationis) partitionem semper facit. hoc igitur modo omnia fieri ex omnibus, cum inuicem cuncta sint permixta, asseruit. Nam in ligno, siue in quouis altero mixto carnes, ossa, aurum, & simpliciter omnia esse protulit; verum sensit vnumquodq; appellari, trahereq; nomen ab eo quod plus in eo abundat; vt in seminum cumulo contingit; nam si plus tritici est, quam aliorum seminum, triticum cumulus ille appellabitur; quando illud plurimum abundat; pari modo vbi plus carnis esset, quàm aliarum rerum, carnem appellari dixit; at vbi plus ossis, ossa; eadem quoque ratione in aere, auro, lapide, & similibus dicendum est. quemadmodum si quis ex toto semine occulta hordei grana paulatim colligeret, adeo vt hordei aceruum expleat; is quidem non videtur generasse hordeum, sed solum indicasse, separasseq; illa; Ita enim res naturales se habere protulit; Nam quando ex carne os generatur, vel aliquod alterum, non dicitur hæc mutuatio vera generatio, sed emphasis, manifestatioq; ac segregatio illius, quod prius erat occultum. veruntamen in seminum cumulo datur dura aliqua species separanda, velut hordeum, & triticum; Sed hoc in similaribus fieri nequit; Cum nunquam possit purè separari caro, vel lapis, vel aurum, aut aliquid aliud; Sed vbi semper in toto, quod seiungitur, aliquod tale est, omnia etiam insunt. verum illud appellari & ab eo nomen trahere, quod plus est in eo; minime nanque carnis particulæ, vel auri, vel lapilli simul iuncti, carnes, aurum, vel lapides, aut tale aliquid producunt. Et ita similarium cōcretio, & aggregatio dissimilaria, & cōposita apud Anaxagoram constituunt.

Vniuersalis efficiens causa apud Anaxagorā.

Substantiarum formatio & cōpositio apud Anaxago.

Empedocles quatuor posuit materiales causas, quæ sunt notissima quatuor elementa, vnde & illa omnium primas radices appellauit; præterea efficientes causas statuit litem & amicitiam, non simul sed seorsum; quoniam cum amicitia vincit, superatque coniungi, congregarique elementa; & sic fieri intellectualem mundum edocuit, quem sphærum vocauit; cum verò confecto, transactoque quodam temporis circuitu, lis rursus superaret, dominareturque sphærum illud disgregari, & fieri denuò quatuor elementa, & hunc sensibilem mundum. huius verò sensibilis mundi particularium generationum corruptionumque principia pariter amicitiam, ac odium ordinauit; generationis nanque amicitiam, corruptionis autem odium autorem instituit.

Empedoclis sententia de principijs.

Efficiens causa quæ fuerit apud Empedoclē.

Cum enim vidit omnia alia ex his quatuor elementis facta, & ipsa inter se mutuò fieri asseruit; compositaque elementorum tantum congregatione gigni affirmauit; ex eo quod immutabilia elementa esse proferebat. Et cum ex aqua aer fiat; vel ignis ex aere, & è conuerso; non transmutata aqua, vel aere, reliqua fieri dixit. Sed elementa actu inter se mutuò inesse; cum itaque aer rarefieret ignem, qui inexistebat, quoniam peruium locum inuenit, separari protulit; rursus autem cum densatur aer, aqua (quæ inerat, & in eodem disseminata erat, extrusione qua solet eijci, emittique ea, quæ extruduntur) segregatur; ceu aliquid tale patiuntur acini, qui comprimentibus digitis extruduntur: nam cum adsint, & inter digitos occultentur, quando densantur & comprimuntur digiti, extrusione iaciuntur; qui sanè tunc non fiunt, sed solum apparent, & segregantur. Discrepant autem inter se Empedocles, & Anaxagoras, quoniam Anaxagoras similaria in æuo simul commixta chaos constituentia mentem, ex prima illa miscella, ea separare cæpisse, & nunc semper secernere, segregareque ad inuicem dixit, & semper idem efficere; neque amplius in vnum ita redigi omnia posse affirmat, vt vnà rursus miscella, & chaos fiat. atqui Empedocles sæpenumero affirmat hæc inuicem coniungi, & separari. Nam elementa ex sphæro interdum seiungi, excernique inquit, interdum verò ipsa in vnum denuo coniungi, coireque contendit. & hoc interpellato rerum circuitu infinities fieri reuertique edocuit: hæc quippe prima differentia est inter Empedoclem, & Anaxagoram. altera verò, quoniam Anaxagoras elementa, idest omiomerias infinita esse protulit; at Empedocles statuit finita esse, videlicet, ignem, aerem, aquam, & terram. Tunc etiam Empedocles prima dicit esse & simplicissima quatuor hæc elementa, ex his postea congregatis similares generari partes, os, carnem, neruos, & reliqua. Anaxagoras è conuerso, composita affirmans quatuor elementa ex similaribus partibus; statuit enim & ossis, & nerui, & cuiuslibet aliorum similitudines partium Igni, Aquæ, Aeri, & Terræ inesse; nam ex similaribus his fieri omnia putauit; vnde quemad-

Discordia inter Empe. & Anaxag.

modum

modum oſſa, & carnem, reliquarum compoſitarum partium ſimilares partes proferebat, pariter ignis, aeris, aquæ, & terræ, eaſdem eſſe pronnntiabat, & omnia quidem eſſe in omnibus, apparere antẽ vnumquodque, & nominari à prædominanti. Hactenus de Empedoclis, & Anaxagoræ ſententijs. Hæ omnes profectò ſunt priſcorum Philoſophorum ſententiæ, principia rerum multiplicia, & infinita, ac vnum ſecundum genus, & poteſtatem conſtituentes; quæ longius inueſtigata fuere; probè admonente Philoſopho, nos diſtinctam rerum cognitionem aſſequi non poſſe, niſi veterum principia ſemitaque inquirendi accepiſſemus. Aduerſus itaque omnes ſic ſentientes communem inducit Hippocrates demonſtrationem: quòd neque vniuerſum ipſum, neque Homo, & quæuis alia ſpecies, tam ſenſibilium, quàm inſenſibilium ſit vnum, neque verè neque ſecundum formam, & potentiam, ſiue principium, ſiue Elementum, ſeu Atomos, aut ſimilares partes quis id dixerit, & nominauerit. Vniuerſalem itaque contra omnes demonſtrationem profert, dicens. *Hipp. demõſtratio cõtra antiquos.*

V.

Ego autem dico, ſi vnum eſſet homo, nunquam doleret, neque enim eſſet, vnde doleret; vbi vnum tantum foret.

Mea verò eſt ſententia (ait Hippo.) ſi vnum eſſet homo, nullo vnquàm dolore afficeretur; ſed vna eadem ſemper ſuauiſſima operatione frueretur, inſtar ſummi opificis, qui cum verè ſimplex ſit, vna, & ſimplici voluptate ſemper gaudet. optimè, & quàmbreuiſsimè his verbis demonſtrat contra hos omnes, quòd non vnum ſit elementum, & principium; qualecunq; id faciant, & aſſeuerent: arguit nanque in ſecundo modo Syllogiſmorum Hipotheticorum non ex toto Hipotheticorum à deſtructione conſequentis ad antecedens deſtruendum ex antecedenti affirmatiuo, & negatiuo conſequenti; vtputà ſi vnum quid eſſet homo, non doleret; ſed re vera homo dolet, ergo non eſt vnum; tollit nanque conſequens affirmando, & eruit antecedens: Primum itaque contra Thaſem, Heraclitum, Anaximenem, Meliſſum, & alios vnicum abſolutè conſtituentes elementum, & principium demonſtrationem inducemus; mox contra Anaxagoram, Leucippum, Empedoclem, Democritum, Epicureos multiplicia, & infinita, ſed vnum ſecundum genus, & poteſtatem aſſerentes. Contra igitur primos ratiocinabimur; hanc ipſam Hippocratis demonſtrationem inducendo ex Philoſophi doctrina tertio de anima, dum ait. *Tertio de anima t. 60. t. 61. & 62.*

„ Animal quidem ſenſum habere neceſſe eſt, ſi nihil fruſtra facit natura; alicuius enim gratia „ ſunt omnia, quæ ſunt natura; atqui ſiquidem ſenſum habeat; neceſſe eſt, corpus eſſe ſimplex, „ vel mixtum; Simplex autem non poteſt eſſe, tactum enim non habebit, cum autem habere ne„ ceſſe eſt. Ex ſalutari, & vtili naturæ actione argumentatur Ariſtoteles animal ſenſum habere; perpetuò nanque natura genitis cunctis proprium bonum miniſtrat: Ipſum autem bonum & permanendi, & ſeruandi vim habet; propterea & ipſe inquit, neceſſe eſt animal ſenſum habere, ſi nihil fruſtra facit natura; hoc eſt niſi proprium bonum genitis animalibus, tanquam animalibus aſsignauerit, quemadmodum & Plato in Politia. Cum itaque haud aſſecutum fuerit id, quod & ſalutis cauſa eſt genitum animal, fruſtra erit; at nihil fruſtra à natura fit, quare & animalibus omnibus, quòd iuxta conuenientes ipſorum menſuras traditur, ſeruandi vim habebit. Seruandorum verò mortalium animalium vim habet ipſum ſentire potens; cum cauſa ſit vt ea vitent, quæ aliena; & ea recipiant, quę propria; ipſum itaque ſentire potens iure animalibus elargietur. In generatis quidem omnibus, in quibus ſolum natura eſſe intendit, ijs, vt cum difficultate patiantur, conceſsit; cum haud indigeant ſenſu; quoniam in ſeipſis illud habent, vt non facile patiantur. In quibus verò non ipſum eſſe, ſed ipſum potius bene eſſe intendit, ijs ipſum facillimè pati dat, penès totam corporis conſiſtentiam; quò & maximè ſentiendi vim habeat; ſine tactu igitur, cui omnino & guſtus quoque connexus eſt; impoſsibile eſt animal eſſe, quoniam cum facile animal pati debeat, ad hoc vt ſentiat, iuxta ſe ipſum totum ſentiens eſſe oportet, nam citò aliàs corrumperetur. Id quod pulcherrimè ſecundo de anima his verbis ipſe docet.

Animalia autem omnia vnum habent ex ſenſibus tactum; cui autem ſenſus ineſt, huic vo„ luptas, & dolor, & iucundum, & triſte eſt: quibus autem hæc inſunt, ineſt etiam cupiditas; iu„ cundi enim appetitus eſt ipſe; præterea & nutrimenti ſenſum habent, nam tactus nutrimen„ ti ſenſus eſt; aridis enim, & liquidis, calidis, & frigidis nutriuntur animalia omnia; horum „ autem ſenſus eſt tactus; aliorum verò ſenſibilium per accidens; nihil enim in nutrimentum „ confert ſonus, neque color, neque odor; fames verò, & ſitis cupiditas eſt; & fames quidem, „ *Te. 27. & t. 28.*

calidi,

" calidi, & ſicci, ſitis autem liquidi, & frigidi; at ſapor velut condimentum quoddam horum eſt. Hæc Ariſtoreles.

Vbi apertè demonſtrat ſenſum tactus neceſſariò animalibus omnibus ineſſe; cui autem ſenſus tactus ineſt, huic & voluptas, & dolor, & iucundum, & triſte aderunt; cui autem ineſt ſenſus tactus (inquit ipſe) illi etiam neceſſe eſt, vt inſint voluptas, & dolor; voluptas ex rei iucundæ apprehenſione, dolor ex rei moleſtæ, & nocuæ perceptione. Oportet enim quod ſentitur ſecundum tactum eſſe, vel conueniens; & ſic eſt delectabile, vel nocuum, & ſic eſt doloroſum; dolor nanque, & voluptas tanquàm paſsiones quædam eius, quod ſentiendi vim habet, ſunt. Suaue verò, & moleſtum, tanquàm ea, quæ illarum efficiendarum facultatem obtineant. Vtrorumque autem iudicandorum poteſtatem ſenſus tactus adeptus eſt; pariter enim & delectabile, & moleſtum ipſe dijudicat; quamohrem, & iuſtè nutrimenti ſenſus dicitur; Nutritioni quidem voluptas, innutritioni autem dolor conſequens eſt. Cum enim neſſarium ſit animalibus omnibus vti alimento; tandiu quidem viuimus, quandiu nutrimur. hinc & ſenſum tactus habere opus fuit, quo percipiant ſibi alimentum conueniens. quòd verò tactus alimenti ſit ſenſus, manifeſtatur; ſicut enim viuentia corpora, ex calidis, frigidis, humidis, & ſiccis conſtant, ita ex his nutriuntur. Tactus autem eſt horum omnium diſcretiuus, & rectus iudex; vnde & ſenſilia propria tactus hæc nominantur. Cum igitur proprijs tactus ſenſilibus nutriamur, manifeſtum vtique ſit, tactum ipſum nutrimenti ſenſum eſſe; at alijs ſenſibilibus non nutrimur niſi per accidens, in quantum tangibilibus coniunguntur; ſonus enim, & color, & odor nihil conferunt in alimentum, vt huiuſmodi ſed ſolum vt contingit colorata, odorata, ſonora, calida, frigida, humida, & ſicca eſſe; Sapor verò eſt quoddam horum oblectamentum; delectabilis nanque ſapor, conuenientem iudicat proportionem calidi, frigidi, humidi, & ſicci in alimento: ac ideo magis ad alimenti delectationem, quàm ad neceſsitatem confert. Sic quidem clarè patet, ſenſum tactus nutrimenti ſenſum eſſe.

Secundo de generatione tex.c. 49. & com. 50. Tertio de anima tex. c. 66. Secundo de anima. t. c. 118.

Quibus autem nutrientium ſenſus eſt, his quidem ſitis, & fames eſſe ſolet; vtræque alimenti cupiditas, & appetitus dictæ; ſi igitur quibus conſtamus his quoque nutrimur; conſtamus autem ſiccis, & humidis, calidis, & frigidis, calida vtique, & frigida, pariter humida, & ſicca, animantium corporum alimenta erunt; quorum ſitis, & fames appetitus dicentur; fames quidem, & ſitis deſiderium dicitur ſuppletionis eius, quod de noſtra ſubſtantia fuit abſumptum; ſecundum nanque eas omnes, quibus compoſiti ſumus, qualitates abſumimur. Si enim nihil è corporibus noſtris effluerct, ſed ſemper æqua moles ſubſtantiæ ſeruaretur, nulla foret alimenti neceſsitas: ſed cum perpetuò ipſa diffluantur, & quatuor proprijs qualitatibus aſſumantur, neceſſariò horum omnium appetitus inſequitur & fames, & ſitis: fames calidum, & ſiccum, ſitis frigidum, & humidum appetens, ex his quidem conſtituti ſumus: quibus conſumptis in horum ſuppletione decenter appetitus mouetur. Nam ſimilia ſimilibus appetuntur; quare vnoquoque elementorum deficiente, conſequenter ſingulorum ſit appetitus; non mirū igitur quod ſæpenumero contraria ſimul cupimus, potū inquam, & cibum, quod eſt, ac ſi dicamus calidum, & ſiccum, frigidum, & humidum. Nam quemadmodū ex quatuor conſtamus; omniumque æqualiter ſit conſumptio, omnium pariter deſiderium ſimul aderit. fames calida, & ſicca; frigida, & humida ſitis appetēs, ad ea quæ conſumpta fuere ſupplenda, hæ quippe ſolæ conſumptorum appetitus dicuntur. Ex his itaque clarè inſpicimus, neceſſariò animalibus omnibus tactus ſenſum ineſſe, quando horum nobis eſt apprehenſio, de quibus habemus eſſe, quòd ſi tangendi ſenſus non adeſſet, nullum conſumptæ ſubſtantiæ nobis ſubſidium foret; neque hoc modo nobis vlla deficientis eſſet cognitio: quod ſi eſſet, nec vllum quidem deſiderium ſuppletionis haberemus; At ex hoc animal conſeruari oſtendimus; ſi modò hoc non eſſet, ex neceſsitate ipſum corrumperetur, ſuoque fine natura fruſtraretur.

Primo Aphoris. 15. Aphoris.

Alia ratio declarás tactum neceſſariò animalibus ineſſe.

Alio quoque medio animantibus tactus ſenſum ineſſe oſtendimus, nam animalibus omnibus, quibus & ingredi, & ſecundum locum mouere à natura datum eſt, tactus ad ſalutem, & incolumitatem etiam confert: vbi enim commigrauerint, & corpora offenderint, quorum alia deſtruere, & interficere, alia ſeruare, & tueri nos ſolent; niſi id iudicio tactus apprehenderent, vt ad ſalubria accedere, & noxia declinare poſſent; facili ac prona occaſione animalia in interitū prolabi conſpicerentur, & motio animalium, quæ ſecus locum ſit, ad malum duceret; at verò nullum ex his incommodis ſecundum naturam eſt. Sic quidem clarè demonſtrauimus, tum ex neceſsitate, tum ex commodo, & ſalute animal quodlibet ſenſum tactus habere. Subſequitur deinde Ariſtoteles dicens.

" Atqui ſiquidem ſenſum habet, neceſſe eſt corpus eſſe ſimplex, vel mixtum, ſimplex autem " non poteſt eſſe, tactum enim non habebit, cum autem habere neceſſe eſt. Ex perfecta diuiſionis ratione per oppoſita argumentatur Philoſophus impoſsibile fore animalia vnum ex ſimplicibus corporibus eſſe; inquit enim, ſiquidem ſenſum animal habet, neceſſe eſt corpus eſſe ſimplex,

plex, vel mixtum: Simplex nanque mixto opponitur; nam quod ſimplex non mixtum, & quod mixtum non ſimplex. Quod verò & ea, quæ ſenſum habent, corpora ſint, manifeſtum eſt: nam talia omnia naturalia, & organica dicuntur. Naturalia autem & organica corpora omnia ſunt. Per contradictoria itaque oppoſita arguens inquit; ſiquidem ſenſum habet, neceſſe eſt corpus eſſe ſimplex, vel mixtum: Idem nanque eſt dicere ſimplex, vel mixtum, quod ſimplex, & non ſimplex; nam quod non ſimplex mixtum, & quod mixtum non ſimplex. Cum igitur de quolibet verum eſt affirmare, vel negare; verum vtique erit, corpus ipſum ſentiens, ſimplex vel mixtum eſſe; at ſimplex eſſe non poteſt, (infert ipſe) mixtum igitur erit; quòd ſimplex non poſsit eſſe, rationem addit; nam tactum tunc non habebit; at neceſſariò ipſum habere, ſuperius demonſtrauimus. Non ergo ſimplex corpus animal poterit eſſe. Quòd autem verum eſſet, tactum non habere, ſi ſimplex corpus foret, ita Philoſophus oſtendit. Medium, & inſtrumentum ſenſus tactus, per quæ animal ſenſibilia percipit, ſunt partes mixtæ internæ corporis animati, & non ſimplicia corpora extrinſeca (ſicut eſt medium viſus, auditus, & odoratus, quod ſimplex exiſtit:) Impoſsibile eſt igitur animal tactum habere, ſi ſimplex corpus foret; Conſequentia declaratur; quoniam ſi animal per mixta corpora intrinſeca tactus ſenſationem percipiat, & hoc ei connaturale exiſtat, ita quòd aliter ſenſatione tactus ſentire non poſsit; tunc impoſsibile eſt per aliquod tantum ſimplex corpus, tactus ſenſationem animal habere. Antecedens autem iuxta eius duas partes probatur: Primò enim ſecundum primam, quòd ſcilicet per medium mixtum intrinſecum animal ſenſu tactus ſentiat, & non per aliquod ſimplex corpus; ſecundò autem quomodo per compoſitum, & temperatum inſtrumentum ſuæ potentiæ ſenſitiuæ, ſenſationem animal percipiat, declarabimus. Quòd ſenſus tactus per medium mixtum intrinſecum animatum cognoſcat, & non per ſimplex inanimatum extrinſecum, vt odoratus, auditus, & viſus; ratio eſt, quoniam in tactu viuaciter medium ipſum affici debet, quo maiorem ad mouendum vim habeat: Præſertim quia prima illa vis tangere potens ſegniuſcula eſt, quàm aliæ ſint ſentiendi facultates; quod ei abſque vlla dubitatione euenit; quia admodum corporea, & materialis eſt; iure igitur optimo propter eius ſegnitiem medio corporeo animato, ſicuti & organo ad ſentiendum indiguit; quod in alijs præſtantioribus ſenſibus non contingit; vt in libro de anima & ſenſu, & ſenſili notum eſt: Quòd verò inſtrumentum, & organum ſenſus tactus, (quod eſt altera antecedentis pars) mixtum, & temperatum ex primis quatuor qualitatibus ſit; oſtendimus, ex eius actione, & ſuſceptione rerum tactilium. Senſus etenim tactus apprehendit calidũ, frigidum, humidum, & ſiccum; & hæc nõ niſi prout ſimilia; ſimile nanque à ſimili cognoſcitur, & ſimile ſimilis agnoſcitiuum eſt: Cum verò tactus hæc omnia cognoſcat, his omnibus etiam ſimilia erit; vt igitur omnibus his conſimilis efficiatur, ex omnibus æquè moderatus eſſe debet. Hac altera quoque ratione temperatum ipſum eſſe declaramus: Nam cum per affectionem paſsionemúe tactum fieri conſtet, (ſimile autem à ſimili pati, & affici nullo modo natum eſt) neceſſarium eſt enim tangibile corpus, quod tactum excitandi vim habet, tactiles contrarietates habere; quæ vbi ſimiles, & æquales ſunt, tactum laceſſere nequeunt; vbi verò redundant, aut deficiunt, ſenſum excitant; ab his nempe velut à diſsimilibus ſenſus patitur, atque immutatur. Quare non immerito ſenſum mediocritatem quandam appellare poſſumus, quæ in rerum ſenſilium mediocritate conſiſtat. Illud nanque quod in medio ſiſtitur; extrema iudicio conſequi natum eſt; cum vtriq; extremo & diuerſum, & contrarium ſit; ideirco fit, vt ab illis tranſmutari, & pati valeat; quando à contrarijs tranſmutatio, & paſsio ſemper fiat; in tactu igitur hæc apprimè neceſſaria ſunt. Quapropter non ab re ſolemus dicere, (inquit doctiſsimus Alexander) ſenſum quodammodo pati à diſsimili, quodãmodo à ſimili; quo enim momento patitur, afficiturúe, in ipſa ſcilicet apprehenſione à ſimili affici dicitur; ante autem alterationem, & paſsionem à diſsimili, & diuerſo; immutationis itaque principium à diſsimili, & contrario ſemper prouenit. Iuxta hæc dicebat Philoſophus, quòd temperata, calida, frigida, humida, & ſicca, non percipimus; cum in principio ob omnino ſimili non fit actio; vbi autem non eſt actio, ibidem nec paſsio, nec ſenſatio aderit; & hac ratione, temperatus ſenſus temperata ſenſilia percipere nequit, ſed extrema tantum. Si igitur ſenſus tactus, ad hoc, vt ſentiat, opus eſt, vt temperatus ſit: neceſſariò ſequitur, ſenſorium ipſum ex ſenſibilibus commixtum, contemperatumque fore: quando in eius moderata temperie tactrix facultas conſiſtit; tactrix enim facultas, quæ communiter ſenſus dicitur, ſuæ eſſentiæ robur in primarum qualitatum commodo temperamento obtinet; quod temperamentum ſenſorium aliàs à Philoſophis nuncupatur. Sic quidem ex ipſa ſenſatione tactus organum ex primis qualitatibus mixtum, & moderatum eſſe oſtendimus. ac ita antecedens ſupradictæ noſtræ conſequentiæ ſecundum ambas ſuas partes demonſtratum eſt.

Secundo & 6. phy. circa principiũ, et ſecundo de anima t. c. 7

Secundo de anima t. co. 115. & t. c. 116.

Secundo de anima te. c. 54. et Alex. 1. de anima c. de anima ſenſibili.

Lib. 1. de anima c. de anima ſenſibili.

Secundo de anima t. 54.

Lib. 1. de generatione t. co. 48. 2. de anima te. c. 118.

Gal. de præſagatione ex pulſibus lib. 1. c. de eſſentia facultatis.

Quòd autem impossibile sit, idem medium, & instrumentum sensus tactus, simplex aliquod corpus esse, aut aereum, aut aqueum; alio quoque medio manifestamus. Cùm enim sensu isto animalia pro salute indigeant; opus fuit, vt eius sensorium, & innatum medium per torum extendatur, & vndique animal se tutatur, vndique molesta, & obnoxia uersentiens. Si igitur organum, & intrinsecum medium tactus igneum foret, tunc totum combustione assumeretur; quando ignis ex se corrumpendi vim obtineat; ne vtique ergo ignis erit. Pariter neque aereum, neque aqueum esse poterit; cum humida, & fluxibilia sint corpora ista; neque firma, neque terminata in se ipsis, sed solum termino alieno persistunt; animalium autem corpora in se terminata sunt, dura, solida, & commixta, & eiusmodi quale caro est, aut quippiam analogum carni. Quòd neque etiam terra tactus sensorium possit esse, ex euidenti, & clara inductione ostendit Aristoteles. Apparet nanque manifestè ex particulis illis, quæ in animantibus existunt; quòd quæcunque magis abundantem habent terram; quàm aliæ, sensus expertes sunt; vt ossa, cartilagines, ligamenta, & pili; quæ animalium particulæ sunt, nihilominus sine sensu existunc. Si itaque animalis pars, in qua terrestre superat elemētum, sentire haud quaquam possit, (& si vegetare dicatur) eo minus igitur simplex, & purum terræ elementum sentire poterit, & organum sensus esse. sic vtique apertè demonstrauimus, quòd neque ex terra, neque ax alio quopiam simplicium illud constat instrumentum, quod tangendi vim habet: Sed in multorum medio collocatum existit.

Demonstrationis inductio. Quapropter contra hos omnes pulcherrimè demonstrationem inducimus. Nam si medium & instrumentum sensus tactus impossibile est aliquod vnum esse; impossibile quoque erit & animal simplex vnum elementum esse; consequentia deducitur, nam cùm animal per sensum tactus existat, & tactus per eius organum, & innatum medium constat; tactilis quidem facultas sui proprij instrumenti, & innati medij facultas dicitur, nec sine eis persistere potest: quãdo in commodo ipsorum temperamento consistat, & esse habeat. Si modo impossibile est, tactus organum, & medium vnum esse; impossibile quoque erit & sensum tactus simpliciter elementum vnum esse; & concomitanter animal ipsum; quando per tactum solum animal existat. Vna itaque & eadem est Hippocratis, & Aristotelis illatio: Hippocratis nanque, si vnum esset homo non doleret, neque enim esset, vnde doleret, vbi vnum tantum foret. Aristotelis autem, impossibile est enim animatum corpus, vnum simplex aliquod elementorum esse, nam tactum non habebit; eum autem habere necesse est: Si enim vnum tantum animal foret, (inquit Philosophus) tunc tactum non haberet; at si tactum non haberet, neutique dolere posset; quando dolorem, & voluptatem sensus passiones fecimus. Vbi enim sensus tactus, ibi dolor, & voluptas; vbi sensus non inest, nec dolor, nec voluptas. Si igitur animal sensu tactus carebit; & dolore pariter, & voluptate simul carebit. Probè itaque admodum vterque inferunt, si vnum simplex tantum esset animal; neque sentiret, neque doleret. Et rationem subdit Hippocrates:

Eadem est Aristotel. et Hipp. demõstratio.

" Neque enim esset vnde doleret, si vnum tantum foret.

Diximus quomodo sensus tactus medioeritas, & temperies quædam primarum qualitatum erat, extremorum omnium, tum excessum, tum defectum susceptibilis; hæc autem extrema ipsius sensus propria asseruntur obiecta. Sicut enim altrici potestati ad hoc vt agat, alimento opus est, circa quod eius actio versatur; ita quoque virtus sensibilis, quia circa sensibilia functionem exercet, sensibilibus rebus indiget, quas excipere, & iudicare nata est; quò fit, vt nisi adsint sensilia, nihil agat sensus. vnicuique autem sensitiuæ potentiæ suum proprium tribuitur obiectum: nam passiuum omne proportionatum sibi actiuum obtinet. Obiectum verò cognitiuæ potentiæ actiuum nominatur, pro eò, quòd eam mouet ad cognoscendum: nam sensus est potentia passiua, & sentire consistit in quodam pati, & moueri ab obiecto; & ideo opus fuit, vnicuique potentiæ sensitiuæ proprium distribuere obiectum. tactilis verò facultatis obiectum primarum contrarietatum defectus, & excessus assignantur; qui si violenter, & magno cum impetu apprehenduntur, dolorem inducunt; si verò celeriter, sed absque violentia, voluptatem pariunt. Si modo simplex quid vnum tantum animal foret; tunc nihil profectò adesset à quo animal pateretur, sic quòd dolore, aut voluptate aliqua afficeretur. Nam cum vnum tantum sint omnia, & vniuoca ratione, (vt assignabant) non quidem diuersum aliquod, & contrarium dari potest, à quo animal pati, afficiúe modo aliquo dici possit; sed erunt omnia vnum, vnica præcisa ratione.

Tertio met. t. 16. & 1. phy. 25.

Quapropter nullus in sensibilibus ipsis excessus, & defectus, nullumque etiam concomitanter sensus tactus obiectum erit; per quod passionem, & sensationem aliquam siue salubrem, siue insalubrem fieri dicamus. Quamobrem rectè Hippocrates intulit, neque enim esset, vnde doleret; neque enim foret obiectum aliquod, quod tristem, & malam sensationem producere posset. At dices forsan, si quid vnum tantum elementum animal est;

tunc

tunc etiam reliqua superfunt, quæ obiecta poterunt esse, & sensum efficere. ad hæc dicimus; quòd & si hæc non sint de istorum mente, qui omnia vnum esse dixere; nam talia fari, non est vnum, sed multa asserere; nihilominus nec ista (vt ipsi asseuerant) sensationem producere possent. Nam cum sentire per quandam similitudinem per alterationem, & passionem fit, vti necesse est ipso pati, & alterari (ait Philosophus) tanquàm proprijs nominibus. Cum igitur sensatio ista per affectionem passionemúe fiat: Simile autem à simili pati, & affici nullo modo natum est; actio nanque omnis à victoria, & dominio agentis super passum semper prouenit: Si modo vnum tantum elementorum homo sit, tunc in supremo illius elementi gradu ipse erit; quando purum, & non permixtum elementum illud reperiatur. at si simplex, & immixtum elementum vnum in homine reperitur; & simplicia pariter & immixta tria reliqua (si esse concedantur) in alijs inueniri debent; quando æqualis ratio de omnibus sit; neque enim rationabiliter hoc potiusquàm illud simplex mixtumúe esse enuntiare possumus; quoniam æquali, & pari fortuna omnia, aut simplicia, aut mixta in genitis, & adultis dici merentur. Optimo igitur iure apud istos simplicia, pura, & immixta omnia erunt, in summo ac extremo suarum formarum gradu; & per consequens æqualia, & similia in viribus, & potentijs singula existent. æquè enim potentia dum summam perfectionem attingunt, asseuerantur: (nam secus imbecilliora à validiori prorsus abolerentur, & vnum omnia efficerentur) cuncta itaque æqualia, & similia in viribus erunt. modo ab æquali, & simili ex Peripateticorum doctrina, & veritate ipsa, nullam affectionem, passionemúe exordiri enuntiauimus. Si igitur nulla passio, & permutatio ab istis fieri possit, cum similia, & æqualia sint; nulla tunc prorsus sensatio, nec iucunda, nec tristis erit; quoniam per alterationem, & passionem, sensationem ipsam fieri diximus. Sic quidem clarè, & apertè concludimus, si vnum quid esset homo, siue principium, siue elementum, non doleret, neque enim esset vnde doleret: Siue vnum tantum præcisè elementum constituant, siue principium, vt satis superque in præsenti ex Peripateticorum schola demonstrauimus. *Secundo de anima t.62. & t.57.* *Secundo de anima t.118. & lib. 1. de generatione & corrup. t. rom.48.* *Secundo de anima t.62.*

Hoc idipsum secundo de generatione, & in de sensu, & sensili contra Pythagoreos nutritionis via declarat Aristoteles, animatum corpus non vnum simplex esse, sed permixtum, & ex pluribus temperatum, inquit enim. *t.48. & 60. Idem secundo de anima t.co.131.*

„ Quod autem Pythagororum quidem dixerunt, ali videlicet animalia quædam odoribus, ra„ tioni non est consentaneum; primò nanque videmus cibos omnes compositos esse oportere; ea „ enim quæ aluntur simplicia non sunt; quamobrem ciborum fiunt excrementa, aut in ipsis, aut „ extrinsecus, vt in stirpibus; Præterea neque aqua ipsa solitariè alere potest, nulli commixta; „ corpulentum enim quoddam, quod constituitur, esse oportet; multò autem minus rationabile „ est aerem fieri corpulentum. Hæc in de sensu, & sensili Philosophus, vbi clarè ostendit, quòd præter rationem antiquorum quidam profitebantur nonnulla animalia solo odore viuere, & ali posse. Et primò argumentatur, alimentum omne esse compositum oportere; talia enim sunt illa, quæ nutrire, & alere possunt: & huius rationem addit, nam ea quæ aluntur simplicia non sunt, sed composita, vt secundo de generatione ipse simpliciter demonstrat; & nos quoque infra demonstrabimus. Omnia quidem eisdem vtuntur, ex quibus sunt: proinde & multis vnumquodque nutritur, quando ex multis animal quodlibet constat, Signum autem euidens, non esse simplex quippiam ipsum alimentum; subiungit ab excrementis superfluitatibusque sumptum; quæ sicca sanè & humida conspiciuntur. In animalibus enim ea, quæ intrinsecus fiunt excrementa, quæ postmodum egeruntur, & exeunt, mixta & composita sanè esse apparent: In stirpibus autem extrinsecus fieri excrementa dicit, quæ sunt vtique vel gummi, ab illisque stillantes lachrymæ, vel corpuscula quædam terrea, & cinerea, quæ circa stirpium radices inspiciuntur esse. huiusmodi verò omnia composita esse cernuntur. Si modo excrementum mixtum, & illud quoque à quo excernitur, mixtum erit. Cum igitur alimentum simplex non sit corpus; aer autem in quo sit odor, corpus est simplex; odores certe & ipse attractus odorandi causa aer minime alere poterunt: simplicem nanque recipiunt aerem, & quæ spirant omnia, & quæ odorantur. Addit quinetiam supradictus Philosophus, quòd neque aqua ipsa per se alere quicquam potest. Cuius rei statim subdit causam: Quoniam quod constituitur, idest quod alitur, & conseruatur, animal (inquam) ipsum, solidum, & corpulentum esse oportet, & non profluens, & liquidum, vt supra indicauimus; alimentum verò quod actu animal nutrit, & quod verè alimentum nominatur, est quod corpori adijcitur, & adiudicatur. adijcitur autem atque adiudicatur simile simili, & rursus simile simili intercedente nutritur. Si enim corpus quod alitur mixtum est, compactum, & constans; alimentũ quoq; si ei simile effici debeat, & mixtum, & in se aliquid compacti, & constantis habere oportet. Aqua autem per se, & suapte natura nihil compacti ha- *t.49. & 50. Omnia eisdem nutriuntur ex quibus sunt.* *Hipp. in libello de alimento.*

bet, & solidi; non potest igitur illud alere, quod ex alimento compactum, & corpulentum fieri oportet. Quamobrem agricolæ agros stercorant, fimumq; stirpium radicibus apponūt, et exaggerant, simulq; aqua permiscent, cum irrigare cupiunt: quoniam corpulenti, solidique quippiam illuc descendens penetrat, & alit: alio autem modo neque aluntur arbores, neque proprios afferre fructus possunt. Quòd si (inquit) aqua per se alere non potest, minus profectò aer ipse poterit, subtilior, & tenuior aqua, & minus corpoream suscipere valens molem. Ratio autem ista (vt videtur) per locum est à maiori, qui negatiuè sanè concludere animaduertitur. Si aqua videlicet non potest, minus vtique poterit aer. Hoc idipsum in eodem libro clarissimis verbis affirmauit, dum dixit; quòd neque siccum absque humido, neque humidum absque sicco alimentum est; nutrimentum nanque animalibus neutrum illorum solitarium est; sed ex illis mixtum; & quæ sequuntur. Sic quidem perspicuè & sensationis, & nutritionis medio manifestauit Aristoteles, nequaquam simplex vnum elementum animal esse posse.

Gal. demonstratio lib. 1. de elemētis.

Breuiori autem, & faciliori quodammodo medio hanc eandem Hippocratis demonstrationem Galenus inducit. Primò nanque supponit, quód omne illud quod dolore affici debet, duo hæc habere oportet ex necessitate, esse scilicet alterabile, & sentire potens: nam si nullam omnino admittit alterationem, eundem, quem ab initio gessit habitum, continuò seruabit; at quod dolet, neutique seruat habitum idem, sed alium, & diuersum à naturali recipit. Si verò ita transmutatur sicut lapides, & ligna, quæ calefiunt, frigescunt, atque siccantur, (nullus autem illis sensus natura inest) non sentiet illam, quæ in ipsis fit, dispositionem; sicuti neque lapides, & ligna sentiunt, dum alterantur. Hoc quidem proloquium, quod dolor hæc duo necessariò exigat, alterationem & sensum; ratione, & experientia comprobatur; ratione, hoc medio, omne quod varietatem, & diuersitatem sumit, & aliter se habere contingit nunc, quam prius, tale omne verè alterabile nominatur. quod ex alterationis ratione patefit; est enim alteratio mutatio in qualitate, seu demutatio eius, quæ prius fuit qualitatis. Quod nanque dolore afficitur, actu tunc diuersum fit, & aliter se habet, quàm prius; quoniam actu prauam tunc dispositionem suscipit, quàm prius non habuit. Meritò ergo omne quod dolore afficitur, alterabile est; quando verè alterationis ratio ei congruat. Quòd autem & sensibile quoque sit, exemplo ostendit; nam si alteraretur, vt ligna, lapides, & alia insensibilia, (quæ nullum à natura sensum habent) tunc nec sentiret illam, quæ in ipsis fit, passionem, cum potentia sentiendi careat: veluti & ligna, & lapides, quæ minime dum alterantur, sentiunt, pro eò quòd insensibilia sunt. Necessariò itaque ad dolorem, vltra alterationem, sensilis potentia requiritur. Hoc id ipsum breuius, & clarius Peripatetici deducunt: aiunt enim sensum alterationem, & passionem, vt superiorem naturam insequi; sensus nanque apud istos, sensifica passio, & alteratio est; quamobrem secundo de anima dicebat Philosophus, vti necesse est ipso pati, & alterari, tanquam proprijs nominibus. Dolorem autem diximus passionem sensus esse, & ipsum quoque vt priorem naturam perpetuò insequi; cum modo passio superior natura sit ad sensum, & sensus superior ad dolorem; per logicalem regulam sequitur, quòd passio superior natura sit ad ipsum dolorem. Quando enim alterum de altero prædicatur, quicquid dicet de prædicato, dicet & de subiecto. erit igitur dolor per regulam istam, semper cum alteratione, & sensatione, à quibus neutiquam seiungi poterit; sicut inferius à suo essentiali priori minime abstrahi potest. Vbi enim dolor, ibi sensus, & alteratio inerit, & vbi sensus & alteratio inest, ibidem quoque & dolor adesse poterit. necessariò igitur omne quod dolore affici debet, & sensibile, & alterabile esse oportet. Experientia autem hoc id ipsum sic ostenditur: nam si mixtum aliquod ex adamantibus, siue quibuslibet alijs corporibus minus ad patiendum idoneis composuerimus; & ipsum quis vulnerare tentauerit; neque vulnus admittet, neque præsentiet; nunquam enim reperietur, (inquit Galenus) mixtum aliquod vim habens patiendi, & sentiendi, quòd ex sensu carentibus, & impatibilibus immediatè compactum temperatumque sit. hoc itaque supposito statute, (quòd omne quod dolore affici debet, & sensibile, & alterabile esse oportet) ratiocinamur contra Melissum, Heraclitum, Thalem, & Anaximenem, vnicum absolutè rerum omnium principium, seu elementum constituentes.

Gal. 2. methodi.

T. c. 57. & tex. co. 62.

In anteprædicamentis.

Quinto metaph. ca. de priori.

Primo libr. de elemētis.

Omne quod proximè & immediatè ex impatibili, & insensibili compactum constructumq; est, id doloris expers existit, & neutiquam dolere poterit, quando conditionibus ad dolorem requisitis omnibus careat. Quod autem ex vno tantum (siue principium, siue elementū dixeris) compositum est apud istos, ex impatibili, insensibiliq; compositum constitutumque immediatè existit: ergo omne, quod penès istos ex vno compactum constitutumque est, id doloris expers erit, & neutiquam dolere poterit. Quod verò ex vno tantum compositum est, ex impatibili, & insensibili cōpositum, coagmentatumq; sit; iam superius ostendimus; in præsentiq; etiam

Galenus

Galenus declarat, dum subsequentis verba interpretatur. Neque enim esset, vnde doleret. si nanq; animal aliquod ex vno tantum constaret elemento; nullius profectò particeps alterationis sensus, & doloris foret; quoniã tunc nihil adesset, quod ei passionẽ doloremúe inferre posset. vnumquodq; enim quod patitur ab altero, à se ipso patitur, & vnũquodq; quod transmutatur, in alterum à se ipso transmutatur. Si verò vnum tantum ponamus elementum, ex quo animal compactum fuerit; nihil profectò habebit, quod in eum agere possit: nam eum vnum tantum illud faciamus, tunc nullum corpus ei contrarium poterit inueniri, quod in illud agat; nullum nanq; aliud corpus esse, præter hoc simplex elementum, fingere possumus, quod ei sit contrarium, & in ipsum agat; nec etiam in elemento ipso contrariũ quidpiam esse potest; quãdo ex eius ratione pateat, elemẽti corpus simplex esse, & vniforme; nihil igitur vni ipsi elemento erit contrarium; quare neq; alterari, nec aliqua in parte immutari poterit ex ipso compositum animal; (hac quoque ratione cœlum, quoniam vnum tantum est, ex tota sua materia confectum primò cœli Arist. inalterabile, & impatibile fecit) si modo animal ex hoc vno elemento compactum nec pati, nec transmutari valeat; tunc impatibile, & inalterabile erit; & per consequens insensuale, & doloris expers; vtporè sensuale passionem, & alterationem necessariò concomitans semper: si enim impatibile, insimul & insensuale existet; ordine nanque naturæ alteratio, & passio sensum præcedunt, nec vnquam ab ipso seiunguntur, inseparabilesque sunt, & si non reciprocantur; si nanque impatibile sit, insensuale pariter & erit; at non è conuerso, si insensuale ergo impatibile; quoniam prius secundum naturam cum eo, quod posterius est, non conuertitur; sed bene hoc infertur, si insensibile, tunc doloris expers omnino erit; cum dolor, & voluptas sensus passiones sint, nec vllibi sine eo cernantur; & ab ipso in esse, & in inferre dependent: Bene igitur contra hos omnes concludit Hippocrates, quòd non vnum sit elementum, neque principium, si animal sit doliturum; neque enim (inquit) erit à quo patiatur, si vnum sit; neque sensus, & doloris particeps erit; quare plura vno erunt elementa, & principia.

Primo de elementis.

Primo de generatione 78. 4. phy. 48. 8. phy. tex. 30.

Tex. 93. 94. & 95.

Quinto met. ca. de priori.

Secundo de anima te. cõ. 27.

At poterit quis dicere, hæc eadem Hippocratis concludit contra peripateticos vnum materiale principium profitentes, velut prisci illi; nam eius ratiocinatio aduersus tantũ materiale principium horum procedit: quando de formali nulla fit mentio; si modo contra materiale antiquorum principium demonstrat; pariter quoque & contra peripateticos demonstrabit; quoniam vnà cum illis in hoc quodammodo conueniunt. Ad hæc dicimus; etsi Aristoteles simul cũ antiquis ponat vnũ primũ informe subiectũ materiale omniũ principium; nihilominus diuerso, & alio modo; statuit nanque ipse materiale hoc principium, materiam scilicet primam informem, vbique in omni naturalis mixti compositione, sub quatuor simplicium corporum formis semper reperiri; nec alibi datur cerni, (cum sit ens in potentia tantum) quàm sub his quatuor simplicibus formis; quæ sunt ei sicut propriæ, & essentiales; quando ipsæ primæ sint, quæ ei immediatè insunt, & sine his neutique cerni valeat; quocirca rectè quidem superius formalia rerum omnium principia, formas illas, & earundem temperies asseruimus; cum de principijs sermonem habuimus; vnde & per has materia ipsa, vt per vera formalia rerum principia passiones, transmutationesque omnes sensibiliter perficit; cum istis itaque perpetuò quatuor formis ad quamcunque entis alterationem, & permutationem materia accedit. Quæ cum contrariæ sint, & in eodem reperiantur subiecto, si non æquales, & temperatæ fuerint, sed altera alteri præualeat, perpetuò mutuò agunt, & patiuntur, mutuoque se alterant, & corrumpunt; mixtis compositis, passiones, sensus, & dolores, iuxta varias earundem temperies elargiendo. Secus autem prisci illi statuerunt primam naturam, informem scilicet materiam ad corruptibilium entium ortum accedere. Nam ex illis quidam ipsam per se solam informem, vt simplex tale ens in potentia, immediatè ad genitarum rerum productionem venire tradiderunt; vt Melissus, & Anaximander, & quicunque vnum infinitum, & innominatum docuerunt principium. Alij verò, qui ex nuncupatis elementis nominatum vnum instituerunt elementum veram naturam esse; aut ignem, aut aerem, aut aquam; hanc sub illius tantum elementi forma ad compositionem accedere tradiderunt. Hi quidem omnes nequaquam sensualia, patibilia, & dolori obnoxia corpora constituere, & formare possunt. Nam primi, qui infinitum, & innominatum vnum faciunt principium, cum vnum præcise illud præordinant ad cunctorum ortum venire; tunc ex eo constructum animal inalterabile, & impermutabile existit; quoniam neque ad quod transmutatur, neque vnde patiatur, ipsum habebit: nam si transmutatur, in aliquod alterum transmutabitur; & si patiatur, ab altero aliquo patiatur; at tale existens neutiquam vnum esse poterit; at si non patiatur, neque transmutetur, tunc impatibile, & inalterabile erit; & per consequens insensibile, & minime dolori obnoxium, vt supra clarè deduximus.

Primo phy. t. c. 63. c. 1. de substantia orbis. & 7. met. tex. com. 8.

Tertio cæli. c. 67.

mus. Qui verò vnum ex nuncupatis elementis naturam omnium affirmarunt; nec ipsi patibile, & corruptibile corpus conficere possunt. Quoniam si vnicum tantum formatum elementum ad omnium naturalium entium compositionem ingredi constituant; tunc cum istud vnicum præcisè tantum sit, cum vnica tantum præcisa forma, ad entium structuram, & compositionem ingreditur, aut sub caliditate, aut frigiditate, seu humiditate, aut siccitate, aut sub alia altera, qualemcunque illam dixerint; ex qua positione sequitur, hominem animalue nullatenus dolere, corrumpique posse: nam cum nulla qualitas proprio subiecto repugnat, neque id in quo est corrumpat: nam si subiectum corrumperet, se ipsam vnà perimeret; interempto autem eo, in quo vitam habet, ipsa quoque, vt autumatur, est omnino necesse quando per se se cohærere non posit; verum nihil est, quod sibimet dolorem, interitumúe parare studeat; qualitas enim qualitati, & non corpori subiecto repugnat; quare fieri non potest, vt vna sola forma existens, quæcunque illa fuerit, rei cui inhæret, dolorem, corruptelamque afferat; Siquidem omnia in rerum natura esse desiderant. Proinde & iustè ij antiquiores ab Hippocrate redarguuntur, quòd perperam materiale hoc principium preordinant; & meritò contra hos eius ratio progreditur; & minime contra Aristotelicos; qui & si verè profitentur materiam primam ad omnem mixti compositionem progredi; attamen non per se solam, aut cum vna tantum simplici forma, sed cum quatuor oppositis, & contrarijs, caliditate inquam, frigiditate, humiditate, & siccitate: & istis medijs alterationes, permutationes, sensus, dolores, voluptatesque omnes compositis, & mixtis ipsa impartitur, vt infra ostendemus.

Nihil est, pro quo sibimet interitum parare studeat.

Secundo de anima t. 84. & 2. de generatione t. 59. & 2. cæli. 64. & 1. phy. tex. co. 81.

Modo contra Leucippum inuehimur, Anaxagoram, Democritum, Empedoclem, plura & infinita principia profitentes, eaque ipsa omnia genere vnum, atque potentia constituentes. Dicimus enim nunquam dolore correptum iri hominem: si huiusmodi (vt aiunt isti) sit naturæ præditus. Dolor nanque, vt etiam supra narrauimus, hæc duo exigit necessariò, alterationem & sensum; neutrum verò Epycureorum atomi habent; nec similares Anaxagoræ partes; nec quatuor intransmutabilia Empedoclis elementa; quare fieri non potest, vt quicquam ex his compositum doleat, quando ex impatibilibus, & sensu carentibus elementis, & atomis constat. Quòd verò neutrum horum, alterationem inquam, & sensum, neque atomi, neq; omiomeriæ, neque Empedoclis elementa habeant; facilis est ostensio; quando & ipsi talia omnia inalterabilia, & impatibilia asseuerent. Si autem huiusmodi sint, certum est etiam, quòd insensualia, & indolentia erunt, velut superius deduximus. Sensus nanque quilibet passio est, & veluti genericæ passionis supposita species; est nempe sensus sensilis passio; cum verò sensus passionem sequatur, sicut proprium genus, & superiorem naturam; nec enim vnquam sine passione sensus esse potest; cum sit vbique & semper sensibilis passio; & quoniam dolor sensus est passio, & eum insequitur vt priorem, & superiorem naturam; nec vnquam ab eo expolietur, tristis vtique sensatio dolor est semper; cum verò passio superior natura sit ad sensum, & sensus superior ad dolorem, per logicalem regulam sequitur, quòd passio superior natura sit ad ipsum dolorem: Quando enim alterum de altero, vt de subiecto prædicatur; quicquid prædicatur de prædicato, prædicabitur & de subiecto; quia enim passio de sensu (qui doloris prædicatum est) vt de subiecto substantialiter prædicatur; pariter & de dolore, vt de subiecto, substantialiter dicetur. cum præterea altera nos Dialectica admoneat ratio; vt à quocunque genus subtrahamus, ab eodem quoque eius subtrahere species debemus; ablato nanque superiori genere, & eius inferiores species etiam auferuntur, quando superiora sua essentialiter supposita inferiora semper auferant. Priora nanque secundum naturam quinto Methaphysicæ, sunt quæcunque possunt esse sine alijs, & alia non sine ipsis: Genera quidem formaliter priora, & superiora sunt his, quæ sub se posita sunt, speciebus; vnde & generibus peremptis, simul & species eius omnes perimuntur. Quoniam igitur isti inalterabilia, & impatibilia omnino faciunt elementa, vtique passionem ipsum ab eis prorsus detrahent; qua detracta; & remota, concomitanter & sensus, & dolor detrahentur, & remouentur; velut proprij generis inferiores species; cum exposcat ratio, vt à quocunque genus, ab eodem & species submoueantur. Si enim ab atomis, & similaribus partibus alterationem, & passionem amouent; rationabiliter quoque ab ipsis sensationem amouere habent. Et sic clarè ostendimus, qualiter nec similares Anaxagoræ partes, nec Epicureorum atomi, nec intransmutabilia Empedoclis elementa alterationem, & sensum possideant, & dolorem consequenter.

Demonstratio cōtra plura, & infinita facientes principia.

Secundo de anima 62.

Ca. de priori.

At dicent, & si impatibilia principia fateremur, attamen ex his composita animantia vim sentiendi habere concedimus: Stat equidem quòd principia indolentia, & insensualia sint, (sicut & apud Hippocratem talia quoque dicuntur elementa) nihilosecius ex eis constructa animalia dolere, sentireque verè pronunciantur. Aiunt enim omnes Epicurus, Democritus, & Leucippus genita ex atomis corpora in compositione, mixtione sensum acquirere: si non re

Qualiter animal ex atomis compositum doleat.

vera, &

vera, & naturaliter, saltem secundum imaginationem: asserunt quippe in ipsa atomorum concretione quandam ipsorum corpusculorum ad inuicem mansuram, & symmetriam fieri, & quò ad figuram, ordinem, & positionem, & etiam quò ad eorundem motum, iuxta ordinatas, ac debitas totius animalis partes; quæ symmetria ordinis, positionis, & motus, causa est alterationis, passionis, & sensus in animali ex atomis constructo. Quamobrem satis perbellè dicunt, quòd quando atomi violenter ac repente à situ proprio, & naturali motu, extra ordinem, & mensuram propriam mouentur, & impelluntur; tunc dolorem percipimus, ex ordine, & situ partium perturbato, ac viciato eorundem motu; vt in subita continui, & vnitatis solutione euenit; repentinos nanque & violentus motus ille malam in ipso composito sensationem (quę dolor dicitur) producit; si verò blandè, & placidè, seu affatim, sed non cum violentia atomi moueantur, ita vt ordo, & situs illorum corpusculorum inuicem seruentur; delicias, ac voluptatem inducunt, quando has in ipso placidus, ac simulatenus absque violentia factus motus parturiant passiones. Doloris itaque intrinseca immediata causa apud Epicureos, & Democraticos, est subita & violenta perturbatio, & confusio ipsorum atomorum ad inuicem, ac vehemens illorum dissectio, & solutio, à debita condecentia, & symmetria compositi; ex qua perturbatione, & solutione naturalis eorundem motus statum turbatur, ac viciatur; mala prauaque actio indè fit, quæ dolor nuncupatur. Sic quidem ex ordinata, & inordinata mansura atomorum, & ex eorundem congrua, & incongrua cognatione, pariterque ex concinno, & inconcinno ipsorum motu asseuerant isti patibilia, & sensualia corpora affici, & procreari; vt perbellè secundo libro de natura rerum cecinit Lucretius, vbi ait.

Doloris causa apud Epycureos, et Democriticos.

Lucretius.

Omnia postremo bona sensibus, & mala tactu:
Dissimili inter se pugnant perfecta figura; & infra.
Aut ex offensa, cum turbant corpore in ipso
Semina, confundunt que inter se concita sensum, &c.

Ad hæc nos breuiter dicimus, quòd cũ passiones istę, & alteratio, & sensus, & dolor, sint animati corporis passiones, & ei tantum congruãt; quòd hæ animato ipsi necessariò tribuũtur, aut sub ratione partium componentium, & constituentium, aut sub totius compositi ratione; neque enim sub alia altera ratione, quàm sub istis passiones hæ animato tribui possunt. Modo ostendimus quòd sub nulla harum naturaliter, & verè apud istos animanti corpori passiones illæ largiantur; Si nanque sub ratione componentium partium hæ passiones corporibus tribuãtur, tunc merito tantum duarum partium conceduntur, atomorum scilicet, & vacui; quando hæ duæ precisè sint animati corporis partes apud istos. hæc duntaxat duo, vera natura, & entium substantia ab illis nominantur; (vti supra retulimus) si igitur meritò essentialium partium passiones hæ corpori tribuantur; tunc harum tantummodo duarum ei elargiuntur, atomorum videlicet, & vacui; Sed atomorum gratia hoc non euenit; quòd dispositiones istę corpori cõueniant; quando ex eorum doctrina ij inalterabiles, & impassibiles sint; & per consequens insensibiles, & dolori minimè obnóxij, vt probè supra deduximus. Si ergo ex propria natura impatibiles, insensualesque atomi sunt; ita vtique alteri sensum passionemque compartiri poterunt. Multo autem minus hoc ratione vacui contingere potest; quòd passiones scilicet istæ animantibus corporibus insint; quando vacuum inane spacium sit, vacans sensibili corpore; nihilque ab ipsis nuncupatum; quod maxima propter localem motum admittunt: ne dum aliquid localiter mouetur contingat duo corpora simul esse. Neque enim propter has alterationes, & passiones vacuum ab istis cõceditur; quando hæ corporis solidi, & firmi manifestissimæ mutationes sint; & non inanis, & vacui. Si enim ipsius forent; tunc de eodem cõtradictoria dicerentur; esset quippè vacuum plenum, & solidum; & solidum, & plenum vacuum nũcuparetur. Ac ita manifestauimus qualiter ratione essentialium partium dolores, sensationes, & passiones nullo modo animanti competant. At dicent sub ratione totius formationis tantum competere diximus; cum partes in composito inuicem confundantur, dissoluantur, & perturbentur à proprio ordine, situ, & positione; tunc perturbatio, & dissolutio partium fit, quę doloris immediata causa dicta fuit. Quòd modò nec etiam sub ratione totius formationis, & connexus, alterationes istæ animato conueniant, ostendimus.

Vacuum, & plenum natura cuiuslibet entis.

4. phy. t. 9.

Est nanque apud Democraticos, & Epicureos animalis, & cuiuslibet alterius entis ex atomis constitutio, & conformatio casu, & secundum existimationem, & opinionem tantum, & non natura, & secundum veritatem. Quoniam huiusmodi constructio, & compositio apud istos perficitur ex indiuiduorum illorum corpusculorum conuentu per solam ad nos (qui sentimus) similitudinem, & collationem. Formatio autem ipsa, & animantis constitutio nihil iuxta veram naturam existit: pariter neque album, aut nigrum, calidum, aut frigidum, dulce, aut amarum, & quodcunque alterum sensibile, nihil profectò apud istos naturaliter sunt; Sed vnum, & nihil,

Compositio, et generatio omnis casu, & fortuna.

Gal. 1. de elementis.

seu fir-

seu firmum, & suane tantummodo vera existentia naturalia ab ipsis existimantur. Reliqua verò omnia casu, & fortuna, & secundum opinionem sunt; & non vera naturalia entia. Quorum ratiu clara, & aperta est: nam cum inalterabilia, & impatibilia statuant elementa; tunc mixtio vlla fieri nequit, mixtumque nullum erit, sed tantum cōpositio quædam, & congeries illorum inalterabilium corporum; vnde & omnia secundum apparentiam existent; Cum enim in compositione, & constructione, componentia, & construentia se talia seruauerint semper, qualia ab initio fuere, non poterunt profectò aliqnam veram essentiam diuersam ab illa, quam obtinet, composito elargiri; & si nouam aliam impartiri videntur; non vera, nec naturalis, sed solum secundum apparentiam, à casu, & fortuna iudicatur. Si modo & formæ, & species omnes, & pariter composita, & sensilia cuncta apud istos secundum opinionem, & apparentiam sunt idem quoque & de sensibus, & de affectibus omnibus iure profitendum, quòd secundum existimationem, & apparentiam tantum sint.

Ideo dolemus & delectamur, qa dolere, delectarise opinamur.

Si igitur dispositiones hæ omnes naturales ab istis secundum imaginationem solum reputantur, & casu, & fortuitu; multu igitur magis innaturales, & præter naturam tales censentur; vtpute atomorum confusio, & perturbatio in corpore, eorundemque incōcinnitas, & dissectio, immediatè apud ipsos dolorem excitantes causæ; hæc vtique omnia multò, inquam, fortius casu, & fortuitu, & secundum opinionem tantum iudicabuntur. Si itaque hæc prorsus secundum opinionē, & existimationem sunt; concomitanter etiam & dolor, & volnptas, & quilibet alius animatus affectus casu, & fortuna, & secundum opinionem erunt. His quidem veris existentibus; dolebimus, & delectabimur vnusquisque iuxta opinionem solum, & non secundum rei veritatem, Dolet nanque; & delectatur vnusquisque apud Democritum, ex eo quòd dolere, delectarique opinatur; non quòd re ipsa ita sit, quòd doleat, & voluptatem actu persentiat. Hæc omnia temporibus suis prisci illi profitebantur; quæ quanta vera sint, quisque ex se ipso dijudicauerit.

Quamobrem vana hæc omnia, & absurda aufugit Hippocrates, alterabilia, & patibilia asserendo esse elementa; ex cuius assertione sensibilia pariter, & insensibilia procreantur; vnde etsi ipsa prima simplicia corpora penès Hippocratem in proprijs naturis sensū nullum habeant; nihilominus cum secundum naturam alterabilia, & patibilia ea faciat, & pronunciet; facilè ex tali positione sensilia corpora prægigni ostendere possumus. euenit nanque apertissimè ex multiplici inuicem actione, & passione, vt temperies, & forma naturaliter semper, seu vt in plurimum, à suis determinatis causis producatur, & non casu, & fortuna; quæ temperies, & forma sensuum affectuumque omnium naturalium per se primo causa asseritur; cum perfecta formalis natura hæc ipsa ab Hippocrate dicatur. è contrario intemperies, & mala corporis constitutio; & vnio prauarū sensationum, & affectuum innaturaliū, (qui dolores nuncupantur) per se primo causæ appellantur, veræ, & naturales, & non secundum imaginationem, seu casu, aut fortuna, vt illi profitebantur. Sic quidem sensibilia corpora per suas temperies, & formas, essentialiter, & verè apud Hippocratem constituuntur, & non ad apparentiam tantum. Inquit nanque ipse, quòd omnis quæ ex pluribus fit compositio, si talia seruauerit semper componentia, qualia ab initiu fuere, nullam extrinsecus nouam speciem assumet; quæ non antea affuerit his, quæ componuntur; Si verò hæc ipsa componentia varientur, transmutentur, ac multiformiter alterentur; poterit aliquod aliud secundum genus in composito exultare, quod ab initio ipsa componentia non habuere; potest nanque per multas medias transmutationes, quod interim est nigrum, mox album euadere, & quod interim est album, mox fieri nigrum, & quod interim est expers sensus, mox sensum accipere; & hoc penès varias temperies, & naturas per transmutationem adeptas. Quæ quidem essentialiter, ac verè & sensuum, & sensibilium omniū per se causæ existunt. ex alterabilibus nanque, & patibilibus elemētis facillimè sensibilia entia verè talia naturalia procreantur; propter veras naturales eorundem formas productas; quæ tales re vera actu existentes ab omnibus conspiciuntur. Penès verò Epicureos, & Democraticos, qui intransmutabilia, & impatibilia profitentur elementa; si contingat vt ex eis sensualia, & animata gignantur corpora, re vera hæc talia non erunt nisi casu, & secundum opinionem, & non secundum rei existentiam. Et ratio in promptu est; nam cum horum semina impatibilia, & inalterabilia sint, non poterit certè ex his seminibus forma temperiesúe aliqua substantialis gigni; sed tantum accidentaliter, quid formæ, & speciei resultabit, casu, & fortuna, & non secundum rei veritatem; quando nulla vera mixtio ibi adsit; sed tantum compositio quædam, & congeries illorum impatibiliū corpusculorum, quæ quidem congeries & casu, & fortuna erit, & impatibilis quoque; nam illud, cuius quæcunque pars est à quauis passione immunis, vtique totum quoque omnis est passionis expers. Rectè itaque sentit Hippocrates prima quattuor simplicia corpora productarum rerum omnium elementa alterabilia, & per to-

tum patibilia asserere; quando æqualiter ab his sensualia, & insensualia procedeantur. Sit ut igitur ex corporibus (inquit Galenus) dolorem sentientibus, ita ex delectatis idem demonstrare possumus. Vnde si nulla voluptas consequi poterit, vbi impatibilia fuerint elementa, nullusque dolor, ac nullus præterea sensus; nulla etiam aderit vel reminiscentia, vel memoria; (& si aderit, non nisi adumbrata, & simulata) quoniã horum omnium sensus est quasi radix, & fons. Quòd si nihil horum naturaliter, & veré aderit, neque vlla alia operationum animalium, quare neque anima ipsa. Et hæc omnia prima Hippocratis ratio indicauit, si vnum esset homo nunquam doloret, neque enim foret vnde doloret, vnum existens. Sequitur altera, quam ex suppositione affert, contra eosdem pariter procedens.

Primo de elementis.

VI.

Si verò & doleret, necessarium foret vnam esse medelam.

Secundum eundem figuræ Syllogisticæ modum, rationem ex curatione interrogat, secundum quem & ex dolore deprumptam prius interrogauit. In secundo nanque modo syllogismorum hypotheticorum non per totum hypotheticorum ratiocinaturà destructione consequentis ad antecedens destruendum, ex antecedenti, & consequenti æquè affirmatiuo; si verò & doloret, idest ponamus quòd vnum existat homo, & quòd doleat; tunc necessarium foret, vnam esse medelam, & vnum medicationis modum; Destruitur modo consequens; quoniam non vnum re vera est medicamen, sed multa; nec vnus medendi modus, sed multi; non igitur vnum existens homo dolet. Quòd verò illatio bona fuerit; scilicet si verò et doleret, necessarium foret vnam esse medelam; hinc facile ostendimus; quoniam vnumquodque quod patitur, in propria sui ipsius substantia patitur, et non in aliena; cum itaque vnusquisque in suamet propria patiatur substantia; et propria cuiusque substantia vna tantommodo sit, et vnius rationis; quando ergo hæc malè fuerit affecta, cum vna præcisè sola sit, et vna sola concomitanter; etiam precisè passio, & affectio erit: quando plures affectiones in simplici vnica substantia esse simul nõ possint. Si igitur vna tantum affectio sit, & vnius rationis, necessariò & illud sequitur, quòd sanatio, & ad naturam reditus vnius pręcisè eiusdem rationis erit, sicut & affectio vna, & eiusdem rationis erat; nam secus, non per vera opposita, & contraria curaretur. Si modo sanatio, & modus medendi formaliter vnius eiusdem præcisè rationis est; & medicamentum quoque per consequens vnius eiusdem formaliter rationis erit; nam si alterius, tunc non per vera opposita (vti diximus) medicamen exhiberetur. Sic vtique illationem bonam esse ostendimos. Quòd autem hęc omnia falsa, & vana sint, duplici manifestamus medio; primò ex falsa suppositione, quam ipse assumit ad intentum suum probandum; Secundò ex consequẽtis falsitate; ex suppositione autem hæc omnia manifestè falsa esse sic ostendimus; quoniam prædicta hæc omnia ex falsa ista suppositione sequuntur; quam omnino vti impossibilem, ex proposito admisit Hippocrates ad principalem intentum suum ostendendum; quòd scilicet non vnũ sit tantũ homo, nec præcisè vnum tantũ elementum; supponere modo quòd vnum sit homo, & ipsum dolere, falsum quippe supponimus; apertè nempe falsum est, vnũ tantum hominẽ esse; at ex falso non nisi falsum prouenit; Sic vtiq; meritò, quicquid ex falsa suppositione ista prouenit, falsum erit. Et ita ex suppositione hæc omnia impossibilia, & falsa fore demonstrantur. Modo hoc idipsum ex consequentis falsitate ostendimus; consequens autem erat; necessarium fore, vnam esse medelam. At falsum euidens hoc est, vnam esse medelam, & vnum medendi modum; nam (vt mox infra ipse docebit) plura re vera sunt & medicamina, & medendi methodi; si ergo falsum est consequens, pariter & antecedens falsum erit; quod erat, si vnum tantum homo existens doloret. Sic quidem & ex suppositione, & ex illatione falsum esse antecedens demonstrat Hippocrates; quòd scilicet vnũ tantummodo homo animalúe sit. Hoc nempe intendebat probare, falsum profectò esse vnum prorsus animal, hominemúe fore; Quòd verò falsum sit consequens supradictæ illationis, quòd medicamen, scilicet vnum sit, & vnus sanandi modus, his verbis apertè enunciat.

VII.

At verò multa habentur, quia multa in corpore insunt, quæ cum præter naturam à se mutuò calefiunt, aut refrigerantur, aut siccescunt, aut humefiunt, morbos pariunt; ex quo multæ sunt morborum formæ, & multæ quoque illorum curationes.

Multa

Multa hic affirmat esse medicamina Hipp.& quòd multa sint,ratiocinatur ex morborũ multitudine eorundemq; multiplici curatione; multæ quidẽ sunt morborũ species, quæ quotidie palàm visuntur,& multi horũ curandi modi, multaque ex necessitate etiã medicamina erunt, quando neque plurimi possint esse curandi modi, nisi plurima adsint medicamina; quemadmodum nec multæ medendi methodi,ni multæ quoque sint morborum formæ; cum quisque particularis morbus sua propria particulari methodo curatur. Multæ autem morborum species ex multis in corpore existentibus necessariò procreantur; (cum ampla multitudo ab vno simplici nequaquam statim oriatur) ab vno nanque in quantum vnum immediatè non prouenit nisi vnum,& si multa,& plura prouenient,non nisi ordinatim,& concomitanter,successiuè vnum post alterum, aut alterius cuiusdam multiplicis rationis respectu. propterea & ipse
» inquit;at verò multa habentur, quia multa in corpore insunt; at verò medicamina plura, plu-
» resque medendi methodi reperiuntur,quorum causam,& rationem subdens ait:quia multa in
» corpore insunt;multa nanque incorpore existentia immediatè causæ sunt; vt multæ quoque immediatè præter naturam affectiones inspiciantur, ex quarum postea multitudine & medicaminum multitudo, & multæ medendi methodi statim insurgunt. Sed aliquis dubitabit;quoniam his verbis, principium petere Hippocrates videtur, & supponere quod probare intendit; nititur nanque demonstrare plurima in corpore esse; & hic talia existere accipit; vt inferat,multa reperiri medicamina, Ad hæc dicimus,quòd neutiquam principium petit,iuxta interpretationem,quam facimus;neque enim supponit multa in corpore esse; sed ex necessitate id infert, ex morborum multitudine, quam quotidie affatim inspicimus, & intuemur. in dies nanque multa illa corpore existentia,cum præter naturam augentur,aut diminuuntur, seu calefiunt,frigefiunt, siccantur, & humectantur, quàmplurimos morbos parere conspicimus; nec ratione aliqua hoc indiget ad suadendum; cum plusquàm satis vnusquisque in proprio experitur corpore;immediata nanque multitudo morborum,quam in dies plurimum intuemur,immediatam inexistentium multitudinem ostendit,sicut vnitas vnitatem.ex hac igitur larga morborum multiplicitate,experientia cognita,multitudinem in corpore existentem concludimus; pariter quoque multiplicem sanandi modum;ex ambobus autem,scilicet morborum copia, & eorundem curationum pluralitate, & varietate, plura ac varia medicamenta fore immediatè deducimus. quòd autem plurima medicamenta,plurimæque sanandi methodi reperiantur, ex vsu quotidiano clarè his verbis Galenus manifestat,inquiens;si enim hic ex calore sanatus est; & alium inuenies ex frigore curatum;deinde non paucos humectatos inueniemus,qui per exsiccantia sunt sanitati restituti; sed neq; si acerbis, aut amaris medicinis sanatus est aliquis, idcirco etiam omnes;sunt nanque qui ex salsis,vel dulcibus;sic & quispiam per ea quæ ventrem astringunt;alter verò per ea,quæ subducunt,sanitatem recuperauit; hic per densantia, ille per relaxantia;& vt summatim dicam,nullum modum curationis contingit inuenire,cui etiam contrarius non reperiatur. Quare rectè dixit Hippocrates, quòd nec medendi modus, nec medicamen vnum erat. Quomodo autem ea multa, quæ in corpore insunt, præter naturam se habeant,& morbos procreent inferius ipse edocebit; quãdo de sanitate,& ægritudine sermonem habebit. Hactenus de prima demonstratione contra antiquiores: prosequitur vlterius contra eosdem, à rerum generatione sumpta ratiocinandi forma; quòd non vnum omnium sit elementum,& principium,aiens.

Primo de elemẽtis, & in de natura hominis.

VIII.

Primũ generatio ab vno fieri nequit;quonam enim pacto quod vnum est,generare aliud posset, nisi quid aliud admisceretur; tum neque quæ miscentur generant, nisi essent eiusdem generis, eandemq; haberent facultatem, neque similia nobis efficiantur.

A' generatione rerum nouam exorditur Hippocrates demonstrationem contra prædictos: quòd non vnum omnium sit elementum,& principium,dicens:primum generatio ab vno fieri nequit;primum nanque dicit generationem ab vno nequaquam fieri posse.hoc autem pulcherrimè nos declarabimus, tum ex generationis explanatione, tum ex eiusdem internis principijs superius demonstratis. Ab ipsa itaque generationis dilucidatione principio sumpto, dicimus; quòd generatio apud Peripateticos, & veritatem,est simpliciter mutatio de non esse ad esse,sicut corruptio est simpliciter transmutatio de esse ad non esse.Quomodo autẽ simpliciter hæc mutatio de non esse ad esse apud illos fiat, digrediẽdo manifestabimus. Omne enim quod generatur,ex non ente simpliciter,scilicet priuatione,& ex ente in potentia, videlicet ex subsistente

Quinto phy. te.c.7.& 8. & 1.phy t. c.62. Primo de generatione.t. 11.et 5.phy.

sistente materia generatur; non vtique generatur aliquid ex ente in actu, quod est ens simpliciter; quoniam esset, antequàm generaretur; quod autem generatur, nondum est; neq; etiam ex nihilo, quia nihil generatur ex nihilo; ergo ex ente non simpliciter, quod est ens in potentia cum priuatione annexum; ex materia itaq; iuncta priuationi generatio omnis fit. Neque enim aliter ex materia possibile est aliquid factum iri; nisi accidat ei priuatio eius, quod est generandum, potentia quidem existente, quoniam materia potentia est hoc quod fit, actu verò non existente, quia nondum est, id quod fit. non enim fieret, si esset; ex potentia igitur, & priuatione materiæ generatio quælibet fit; & vnumquodque producitur. ex potentia nanque adest habitudo ad id quod generatur; ex eo quod possit fieri id, in quod mutatur; si nanque impossibile foret in ipsum mutari; nulla generatio quippe esset; quando impossibilia nullatenus fiant. Ex priuatione autem est, quod nondum actu est, quod generari habet; si nanque esset, non vtique generaretur; ex priuatione igitur, vt ex non ente simpliciter, & ex potentia materiæ, vt ex ente potente, generatio omnis prouenit, & vnumquodq; simpliciter fit. inest autem ipsi materiæ & potentia, & priuatio æqualiter; sed posse inest ei ex propria natura, hoc nempe est esse materiæ; priuatio verò accidit ei ex necessitate, non tamen est eius propria essentia, & natura. At quærent aliqui vbinam ens istud potens sit, ex quo res cunctæ generantur; cum omnia quæ in rerum natura existant, talia semper actu, & formata reperiantur, & non in hac potentia, quam narrauimus: ad hæc dicimus, quòd tale ens potens, (quod subiectũ generationis facimus) non simpliciter ita in sua pura, & omni potentia existit, & actu inuenitur; quãdo hoc suæ essentiæ prorsus repugnat: nam tunc non amplius materia, & ens potens foret; quæcunq; enim existentia sunt, actu entia dicuntur; si modo ens istud potens, materia scilicet ipsa existeret; tunc actu ens esset; & sic non amplius ens potens, & materia; sed iam ens actu esset; quod implicat. Dicimus igitur quòd omne quod generatur, generatur ex eo, quod est actu aliquod ens, & formatum; fit autẽ ex eo, non quatenus est actu ens, sed quatenus est potentia id quod fit; Nam quia impossibile est id, quod potentia est, subsistere per se, hoc (quoniam vt diximus, quod non actu esset ens, actu existeret) modo quod est potentia hoc aliquid, est actu quid aliud, quod ei solum ad esse confert, non tamen ad generandum ex ipso, id quod potest; Nam à forma habet, quòd sit actu, & subsistat, à materia verò, quòd sit potentia id, quod generatur. Sic vtique declarauimus, qualiter ens istud potens cum ente semper in actu reperitur, & semper re vera formatum existit; sed sub altera ratione potens, & sub altera in actu nominatur; & vt potens tantum generatur, & vt ex tali cuncta prægignuntur. Concludimus tandem rectè iuxta rei naturam Peripateticos sensisse, quòd generatio, quæ via est ad formam, & quæ simpliciter talis nuncupatur, sit rei, quæ antea non erat, productio. Hæc quidem descriptio rebus omnibus genitis, tum simplicibus, tum compositis congruit; æquali enim fortuna mixta, & composita; sicut pura, & simplicia post eorum non esse, esse recipiunt in ortu, & generatione. omnia nanque denuò genita (vt ad sensum vnicuique patet) nouum in ortu sumpserunt esse, quo prius penitus priuata erant. Modò autem clarè ostendimus, qualiter ex Hippocratis, & Aristotelis doctrina generationem omnem tollunt, qui vnum omnium asserunt principium, & elementum. sed prius communiter, & vniuersaliter de omnium generatione hoc ostendimus, mox magis particulariter, & propriè de mixtorum perfectorum generatione hoc id ipsum fusius demonstrabimus. ex generationis itaque ratione hoc clarè deducimus. Si enim generatio est transmutatio de non esse ad ens vnum simpliciter, & perfectum; (si vnum absolutè sint omnia, & vnica ratione, vt ipsi fingebant) tunc nulla profectò adest generatio: nam quamcunque eam feceris, & dixeris; semper ad idemmet ens eiusdem præcisè rationis eam redigeris, & nunquàm nouum aliquid in tali mutatione acquires; quando omnia vnum sint vnica absoluta ratione; quia igitur non aliud esse, nec quid noui perfecti in ipsa transmutatione habemus; nulla iure igitur generatio erit; quàm eius, quod prius non fuerat, aiunt productionem esse. Cum itaque vnum fuerint omnia, & vnica ratione, vt illi enunciãt: tunc denuò genita, & producta præcisum idemmet esse habent in ipsa productione, quem ante productionem, & generationem; quãdo æquali plenè ratione tunc vnum idem esse dicantur; sicut anteaquàm generarentur, & producerentur. Ita enim modo genita secundum eandem rationem vnum, & idem appellantur, sicut & ante ipsorum productionem. illud idem etiam post interitum; & de futuris oriundis dicere possumus; ita nanque res cunctæ in futurum oriundæ vnum dici in præsenti merentur, ac si ortæ forent; vnde æqualiter præterita, & mortua omnia eadem ratione, ac si superuiuerent, & essent vnum idem, nominarentur. quæ omnia vana, & absurda sunt. Hoc quidem est, quod secundo de anima indicauit Philosophus, quòd nihil est, quod se ipsum generat, sed seruat; omnia enim quæ generant, vt plurimum, & secundum naturam sibi ipsis similia generant, & non se ipsa; si nanque se ipsa gignerent, tunc vtique semper eadem forent, eademque semper dicerentur. sic

tex. 7. & 8. phy. t. 46.
Alexand. in quæstionib. naturalibus lib. 1. c. 24.
3. cæli. tex. 29.
2. phy. t. co. 12. 3. cæli t. co. 29.
3. phy. tex. 65. & 2. phy. t. c. 12.
5. phy. t. 7.
1. phy. t. 14.
1. met. t. 40.
5. phy. t. 7.
2. de anima t. c. 47.

quippe

quippe ex generationis ratione clarum fecimus, generationem nullam esse, si vnum sit tantum elementum, & principium. Superest modò, vt ex eiusdem generationis intrinsecis principijs, hoc id ipsum manifestemus; superius nanque contra Melissi sententiam de primo materiali rerum omnium principio apertam demonstrationem fecimus; quemadmodum vniuscuiusq; generationis duo per se intrinseca principia existebant, materia scilicet & forma; quibus tertium etiam per accidens principium additum fuit, priuatio (inquam) ipsa. Si duo modo interna per se existentia principia cuiuslibet transmutationis verè sint & forma, & materia; falsum vtique est, illud vnum tantũ asserere; quando duo re vera illa sint. Sic quippe concludimus impossibile fore, generationem aliquam in natura esse cum vno interno solummodo principio. Alteram nunc de perfectorum mixtorum generatione aggreditur Hippocrates demonstrationem; quòd nequaquàm possibile sit, horum ortum ab vno solo interno principio proficisci; inquit enim.

IX.

Quo enim pacto quod vnum est, generare aliud potest, nisi cum alio commisceatur?

Cuncta enim genita, & producta, quæ in mundo hoc corruptibili insunt, aut simplicia, aut composita esse dicimus; simplicia, vt quatuor prima corpora, ignis, aer, terra, & aqua, generationis quorum simplices mutationes nuncupantur. Composita autem sunt omnia ex quatuor ipsis, aut ex his plurimis constructa. est nanque simplicium generatio, transmutatio totius in totum nullo sensibili remanente, vt subiecto. Compositorum autem, & mixtorum inanimatorum productio est permutatio materialium, ac possiuarum virtutum ab actiuis dominantibus: vel est, vt aliàs scribit Philosophus, miscibilium alteratorum vnio, & concretio; de quibus infra fusius dicemus. Differt quidem mixtorum ortus à simplicium ortu; primo ex eo, quòd diuersæ sunt ipsorum rationes; secundò quòd mixtorum, & compositorum ortus est eorum, quæ inuicem separari, & per se subsistere possunt; simplicium autem generatio est eorum, quæ impossibilia sunt inuicem separari, & per se subsistere; neque enim materia à forma separabilis est, & per se subsistere potest; nec è contrario forma à materia: at compositorum, & mixtorum partes quantum est ex se ipsis, natæ sunt inuicem separari, & per se subsistere, si aliqua fuerit vis ea discernens, & separans; propterea nos dicimus quòd partes mixtum constituentes, potentia in mixto subsistunt; nec ita sunt in potentia, sicut dicitur potentia aquæ esse aer; nam in generatione materia aquæ potentia aer est, actu verò aqua; constituentes verò partes in mixtura potentia insunt; non quòd eorundem materiæ tales dicantur, sed quoniam formæ ipsarum castigatæ, & refractæ sunt; ex eo enim quòd syncerae non sint, nec eiusmodi quales ante mixtionem erant, proinde potentia in mixtura esse dicuntur. De his solummodo in præsenti verba Hippocrates facit; & nihil de simplicium corporum ortu intelligit, quando præcedenti sententia de his cõmuniter sermonem egerit; quòd claré verbis his ostẽdit. quo enim pacto quod vnum est, generare alterum potest, nisi cum alio commisceatur? qua enim ratione? quasi dicat, nulla; quod vnum est, quod vnius præcisè naturæ existit, generare aliud potest; compositum scilicet, & mixtum aliquod producere poterit; nisi cum alio cõmisceatur; nec enim alio modo, & via mixtum, & compositum costruitur; quàm ex inuicem commixtione, & compositione partium. istud nanque principium vnum, quod generare habet, apud istos composita, & confusa omnia; aut simplex vnum vnius tantum naturæ, aut multiplex, & confusum plurium rationum reperitur; si simplex & vnius rationis, tunc ex propria natura non poterit nisi simplex alterum sibi simile generare; quando naturalissimum sit vnicuique sibi simile progignere; sic quidem simplex semper, & nunquàm confusum, & commixtum aliquod pariet. si verò principium illud vnum multiplex re vera sit; tunc non vnum, & simplex est, vt ipsi asseuerant; sed multiplex & confusum. Concludimus tandem ex propria natura repugnare, vnum vnius tantum rationis per se solum, non cum altero mixtum, compositum aliquod naturis plurimis præditum construere; sed mixtum perpetuò & compositum perpetuò compositum, & mixtum conficere affirmamus; vt ipsæmet rerum generationes ostendunt; vtputa plantarum semina aliquo semper externo, tum humore, tum calore, & eo moderato egent, vt aliquid inde generetur. Nam si semen (inquit Galenus) ea esset natura, vt solum posset generare, nulloque externo indigeret, ex se ipso statim germinaret, antequàm seminaretur; deinde satum, ne minimo quidem tempore staret, quin generaret; at sæpissimè quàmplura semina, non dies modo, sed menses absque germine perdurare videmus; quippe quòd à se ipsis tantum non habent, vt generent; sed ex externo egent auxilio; id quod non ex simplici prouenit contactu; sed potius ex

1. de generatione t.co. 23. 4. metheorologicorum t. com. 2. 1. de generatione te. 90. 1. de generatione t.c. 84.

2. de anima t.c. 34.

De natura hominis.

vi qua-

vi quadam, quæ introrsum per totum id quòd tangit) impartitur, ita quòd vires eius per totum permeant; siquidem semen, dum generatio fieri arboribus, & herbis, atque etiam plantis, per totum videtur alterationis fieri particeps, prorsusque permisceri; atque adeò longè etiam magis hoc in animantibus apparet; quando neq; ex solo mare, neque ex fœmina sola, nisi ambo perfectè commisceantur, fieri, & generari quicquam possit. absolutè itaque vna cum Hippocrate 2. cœli. co.
affirmamus; quòd perfecta composita (quæ in dies circa medium fiunt) ex quatuor semper 20.
simplicibus corporibus mixtis constituuntur; quæ cum duobus modis fieri contingant, vel ex primis ipsis contrarijs immediatè, nullo alio intermedio, velut est mineralium generatio, & eorum, quæ sine semine immediatè ab elementis prægignuntur, sicut & sponte nascentes plantæ, & quæ per putrefactionem nascuntur animalia; vel mediatè, alio scilicet composito medio, compositum ipsum generatur, vt sanguinis generatio ex chilo, & membrorũ à sanguine, & denique aliorum compositorum omnium à consimilibus succis generatio; qualiacunque itaque fuerint genita composita, siue proximè, & immediatè ex quatuor primis simplicibus corporibus; siue mediatè, alio videlicet cõposito medio, necessariò habent, talia omnia composita, quæ gignuntur, vt in generatione inuicem permisceantur; & sint verè & naturaliter mixta, si produci, & generari debeant. quare composita omnia genita commixta naturaliter dicentur; de quibus verum Hippocrates ait:

X.

Tum neq; quæ miscentur generat, nisi sint eiusdem generis, eandemque habeant facultatem; neque sanè nobis similia efficiantur.

Rursus contra hos antiquiores argumentatur; quòd generatio ipsa nequaquam ab vno fiat; quando neque ex pluribus simul mixtis quicquam generari posse confirmet; nisi quæ miscentur eiusdem sint generis, eandemq; habeant facultatem. Hæc autem omnia Hippocrates ad mixtorum omnium naturalem, tum animatorum, tum inanimatorum generationem exposcit; quòd ea, quæ ad generandum miscentur, sint eiusdem generis, eandemque habeant facultatem; hæc verò sunt, quæ cognata, & coniuncta in substantia nuncupat Galenus; & iuxta hanc doctrinam Philosophi dixerunt, conueniens à conuenienti, & simile à simili fieri; nisi enim ea, quæ miscentur, sint consimilis, & conuenientis substantiæ, nihil generare possunt; neque enim si adamas ligno, & lignum auro admisceatur, quicquam generabitur; nam neque similis substantiæ, neque eandem possident vim. Idem quoque in animatis dicimus, quòd si Leonis, aut Vrsi semen cum Leporis, aut Capreoli semine admisceatur, nunquam generabit; quando dissimilis admodum substantiæ sint, nec consimilem possideant facultatẽ; vnde & ritè Galenus non tantum ex vno nihil generare posse dicit; sed nec è duobus quidem, nisi cognata sint, hoc est substantia sint coniuncta, quæ miscentur; quod planè in animalium diuersarum naturarũ genitura cernitur; verbi gratia in Equis, & Asinis, Vulpibus, & Canibus; generatur ex horum coitu mixtum, videlicet ex ambobus animal; quorum verò natura à se mutuò magno distant interuallo, licet coeant aliquando, non tamen generare quicquam possunt; at si casu genitura ex hoc coitu fiat; animal ijs, quæ se generarunt, simile non efficitur. hic nempe inquit Galenus, quòd diuersæ species, dummodo non multum dissimiles fuerint, si simul commisceantur, generatur ex illorũ coitu, velut mixtum ex ambobus animal, sicuti mulus, qui formam tum Equi, tum Asini præsefert: quæ verò naturam habent plurimum dissentientem, nunquam poterunt, quantumlibet commisceantur, generare aliquid; & si casu accidat, quòd gignat; fœtura ex tali coitu, animalibus ijs, quæ eam generarunt, non fiet similis, neque in forma, neque in figura, & infœcunda sine prole orba existet. quamobrem vltimo subiunxit in textu: Neque sanè nobis similia efficiantur, neque genita, & producta à dissimilibus admodum parentibus; ijs vnquam similia erunt. Hac itaque breuissima sententia Hippocrates antiquos conuincit; nullatenus mixtorum generationem ab vno fieri posse; sed necessarium esse, vt plura sint, & substantia coniuncta, quæ mixtorum genituram constituant. Atque præterea nos admonet, qualia mixta esse debent, quæ generationem perficiant; non enim ipsa ita vniuersim generant, sed genere, & ordine quodam præscripta, & determinata; si enim elementa sic vniuersaliter, & indiscriminatim ad omnium mixtionem accederent; tunc casu & fortuna essent omnia; & eadem, quæ antiqui in generatione patiuntur incommoda, & ipse pateretur; essent profectò genita omnia, vnica ratione, absolutè quatuor tantum simplicia corpora, casu solummodo inuicem distincta. Hæc autem absona, & incongrua prouidè Hippocrates aufugiens statuit quatuor hæc simplicia corpora sub determinatis proprijs generibus, & ordinibus ad singula mixta omnia procreanda accedere, vt à superioribus lationibus, & ordinibus (quas Pla- 5.c.18.

D to ydeas,

to ydeas, vniuersales rerum omnium opifices Aristoteles nuncupauit) ordinata fuere, ad hunc
terrarum orbem perficiendum. Quapropter xij. metaphysices magnus Auerroes; Sol, & aliæ
stellæ sunt principium vitæ cuiuslibet viui in natura; calor enim Solis, & stellarum diffusus in
aqua, & terra, generat animalia ex putrefactione nata; & vniuersaliter omnia quæ fiunt ex non
semine; non quòd illic sit anima in actu inuenta in orbe declinu, vt vult Themistius; calor enim
Solis, & alij ex aliarum stellarū caloribus geniti, hi quippe sunt, qui quamlibet speciem specie-
rum animalium generant; vnde & mensuras habent proprias illius caloris ex quantitatibus mo
tuum stellarū, & dispositionibus eorū ad inuicem in propinquitate, & remotione; & ista mensu-
ra prouenit ab arte diuina intellectuali; quæ est similis vni formæ vnius artis principalis, sub
qua sunt artes plures. ex hoc sciendum (addit ipse) quòd natura facit aliquid perfectè, & ordi-
natè, quamuis non intelligat, quasi esset rememorata à virtutibus agentibus nobilioribus eis;
scilicet quæ dicuntur intelligentiæ. Istæ autem proportiones, & virtutes, quæ fiunt in ele-
mentis à Solis, & aliarum stellarum motibus, sunt hæ, quas reputat Plato esse formas; & eas
intendit, sed longè inspiciebat eas; quapropter dicit formas esse. Hæc omnia Auerroes, qui-
bus nos edocet, quemadmodum determinata, & certa species omnis in corruptibili hoc
mundo genita, & producta, à determinato & certo corporum cœlestium motu, vt à efficienti
genita, & producta est. neque enim aliæ ydeæ, & formæ ab Aristotelicis recensentur, quam
prædicti orbium cœlestium motus; à quibus non à casu, & fortuna, sed determinatè, & cer-
te.c. 21. tè simplicia corpora ad cunctorum mixtionem diriguntur. Hoc id ipsum secundo cœli Phy-
» losophus docuit, cum dixit. Nunc autem tantum manifestum est, propter quam causam
» plura sunt circularia corpora; quia necesse est, generationem esse. Vbi Auerroes ait; quòd
ibi Philosophus intendit dare causam; propter quam motus cœli fuerunt plures: quoniam
necessarium est, vt sit generatio, & contingat diuinitus; vt inueniatur secundum ordinem;
quia non perficitur, nisi ex multitudine motuum cœli; quæ præstant ordinem, & continua-
tionem generationis; necesse est igitur propter hanc solicitudinem, vt corpora cœlestia sint
plura; nam manifestum est, quòd generatio cuiuslibet speciei istius mundi non perficitur, ni-
si per aggregationem motuum corporum cœlestium; & si non essent plures eorum motus,
essent otiosi; quod est impossibile. his quippe verbis apertè nos admonet; qualiter determina-
ta vnaquæque species huius mundi à determinato corporum cœlestium motu proficiscatur, ac
diuinitus ordinata existat. Huic autem in præsentiarum Hippocratem conformem esse, nos
affirmamus; qui non à casu, & indifferenter simplicia corpora ad singulorum mixtorum pro-
ductionem aduenire ait; sed sub determinatis semper proprijs generibus accedere illa affirmat;
prout vnicuique naturæ, & ordini expetit; prout etiam à superioribus ordinibus vnicuique
1. cœli. t.c. elargitum fuit; penès eius nobilitatem, & ignobilitatem; secundum nanque meritas, & de-
bitas formas, meritæ, & debitæ accommodantur materiæ; quæ & genericæ, & specificæ ma-
Physicum teriæ penès suas specificas, & genericas formas nuncupantur. Vnde & naturale, & physicum
genus. genus has Peripatetici appellare cōsueuerunt; & iuxta hæc omnia prædicta ipsi dixerunt; non
1. de gene- » quodlibet fieri à quolibet, sed determinatum à determinato. Neque enim quæ miscentur in-
ratione. t. » differenter generant, (inquit hic Hippocrates) sed ea solum, quæ sunt eiusdem generis, ean-
c. 53. » demque habentia facultatem; (genus autem istic physicum, & naturale capimus, materias sci-
licet ipsas genericas, & specificas, suis debitis genericis, & specificis formis attributas) per
hæc quidem verba declarat, qualia nam sint miscibilia, quæ generationem efficere possint;
non enim omnia, quæ indifferenter miscentur, generant: nam neque lapis ligno, & lignum
ferro admixtum, quicquam generabunt; cum dissimilis sint admodum materiæ, & dissimilea
possideant vires; qualia verò sint illa, quæ generare possint, manifestat dicens; quæ sunt eius-
dem generis, eandemque habentia facultatem; hæc quippe omnia simul mixta apta nata sunt
generationem efficere. Et hæc ipsa forsan sunt, quæ à Peripateticis naturalia agentia, & pa-
tientia nominantur. Miscibilia nanque quæ naturaliter inuicem agunt, & patiuntur; illa
(inquam) sunt apud Peripateticos, quæ generationem constituunt. Quòd autem natura-
lia agentia, & patientia idem sint, quòd eiusdem generis, eandemque habentia facultatem;
tex.com. 50 ex Philosophi doctrina primò de generatione manifestamus, cum ait: sed quoniam non quod-
cunque natum est agere, & pati; sed quæcunque vel contraria sunt, vel contrarietatem habent;
necesse est agens, & patiens genere quidem simile esse, & idem; specie verò dissimile, & contra-
rium. inquit enim Philosophus, quemadmodum, & Hippo. quòd non omnia, quæ miscentur,
nata sunt agere, & pati, & generationem efficere; sed illa præcisè, quæ contraria sunt, vel con-
trarietatem habent; hæc quippe ex propria natura inuicem agunt, & patiuntur, & generatio-
nem efficiunt; quando perpetuò mutuò se generant, & permutant; cum igitur naturalia agen-
tia, & patientia apud Philosophum contraria sint ex propria natura; & contraria sint similia in

geuere,

genere, & dissimilia in specie; consequenter etiam agentia, & patientia erunt similia in genere, & dissimilia in specie. Similia nanque in genere dicuntur contraria, ex eo, quòd in eodem sunt genere: nam cum per se ipsa subsistere non possint, sed subiecto semper indigeant ea substeniante; indigebunt igitur subiecto, quod vtrique commune sit; quando eadem sit contrariorum ratio; propterea & bene describuntur; contraria sunt, quæ habent esse, & fieri circa idem genus subiectum; non simul, sed successiuè. Contraria itaque ratione eiusdem materiei, circa quam versantur, dicuntur similia; respectu verò oppositæ habitudinis ad formas contrarias, cum quibus pugnare, & agere habent, mutuò se destruendo, dicuntur dissimilia. Cum ergo naturalia agentia, & patientia verè contraria sint; pari ratione & ipsa similia, & dissimilia dicentur; similia in quantum habent esse in eodem subiecti genere, & in eadem physica materia; dissimilia, ratione diuersitatis formarum mutuò se destruentium. Cum itaque naturalia agentia, & patientia similia, & dissimilia dicantur; æquali quoque fortuna & eiusdem generis, & eandem facultatem habentia dicentur, quando idem re vera in præsenti sint similia, & dissimilia; quòd eiusdem generis, eandemque facultatem habentia. id quod apertè sic manifestamus; similia nanque naturaliter agentia, & patientia dicuntur; ex eo quòd eiusdem pysici generis, & eiusdem materiei sunt; eiusdem igitur materiei, & generis esse, idem profectò in præsenti sermone erit, quòd similia esse. quòd autem dissimilia, & eandem facultatem habentia idem quoque sint, declaramus. Dissimilia nanque agentia, & patientia dicuntur, pro eo, quòd dissimiles formas, & species obtinet; quibus medijs perpetuò agunt, & patiuntur, ac mutuò se generant, & destruunt; hæ nanque formæ, & species, & facultates quoque nuncupantur; proinde & facultates illas nunc Hippocrates nuncupat. Sed animaduertendum, quòd eædem, & dissimiles, hæ formæ, & facultates dici possunt; eædem dicuntur, respectu eiusdem determinati subiecti; dissimiles, ratione dissimilitudinis, & diuersitatis formarum, & facultatum; easdem autem hic appellauit Hippocrates, suum proprium determinatum subiectum respicens, dissimiles illas nuncupauit Aristoteles ipsarum formarum, dissimilitudinem, & contrarietatem inspiciens. Concludimus tandem Hippocratem, & Aristotelem eandem habere sententiam de miscibilibus inuicem agentibus, & patientibus, ac generationem efficientibus. Aristoteles nanque dixit, quòd non omnia, quæ miscentur, agunt & patiuntur; sed tantum ea, quæ similia, & dissimilia sunt; determinata scilicet, & certa contraria; quoniam non contrarium, & dissimile quodlibet, in quodlibet contrarium, & dissimile agit; sed determinatum semper in determinatum. Vniformiter & Hippocrates dixit; quòd non omnia mixta indifferenter, & indeterminatè generant; sed ea tantum, quæ eiusdem sunt physici generis, eandemque determinatam, & correspondentem ad proprium & terminatum subiectum facultatem habent: hæc de istorum sententijs.

Vniuersalia autem agentia, quæ à materia hac corruptibili abstracta sunt, impatibilia prorsus dicuntur; & per consequens particulariter mixtionem construere nequeunt; quando in materia susceptibili contrariorum esse non habent; sed ab ea secundum existentiam realiter separata existunt; in actione tantum communicantia: quando à primo, & supremo ordine in hac patibili materia, ipsa perpetuò agere præordinata sint. cum igitur secundum tantum actionem in hac susceptibili contrariorum materia vniuersalia abstracta agentia communicant; non poterunt vtique aliquo modo ab istis materialibus formis in actione repati, & pars mixti constitui; quoniam seiunctę sunt; & in diuersis materiebus reperiuntur. Præterea abstracta agentia in his corruptibilibus agere præordinata fuere; corruptibilia autem hæc in illa minimè; quocirca & minimè illa ab istis pati dicuntur; cum nullam ista in illis actionē habeant, per quam pati agentia abstracta dicantur. Concludimus itaque, quòd agentia, & patientia, quæ particulariter ad mortalium commixtionem, & generationem veniunt, sunt particularia ista in materia communicantia à superioribus illis æternis agentibus, & motoribus sic disposita, & præordinata; similia, & dissimilia ab Aristotelicis dicta; ab Hippocraticis eiusdem generis, eandemque facultatem habentia: prosequitur iterum Hippocrates dicens.

XI.

Nisi calidum cum frigido, & siccum cum humido mediocriter, mutuò, & æqualiter se habuerint: nec alterum alteri plurimum præualeat, & validius imbecilliori: nulla vnquàm generatio fieri poterit.

Superius ostendit Hippocrates naturalem mixturũ omnium tam animaturũ quàm inanimatorũ generationē, à mixtis semper corporibus procedere; nec à simpliciter ipsis mixtis; sed ab

 his,

his, quæ eiusdem sunt generis, eandemque possidēt facultatem. In præsenti autem addit; quòd neque illa satis sunt ad generationem, neque quòd sint multa, & permixta, & eiusdem generis, eandemq; vim habentia; nisi bene omnia inuicem contemperata sint. nihil nempe ex multis, etiam eiusdem generis generari potest; ni mutua inter ipsa temperies contingat. Omnia hæc igitur ad generationem expetit; & quòd plura sint, & permixta, eiusdemq; generis, atque eandem habentia facultatem, ac mutuò tandem æqualiter temperata. Propterea & modò ipse dicit: Rursus nec generatio quidem nobis perfecta foret, nisi quatuor humores, & prima quatuor elementa (quæ sub nomine calidi, frigidi, humidi, & sicci enunciat) inuicem temperatè, & pari

5. phy. c. 3. 2. phy. com. 81. & 70. 5. phy. c. 4. & 45. 3. 2. de anima c. 49.

modo se habuerint. aliter inanis esset, si alterū altero valentius infirmiusúe foret. Cum enim finis, & perfectio cuiuslibet generationis mixtorum sit forma, & temperies; proinde forma, & tēperies multoties à Medicis, & Philosophis, vt ab Hippocrate hic, perfecta generatio nuncupatur; (via enim & motus ad terminum, & finem; à fine, & termino specificatur, & nominatur) quapropter modum, quo perfecta generatio conficitur, edocens Hippocrates, modum etiam, quo perfecta crasis, & temperies conficitur, edocet. Primus omnium Græcorum Hippocrates quatuor elementorum qualitates determinauit, quæ mixtionem, compositionemque omnem naturalem perficere habent; per has enim elementa naturaliter inter se agunt, & patiuntur, & vnà inuicem miscentur, & temperantur; ex qua mixtione, & temperantia perfecta absolutaque crasis, & temperies construitur, forma à Peripateticis nuncupata. Quæ quidem forma, & temperies ab eisdem formalis natura, & sensilium omnium internum verum principium (à materia prorsus distinctum) appellata fuit. Ipse itaque primus altersm à materia naturam, formale (inquam) rerum omnium principium, adinuenit. hanc verò naturam, temperiem perfectamque crasim semper nuncupauit. qualiter autem forma hæc, & temperies perficiatur, declarat; & primum supponit quemadmodum calidum, frigidum, humidum, & siccum alterationes, permutationesq; omnes sensilium rerum efficiunt; hoc ex euidentia, & nota experientia sumens; agentia, & patientia corpora mutuò iuxta debitam naturam adhærentia, his contrarijs quatuor qualitatibus inuicem continuè alterari, & permutari. Vbicunque enim simul iungantur, & se naturaliter tangant; apertè inspicimus, quòd vel calefiunt, vel frigefiunt, vel humectantur, vel siccantur, vel alia altera ab his dependente qualitate permutantur. His itaque suppositis dicit; quòd perfecta mixti generatio, & optima crasis perficitur; quando calidum, & frigidum, humidum, & siccum, quatuor videlicet prima elementa, & quatuor primi humores (in animantis scilicet genitura) temperatè, & æquali modo se habuerint in mixtione; omnia quidē mediocria æqualiter esse debent, & æqualitati respondere in temperata crasi. quæ ideo temperata efficitur; quoniam simplicia hæc corpora in contrarijs suis formis magis, & minus recipientia (in hoc quidem cum Auerroe sumus tertio cœli substantiales elementorum formas magis, & minus suscipere) dum ad mixtionem veniunt; tunc naturaliter inuicem agunt & patiuntur; ex hac deinde mutua actione, & passione, in proprijs formis, & qualitatibus refranguntur, minuuntur, ac tandem moderantur; ex contrarijs nempe qualitatibus intensius, & remissius suscipientibus, ac inuicem agentibus, & patientibus; constitui contingit facultas media, quæ extremorum omnium particeps sit; veluti pallidum ex albo, & nigro commixtum, albi & nigri vestigium præsefert. Sic enim excellentijs qualitatum remissis, facultas media ex eis constituitur; quæ temperies, & corporis mixti forma apud Hippocratem, & eum insequentes nuncupatur. penès alios moderata mixti corporis qualitas differens in diuersis secundum diuersam mixtionis proportionem. At secundum moderniores quosdam neque forma, neque qualitas temperies nuncupabitur; sed quatuor principum facultatum proportio, & concentus; quæ quidem proportio, & concentus cum actionum, & functionum principium dicatur; necessariò sub alia ratione, & forma, & facultas nominabitur; iuxta illud Auerrois, & si enim proportio sit ad aliquid, tamen est proportio agens; proportiones in eo quòd proportiones non sunt agentes; sed in eo quòd qualitates: pariter etiam concentus, & proportio ista, neque agens, neque actionis principium vnquàm erit; nisi prout facultas, & forma quædam. hæc autem forma, & facultas, ab aliquibus proxima, & immediata dispositio ad formam substantialem mixti nominatur. apud verò antiquiores medicos, forma, & perfecta temperies dicitur; ex primis simplicium corporum formis moderata. Neque enim aliàs substantialis mixti corporis forma apud Hippocratem, & Aristotelem fieri contingit, quam ex primis his simplicibus formis.

2. de anima te. co. 143. & 7. phy. t. c. 17.

Demonstratio ostendēs temperiē verā substantiam esse.

Quod sic digrediēdo manifestabimus. Substantiales nanq; formę omnes corporis mixti, sub duplici sunt differentia; aut enim animati mixti corporis formæ dicuntur; aut animati corporis materiales formæ appellantur; sensibiles scilicet, & vegetatiuæ à Peripateticis animæ dictæ. de rationali autem & intellectiua nullus sit modo sermo; substantiales itaq; formæ omnes tum

animati,

mixtionem inanimati corporis non nisi ex primis simplicium corporum formis moderantur, & perficiuntur; quod sic ostendimus. Substantialis nanque forma omnis (de qua in præsenti est sermo) mixti corporis forma nominatur, & ad mixti corporis formationem formatur; inquirendum itaque est, quomodo ad corporum constitutiones, & formationes formæ istæ constituantur, & formentur. Diximus autem, quòd in quacunque perfecta mixtione tam animati, quam inanimati corporis, in ipsa semper est aliquid, quod habet rationem agentis, & aliquid, quod habet rationem passi; neque enim mixtio aliter effici posset, nisi miscibilium aliqua actiua, & passiua aliqua forent, vt infra ex philosophi doctrina declarabimus. In perfecta itaque inanimati corporis mixtione (vt res clarius intelligatur) calidum, & frigidum rationem agentis habent, humidum, & siccum passi rationem. In compositione verò animantis corporis semen viri, seu maius formatiua virtus rationē agentis obtinet, muliebrē semen, & sanguis menstruus rationem passi, & materiæ. Cum autem agens istud, quod in mixtione existit, sit id, quod disponit materiam, & formam inducit, ac compositum tandem perficit; idem nanque agens apud Peripateticos est disponens materiam, & formam inducens ac compositum perficiens; calidum itaque & frigidum, quæ agentis rationem habent, in mixtione inanimati corporis, humidum, & siccum disponent, & formam inducent. disponunt nanque humidum, & siccum, alterando, & moderando, & quoniam actiua, & passiua sunt, & mutuò quoque agunt, & patiuntur, concomitanter etiam actiua ipsa moderantur, & disponuntur; formam verò inducent, & compositum perficient; ex perfecta ipsorum omnium moderatione ac vnione; neq; enim aliàs formam inducere possunt, & cōpositum perficere, quā ex temperie, tum actiuarum, tum passiuarum qualitatum, ac ex earundem omniū vnione, & concretione. Quod sic manifestamus in quocunq; mixto cōposito, tres inuicem diuersæ substantiæ ab Aristotelicis recensentur; materiæ informis vna, formæ altera, tertia ipsius compositi; diuersa vtiq; & alia substantia formæ à materiei substantia asseueratur. sit autē, gratia exempli, inanimati corporis mixtio, ad quam conficiendam, nil aliud quam prima quatuor simplicia corpora concurrit; (quæ ex pura informis materiæ essentia, & primis quatuor simplicibus qualitatibus tantum consistunt) si modò calidum, & frigidum, quæ actiua principia in hac mixtione nominantur, formam extrahere, & inducere habent, diuersam in substantia à materiæ substantia; non vtique poterunt illam extrahere à materiæ essentia; quoniam non alia, & diuersa, sed vnius eiusdem essentiæ cum materia foret; præterea cum materiæ essentia informis prorsus sit, neutiquam ex ipsa formam aliquam educere possent; necessarium itaque sequitur, quòd ex primis ipsis simplicibus qualitatibus illam extrahant, & formant; quando in mixtione ista nil aliud reperiatur, quam simplices hæ facultates, & prima informis materia; sed ab informi materia educi non potest, vti diximus; reliquum est, vt ex his facultatibus, quas nos simplices substantias dicimus, educatur; vt à simili, & conuenienti substantia fiant; & huiusmodi producta forma realiter diuersa in substantia à materiei substantia existet. huic conforme septimo metaphysices Philosophus ait; quòd propriæ substantiæ dum generantur, habent semper necessariò aliam substantiam actu præexistentem; cùm igitur materiales formæ realiter substantiæ sint, aliæ à materiei substantia; dum ipsæ fiunt, & producuntur, ex alia actu præexistenti substantia fieri, & produci debent; at in mixti inanimati generatione, actu præexistentes substantiæ aliæ non sunt, quam hæ primæ elementorum formæ, & facultates. ex his vtique substantiales mixtorum inanimatorum formæ fient, & producentur. Ad hæc respondent, & dicunt; quòd si materia prima informis est, nihilominus in potentia ad omnes formas esse asseueratur; & ex hac potentia materiales formæ omnes educuntur, & sunt. Nos verò ad huiusmodi respondemus; quòd materiales formæ productæ cum realiter sint substantiæ; tunc potentia quoque ex qua fuerunt productæ, realiter substantia erit; si formarum creationem non admittimus, aut si accidens, & relationem ipsam immediatè substantiam construere nolumus. substantia nempe non ex nihilo, neque ex accidenti secundum Philosophum fit; prius nanque substantia est substantia. at ipsi si verò potentiam hanc ad omnes formas substantiam nuncupant, tunc nihil aliud profectò erit, apud istos, quam ipsa informis materia, sub alio respectu materia, sub alio potentia nuncupata. si modò essentia materiæ informis secundum propriam substantiam realiter sit potentia ad actus omnes, ex qua mixtorum corporum materiales formæ cunctæ educuntur; tunc formæ eductæ, & genitæ ex hac potentia realiter substantiam suam ab ipsa materiei substantia obtinent; nam nulla alia est ibi essentia, quam materiei essentia; habes quidem necessariò dicere; quòd aut essentia, & substantia materiæ sit essentia, & substantia formæ; aut quòd essentia, & substantia formæ sit ex relatione; seu potius ex nihilo creata, & producta; quorum vtrunque falsum apud Auerroem. sed iterum instant dicentes. Substantia ipsius formæ à gremio materiæ ab agente ducitur ex infimo, & imperfecto esse, ad sublime & perfectum.

4. meteorũ circa princ.

7. met. com. 31.

2. phy. c. 4. 7. & 8. met. co. 7. forma substantia est alia à substantia materiæ 1. cæli. 92. & 2. phy. 12. & 8. met. c. 8.

7. met. com. 32. 2. cæli. c. 42.

12. met. co. 43. 7. met. co. 4. 1. c. de substantia orbis.

cùm postea perfecta, & absoluta forma fuerit, tunc alia, & diuersa in substantia à materiei, &
8.met.s.co. 55. & 56. compositi substantia appellabitur, hoc quippe voluisse Auerroem inquiunt; cùm dixit, agens
extrahens aliquid de potentia ad actum non largitur multitudinem, sed perfectionem. Hæc
vtique assertio formam in gremio materiæ latitare sub esse imperfecto proculdubio affirmat;
nam quærimus, si forma in hoc esse infimo, & imperfecto sit substantia, an non? si est substan-
tia; tunc ipsa in materia latitabat: si verò non est substantia; iterū vt prius quærimus, à quonam
forma hanc suam substantiā siue perfectā siue imperfectam habeat? an à materia, an ab agente?
quādo nullæ aliæ ibi substantiæ adsint, à quibus illā habere possit. At dicunt, quòd ab agente,
tū vniuersali, tum particulari illam obtinet, iuxta illud Philosophi secundo physicorū, Sol, & ho
mo generant hominem. ad hæc dicimus, quòd si substantia formæ ab agente, & vniuersali, &
particulari affluat; tunc substantia ista non simplex materialis erit, sed mixta ex abstracta in-
corruptibili, & materiali corruptibili; quod falsum apertè vtique existit. Si verius autem re-
spondeant; quòd nullatenus ab vniuersali, sed à particulari tantum agente formæ suam sub-
stantiam arripiant, tunc petimus cum particularia agentia omnia ex forma, & materia, vt essen-
tialibus partibus constant, à qua nam istarum partium formæ genitæ suam substantiam arri-
puerunt; an à materia, an à forma; non quidem à materia dicere possumus; (vt iam ostendimus)
à forma igitur ipsam habebunt; at forma particularis agentis, inanimati mixti (de quo præsens
est sermo) sunt primæ elementorum formæ; ab ipsis vtique primis elementorum formis sub-
stantialis inanimati mixti forma suam substantiam obtinebit. Et quoniam hæ primæ elemen-
torum formæ duobus tantummodo modis illam effingere possunt; aut propria potentia, & fa-
cultate; aut ipsismet primis substantialibus formis moderatis & temperatis; si enim ipsis
temperatis illam effingunt; nobiscum sentiunt. Si verò potentia solum, & facultate illam for-
mant; tunc denuò quærimus, si substantia hæc huiusmodi producta simplex, & pura in
quidditate existat, ab omni prorsus contrarietate seiuncta? aut aliquo modo contrarieta-
tum particeps sit. si omnino simplex actus est ab omni contrario remota; tunc incorruptibilis,
& æterna erit: nam cum simplex, & omnis contrarietatis expers existat; impatibilis profe-
ctò erit, quando contrarium nullum adsit, quod in ipsam agat; & cùm mixti forma hæc di-
catur, & principium actionis, & passionis eiusdem; cum forma ipsa impatibilis sit; & totum
etiam mixtum impatibile erit. Si autem dicas, quòd non omnino simplex, & pura existat, nec
contrarietatum immunis; quando & patibilis, & corruptibilis verè reperiatur; tunc forma
Temperies qualiter substantia dicatur. ista realiter idem cum temperie erit; (quam nos substantialem formam facimus) etsi enim tem-
periem substantiam hanc nominamus; non propterea ipsam simpliciter proportionem esse vo
lumus; sed præualidam, ac nobilissimam facultatem ex contrarijs primis facultatibus constru
ctam; hanc quidem simplicem, & puram formam dicimus, (cum nulli sit admixta materiæ) &
contrarietatum participem esse, quando ex ipsis conformata sit. Sed vltimò instant dicendo;
quòd agens apud Auerroem nullatenus formam per se simpliciter conficit; sed compositum
tex.c.18.8. met.c.15. & 56. ipsum; & vna cum composito forma construitur. Quare xij. metaphysices apertè hanc sen-
tentiam ostendit, dum ait: vna autem istarum opinionum est, quòd agens creat formam, & po-
nit eam in materia; & istorū quidam dicunt, quòd illud agens nō est in materia omnino, & vo-
cant ipsum datorem formarum, & Auicenna est de illis. Quidam autem dicunt, quòd illud
agens inuenitur duobus modis, aut abstractum à materia, aut non; illud autem, quod est non
abstractum apud eos, est sicut ignis, qui facit ignem, & homo generat hominem; abstractum ve-
rò est illud, quod generat animalia, & plantas, quæ fiunt à non simili; & hæc est sententia Te-
mistij, & forte Alpharabij. Tertia verò est Aristotelis opinio, & est; quòd agens non facit nisi
compositum ex materia, & forma; & hoc fit mouendo materiam, & transmutando eam; donec
exeat de ea illud, quod est de potentia in ea ad illam formam in actu. hoc id ipsum septimo
te.com. 26. metaphysices confirmat, dum ait. agens non facit aliquid vnum in aliquo vno, exempli gratia
formam in subiecto; quoniam manifestum est, quòd si facit, facit ex alio aliud, non aliud in alio;
facit enim ex materia formatum, & non in materia formam. Verè vtique in his sententijs (in-
quit Auerroes) quòd agens non conficit formam seiunctam à composito, mox ei illam vnit, &
adiungit; sed compositum, & formam simul conficit; ac si dicamus, formatum compositum ef-
ficit: at non ostendit Auerroes, ex quibusnam formis compositum hanc formationem obti-
neat, quemadmodum prisci Medici ex substantialibus elementorum formis. Si verò dicas erat
in potentia. & ex permutatione materiæ venit ad actum; tunc iterum vt prius datur quærere,
(cum substantia formæ alia, & diuersa sit à materiei, & compositi substantia) an forma in tali po
tentia, & esse imperfecto erat substantia, an non? si erat substantia, tunc in materia sub esse im-
perfecto latitabat. Si verò forma, hæc in esse imperfecto non erat substantia, à quonam postea
in actu hanc suam substantiam obtinuit; & sic nunquam deest locus dubitationi. Multò igitur
melius,

melius, & clarius erit dicere, substantiales mixtorum formas nõ resultatiuè (vt ita dicam) more
accidentium formari, nec ab vniuersali agente, seu ab informi materiæ substantia; sed à primis
ipsis elementorum facultatibus simul permixtis proprias obtinere substantias; per quas aliæ &
diuersæ à materiei & compositi substantia, & ab ipsis quoque elementorum formis nominan-
tur. sic quidem apertè & certè, ex certis, & apertis substantijs formas nos conficimus; & non
obscurè, casu & fortuna, vt isti fingunt, qui Anaxagoræ chaos cõstruunt, nec illud intelligunt.
Hoc idipsum quoque affirmamus de substantialibus sanguineorum animalium formis; quòd
vnaquæque ipsarum ex perfecta mixtione, & vnione vtriusque seminis, & menstrui sanguinis
perficitur, & formatur; vt clarè, & diffusè loco proprio tractabitur. At poterit quis adhuc etiam
dubitare, si substantiales mixtorum formæ ex simplicibus conformantur; simplices ipsæ, quas
nos substantias fatemur, cùm non habeant alias priores, ex quibusnam substantijs conformen-
tur. Ad hæc quidem dicimus, quòd non est par ratio de simplicibus, & compositis formis: nam
compositorum formæ multo profectò nobiliores, & perfectiores simplicibus formis sunt; hæc
quidem quoniam materiæ connatæ, connaturalesque sunt, tenues admodum & simplices exi-
stunt, & modica indigent perfectione; vnde quando inuicem generantur, & corrumpuntur,
formam quæ tunc denuò in generatione efficitur, nullo ferè negotio à suo consimili efficienti
effici asserimus. Si verò secundum quid tantum generetur; vt in vltima mixti corporis reso-
lutione euenit: aut cum per vim è corpore aliquo extrahatur; sicut ignis à silice extrahitur;
tunc educta, & extracta de potentia ad actum dicitur, & non denuò genita: vt infra clarius do-
cebimus. At de his satis: superest modo, vt qualiter princeps philosophorum Aristoteles tum
mixtionem, tum materialem formam, ex Hippocratis doctrina conficiat, videamus: libro enim
primo de generatione, & corruptione ait.
Actiuorum autem, & passiuorum quæcunque facilè diuisibilia, multa quidem paucis, & ma- te.c. 58. &
gna à paruis composita, non agunt mixtionem, sed augumentationem eius, quod dominatur; 59.
transmutatur enim alterum in dominãs: vt gutta vini mille cogijs aquæ non miscetur; soluitur
nanque vini forma, & transmutatur in vniuersam aquam, quando verò potestatibus adæquan-
tur quodammodo; tunc transmutatur quidem vtrunq; indominans, ex sua ipsius natura, non
fit autem alterum; sed intermedium, & commune; manifestum igitur, quòd hæc sunt miscibi-
lia, quæcunq; contrarietatem agentium habent; hæc enim sunt ad inuicem passiua. hactenus Ari
stoteles. Quibus verbis apertè admonet, qualiter mixtio est actiuorũ, & passiuorũ ad inuicem,
idest communicantium in materia; nam quæ inuicem agunt, & patiuntur, in materia cõmuni-
cant; sed quoniam non omnia in materia communicantia miscentur; nam neque lapis ligno,
neque lignum ferro miscibilia dicuntur. propterea addit qualia communicantium in materia
sint, quæ miscentur, quæcunque scilicet facilè diuisibilia; facilè autem diuisibilia sunt, quæ faci-
lè terminabilia; facilè verò terminabilia sunt ipsa humida; quare quæcunque communicantium
sunt in materia humida, hæc miscentur. commodè nempe, & faciliter humida sunt bene misci
bilia; nam facilè reducũtur ad partes paruas, & parua paruis iuxta posita sunt miscibilia magis;
facilius enim, & celerius inuicẽ agunt, & patiuntur, & permutantur. Secus si humida, vnctuosa,
seu viscosa fuerint; nam prima propter aerem humiditatis abundantiã, quæ supernatant, non
benè miscibilia sunt, vt est in oleo videri; tenacia verò vt pix liquida, viscus, & alia huiusmodi,
propter lentorem, & tenacitatem sunt difficulter diuisibilia, & seperabilia; vnde labuntur,
quæ ijs superfunduntur, nec in profundum penetrare valent; idcircò talia non miscentur; hu-
mida igitur quæ non lenta, & oleoginea, sed quæ aqua existunt, facilè miscibilia sunt. aquea
nanque humiditas facilè terminatiua est; quantum ad terræ compositionem, sicut lutum osten
dit; quod non propter aerem, sed aquam, facilè terminabile fit. Aqua enim cum sit aere magis
repletiua, assidet, & vnitur terræ. Aer nanq; propter leuitatem, & tenuitatem subterfugit faci-
lè, & mixtionem præterlabitur; aqua verò vt grauior, & densior aere, ei magis complicatur, &
adhæret. Docet modo Aristoteles qualiter humida hæc aquea, quæ non oleoginea, nec tena-
cia sunt, misceantur, & inquit, quòd non quomodocunque se habentia; non enim quodcun-
que humidum, cuicunque adueniens facit mixtionem; nam multa paucis, & magna paruis com
posita, non agunt mixtionem; sed augumentationem eius, quod dominatur; transmutatur enim
alterum ipsorum; vt si gutta vini mille cogijs aquæ injiciatur, non fit mixtio; nam cum virtus
aquæ plurimum superat, patitur tantum vini gutta ab ipsa, nec potens est ad reagendum; qua-
re in vniuersam transmutatur aquam; nam & si aliqua nata sint inter se agere, attamen non
quomodocunque se habentia, sed habentia quantitatem terminatam; indigent enim formæ 6.phy.com.
quantitate quadam certa, & finita, vt consistant, & agere possint. propterea mox subdit, 32. & 91.
quando verò potestatibus adæquantur quodammodo, tunc mutatur quidem vtrunque indo- & 8.phy.t.
minans ex sua ipsius natura; non fit autem alterum, sed intermedium, & commune. ait enim c.44.
quòd

quòd quando miscibilium facultates quodammodo adæquantur, tunc quædam ipsarum aliqualiter dominantur, & vnumquodque ad alterum, tanquàm ad dominans transmutatur; & vnumquodque etiam ex sui ipsius natura secundum aliquid permutatur, nec tamen vno corrupto, aliud generatur, sed fit medium quoddam cõmune, quod participat omnium virtutes miscibilium coniunctorum. Quomodo autẽ hæ miscibiliũ facultates actiuæ, & passiuæ sint, & qualiter æquales quodammodo dicantur, ac præterea quomodò quædam ipsarum quadam ratione prædominantes appellentur; deinceps qualiter hæ omnes temperentur, ac mixtum constituant, quarto meteorologicorum ipse edocet circa principium, dum dicit.

t. secundo. " Est autem simplex, & naturalis mixti generatio ab his virtutibus, cùm habeant rationem à
" subiecta materia vniuscuiusque naturæ; hæ autem sunt dictæ virtutes passiuæ; generant autem ca-
" lidum, & frigidum obtinentia materiam; cum autem non obtinent, molynsis, & indigestio fit.
Hac quippe sententia apertè nos admonet, quemadmodum perfecta, & absoluta mixti generatio ab actiuis, & passiuis fit qualitatibus quodammodo æqualibus, & quodammodo prædominantibus. Sed antequàm hoc explanemus, prius declarabimus, qualiter calidum, & frigidum actiua, humidum, & siccũ passiua, hic à Philosopho nuncupantur, in mixti (inquam) generatione. nam in mutua ipsorum transmutatione æqualiter omnes actiuæ, & passiuæ nominantur. dicimus enim quemadmodum in corporum mixtione humidum, & siccum ex propria eorum natura componuntur, & miscentur; vi autem ac potentia caliditatis, & frigiditatis fit eorum inuicem mixtio, & coniunctio; id quod apertè ex harum qualitatum diffinitionibus innotescit; nam humidum illud dicitur, quod facile terminabile est termino alieno; Contra, siccum id appellatur, quod difficile termino alieno terminatur; sed proprio verò facile; calidum autem cuius vi congregantur homogenea; frigus, cuius vi congregantur tum homogenea, tum heterogenea; cum itaque siccum in mixtione ex se connecti non possit; nam facilè dissipatur; idcirco indiguit humido aqueo coniungente, & permiscente ipsum; veluti humidum sicco, quod terminaret; hæc quidem ad inuicem mixta se mutuo continent; non tamen compositionem exactam ipsa per se possunt operari; sed indigent calido, & frigido hæc coniungante, & formante. Subiecti quidem, & materiæ rationem tenent humidum, & siccũ, formæ autem proportionatum calidum, & frigidum; nam & si agunt circa se mutuò siccum, & humidũ se mutuo continentia, & circumscribentia, mixta tamen in se inuicem agunt, & non extrinsecè vim suam inferunt; calidum verò, & frigidum extrinseca his existantia, his (inquam) circa quæ agunt, propriam demonstrant vim; suam vtique vim calidum, & frigidum naturaliter in siccum, & humidum exercent; quod è contrario nõ euenit, quòd humidum, & siccum in calidum, & frigidum naturaliter vim suam inferant; nam præter naturam facilè euenit, quòd passiuæ virtutes actiuis dominantur, & eis violenter vim inferant, vt in putrida naturalium rerum corruptione clarè inspicimus: at secundum naturam neutique hoc contingere potest; quapropter passiuas has qualitates consueuerunt vocare naturales philosophi, actiuas autem illas, calidum (inquam) & frigidum; hoc autem manifesto exemplo declaramus; etenim in fictilium opificio humidum, & siccum congressa materiam fictilium operantur; frigidum verò hanc compingit, & calidum mutat maximè, & facit fictile, sic pariter in naturalibus cõpositis res se habet. Ac ita manifestauimus quemadmodum actiuæ, & passiuæ in mixtione hæ dicantur qualitates. superest modo, vt ad Aristotelis verba reuertamur; ostendendo qualiter absoluta, & perfecta naturalis mixti generatio ab actiuis his, & passiuis fiat qualitatibus. Dicimus enim, quòd huiusmodi mixti ortus ab actiuis fit qualitatibus, calido scilicet, & frigido, cum rationem agendi habuerint super passiuas, humidum (inquam) & siccum; hæc nanque subiecta materia actiuarum qualitatũ nuncupantur; cum enim qualitates actiuæ, & passiuæ inuicem omnes commiscentur; & actiuæ talem ad passiuas rationem habeant, secundum quam has quidem facere, has verò pati possibile fit; tunc vtique perfectè omnes inuicem alterantur; sed passiuæ ab actiuis quodammodo euincuntur; quãdo hæ patiendi, illæ autem agendi rationem habeant; sed quoniam leui quadam tantum ratione deuictæ superatæque sunt; proinde hæ omnes æquales nominantur; Actiuæ verò, quia hanc agendi rationem possident, quodammodo dominantes appellantur. hæ quidem omnes tandem, cum
t.c. secundo quodammodo equaliter pugnantes sint, à propria ipsorum natura secundũ quid transmutãtur,
t.c.90. ac inuicem alterantur, & vniuntur, & perfectam conficiunt mixtionem. Quæ quarto meteorologicorum permutatio materialium, ac passiuarum virturum ab actiuis nuncupatur; primò autem de generatione miscibilium alteratorum concretio dicitur. Idem nanque realiter est vnio, ac concretio alteratorum, & permutatio materialium, & passiuarum virtutum ab actiuis; nam cum alterata fuerint, quæ miscentur, sic vt ex ipsis vnum quoddam totum similarium partium fieri possit; tunc passiua ipsa quodammodo permutantur ab actiuis prædominantibus, & vniuntur. Simul enim tempore fit permutatio, & concretio; nam cum permutan-

tur passiua ab actiuis; omia tunc simul concrescunt, & vniuntur. Erunt itaque idem permutatio materialium, & passiuarum qualitatum, & vnio miscibilium alteratorum; ratione tantum differentes; hæc nanque simpliciter mixtionem declarat, illa verò mixtionis modum perfectè explicat. quocirca ibidem Philosophus addit. Cum verò quæ agunt super his quæ patiuntur, non obtinent; tunc molynsis, & indigestio fit. per hæc enim causam prauæ mixtionis edocet; declarans quomodo actiuæ, & passiuæ qualitates mixtionem vitiant; nam cum inter ipsas (sicuti diximus) cuiusdem determinatæ symmetriæ sit opus; secundum quam hæc quidem facere, hæc verò pati possibile sit: vbi autem hæc agendi, & patiendi ratio non affuerit; neutiqua quicquam ritè commiscetur. si enim actiuæ virtutes super passiuas nec continendi, nec obtinendi vim habeant, ita quòd actiuæ nequaquàm passiuas obtinere possint, aut propter ipsorum agentium imbecillitatem, aut propter patientium robur, aut quouis alio modo; tunc indigestio, & praua cõcoctio fit, ob quã mixtio imperficitur, & inquinatur. iure igitur optimo ad veram, & perfectam mixtionem requiritur, vt actiuæ; & passiuæ virtutes omnes, à propria natura alteratæ sint; sed actiuæ passiuis ipsis, secundum quid tantum dominentur; nec adeò quòd eas corrumpant; sed vt illarum excessus dominetur solũ. & sic quod fit, est amborum alteratorum miscibilium, agentium scilicet, & patientium, medium commune; & vtrunque istorum quod miscetur, potentia in ipsa mixtione seruatur. Sic vtique apertè declarauimus, quemadmodum actiuæ, & passiuæ qualitates quodammodo æquales, & quodammodo prædominantes in mixtione dicantur. Ex his etiam patet, qualiter æquale ad pondus apud medicos constitui contingat. Mixta itaque in mixtione, & alterata, & in potentia, & vnita esse dicuntur; alterata quidem, quoniam suarum formarum summitatem non seruant; sed eas domitas, & refractas possidens; & quia non secundum totas formas; & qualitates transmutata sunt; sed tantum secundum mediocritatem, & temperantiam, sic in potentia remanere, & seruari dicuntur; (temperasa nanque, & repressa forma suam adhuc vim, & potentiam retinet) vnita verò, & concreta sunt, pro eò, quòd virtutes ipsæ actiuę passiuas, ac materiales obtinent, & seruant, seruandoque vnà viuunt, & concrescunt; & fit perfecta mixtio; quæ est miscibilium alteratorum vnio, & concretio. Miscibilium quidem alteratio æqualiter ab actiuis, & passiuis efficitur qualitatibus; vnio, & concretio ab actiuis tantum; hæc quidem mixtio, temperies, & natura ab Hippocrate, forma autem, & prefecta quoque natura ab Aristotele nuncupatur. Mixtio nanque appellatur pro eo, quòd corpora simul commixta cohærent; temperies verò, quia eorundem facultates, & formæ temperatæ, moderatęque factæ sunt: Natura autem, & enthelechya quoniam compositi vniuscuiusque esse, & essentiam perficit. Hæc sunt de mixtorum ortu, & generatione peripatetica dicta, & si verius, forsan Hippocratica; nam illa ferè eadem, quæ de perfecta mixtione, & crasi dicit Hippocrates, inquit & Aristoteles: ait nanque Hippocrates neque quæ miscentur generant, nisi sint eiusdem generis eandemque habeant facultatem: Aristoteles verò actiuorum autem, & passiuorum quæcunque facilè diuisibilia. Hæc quippe eiusdem sunt generis; quoniam agentia, & patientia in eadem conueniunt materia; quæ verò in materia conueniunt, eiusdem sunt generis, & hæc mutuò etiam agentia, & patientia eandem possident facultatem; prout dissimilia, & contraria sunt; sicut supra retulimus. Postea subdit Hippocrates, nisi calidum cum frigido, & siccum cum humido, mediocriter mutuò, & æqualiter se habuerint, sed alterum alteri plurimum præualeat, validius nimirum imbecilliori, nulla vnquàm mixtio, & generatio fieri poterit: Aristoteles autem, multa quidem paucis, & magna paruis composita non agunt mixtionem; sed augumentationem eius, quod dominatur; quando verò potestatibus adæquantur; & cætera. Eadem profectò (vt licet inspici) ambo per diuersa asserunt verba; nec Hippocrates per ea quæ inquit, nisi calidum cum frigido, & siccum cum humido, mediocriter mutuò, & æqualiter se habuerint; intendit quatuor has omnes qualitates sibi inuicem adamussim ęquas ad mixtionem accedere; nam si sic, tunc nulla actio, & passio inter ipsas foret, nullaq; denique fieret mixtio; ablata inquam actione, & passione, vt supra ostendimus; sed intendit, quod modo, & æquabilitati respondeant, & quodammodo æquales sint; (vt dicebat Aristoteles) proportionem quandam inuicem habentes, secundum quam hæc quidem facere, hæc verò pati natæ sint: Quod subsequentia verba manifestant, cum dicit: Sed alterum altero plurimum præualeat validius nimirum imbecilliori; vbi apertè plurimum excessum, & dominium renuit; tacitè innuens quædam quodammodo præualere, actiua scilicet ipsa; prout modo, & æquabilitati respondent. Hæc tanta Hippocrates, & Aristoteles de perfecta mixtione, & crasi; quæ temperies, forma, & natura, ab ipsis aliàs nuncupatur. Ex hac quidem doctrina facilè discrimen de mixtorum ortu, & generatione inter antiquiores Philosophos, plura & infinita materialia principia constituentes, & Aristotelem, & Hippocratem discernitur. Pariter nanque omnes mixtorum, & compositorum ortum per congregationem, & disgregationem fieri asseuerant.

1. cæli. c. 7. 2. colliget c. vlti. 2. de generatione c. 48.

1. de generatione t. c. 86 Diuus Thomas.

rant. Hippocrates enim & Aristoteles quatuor adinuicem elementorum alteratorum vnione, mixtorum generationem, eorundem autem dissolutionem, corruptionem statuere. Democriti verò, & Epicurei atomorum congregationem iuxta ipsorum situs ordinis, & figurarum differentes positiones generationem fieri affirmabant; disgregationem verò, corruptionem. Empedocles quatuor solum elementorum inalteratorum concretionem, eorundemque discretionem, generationem, & corruptionem asseruit. Anaxagoras similarium partium à prædominio aggregationem, generationem nuncupabat: eorundemque similarium segregationem, corruptionem. In hoc quidem omnes conuenerunt, & Hippocrates, & Aristoteles vnà cum antiquioribus, quòd æqualiter mixtorum omnium ortum, & generationem per commixtionem, & congragationem fieri prædirabant, corruptionem autem per dissolutionem, & disgregationem, sicuti manifestè ex horum omnium sententijs innotescit. In hoc postea differentes, & discrepantes inneuiuntur; quòd prisci mixtorum generationem omnem ad qualitatem, & accidens, & non ad substantiam, & veram naturam terminarunt, accidentalem enim affectionem, & dispositionem quandam, cuiuslibet mixtorum generationū finem prædicabant; casu, & fortuna sic constructam, & ordinatam; & non à suis per se æternis efficientibus principijs; secus verò Aristoteles, & Hippocrates; qui vnionem, & concretionem alteratorum elementorum temperiem, naturam, & veram substantiam fecerunt; hancque perfectam substantiam, & naturam mixtorum generatorum omnium finem, & terminum statuerunt; non casu, & fortuna, sed ab æternis determinatis suis constituentibus principijs sic perscriptam, & ordinatam secundum esse, & existentiam vniuscuiusque horum.

5.phy.8. & 9.8.met.te. 15. & 16. & 12.met. tex.18.

Duo supersunt modò inspicienda, primum qualiter elementa apud Hippocratem misceantur, & temperentur; an solum per qualitates, an potius per tota corpora, totasque eorundem substantias. Postremum erit videndum, quid commodi, qualemque vsum, singulum horum simplicium corporum mixtioni ipsi impartietur. Primum itaque quomodo ad mixtionem elementa accedant intuebimur. Anceps profectò de hoc Galenus fuit; nam modo liberè profert eum diuersum ab Aristotele esse, dicens; neque enim ex qualitatibus solis ipse opinatur fieri animalium generationem, quādo neque seorsum à corporibus possunt existere; verum ex ipsis corporibus, quæ scilicet summas habent qualitates, & singula seorsum existunt; substantiæ nanque elementorum, homine moriente recedunt, Mundique elementis immiscentur; Qualitates verò post animantis vitam corrumpuntur, nec ad propriā redeunt naturam; propterea & ipse dixit, homine fato fungente, singula ad propriam naturam reuertuntur; siccum ad siccum, humidum ad humidum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum. per hæc annuere videtur Hippocrates, (inquit Galenus) quòd totæ corporeæ elementales substantiæ in seipsis mutuo transeuntes, misceantur, & temperentur; Nec per qualitates solas, prout Aristoteles censuit, qui pariter vt Hippocrates post mortem fatetur elementa secundum numerum permanere, mundique elementis commiscere; vnde cum hæc & ipse profiteatur, extraneum quippe videtur, quòd asseuerat per solas tantum qualitates simplicia prima corpora temperari. Proinde dicimus falsum esse ex Aristotelis doctrina elementa solum per qualitates commisceri, quando per totas corporeas substantias hoc fieri ipse demonstrat. Corporeas autem substantias, naturales, & physicas intelligimus: ex materia inquam, & forma composita ipsa; & non mathematica, & trium dimensionum corpora; Hæc nanq; dimensionū corpora, & si semper vnà cum qualitatibus, & materiebus reperiantur, nec sine his esse possint, nō propterea in ipsa mixtionis ratione ingrediuntur; cū impossibile apud ipsum, & plurimos antiquos sit, vt corpora hæc in se ipsis mutuo transeant, & vnà misceantur, & temperentur; hæc vtiq; tantū simul innicē continuantur, & ad mixti continuationem, auctionemque solum accedunt, & non ad ipsam mixtionem. Corpora verò physica, & naturalia, composita scilicet ex materia, & forma, ipsa quidem sunt, quæ tota per tota miscentur, & temperantur; & fit perfecta, & absoluta mixtio, quæ crasis ab eis nuncupatur; vt doctissimè in propria de mixtionis quæstione declarat Alexander. quod cum Galenus ignorauerit, causa fuit, quòd falsa illa Aristoteli adscripsit; & quòd anceps, & varius in hac materia inspiciatur. Nam in fine eiusdem primi libri de elementis, secus quàm à principio fuerit locutus, alloquitur, inquiens; & quidem quomodo per tota remperentur ea, quæ recipiunt temperaturam; an qualitatibus Solis vicissim agentibus, & patientibus, vt Aristoteles existimauit? vel etiam corporeis inuicem coeuntibus? neque Medicis scire est necessarium; & ob hanc rationem, neque Hippocrates quicquam de istis ostendit. Hæc Galenus anceps variusque protulit, sed de his satis.

lib.1. de elementis.

4.phy.t.40

Superest modo videre, qualis sit vniuscuiusque horum simplicium corporum in mixtione vsus; à terra itaque exordiendo dicimus; quòd cum terra sicca admodum sit, & siccum benè terminabile sit proprio termino, difficulter verò terminabile externo, in mixtis quidem geni-

Auicenna prima primi cap. de elementis.

tis rebus

tis rebus ideo reperitur, vt partes inter se mutuò se comprehendant, firmentque, & figuras, formationesque suas custodiant. Aqua autem cum humida sit, humidum enim indeterminatum proprio termino, bene vero terminabile alieno, hæc quidem in mixtis rebus genitis ideo adhibita est, vt partes rerum formandarum concinnè, aptè, & æquabiliter figuret. Nam humidum quanquàm facilè amittat figuras formationum, ita facilè tamen eas recipit, quemadmodum è diuerso, siccum difficulter eas recipiens, difficulter etiam dimittit. Vbi ergo iam siccum humido commiscetur, tractabilitatem, qua tendi, coaptarique posset, ab eo acquirit; humidum contra ex sicco admixto, firmitatem rei figuratæ, & suæ fluidæ essentiæ constantiam adipiscitur; Item per humidum quoque puluerizatio, dissipatioque sicci prohibetur, & è contrario per siccum humidi fluor sistitur. Aer verò propterea in rebus genitis recipitur, vt illæ rariores, tenuioresque, atque leuiores, & magis ad motum idoneæ reddantur. Ignis autem in mixtis genitis rebus reperitur, vt eas maturet, & tenuiores, ac bene temperabiles faciat, suaque penetratione aeream substantiam ad illas transuehat, tum etiam frigiditatem duorum elementorum grauium, & frigidorum frangat, & retundat, vt ex elementari statu ad contemperatam reducat mediocritatem: enimuerò illa duo grauia in animatorum mixtione ad generationem membrorum, eorundemque quietem; reliqua verò duo leuia ad spirituum generationem, eorumque motionem, atque membrorum etiam mobilitatem magis opitulantur. Et de his hactenus.

Reliquum est, vt videamus quomodo vniuersalia mundi elementa penès eorundem particulas ad sensilium etiam mixtionem accedant; & si enim æternæ species per nouam semper propagationem vniformiter permixtæ conseruantur; nihilominus singula perpetuò elementa secundum partes concrescunt ad earundem permanentiam, & conseruationem. Intuebimur vtique qualiter simplicia ipsa corpora ad sensilium rerum omnium mixtionem perueniant. Dicimus namque ab ipso primo efficiente exordiendo; quòd mouens primum elementa ad mixtionem, est primi mobilis motus diurnus, qui est causa omnis motus, & perfectionis; suprema quidem, & prima omnium hæc causa existit, quando omnibus fit principiũ motus, & primum perficiens, & temperans omnia. Secundũ autem in ordine & cõmouens, & perficiens est perennis motus Solis in zodiaco apud Peripateticos, vt infra quoque apertè declarabimus. Quidam autem tradunt hunc eundem Solis motum specialem quandam actionem habere ad ignis elementum mouendum; pariter & orbem lunæ Aquam mouere aiunt; vt ad sensum ex fluxu, & refluxu maris innotescit. Alios autem quinque planetarum orbes Aerem mouere prædicant; proinde & ipsum tot diuersis motibus moueri, varias, peregrinasque impressiones ab his omnibus suscipere assueuerant. Stellarum autem fixarum sphæram, in qua imagines plurimæ, & ferè infinitæ figuræ existunt, terram mouere dicunt; vnde & in ipsa tot diuersæ, & ferè infinitæ imagines in generatis figurantur. Hinc magnus Trimegister; Ne arenæ quidem granum est, cui non proprium in cœlo correspondeat sydus. Alia autem ratione Peripatetici tradunt varijs his diuersis formis terram pulchrã effici: nam ex eo, quòd ipsa grauissima est, & centrum omnium in ea reliqua cuncta fulciuntur, & sicut in cõmuni receptaculo radij, influxusque cœlestium corporum omnium terminantur, & vniuntur; ibidemque (quoniam centrum est) fortius figuntur, & propter eius crassitiem diutius morã trahunt; hinc commode, & opportunè propter horum omnium vnionem in ipsa temperãtur, & formantur omnia; id quod in alijs nõ euenit elementis; quare meritò formis omnibus ornata, legitima cœli coniux terra nominatur. De ista quoque eruditus quidã ita scripsit; omnium autem elementorum basis, & fundamentum terra est; ipsa etenim est obiectum, subiectũ, & receptaculum omnium radiorum, influxuumque cœlestium; ipsa in se continet omnium rerum semina, seminalesque virtutes; ideo ipsa dicitur animalis, vegetalis, & mineralis; quæ ab omnibus reliquis elementis ac cœlis fœcundata omnium ex se ipsa est genitiua; ipsa est receptiua omnium fœcunditatum, & velut prima parens, etiam omnium pullulatiua; centrum, & fundamentum, & mater omnium. Tolle de illa quantumcunque secreta, lota, depurata, subtiliata, si dimiseris aliquandiu sub diuo mox cœlestibus viribus fœcundata, & prægnans, ex se ipsa producet lapillos, lucidasque metallorum scintillas; ipsa tandem est prima creationis nostræ materia, & instaurationis ac conseruationis verissima medicina. Hæc tanta author ille de terra protulit. sed iam vnde digressi fuimus reuertamur. Dicimus nanque quòd licet leuia elementa ex se non descendant, neque grauia ex se ascendant, ex motoribus tamen vniuersalibus motiones cunctas ordinantibus, aliquando descendunt leuia, & ascendunt grauia. id ipsum quoque clarè inspicere licet in animatis actiuis, & passiuis qualitatibus. Neque enim in animali calidum semper mouetur secundum ignis naturam; neque ignis actum omnino agit; sed magis in id mouetur, ad quod ab anima dirigitur, & terminum, & finem ab ea intentum insequitur; vt contra Empedoclem secundo de anima ait

Philo-

In prohemio met. & cæli, tic. 35. & 38. & 2. met. t. 4. & t. 6.

2. de generatione. t. 55. & 56

Trimegister.

terra cœli coniux.

Philosophus. Quòd verò elementa non semper proprium sui motus impetum sequantur, sed pluries moueantur in id ad quod per intelligentiæ voluntatem diriguntur, siue per stellarum virtutē; exemplo aperto, & sensibili manifestamus; Quoniam terrestris vapor ex terra surgere sæpè sæpius inspicitur, qui virtute Solis ad calidum aeris regionē pertingit, & humidus pariter, & aquosus vapor ibidē ascendens, vnà etiam cū igne clarè conspicitur, hinc perbellè hæ partes cum terreæ, igneæ, aqueæ, & terrestres, in aeris regione inuicem ascendendo, & descēdendo, contra suorum motuum impetū moueantur. Quòd verò & ignis in aere reperiatur, primo meteorologicorum Aristoteles ostendit, dum ait; quòd ambiens ignis per aerem frequenter spargitur, [illegible] per virtutem scilicet cœlestis motus, & vi deorsum fertur, propterea in aere, & pluuialibus temporibus igneæ aliquæ partes descendentes continuè reperiuntur; quas vapores in aeris regione sumpserunt; Quamobrem pluuiales aquæ vaporosæ & calidæ existunt; sic quidem cum pluuia, niue, & rore, ac huiusmodi alijs igneæ descendunt particulæ ad centrum, & mixtionis locū, contra propriam ignis naturā. Cum igitur exemplo manifesto nobis innotescat, quemadmodum grauia, & leuia elementa, vltra proprium sui motus impetum, & propensionem, & sursum, & deorsum ferantur iuxta æternorum superiorum motuū finem intentum, & ordinatum; nec enim casu, & fortuna hæc fieri asseri possunt, quando perpetuò sic fieri cernantur. Quapropter concludimus, quòd ad præordinatam vniuscuiusque entis mixtionem elementa primò ducuntur ab æternis præordinatis superioribus lationibus, mox á proprijs particularibus formis vicissim agentibus & patientibus. Vniuersaliter namque, & determinatè mundana cuncta ab æterno superiori ordine reguntur; vniuersaliter quidem, ex eo quòd communiter & indifferenter omnia ab ipsis seruantur; determinatè verò, quoniam ordinata, & mensurata vniuscuiusque sensibilis entis mixtio, ab ordinato & mensurato super cœlestium orbium motu proficiscitur. Si quippe determinatum à determinato, & non quodlibet à quolibet superius nos fieri documus, ecce iam habemus quomodò determinatè, & præcisè singula secundum partes elementa ad determinatam, & præcisam singulorum mixtionem perueniant, disposita prius, & præordinata à virtutibus cœlestibus, mox à proprijs, & particularibus mutuò agentibus & patientibus formis, primis (inquam) ipsis qualitatibus. Istæ enim ex innata, & propria natura cū simul iungantur & misceantur, naturaliterque se tangant, proximè & immediatè temperiei, & cuiuslibet materialis formæ, & mixtionis causæ efficiuntur, hæ quidem particulariter mixtionem complent, & perficiunt. Vniuersales autem determinatæ æternæ constituentes, & ordinantes causæ vniuersaliter, ac determinatè perpetuò ordinant, & constituunt. Et ex his clarè etiam innotescit, quòd ad mixtionem non violentia mouet, sed natura, vniuersalis (inquam) & communis, virtutes scilicet ipsæ superiores; Et propterea mixtio non violenta, sed naturalis nominatur. Hactenus de modo, quo elementa ad mixtionem perueniant. Concludimus tandem ex Hippocratis sententia, quòd in quacunque permutatione, & commixtione, quantumuis congenea, nisi commixta omnia probè admodum temperata fuerint, neutiquam aliquid generabitur. Quod subsequentibus verbis confirmat.

Ignē in ambitu aeris reperiri.

Quomodo determinata terminatè determinati fiat.

Mixtio cur de naturalis dicatur.

XII.

Quare quo vnquam pacto rationi consentaneum esse potest, vt aliquid ex vno fiat, quando neque ex pluribus gignatur ni mutuo temperamento conueniunt?

Nouissimè contra antiquos per locum à maiori ratiocinatur, impossibile fore aliquod ex vno tantùm fieri, dicens; quamobrem nullo pacto rationi consentaneum est; vt mixtū, & compositum aliquod ex vno fiat, quando neq; ex pluribus gigni posit, nisi mutuo temperamento commixtis. cum enim de quo magis, & condecentius fieri videtur generatio, & non fit; neq; de quo minus; Diximus nanque ex multis eiusdem generis, conuenientius fore aliquid posse generari; at modo ostendimus, quòd neque horum coytus generare inter se conuenientium necessariò generat, nisi mutuo tēperamento misceantur; eò minus igitur ab vno generari aliquid poterit, quando neque cum alio eiusdem generis, neque cum altero alio alterius generis permusceri, contemperarique valeat. Sed de antiquorum redargutionibus satis. modò ex istis verum suam sententiam, & mentem infert.

XIII.

Cum igitur natura eiusmodi sit, cum omnium reliquarum rerū, tum

etiam

etiam hominis; necesse est hominem non ex vna re constare; sed vnumquodque eorum, quæ ad generationem quicquam faciunt, talem quampiam vim in corpore possidere, qualem contribuit.

Postquàm contra hos vetustiores Hippocrates demonstrauit generationem, & perfectam crasim, ac temperiem tum animalium, tum perfectarum reliquarum rerum ex pluribus eiusdē generis, eiusdemque facultatis, & ex his bene permixtis, & temperatis constare semper; ex hac potissima demonstratione in præsenti perfectam hanc ex pluribus genitam temperiem (vt conclusum, & demonstratum) assertiuè infert, & hominis, & productorum entium omnium veram naturam esse: et ex hac vt notissima, contra eosdem etiam concludit, non vnum re vera materialiter hominem esse; sed multa & plura; & singula ea (quæ ad formæ productionem contulerunt) vim eandem semper, quam contribuerunt in corpore, & mixtione, seruare. Sic quidem his breuissimis verbis duas hominis, et cunctorum viuentium naturas explicat, formalem vnam, quam temperiem, et crasim nuncupat, materialem alteram, quatuor videlicet prima simplicia corpora. Primus enim ipse omnium Græcorum has duas naturas nobis indicauit; temperiem à Peripateticis formam dictam, et quatuor prima corpora, elementalem, seu materialem naturalem ab eisdem nuncupatam. Temperiem autem, quam et formalem naturam nominamus; hic assertiuè (tanquam ex prædictis demonstrationibus ostensum) præassumit, ad inferendum quatuor prima simplicia corpora mixti, et animati cuiuslibet materialem naturam esse, dicens, tum igitur natura eiusmodi sit (temperies scilicet & crasis) cum reliquarum rerum, tum etiam hominis. Ex superioribus nanque dictis concludendo, his primis verbis affirmat Hippocrates primarum qualitatum temperiem & hominis, & cunctarum genitarum rerum in mundo inexistentium veram naturam, & substantiam esse; ex hac postea conclusa, & præassumpta formali natura, materialem alteram cōcludit; necesse est hominem non ex vna re constare; sed vnumquodque eorum, & cætera. Cum enim temperies ipsa pluribus eiusdem generis optimè permixtis confecta, & temperata fit, manifestè sequitur, plura ea ipsa esse, ex quibus ipsa surgit, & consistit; nec profectò ex aliquo vno simplici tantum temperies consistere potest; quando enim vno perfici, temperarique minimè posset; plura igitur ad eam perficiendam ex necessitate supponuntur. Quare & insuper ista quoque multa necessariò intulit. Necesse est hominem non ex vna re constare. Si enim homo non ex vnica re constat, verum vtique erit dicere ex pluribus ipsum consistere; cum vnum & multa immediatè contraria sint; plura itaque erunt, quæ hominem constituent. Mox hæc eadem ipsa plura, quæ ad hominum, naturaliumque rerum temperiem, & generationem accedunt, ac eam, singula pro parte constituūt, talem profectò vim in corporibus perpetuò habere edocet, qualem contribuerunt; talem, scilicet quam, continuè secundum formam calidum caliditatem, frigidum frigiditatem, humidum humiditatem, siccum siccitatem, in corporibus obtinere approbat, in remisso scilicet, & temperato actu, & non in integro, & supremo: inquit enim; Sed vnumquodque horum, quę ad generationem quicquam faciunt, talem quampiam vim in corpore possidet, qualem contribuit. Singulum nanque elementorū ait Hippocrates, quæ ad mixti generationem, & esse venerunt, propriam ac determinatam facultatem in ipso perpetuò seruat; (donec mixtum illud superstes erit) in remisso scilicet, & refracto esse, non autem in integro, & summo, quemadmodum pluries diximus.

Quòd autem verum sit, quòd quatuor prima simplicia corpora eandem facultatem mixtis compositis tribuant, quam singula ex innata habent natura; apertè, & clarè ex horum omnium in mixto inexistentia innotescit; cùm enim hæc omnia secundum proprias facultates in mixto perpetuò insint, manifestum vtique erit, illasmet easdem facultates (iuxta speciem tantum, non autem in vltimo, & supremo gradu) in mixtis continuè obtinere, quas singula ex propria possidebant natura. Quòd verò hæc quatuor omnia perpetuò mixto corpore necessariò insint (præter supradictas Hippocratis demonstrationes) à signo quoque, & ab effectu in præsenti hoc clarissimè Galenus demonstrat, propter quid & simpliciter Aristoteles. à signo itaque Galenus prius ratiocinando inquit; vnusquisque apertè perspicit, & absque dubitatione cognoscit triticū, ordeum, fabasque, ac ficus, & reliqua leguminum genera, ex aqua, & terra producta & genita esse; quando clarè videat hinc ipsis esse generationem.

Nunquid igitur & substantiam aeris, & ignis in suo ortu nullo modo participant; atqui si terram aquæ permisceas, nil aliud præter lutum efficies, singula autem legumina, aut arborum fructus, haud quaquam lutum existunt; quoniam & aerem, & ignem participant, quæ per se tota inuicem temperantur. Nam etsi ex iniecto in terram semine fici, exempli gratia,

Primus Hippocrates duas edocuit naturas.

Ga. demonstratio lib. 1. de elementis.

ingens inde arbor adolescat; apertum est non aliunde, quàm ex terra, & aqua eius naturam profectam esse; at terra sua natura summè frigida est; multū autem habet caloris ficus, qui eam conseruat, quominus, cum per atroces brumas refrigeratur, demoriatur. patet autem aquam tantum, & terram fici corpus non constituisse; quin igneæ etiam naturæ sit expers; nec iam hoc obscurum est, eam & naturæ aereæ habere partem; quando lignum eius perspicuè non solum terra est, sed & aqua leuius. Constat ergo ex istis quatuor fici corpus. quòd si ipsum, eius certè fructus, & fructus etiam vniuersi; sunt porrò triticum, ordeum, fabæ, & reliqua frugum semina inter fructuum genera: Atque idcirco & ea ex quatuor illis conflata, terra, igne, aere, & aqua. Humores autem, qui in nobis sunt, sanguis, pituita, flaua, & atra bilis, & in cunctis animantibus sanguine præditis, ex fructuum stirpiumque esu proficiscuntur, & gignuntur; habebunt itaque & illi concomitanter sui ortus initium ab aqua, aere, terra, & igne. Oues siquidem herbas, sues verò has, ac præterea fagos comedunt, & tenellos arborum surculos depascuntur; atque ex his in ipsis sanguis, & humores generantur, corpus nutritur, conceptus formantur, & augentur. Si igitur ex his animalia cuncta generantur, nutriuntur, & augentur; audacter pronuntiare possumus, terram, ignem, aerem, & aquam omnium esse communia, & prima elementa; prima enim sunt, ac simplicissima hæc in mundo corpora, quæ cum moderatè miscentur ac temperantur, tum animalium, tum plantarum, & productarum rerum corpora omnia constituuntur. Ac ita Galenus quatuor in mixtis omnibus perfectis esse elementa ratiocinatur. Huic sententiæ libro primo de ratione victus Hippocrates, aut quisquis author ille fuerit, aduersatur, dum inquit,

Constituuntur quidem tum animantia alia omnia, tum homo ipse ex duobus quidem differentibus facultate, concordibus verò, & commodis vsu, igne inquam, & aqua; hæc autem ambo simul sufficientia sunt, tum alijs omnibus, tum mutuò sibi ipsis; vtrumuis verò seorsum, neque sibi ipsi, neque vlli alteri sufficiens est. concludit postea; ignis igitur & aqua, velutì me dictum est, sufficientia sunt omnibus ad summum, ac minimum; cæterum vtrique horum hæc adsunt, igni quidem caliditas, & siccitas; aquæ verò frigiditas, & humiditas; habent autem inter se mutuò ignis ab aqua humiditatem, inest enim ab aqua humiditas: Aqua verò ab igne siccitatem, inest enim in aqua ab igne siccitas; cum autem hæc sic se habeāt, multas, & omnigenas formas, ac species, tum seminum, tum animalium à se inuicem secernunt; quæ nihil inter se simile habent, neque visu, neque faculiare: etenim cùm nunquàm simul in eodem consistant; sed semper alterentur, necessarium est etiam, ea quæ ab ipsis secernuntur, ac producuntur, dissimilia fieri. Hæc omnia author ille.

Quibus apertissimè admonet, hominem, animalúc omne ex duobus tantum constitui, igne, scilicet & aqua; & non ex quatuor, quemadmodū nos ratiocinati fuimus. Ad hæc dicimus, si liber ille Hippocratis est, quod cùm ibi non sit proprius locus de natura hominis alloqui, sed obiter sic de ipsa sermonem habeat; satis profectò tunc fuit, præcipua elementa, quæ ad animati corporis constitutionem veniunt, recensere, ignem scilicet, & aquam. Calido nanque viuunt, & humido singula aluntur: ex his maximè duobus prædominantibus animantia omnia constant: Calida nanque & humida à prædominio viuentia sunt; cùm vita ex his duobus præcipuè existat. Huic allusit Poeta,

Et ex his nascuntur cuncta duobus.

Per ignem autem, & aquam, aerem etiam, & terram subintelligit; quando & illa hæc virtualiter contineant; ignis nanque siccum, aqua verò humidum possident, quæ aeris, & terræ essentiales formæ dicuntur. Neque enim per ignem, & aquam pura simplicia talia corpora intelligere credimus; sed mixta potius ex quatuor omnibus ignea, & aquea, à prædominio: Hæcque alio nomine & innatus calor, & primigenium, & natiuum humidum ab ipsis dicta fuere. Quòd

In Timeo c. 7. verò innatus calor ab antiquis ignis nuncupetur; In Timeo testatur Plato, dū ait; Animal omne in sanguine, & venis calorem quasi ignis quendam fontem habet, ab ipsoque animalium corpus regitur, & cōseruatur. Et tertio de partibus animalium Aristoteles, cor, & iecur omnibus animalibus necessaria sunt; alterum propter caloris originem, locū enim adesse aliquem quasi lares fo-

tex. 43. rumq; oportet, quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur, & seruentur. Quòd autem aqua pro natiuo, & primigenio humido capiatur, secundo de anima edocet ipse, cùm dicit, sed aquæ quidem igni alimentum est; ignis verò non alit aquam: ibidem nanque aqua pro quolibet fluido, & humido sumitur; & præcipuè pro oleoso, & præpingui, quale est innatum humidum; & non pro simplici tantum aquæ elemento. Sic quidem & calor innatus, & humidum primigenium sub ignis, & aquæ nuncupatione ab antiquioribus promulgantur. Quòd verò hæc ipsius authoris sententia sit, eius verba apertè demonstrant, cùm inquit.

Vim igitur ac facultatem vtrunq; ipsorum talem habet; ignis enim omnia per omnia mouere po-

re potest; aqua verò omnia per omnia nutrire; particulatim verò vtrunque superat, & superatur ad summum ac minimum, quantum eius fieri potest; neutrũ enim superare penitus potest; ob hanc sanè causam igni quidem, vbi ad extremitatem aquæ peruenerit, deficit alimentum, auertitur igitur eo vnde nutriri potest. Aquæ verò, vbi ad extremitatem ignis peruenerit, deficit motus, sistitur itaq; in hac; cum verò steterit, non amplius potens est; sed ab illabente igne in alimentum consumitur; & propterea neutrum penitus superare potest; si vero alterutrum superaretur, nihil sanè ex his quæ nunc sunt, fuerit, velut nunc habet: Cùm autem sic semper se habeant, erunt & eadem, & neutra, & neque simul deficient.

Hęc quippe omnia innati calidi, & humidi naturam, & proprietatem manifestant; quo pacto inuicem nutriantur, & sustententur ad summum ac minimũ; ex innato nanque humido calidũ nutritur, & fouetur, veluti flamma ex oleo, cera, & pice, & quocunq; alio alimentario humido; id quod in simplici ac puro aquæ elemẽto non licet inspici; quòd ex ipso seruetur, ac nutriatur ignis; ex humido nanque pabulum calido inest; at ex calido motus, actio, functio; & vita ipsa humido elargitur. Hinc probè admodum Philosophus, calido viuimus, & humido nutrimur. Hæc autem ambo simul sufficientia sunt animatis omnibus ad summum, ac minimum commensurata, vt formam ac speciem singulis impartiantur; ex minimo nanque deficerent, & ex maximo obruerentur, temperata verò seruantur, & consistunt. Clarissimè itaq; humidum, & calidũ per huiusmodi circunscribuntur verba. Sic quidem manifestauimus qualiter ex duobus, & qualiter ex quatuor homo, animalue componatur. superest modo videre quemadmodum Philosophi prima quatuor illa simplicia corpora genitis cunctis inesse ostendant. Aristoteles nanque vltius id, vniuersaliusque secundo de generatione, & corruptione demonstrat, dicens.

De longitudine & breuitate vitæ.

Omnia enim mixta corpora, quæcunq; circa locum mediũ sunt, ex omnibus composita sunt simplicibus, terra quippe inest omnibus, quia vnumquodq; est maxime, & multum in proprio loco; aqua verò quia oportet terminari quodcunque compositum; sola autem est simplicium bene terminabilis aqua; amplius autem & terra sine humido non potest consistere, sed hoc est idquod continet; si enim auferatur omnino ex ipsa humidum, decidet vtique; terra igitur, & aqua propter has existunt causas. aer verò, & ignis quoniam contraria sunt terræ, & aquę; terra quidem aeri, igni autem aqua contraria est; (vt contingit substantiam substantiæ contrariam esse) quoniam igitur generationes ex contrarijs sunt; existens autem alterum extremum contrariorum, necesse est & alterum existere: quare in omni composito omnia simplicia inerunt. testari autem videtur & nutrimentum vniuscuiusque; omnia nanque nutriuntur ex eisdem, ex quibus sunt; pluribus quippe omnia nutriuntur; etenim quæcunque vtique videntur maximè vno solo nutriri, vt plantæ aqua, pluribus nutriuntur; mixta est enim aqua terræ: ideo rustici tentant miscentes irrigare.

te.com.49. & 50.

Hæc Aristoteles: quibus verbis apertè demonstrat mixta corpora omnia, quæcunque sunt circa medium, (quod est terræ locus) necessariò composita esse ex omnibus simplicibus corporibus. inest profectò mixtis corporibus circa medij locum esse, ibidemq; naturaliter quiescere; Hæc quippe ex cunctis elementis conflata esse, ratiocinantur; primumq; ostendit composita omnia terra participare, dicens. Si vnumquodque maxime circa proprium abundat locum, manifestum est, quòd compositis omnibus in loco terræ existentibus, plurimũ inerit terræ: locus enim terrę est ipsum medium; quę verò naturaliter sunt in aliquo loco, necessariò, aut sunt illud corpus existens in illo loco, aut aliquid, in quo id ipsum dominatur; quapropter existentia in medio, aut sunt terra, aut terrestria valde. Quòd autem & aqua necesse sit terram participare, consequenter manifestè ostendit ex eo, quòd non possit terra per se ipsam consistere, & terminari, non ligata, veluti colla quadã aquæ complexione; terra nanq; propter naturalem siccitatem, quæ est in ea, nullatenus commoratur sine humido, quod est causa continens; humiditas itaque aquæ, terræ commixta, eam continet: si nanque ex mixtione humidũ totaliter auferatur; statim terra decidit, & puluis, & cinis efficitur; terra itaque, & aqua propter prædictas causas mixtis corporibus insunt. Hoc idem quarto meteorologicorum ipse affirmat, dum inquit. Quoniam autem humidum bene terminabile, siccum autem difficile terminabile, simile aliquid pulmento, & condimentis ad inuicem patiuntur: humidum enim sicco causa est, vt terminetur; & vtrunque vtrique velut colla fit; sicut & Empedocles fecit in physicis, farinam aqua conglutinans; & propter hoc ex ambobus est terminatum corpus; dicuntur autem elementorum proprijssima, siccum quidem terræ, humidum autem aquæ, (humiditate condecenti scilicet & propria sicco terrestri immixto) propter hoc omnia terminata corpora hic non sine terra, & aqua; cuiuscunque autem plus secundum potentiam huius vnumquodque videtur; & in terra, & in aqua animalia solum sunt; in aere autem, & in igne non sunt, quia corporum materia hæc, terra videlicet & aqua. Hæc tanta Aristoteles; vbi ex facili, & difficili humidi, & sicci terminatione, ac mutuo ipsorum ab inuicem præsidio in mixtione, demon-

Aristotelis ratiocinatio.

tex.28.

stat composita corpora omnia in mundo hoc corruptibili non sine terra, & aqua consistere posse. terra enim cum sicca sit, & non bene terminabilis, accipit in mixtione ab aqua bene terminabili, quod possit terminari; aqua verò cum sit facile terminabilis, & facile diffluat, cõsistentiam à terra accipit; & sic vtrunque vtrique mutuò confert, vt simul permisceantur, & bene inuicem terminentur. & propter hoc (inquit Philosophus) ex his ambobus est mixtum, & terminatum corpus; & nullatenus sine aqua, & terra ipsum consistere potest. Non tamen semper æqualiter; nam aliquod plus sicci, aliquod verò plus humidi continet; proinde hoc terreum, illud verò magis aqueum nominatur. Deinceps subdit, qualiter in eorundẽ locis, & aquæ & terræ animalia naturaliter insunt, & commorantur, quando ex his duobus à prædominio illa conflata sint; in aere autem, & igne minimè inesse testatur. & si quædam ex illis in aere mouentur, plurimumque ibidem vitam degant; hoc quidem illis competit, ex quodam prædominio illius elementi; quodammodo enim aeris elementum, vnà cum terra in volatilibus dominari asserimus: sed quoniam corporea moles in aqua, & terra plurimum præualet, idcircò in aqua, & terra præcipuè illa viuunt, & gignuntur. Quamobrem Philosophus terram, & aquam eorundem naturalem locum, & non aerem esse protulit. postquàm verò demonstrauit aquam, & terram inesse compositis, mox etiam ostendit ignem, & aerem necessariò his inesse. si enim composita dicimus esse mixta, miscentur autem non quæcunq; quibuscunque, sed quæcunque nata sunt pati, à se inuicem; patiuntur autem contraria; propterea Philosophus inquit, quoniam igitur generationes ex contrarijs sunt; existens autem alterum extremum contrariorum, necesse est & alterum existere. manifestum est enim, quòd si terra, & aqua in mixto insunt, horum quoque contraria necesse est inesse; est autem terræ contrarium aer, aquæ verò ignis, quare si est siccum, & frigidum in composito propter terram, oportet & humidum, & calidum adesse propter aerem, vt bona contrariorum mixtio, & crasis fiat; nam aliter in gradu summo, & in excessu talia in composito forent, si alterum contrariorum non inessent, vt illa temperaret; & per consequens non fieret mixtio, neque temperies. pari ratione si adest frigiditas, & humiditas propter aquam, erit & caliditas simul, & siccitas propter ignem, vt vnà inuicem moderatè misceantur, & temperentur; nam secus & illæ quoque in excessu, & in summo adinuenirentur in mixtis; & pariter hæc etiam mixtionem prohiberent. quo
te.co.13. circa & ipse conclusit, quare in omni composito omnia simplicia inerunt. Hoc id ipsum eodem libro superius citato Philosophus comprobat, cum dicit: Ex his autem manifestum est, quòd à calido, & frigido constant corpora; & quòd hæc ingrossantia, & coagulantia faciunt operationem suam; propter id autem quod ab his condita sunt, in omnibus inest caliditas, aliquibus autem & frigiditas, qua deficit; quare cum hæc quidem insunt; propterea quòd faciant, humidum autem & siccum propterea quòd patiantur, participant ipsis communia omnia. Hoc quippe breuissimo medio mixtis cunctis genitis quatuor prima simplicia corpora inesse Philosophus demonstrat; interminatis corporibus calidum quidem, & frigidum propter hoc inexistunt, quoniam actiua in illis sunt; siccum verò rursus, & humidum inerunt etiam, propterea quòd patiantur; mixta vtique & terminata corpora omnium horum participabunt. Vbicunque enim in natura actiuum fuerit, & suum correspondens passiuum aderit; quando in naturalibus hæc simul natura sint; neque enim passiuum foret, si non esset actiuum, nec
12. met.co. è contrario. passiuum nanque illud dicimus, quod potens est transmutari ab alio in quan-
8. in fine c. tum aliud; actiuum verò quod potens est aliud transmutare, in quantum aliud. Hæc vtique
54. ibidem vnà simul definiuntur nono primæ philosophiæ textu secundo; vbi nanque non est potentia,
c.44. ait Aristoteles, nec etiam adest agens, quoniam frustra est agens, quod propria careat operatione. Iure igitur si actiuum in terminatis corporibus aderit, & suus quoque passiuum consimiliter in eisdem existet. Sic quidem propter quid & simpliciter quatuor prima corpora compositis cunctis inesse declarauit Philosophus. Mox à signo hoc id ipsum ostendit, à nutrimento ratiocinationẽ capiens; vnumquodq; enim nutritur ex pluribus ex his, ex quibus est, sed omnia quidem sunt ex plurimis elementis, scilicet ex quatuor; ergo ex quatuor elementis vnumquodque nutritur; sicut ex eisdem quatuor vnumquodque constat. ratio verò maioris est, quoniam nutrimentum in nutriti naturam transmutatur, non autem posset transmutari, nisi eandem profectò consimilem materiam possideret; nutriens itaque vt nutritum ex eisdem æqualiter constabit elementis; hanc eandem maiorem probat sumendo argumentum à minori; minus nanque videtur, quòd plantæ, quæ sunt magis terrestres, nutriantur ex pluribus, quàm alia nutrita; sed istæ licet videantur solum nutriri ex aqua, nutriuntur tamen ex omnibus; multò magis ergo animalia ex pluribus nutriuntur. Quòd autem plantæ nutriantur ex omnibus, ex hoc ostenditur; manifestum est autem, quòd nutriuntur ex terra, & aqua, vt ex agricultura innotescit; agricolæ enim plantas colentes miscent terram cum aqua ad nutrimen-

tum plan-

rum plantarum; si autem inest terra, & aqua; necesse est etiam alia duo extrema adesse, scilicet aerem, & ignem, eadem qua supra ratione. ex hac etiam parte innotescit, quòd non quamcunque terram permiscent agricolæ, sed stercorosam tantum; quæ ignea, & aerea participat substantia. sic quidē & à signo, & propter quid demonstrauit Aristoteles, naturalia mixta ex quatuor omnibus constare elementis, & quatuor elementa in quolibet mixto inesse.

Quorundam dubitationem hic affert Galenus negantium quatuor hæc simplicia corpora, aerem, ignem, terram, & aquam in corpore humano, aut alio quouis reperiri posse; & eorum esse elementa; hoc præcipuo argumento. Quoniam nullus est, qui simplex, & purum aliquod elementū, aut in humano corpore, aut in quouis alio discernere intuerique valeat. Ad hæc & ipse respondet, quòd etsi in nullo animantium corpore, neque in aliquo altero, simplex, purumque elementum actu conspicere non possumus; non propterea negandum illa prima, & vera mixtorum corporum omnium elementa esse; ipsaque quatuor insimul commixta in corporibus semper reperiri. Nec sequitur, non possunt sensu, actu pura, & simplicia demonstrari in composito quatuor elementa; ergo in cōposito ipsa non sunt, nec eius dicuntur elementa. Nam quòd non possint actu talia sensu indicari, ex mixtione prouenit. Vnde & pugnantia petunt, quærentes simplicia, & impermixta videre, quæ composita, & confusa sunt; ex propria namque ratione pugnant, quòd sint mixta, & quòd simplicia, & pura cernantur; in nulla namque corporum transmutatione hoc inspici contingit; nisi in vltima putrefactione, & resolutione; quando elementa singula ad loca propria reuertuntur; tunc nihil forsan prohibet talia intueri, quando fuerint ad ipsorum primam originem resoluta; si enim animum in vltima corporum resolutione adhibeant, tunc prout expetit, ea facilè intuerentur; vt etiam in viridium lignorum combustione quatuor ipsa ad inuicem segregari elementa quotidie inspicimus. Vlterius, & ad incongruum eos deducentes argumentatur; eadem quis ratione negare posset, ex cera, resina, pice, & adipe, compositum id medicamentum esse; quod tetrapharmacum nominatur; quando nihil in eo purum, & simplex ex illis quatuor sensui appareat; non potest vtique cum iam singula intra se mixta sint, quidquam illorum simplex, & impermixtum demonstrari. Eadem quoque ratione quis negabit; (ait ipse) mundum ex quatuor constare elementis; quando nec in ipso etiam (hic vbi degimus maximè) purum aliquid, & simplex ostendere valeamus, neque ignem, neque aquam, neque aliorum quicquam: nam quamcunque terræ portionē assumpseris, statim hæc & calorem, & humiditatem, & aeream substantiam participabit, cum tamen terra, quam pro elemēto intelligimus, sit maximè densa, grauis, frigida, & sicca. Quòd autem purum & verè simplex elementum hic ostendere non valeamus: ratio est; quoniam circa medium sumus; ibidemque vitam omnem agimus; in quo elementa omnia alterata reperiuntur; & quodammodo temperata; propter continuam naturalium corporum generationem, eorundemque conseruationem, & vitam; quæ semper ex eisdem pluribus alitur, & fouetur, ex quibus constat; vt modo supra retulimus; quare & si talia simplicia hic vbi incolimus perspicere, & ostendere non possumus; propter gubernantis naturæ ordinem, & finem intentum id fore asseueramus. nec propterea negandum ex ipsis quatuor simplicibus corporibus mundum constare. illud idem & in animalibus confitendum; quòd & si hæc syncera, & impermixta in eis cerni non dantur: non ideò abnegandum ex his omnibus ea consistere. Non igitur amplius impermixtum quidquam in animalium corporibus exquiramus; sed sufficit nobis (inquit Galenus) hoc quidem frigidum, siccum, & densum inspicientibus, terræ meminisse; hoc verò rarū, humidum, & fluens aquæ intellectum suggerere; calor quoque qui plurimus in animantis corpore reperitur, nobis ignem memoria repræsentat, necnon & spiritus natura circa quem animal nequaquam consistere potest, aeris in primis, ac mox etiam ignis afferat nobis memoriam. & sic euidens facimus, qualiter nulla sit illorum illatio: Nullum sensibiliter impermixtum, & purum in corpore conspicimus elementorum, neque aerem, neque ignem, neque terram, neque aquam; ergo nullum physicum corpus ex his constructum est; falsa quippe admodum est sequela. At de his hactenus, Subiungit modo Hippocrates.

XIIII.

Rursus cum hominis corpus demoritur; singula necessariò ad suam naturam discedunt, humidum ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum.

Superiores modò demostrationes omnes, quatuor prima simplicia corpora in animatis cunctis corporibus inesse affirmātes, Hippocrates hic cōprobat, hanc ipsamque sententiā primo cātis

1. lib. de elementis, antiquorum dubitatio.

corum Auicenna exposuit, dum dixit. Hippocratis sermo in libro de elementis, quòd qua-
tuor sint in homine elementa, est sermo verus; probatio veritatis prædicti sermonis est; quoniã
cum corpus corrumpitur reuertitur in eisdem. Hoc idem tertio physicorum Philosophus affir-
mauit; omne nanque ad illud ex quo fit, dissoluitur; & tertio methaphysicæ, omnia enim cor-
t. c. 45. tex. rumpuntur in ea, ex quibus sunt. Superiores itaque prædictas rationes omnes, quatuor in cun-
15. ctis corporibus elementa demonstrantes in præsentiarum his verbis Hippocrates approbat:
Rursus cum hominis corpus moritur, singula necessariò ad propriam naturam discedunt. Quæ
qualiter in morte contingat, vt separentur; qualiterque supersint, & ad proprium recedant lo-
cum, an idem numero singulariter, an secundum speciem potius, & communem naturam, quo-
modoque etiam ea quatuor tantum enumerantur, à nobis est perscrutandum.

Prius itaque qua in corporis corruptione hoc eueniat, vt elementa inuicem segregentur, vi-
deamus: Rerum etenim corruptibilium esse, & essentiæ tres tantummodo apud Peripateticos
recensentur: primò nanque est quatuor simplicium corporum esse; secundò mixtorum; ac ter-
tiò animatorum; hæ tres vtique solum vniuersales, & communes corporearum rerum essentiæ
apud istos inspiciuntur, & reperiuntur; quę æquali numero pariter tres quoque earundem ge-
tex. c. 23. nerationes, & corruptiones assequentur; & simplicium, & mixtorum, & animatorum. Simpli-
cium autem corruptio, primo de generatione, & corruptione, est transmutatio totius in totum
nullo sensibili remanente, vt subiecto, de qua in præsentiarum nihil Hippocrates. Animato-
rum autem generatio, & corruptio penès Philosophum in libro de morte, & vita, est iuxta ani-
mæ, & calidi innati in corpore organico præsentiam, & absentiam: Primum nanque calidi in-
nati, & animæ in naturali organico corpore aduentus animalium, est productio, & generatio;
eorundem autem exitus, & discessus, mors, & interitus. De qua nec etiam in præsenti ipse in-
tellexit; quòd statim post calidi innati dissolutionem elementa ipsa segregentur, mundiq; ele-
mentis misceantur. Mixti autem generatio est, vt supra retulimus, miscibilium alteratorum
4. met. 2. & „ concretio; & de hac Hippocrates libro primo de dieta intelligit, cùm inquit; Quid verò dicam
1. de gene- „ generari, & perire vulgi gratia, interpretabor: hæc autem commisceri, & secerni, significare de-
ratione tex. „ claro; habet autem hoc modo generari, & perire, siue corrumpi; generari idem est, quod com-
90. „ misceri; perire, corrumpique, ac minui, idem est, quod secerni; vnumquodque ad omnia, & om-
nia ad vnumquodque idem sunt. De mixti quidem generatione, & corruptione intelligit
Hippocrates: Quæ est miscibilium alteratorum concretio, corruptio autem & interitus est eo-
rundem miscibilium secretio, & dissolutio; vnumquodque enim miscibile in generatione, idem
profectò est cum omnibus; quando tunc omnia vnum fiant, & vnum omnia dicantur, & omnia
in dissolutione, & corruptione idem profectò sunt cum vnoquoque; quando tunc singula ad
singula reuertantur. Huiusmodi verò mixti discretio, & solutio multiplex est, iuxta variam ac
multiplicem mixti corruptionem; vt quartò meteorologicorũ est inspicere; nihilominus & per
adustionem, & per putrefactionem plurimum fit; in mixti itaque secretione, quæ per putredi-
nem, & adustionem euenit, declarabimus quatuor prima simplicia corpora ab inuicem segre-
4. met. 4. 6. „ gari, mundique elementis immisceri. Sed antequàm id explanemus: quid putrefactio, & adu-
„ stio penès Aristotelem sint, docebimus. Naturalis quippe mixti putrefactio est consumptio
„ in vnoquoque humido propriè, & secundum naturam caliditatis, ab aliena caliditate; hæc au-
„ tem est continentis, quare cum secundum indigentiam calidi patiatur; indigens autem tali vir-
„ tute est frigidum omne, ambæ vtique causæ erunt; & putrefactio communis passio erit, & frigi-
„ ditatis propriæ, & caliditatis alienæ; propter hoc enim ficciora fiunt putrefacta omnia, & tan-
„ dem terra, & fimus; exeunte nanque proprio calido, coeuaporat quod secundum naturam hu-
„ midum; inducens humiditatem, non est amplius; inducit enim trahens propria caliditas; Hæc
de mixtorum putredine Aristoteles; in quibus apertè admonet, quòd putrefactio mixti est dis-
solutio propriè, & secundum naturam caliditatis in vnoquoque humido ab aliena caliditate,
videlicet continentis; dissoluitur autem à calido externo calor innatus, quoniam paucus admo-
dum, & debilis est; (sic vtique magnus ignis paruum imminuit, & extinguit) quare in hac cali-
ditatis indigentia, frigidum quoque internum naturalem vincit caliditatem; ex quo sequitur,
quòd tam frigiditas interna, quàm caliditas externa est putrefactionis causa; sed externa calidi-
tas est principalis; frigiditas verò secundaria; quoniam quod patitur à calido extrinseco, pari-
tur propter defectum caliditatis propriæ, quo enim deficit innatus calor, eo patitur, & dispergi-
tur; superexcellens nanque & disproportionata caliditas debili ac exiguæ quodammodo con-
traria est; vnde eam extinguit, & dissoluit. defectus autem caliditatis ponit frigiditatem con-
trariam præualentem, quæ etiam agit ad resolutionem innatæ caliditatis. & propterea ipse in-
quit; quòd putrefactio est communis passio frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ, dispersa
autem ac dissoluta innata caliditate; tunc humidum quod ab ipsa continebatur, & moderaba-

… tur, non

tur, non amplius continetur, & moderatur, sed euaporat, & extra secundum propriam elementi naturam funditur, quare & siccum derelinquitur discontinuum, & interminatum; vnde statim concidit; & propter hoc dixit, siccitura fiunt putrefacta omnia, & tandem terra, & fimus. In hac igitur calidi innati dissolutione, & natiui humidi exhalatione, & sicci pariter, & frigidi destitutione, apertè hominis animaliumque elementa separata, seiunctaque loca propria petere cernuntur; sicuti modò profert Hippocrates, cum hominis corpus demoritur, idest dissoluitur, singula necessariò ad suam discedunt naturam; humidum ad humidum, calidum ad calidum, siccum ad siccum, frigidum ad frigidum. In violenta quoque adustiua mixti corruptione hoc ad ipsum contingit; quòd singula diuisim inspiciantur sensibiliter elementa. est enim adustio quarto meteorologicorum à calido vstiuo subita, & violenta segregatio sicci, & humidi simul, ita quòd humidum à sicco vi separetur, sic quòd humida eleuetur, & sublimetur substantia, terrestris verò descendens in cinerem conuertatur; in hac igitur violenta corruptione, & præcipuè in lignorum viridium combustione, ad sensum quatuor secerni elementa inspiciuntur, quæ clarum, & certum indicium faciunt, illa ipsa eadem in composito simul mixta extitisse. At de his satis.

Reliquum est videre, quomodo quæ supersunt, & permanent elementa, singula necessariò ad suam naturam secedant, an idem numero vnumquodque indiuidualiter id assequatur, an potius secundum speciem, & communem naturam; Nam & ratio, & verba Hippocratis testari videntur, singulariter hæc eadem numero ad propriam conuerti naturam; quando hæc talia in mixto temperata sint, & non corrupta; si verò mixtum putrescat, & dissoluatur, tunc ista, quæ adhuc suam quodammodo seruant naturam, in esse videlicet remisso, & temperato; sublatis vinculis, & nexu corporeis, nulloque altero prohibente, particulariter statim propriã adeunt naturam. Vnde & benè ipse, singula necessariò ad propria tendunt loca; quasi innuens, quòd singulariter vnumquodque idem numero ad propriam formam reflectatur, & necessariò ad suum esse integrum reuertatur. At huius contrarium secundo de generatione Aristoteles asserere videtur in vltima illius libri quæstione; cum ait. tex. 70.

Principium autem huius considerationis tale est. Vtrum videlicet omnia similiter reuertantur, an non? sed hæc quidem numero redeunt, illa verò specie tantum; ea quidem, quorum substantia incorruptibilis mota est, patet quòd & ipsa eadem numero erunt; motus enim ipse mobile ipsum sectatur; ea verò quorum non, sed corruptibilis, necesse est specie redire, non autem numero; ideo aqua ex aere, & ex aqua aer, specie idem erit, non numero. At si eadem numero; non tamen ea, quorum substantia fit talis existens, qualia sunt possibilia non esse. Hæc Aristoteles, in quibus quærit, quare quorundam secundum numerum eorundem manentium, reflexio fit; quorundam verò secundum numerum quidem corruptorum, secundum speciem autem solum seruatorum; si enim ex circulari motu, quæ in circulo mouentur, reuersionẽ habent, cur nam eorum quædam secundum numerum, eadem permanentia reuersionem faciunt? Quædam verò secundum numerum corrupta, secũdum speciem seruant successionem? & inquit, quòd hæc consona sunt illis, quæ multis in locis dicta sunt; quòd quæcunque quidem incorruptibilia existentia mouentur in circulum, hæc secundum numerum eadem permanentia reuertuntur: Idem enim Sol secundum numerum, rursus secundum idem mouetur, & reflectitur; & astra alia oriuntur, & occidunt, & eadem numero exoriuntur, quando ortus isti, & occasus sint secundum motum, & non secundum substantiam: Nam eorum substantia incorruptibilis, & æterna est. Quorumcunque verò substantia corruptibilis est, hæc numero quidem non manent eadem, sed speciem seruant in reuersione, & reflexione; sicut est videre in animalium, & plantarum generatione, & elementorum permutatione. Cum autem dixisset, quòd elementorum generatio perficitur, vnoquoque ipsorum secundum numerum corrupto, sed secundum speciem eodem manente; ait, quòd si dicat quis etiam hæc ipsa elementa secundum numerum adem manere, quemadmodum Empedocles dicebat; dicendum, quòd ille ingenerabilia; & inalterabilia fatetur esse elementa; & non vt nos generabilem, & alterabilem eorum substantiam supponentes, & talem vt contingat etiam non esse. Apertè hic ex propria sententia contra Empedoclem fatetur Aristoteles in transmutatione elementa iuxta speciem tantum reuerti, & non secundum numerum; quando alterabilia, & patibilia ea constituerit. cum igitur Hippocrates, vnà cum Aristotele generabilia & corruptibilia instituat elementa; pari passu vnà cum ipso fateri debet, ea secundum speciem tantum reuerti, & non secundum numerum: cuius oppositum hic profitetur Hippocrates, cum inquit, quòd singula (particulariter loquens) ad propriam secedunt & conuertuntur naturam. Ad hæc dicimus, quòd neutiquam isti repugnant, sed idem ambo sentiunt, & profitentur; fatetur quidem Hippocrates vnà cum Aristotele simplicia prima corpora in mutua ipsorum transmutatione secundum speciem tantum re-

tum re-

tum reuerti, & non secundum numerum; quando verè tunc inuicem simpliciter generentur, & corrumpantur; & non secundum quid, refractè, & diminutè. Quando enim elementa verè corrupta sunt; impossibile est tunc, vt eadem numero redeant; quoniam à priuatione ad habitum impossibilis est regressus; à priuatione inquam, quæ formam & potentiam priuat. Si enim indiuisibiles materiales formæ corrumpantur, & si eadem remanet materia, non propterea dicendum eadem numero rusurgere, porter corruptas indiuisibiles formas, quarum singularis reditus impossibilis est, propter inremeabilem corruptionem; quæ enim eadem numero redire dicuntur, vniformiter & secundum formam, & materiam, & prius, & posterius semper permanent; iccirco Sol, & stellæ idem sunt secundum numerum; particularia verò elementa, quæ in dies corrumpuntur & generantur, non dicuntur idem secundum numerum; non enim manet indiuisibilis forma, & si materia maneat. Hoc id ipsum etiam in omni corruptibili substantia dicimus; quòd semel corrupta non amplius reuertatur. at si verè, & simpliciter corruptæ non sint, sed refractæ tantum, & imminutæ in propria substantia existant; & si non in excellentia suarum formarum sint; nihilominus adhuc subsistere dicuntur; tunc nihil profectò prohibet, eadem præcisè secundum numerum ad suam integram substantiam, & naturam reuerti, vt ad propriam formam & essentiam. Cum igitur elementa in mixtis cunctis & secundũ Hippocratem, & Aristotelẽ non corrupta, sed imminuta, & temperata tantũ reperiantur; quid prohibet in vltima corporũ resolutione, solutis vinculis omnibus corporeis, quòd ipsa vt particularia sunt; ad propriam non reuertantur naturã? At dices, tunc nulla est ibi mixti generatio, neq; corruptio, si elementa non corrumpantur, sed temperantur solum. ad hæc respondemus secundum Hippocratem, & Aristotelem, quòd mixtum omne ab elementis mixtis & temperatis fit, & non ab ipsis corruptis & deperditis; (sicuti ex mixtionis ratione clarè innotescit; est enim mixtio miscibilium alteratorum vnio; alterata vtique & non corrupta corpora in mixtione sunt.) pariter & ipsa animalia ab elementis vbique temperatis producuntur; vnde apertè fatemur ex istorum sententia; quòd animalis, & naturalis mixti generatio est elementorum temperies, & permixtio; & non horum corruptio; sed mixti potius alterius corruptio erit. & sicut elementa in mixto, & composito quolibet diminutè, corrupteque semper reperiuntur; ita & horum ibidem corruptio diminuta nominabitur; & per consequens eorundem ad propriam naturam conuersio, generatio quædam imminuta nuncupabitur; & non perfecta, & absoluta, sicuti est quando inuicẽ generantur, & corrumpuntur simpliciter. Nec obstat, quòd animatũ corpus conspirabile, confluxibileq; vndiq; sit, & secundum ipsum, & Aristotelem, & quòd materia continuè fluat, ac refluat; nam & hæc clarè perpetuò in eius auctione, diminutione, & continua nutritione fieri prædicamus; & hæc ipsa æqualiter dicimus eadem semper numero (cum à corpore separantur) ad propriam conuerti naturam; & tandem in omni elementorum transmigratione à compositis ad simplicia, hæc fieri profitemur; quando ea ipsa semper refractè, & non corruptè ibidem reperiantur. Quapropter & rectè à Philosopho secundo cæli, in mixto elementa in potentia esse enunciantur, prout non sunt in esse libero in proprijs locis; sed connexi; & quodammodo in mixto ligati; vnde & ad sua loca redire naturaliter appetunt; Hinc commentator Auerrois elementa propter contrarietatem, quam in mixto habent, transmutantur inuicem, & quia non sunt in suis locis, appetunt separationem, & reuerti ad sua loca; & iustè quidem dixit reuerti, quando verè tantum reuertuntur, & non denuò producuntur.

In post prædicamentis cap. de oppositis.

1. de generatione, & corruptione. t. 35. & t. 36.

2. cæli. te. c. 37. & 31. & 3. cæli. 67.

2. cæli. t. co. 37.

An verò eadem præcisè singularia elementa, quæ in prima corporis formatione, & conceptu aduenerunt, ibidem semper vsque ad extremũ diem perseuerent, & tunc ad suam conuertantur naturam, vt Hippocratis verba sonare videntur? & hæc quidem affirmamus, continuè eadem permanere, & hæc eadem ipsa esse; quæ indiuidua, & singularia à primo vsque ad supremum diem, talia perpetuò materialiter seruant. Nam si hæc prima hominis semina, elementa scilicet primi nostri conceptus, permutari, & renouari possent; vtique & vitam ipsam perpetuare possemus; sicuti & bene per continuam eorundem commixtionem secundum speciem perpetui efficimur; pari ratione & indiuidua singula æterna redderentur per continuam eorundem reaggregationem, & nouationem; cùm nulla sit inter hæc diuersitatis ratio; ipsa igitur prima vniuscuiusque naturalis entis elementa à primo ortu vsque ad occasum in mixtis continuè seruantur; pro maiori sui parte, pro ea inquam, quæ indiuiduum ipsum substinere possit; nam & si præter naturam maxima horum protio seiungi, separariue contingat, (nisi pro vita debita, & conueniens pars superfit) neutique esse, & viuere animal valuerit. hoc idipsum etiã clarè conspicitur ex elementi ratione quinto Methaphysicæ. Elementum est, quod primum composito inest, & in quod vltimum ipsum dissoluitur; si enim est illud, quod corpori primo inest, & in quod vltimum dissoluitur; manifestum vtique erit, idem numero à principio ad finem vsque in corpore permanere; nisi violenter, & præter naturam, è corpore amoueatur.

3. cæli t. 31. Arist. d. adhac est dubium an elementa remaneãt in mixto actu, vel potentia.

Ipsa

Ipsa igitur prima innata elementa quatuor hominis, sanguineorumque animalium humores primo formant, mox usque ad ultimum in eis, ab solidis animatorum particulis perpetuò reperiuntur, quando cuiusque naturalis mixti esse, & essentia sit horum temperies, & moderatio, & unumquodque particulariter tale existit, & dicitur, per propria connata elementa, & eorundem temperiem; unde & hæc auferri non possent, ni & temperies quoque auferretur, quibus ablatis, & esse, & vita quoque necessariò aufertur, nec dicere possumus, quòd alia denuò ibidem subingrediantur, & reintegrentur, ac renouentur, pro esse, & essentia; nam si sic, perpetui, uti diximus, efficeremur, cuius oppositum experimur. Concludimus itaque ad Hippocratis mentem in ultima corporum resolutione, singula propria particularia innata elementa ad propria reuerti loca, propriamque particulariter resumere naturam.

Superest modò videre quomodo hæc quatuor tantum ab Hippocrate enumerentur, à qualitatibus ea constituentibus denominata, calidum, frigidum, humidum, & siccum; & si enim corpora hæc simplicia appellentur, quoniam nec mixtione aliorum corporum, nec partium constitutione composita sunt; attamen non negandum ipsa constructa esse ex informi materia, & primis simplicibus formis, per quas sunt, & à quibus nomen & diffinitionem habent. Nam omne, quod est actu; vel est actus per se existens, vel habet actum, per quem existit; nullum autem corpus esse potest actus per se existens; (nam actus per se existens est forma abstracta, & separata à materia) necesse est ergo, ut quatuor hæc elementa, quæ corpora sunt per se existentia, habeant actus & formas per quas sint; erunt ergo composita ex materia, & substantialibus formis, per quas sunt & existunt. cum igitur quatuor hæc prima corpora à quatuor primis formalibus principijs formata sint; ab istis quidem ipsa quatuor tantum fore, ostendimus; à superioribus itaque formalibus causis, & principijs ad suos inferiores formales effectus secundum Aristotelis doctrinam ratiocinamur, quatuor tantum fore specificè simplicia corpora, calidum scilicet, frigidum, humidum, & siccum. Quatuor tantum sunt secundum speciem primæ, ac simplicissimæ qualitates, ut formalia adæquata principia, quatuor tantum specificè simplicia corpora constituentes; ergo quatuor tantum sunt specificè prima simplicia corpora. quòd quatuor tantum sint secundum speciem primæ, ac simplicissimæ qualitates, ut formalia adæquata principia, quatuor tantum specificè simplicia corpora constituentes; ex formalium principiorum rationibus ostendimus; quæ universè ac generatim tres dicuntur esse; primò quòd communissimæ sint, secundò quòd inuicem actiuæ, & passiuæ, tertiò quòd primæ existant. Hæ utique omnes formalium principiorum rationes primis ipsis quatuor qualitatibus, caliditati, frigiditati, siccitati, & humiditati tantum insunt; ergo tantum primæ hæ quatuor qualitates simplicium corporum principia formatiua constituuntur; quādo ipsæ solæ præcisè principiorum conditiones omnes contineant. Et primò à communissimis exordiando ratiocinamur, simul cum Aristotele, qualiter caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, genitis corporibus cunctis communissimæ sint, secundo de generatione, & corruptione dicente. Tex.7.

Quoniam igitur quærimus corporis sensibilis principia, hoc autem est tangibile; tangibile verò cuius est sensus tactus; manifestum quòd non omnes contrarietates corporis formas & principia faciunt; sed solum quæ secundum tactum, & secundum tangibilem contrarietatem differunt; quia neque albedo, neque nigredo, neq; dulcedo, & amaritudo, similiter autem neq; aliorum sensibilium contrarietatũ ulla facit elementum. Quamuis enim prior visus tactu, quare & subiectum prius; sed non est corporis tangibilis passio, qua tangibile, sed secundũ alterum, & si fuerit natura prius. Hucusque Aristoteles. Per hæc clarè ostendit tangibiles contrarietates simplicium corporum formatiua principia esse; ex eo primò quòd communissimæ sunt, per corpora omnia permeantes; à sensibus ipsis euidentiam sumēs, manifestum est enim quòd sensiles differentias communissimo sensuum subiectas, illas ut communissimas existentes, oportet ponere principia corporum formatiua. sicuti enim sensus tactus ad cæteros sensus, ita sensiles tangibiles qualitates ad alias aliorum sensuum sensibiles qualitates se habent; tactus enim est, qui est omnium sensuum communissimus, & hac via primus dictus non immeritò, eo quòd auferat, sed non auferatur; quæ enim aliorum sensuum aliquo participant, multò prius & tactu participant; quæ verò tactu, non necessariò aliquo aliorum, ut declarant, quæ inter plantas, & animalia, media sunt, tactum quidem habentia, sed nullum aliorum sensuum. pari ratione sensibiles differentiæ (ut sensus) se habent; visibiles enim colores non per omnia permeant corpora; neque enim aer est coloratus, aut omnino visibilis; similiter autem neque audibiles ut soni, non enim omnia habent sonatiuam; nam neque lana, neque spongia; sed quæ solida sunt, atque etiam non per se, sed in confractione ad alterum. Atqui neque odores in omnibus sunt, aer enim sine odore est, quemadmodum & sine colore, qui & hac de causa colorum, & odorum delatiuus est. Similiter neque gustabiles qualitates in omnibus sunt; aqua quippe sapore caret, cùm

ret, cùm sit subiecta saporibus. Solas autem tangibiles qualitates inspicimus per omnia ambulantes corpora; caliditatis nanque, & frigiditatis nullũ est expers corpus; neque humiditatis, & siccitatis; tangibiles ergo contrarietates erunt, quæ communissimæ existent, per omnia corpora permeantes, & destruentes cætera, si tollantur, & non contra. Hæ itaque prima ratione elementorum formatiua principia asserendæ sunt tactiles contrarietates. at obijcit Aristoteles visum, visibileque tactu, atque tangibili semper priora esse; ad hæc respondens ait; quòd quamuis visus sit prior tactu, visibileque tangibili; non tamen visibile dicetur passio corporis tangibilis quatenus tangibile; sed sub alia ratione, scilicet qua tangibile corpus est dyaphano terminatum; vt in libro de sensu, & sensili docetur: est nanque color extremitas dyaphani in corpore terminato; & sic visibile, non est passio tangibilis corporis, vt tangibile est. subdit deinde Aristoteles, & si fuerit natura prius; idest & si visus, & visibile fuerint natura, & vniuersalitate priora tactu, & tangibili. Vnde sciendum, quòd visibile, vt visibile simpliciter, est prius tangibili dignitate, & vniuersalitate; dignitate quidem, quoniam visus est tactu dignior atque nobilior; vniuersalitate verò, quoniam competit generabilibus, & cœlestibus; tangibile autem est prius visibili origine, quando in generabilibus istis visibiles qualitates sequantur tangibiles; & communitate, quando tangibile competant generabilibus omnibus, & mixtis, & elementis; visibile verò non nisi mixtis; quocũnque autem modo fuerit; cum nos quærimus principia generabilium corporum; & contrarietates visibiles non sint generabilium, vt tales sunt; per consequens visibiles ipsæ contrarietates sumi non possunt, vt generabilium elementaria principia; sed tactiles solum huiusmodi dicuntur; quoniam verè, & secundum naturam generabilibus omnibus, & simplicibus, & mixtis cõmunissimæ sunt. Et quia tangibiles contrarietates plurimę sunt; declarat Aristoteles quomodo non omnes contrarietates tangibiles sunt principia, & formæ perfectiuæ elementorum; sed solum hæ, quæ actiuæ & passiuæ inuicem sunt, & primæ dicuntur; propterea addit.

tex.7. Ipsorum autẽ tangibilium diuidendum, quæ primæ differentiæ, & contrarietates; sunt autẽ differentiæ, & contrarietates secundum tactum hæ, calidum & frigidum, humidum & siccum, graue & leue, durum & molle, asperum & lene, rarum & densum, tenax & aridum, crassum & subtile; horum autem graue quidem & leue, asperum & lene, rarum & densum, neque actiua neque passiua; nõ enim in faciendo aliquid aliud; neque in patiendo ab aliquo dicuntur. Neque enim si graue leui, aut leue graui adhæreat; vel leue efficietur graue, vel graue leue; neque si aspero leue, vel rarum denso vicinum fiat; horum nullum potest sibi proximum totum alterare per totum; tres autem aliæ differentiæ quæ sequuntur, scilicet durũ & molle, tenax & aridum, crassum & subtile, ex his quidem molle, subtile, & tenax ad humidorum naturam attinent; durum verò, crassum, & aridum ad sicca referuntur. Calidum itaque & frigidum, humidum & siccum verè actiua & passiua appellantur; calidum & frigidum actiua, quoniam & agunt & agere dicuntur, humidum & siccum quoniam patiuntur, vel pati dicuntur, passiua.

tex.8. Calidum enim est, (inquit Philosophus) quod congregat homogenea, segregare enim (quòd inquiunt) facere ignem, congregare ea est, quæ eiusdem sunt generis; contingit enim extollere alienigena; frigidum verò, quòd coniungit, & congregat similiter, & ea quæ eiusdem generis, & ea quæ non eiusdem generis. Humidum autem, quod interminatum proprio termino, facile terminabile alieno, siccum è conuerso, quod facilè terminabile termino proprio, cum difficultate verò terminabile alieno.

Nullæ autẽ aliæ reperiuntur propter prædictas tactiles qualitates; inter quas omnes tantummodo hæ quatuor, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, actiuæ & passiuæ maximè appellantur; quando vnaquæque iuxta sui naturam agat & patiatur; & dum inuicem iunguntur, & naturaliter se tangunt, mutuò agendo & patiendo se calefiunt, & frigefiunt, pariterque humectantur, & siccantur; quod in alijs per se non euenit qualitatibus; Sunt igitur quatuor istæ qualitates & communissimæ per corpora omnia peragrantes, & inuicem naturaliter actiuæ & passiuæ. quòd vero & hæ quoque primæ sint, & ipse probat dum dicit.

tex.15. Manifestum igitur, quoniam omnes aliæ differentiæ reducuntur ad has primas quatuor, hæ autem non amplius in minores, neque enim calidum quod siccum aut quod humidum, neque humidum quod calidũ, aut quod frigidum; neque frigidum quod siccum; neque sub inuicem, neque sub calidum, & humidum sunt; quapropter necesse est quatuor esse has. Hæc Aristoteles, qui duabus præcipuis rationibus prædictas quatuor qualitates primas esse ostendit; primò nanque ex eo quòd diximus, quòd aliæ omnes differentiæ ad has quatuor primas reducuntur, tanquàm sub eis contentæ. Secundò quòd istæ sub nullis contineantur; neque enim istæ ad plures, neque in pauciores; neque ad se inuicem reducuntur; non enim calidum frigidum est, ita quòd caliditas sit frigiditas quædam, vel effectus eius. Nec frigiditas est caliditas, vel siccitas,

citas, vel humiditas quædam, nec humiditas est caliditas, vel frigiditas, vel siccitas, neque calidum est frigidum, vel è conuerso, sicut sub causa, neque etiam frigiditas, & caliditas sunt sub humido, & sicco, vel è conuerso; necesse est igitur has quatuor qualitates esse primas. Cum itaque hæ precisè tantum quatuor qualitates veræ primæ sint, quando neque in alias, neque in se ipsa reducantur, & aliæ omnes ad eas; meritò has quatuor tantum qualitates elementorum principia formatiua conclusit Aristoteles ex principiorum rationibus, quòd scilicet primæ sint, & communissimæ, & actiuæ & passiuæ inuicem. Hæ quippe omnes primis ipsis quatuor tantum qualitatibus insunt, neque alicui alteri tribuuntur; iure igitur ipsæ quatuor tantum formatiua elementorum principia asseuerantur, quæ quatuor tantum secundum speciem prima simplicia corpora constituent, ignem scilicet, aerem, terram, & aquam. Quæ iuxta constituentium principiorũ naturam & communia, & prima, & agentia inuicem & patientia erunt. Quamobrem & bene vnà cum Galeno dicimus, quòd summa caliditate materiæ adueniente; iam ignis elementum conformatur. Pari ratione & summa frigiditate, humiditate, & siccitate, aqua, aer, & terra conformantur. Neque enim quia flauum, vel nigrum, vel leue, aut graue sit, elementum esse iudicatur; eadem ratione vel quia laxum, vel densum, aut rarum; nec quia premat, vel incidat, seu frangat; neque (prout simpliciter dicam) per aliam alteram qualitatem; quàm per antedictas quatuor in summum existentes, prima simplicia corpora constituuntur, & configurantur. Hæ enim solæ sunt; quæ subiectam materiam alterant, & elementa constituunt, & causæ sunt, vt inuicem substantialiter permutantur, & quę etiam hærbas, plantas, & alia omnia perficiunt. Ista igitur quatuor tantum prima formatiua elementorum principia affirmantur. Nec enim obstat, quòd sensu tactus hæ sensibiles sint, quin substantiales formæ dicantur; cùm dicat Philosophus substantiam per se minime sensibilem esse; nam & si hæ facultates à tactu sentiantur, non quidem vt substantia, & vt quod quid est; & vt principium motus à sensu cognoscuntur; quando vt huiusmodi à mente, & ratione & non à sensu percipiuntur; sed vt alterantes & permutantes, calefacientes scilicet & infrigidantes solummodo sensibiles sunt; sic quidem nihil impedit, quòd substantiæ illæ sint, & sub qualitatis ratione à sensu cognoscantur. Hac eadem distinctione illis satisfacimus; qui aiunt, quòd vni est accidens, alteri non potest esse substantia; nam primæ hæ qualitates, prout potentiæ, & facultates sunt motus, & mutationis in se ipsis impetum, & propensionem habentes, tunc vt sic veræ substantiæ existunt, & nunquàm vt huiusmodi accidentia erunt. prout verò subiectum quale denominantes sunt, & vt agere, & pati appellantur, accidentia quidem dicentur, & nunquàm vt tales, substantiæ esse poterint. hac quippe ratione, secundum quam res qualis nominantur, substantialem differentiam, quæ esse, & essentiam vniuscuiusq; complet, in quale prædicari Peripatetici dixere. Quòd autem & in prædicamentis Aristoteles ait, substantiæ nihil esse contrarium; de compositis certè, & non de simplicibus intellexisse fatemur. Sed de his hactenus.

Et quoniam primæ istæ facultates, vt sensus attestatur, non nisi coniunctæ reperiuntur; nunquam etenim visum est, corpus calidum nullo tamen pacto humidum siccumue, aut frigidum, neque humidum, neque aridum; sic de siccitate, & humiditate sensu comprehendimus; vtrumque earum disiunctam esse à caliditate, frigiditateue. Cum igitur clara experientia hoc verum existat; tunc etiam vt sic naturaliter nexæ, & coniunctæ elementorum formæ, & principia asseuerantur. Alteram itaque denuò demonstrationem aggreditur Aristoteles, quaternarium elementorum numerum approbantem, ex quaternario complicabilium qualitatum numero, quando simplicium corporum numerus sit secundum constãtem, & possibilem quaternarium numerum coniugationum harum primarum qualitatum. Quatuor tantum modis citè, & constanter qualitates hæ primæ coniunguntur, & combinantur; ergo quatuor tantum sunt specificè simplicia corpora; quoniam non nisi quatuor tantum sunt eorundem specificæ formæ & principia, quæ per constantem, & possibilem formantur combinationem. Propterea & ipse eodem in loco addit.

Quoniam autem quatuor sunt elementorum principia, & formæ; eorum autem quatuor sex coniugationes sunt; contraria verò non innata sunt coniungi, calidum enim, & frigidum esse idem; & rursus humidum & siccum impossibile; manifestũ igitur quoniam quatuor erunt elementorum coniugationes; calidum & sicum, calidum & humidum; & rursus frigidum & humidum, frigidum & siccũ; & hoc quod dictum est secundum hanc rationem conueniens est his, quæ apparent in simplicibus corporibus; scilicet igne, aere, aqua, & terra; ignis enim calidus & siccus; aer calidus & humidus; (velut euaporatio enim aer) terra frigida & sicca; aqua frigida & humida; vt rationabiliter distribuantur differentiæ primis corporibus, & multitudo eorum sit secundum rationem. Quam multitudinis rationem ita nos manifestamus; Quatuor tantum sunt elementorum communissimæ, & primæ qualitates, quatuor tantum modis verè & constan-

Nota.

2. de generatione t. 16.

constanter coniungibiles; ergo quatuor tantum sunt secundum speciem simplicia corpora; sequela ostenditur, quot enim sunt specifica principia elementa formantia, tot sunt elementa ipsa; (neque enim specifica principia naturaliter vltra propriam speciem, & formā quicquam producere possunt; neque producta ipsa specifica naturaliter ab alijs quàm à proprijs & specificis principijs produci possunt; quando determinatum penès naturam à determinato fiat semper, & non quodlibet à quolibet) sed quatuor tantum sunt specifica elementorum formatiua principia; ergo quatuor tantum sunt specificè simplicia corpora. Quòd quatuor tantum sint simplicium corporum formatiua principia; iam probauimus ex eo, quòd quatuor tantum sunt primæ, & communissimę qualitates formalium principiorum conditiones omnes complectentes, quatuorque modis tantum ritè combinabiles; & hæ quippe solum, & non aliæ principia talia constituunt; iure igitur quatuor tantum secundum speciem simplicia corpora erunt. Quòd autem quatuor tantum modū ritè, et constanter hæ primæ coniungantur qualitates, apertè hic ab Aristotele sine expositione dignoscitur. Sic quidem quaternarium elementorum numerum demonstratiuè deduximus. Paritérque primis ipsis quatuor elementis rationabiliter differentias has distribuimus, caliditatem scilicet & siccitatem igni; caliditatem & humiditatem aeri; humiditatem aquæ & frigiditatem; terræ siccitatem & frigiditatem. Et si enim omnes hæ simul differentiæ simplicibus corporibus tribuantur, ipsaque perficiant; tamen hæc ex illarum vna qualitate propriè magis obsignantur, & terminantur. Hoc autem est, quod paulò infra Philosophus inquit; attamen cùm sint quatuor, vnius singulum erit; terra enim sicci magis quàm frigidi; aqua verò frigidi, magis quàm humidi; aer autem humidi, magis quàm calidi; ignis verò calidi, magis quàm sicci. Terra verò (inquit) magis vim suam à sicco quàm à frigido arripit; ignis autem magis à calido, quàm à sicco essentiā recipit; aqua in se magis frigiditatem, quàm humorē concipit; aer verò magis ab humiditate, quàm à caliditate formatur; quamobrem verissimè supra primas illas simplices qualitates prima formatiua elementorum principia constituimus. Has vtique quatuor primas in summo existentes veras substantias, & formas nominamus; Alteræ autem adiunctæ, & affeclæ qualitates ipsarum substantialium formarum propriæ facultates, & potentiæ dicuntur; hoc quidem proprium est substantialis formæ, vt pluribus potentijs, & facultatibus insignita conspiciatur; nec obstat, quòd pluribus virtutibus ipsæ prędictæ sint, quin simplices dicantur formæ; quando hæ primæ sint, quæ informem materiam primò formant, & à primis ipsis mortalia cuncta formantur.

Sed non est, quòd ambigant hic nonnulli, cur magis aeri humiditatem, quàm aquæ Philosophus tribuerit; id enim clarissimè patet ex humidi notione; quæ est interminatum, seu difficilè terminabile proprio termino; hæc quippe definitio aeri magis quàm aquæ congruit; aer enim magis aqua funditur, & fluit, difficiliusque terminabile existit; aqua enim quandoque, etiam si seruauerit terminum aliquē desuper dimissa, vt congregata quodámodo deorsum fertur; aer verò defluit, & diffunditur facilè; si ergo humidū est quod est difficile terminabile; aer vtiq; magis humidus fuerit. Hac quidem ratione conuincuntur ambas qualitates in summo in elementis statuentes; nam si in aqua humor in summo existeret; talis profectò in ea esset, qualis in aere reperitur; quod falsum esse demonstrauimus. cōsimili ratiocinio de alijs argui potest. Quòd si Arist. aliquando dicat ambas in summo esse; ex eo in summo inquit esse quòd non refractæ, ibi in elementis & repressæ à suis contrarijs sint; & non quòd ambæ supremi rigoris ibidem reperiantur. Quærendum autem deinceps quo pacto magis aqua ipsa humectare videtur corpus; videmus autem quòd & aer ipse crassior redditus, & ad aquam accedens, humectantior efficitur; Hoc ideo accidit, quia aqua crassiorum partium existēs, replendi nostros meatus vim habet; aerè ob tenuitatem facile effluente; Hoc autem idcirco rationabiliter euenit; quoniam aqua cognatè se habet ad ipsam terram; & facile cum ipsa coniungitur; conferente ad hoc aeris inclinatione, inconiunctè ad hanc se habente; propter hoc quoq; terrestria existentia nostra corpora, & hac magis participantia, magis ab aqua humectantur; cùm & hæc nata sit illis interm misceri, & non effluere vt aer. verū nunc ad rem nostram redeundo colligimus; quòd apud Hippocratem, & Aristotelem quatuor hæc simplicia corpora sunt prima, tum hominis, tum reliquorum animantium elementa; ex quibus transmutabilis cuiusque rei natura, & substantia temperantur.

Quibus quidem sententijs Atheneus Athaleus (vir profectò sine controuersia doctissimus, de quo Galenus hæc perscripta reliquit, nullum ex iunioribus medicis ita vniuersam scientiæ Medicinalis tractationem elaborasse, vt ille) repugnat; dicebat namque ipse hominum, animaliumque elementa manifesta, & cognita esse, nullaque ob eorum claritatem indigere demonstratione; ex eo quòd vnusquisque per se, calidum, frigidum, humidum, & siccum, in animalibus sine aliqua probatione solo sensu agnoscat; propterea ex eorum natura, & actiones pro-

prijssimè

prissimè calidum, frigidum, humidum, & siccum, ea nuncupari asseruit; ignis autem, aer, terra, & aqua vniuersalia mundi elementa sunt, & non propria, ac intima animatorum corporum: Nec enim quis vnquàm quatuor hæc in animatis corporibus inesse, conspicere potuit; at calidum, frigidum, humidum, & siccum apertissimè inesse conspiciuntur; si verò & ista, ignis, aeris, aquæ, & terræ nomine appellare cupiunt, extraneè nimirum, & impropriè hæc nomina illis addita esse Atheneus enunciat; quandò à propria actione fœlicissimè vnumquodque horum denominatur; & talia ex sensu, & functione cunctis perspicua existant. Hæc de animantium elementis ipse sentit; contra quem aperto marte pluribus rationibus pugnat Galenus: & primò contra id, quód primum inquit de eorum notitia, & euidentia argumentatur: secundò contra eiusdem assertionem de ipsis elementis, eorundemq; nuncupationibus. Ex multiplici nanque calidi, & frigidi, humidi, & sicci significatu, ex propria Athenei assertione ostendit confusè semper in animalibus quicquam de elementis intelligere; nisi verè prima ipsa simplicia corpora, ignem, aerem, terram, & aquam intelligat, eaque propriè, ac certè consignificat. Primum itaque quòd neque clara, neque nota elementa sint, ratiocinatur, aut elementa, ex eo quòd ipsa sensu percepibilia sunt per suos effectus, hanc euidentiam consequuntur; ita vt eorum notitia à sensu, & ab effectu esse dicatur; aut à substantialibus formis hanc habent claritatem; vt sicut per formas ea existunt, ita quoque per easdem agnoscantur simpliciter; & propter quid; sed neutrò istorum modorum contingit, vt elementa manifesta sint; ergo malè ab ipso asseritur, hæc clara, & euidentia fore. Quòd ab ipsis sensibus elementa hanc apertam non habeant notitiam, hinc dignoscimus; quoniam nemo est, qui calidum, frigidum, humidum, & siccum in animantibus non cognoscat; sed vtrum hæc sint animantium vera elementa; non agnoscunt, non modo indocti, sed & nonnulli Philosophantes; qui plurimum inuicem de his altercantur, & nihil certi, & aperti concludunt: id quod apertè indicat non esse sensu perceptibilia ea talia esse. Quòd verò ex eorum substantialibus formis non sint notissima elementa; ex hoc maximè perspicuum existit: Nam si huiusmodi nobis manifesta forent; tunc vires, facultatesque eorũ omnes etiam notæ, & apertæ nobis forent; ac ita naturæ abscondita, & secreta vnicuique facile innotescerent; & æqualiter naturalis magiæ quisque peritus esset; sciremus vtique sine vllo studio, quæ proficuæ, quæ nocuæ; similiter quæ ægræ, quæ salubres hominibus forent; si calidum, inquam, & frigidum, humidum, & siccum per proprias causas ita nobis innotescerent; & sic nullo exercitio, ac labore & artis medicæ, & naturalium rerum omnium, peritissimi homines efficerentur. Quod si verum sit, quisque cognoscit. At dicent, hæc omnia artem transcendunt, & satis nobis est, calidum, frigidum, humidum, & siccum, (quæ manifestè in animantibus visuntur) cum animalium, tum medicæ facultatis elementa supponere. Ad hæc & nos dicimus; quòd supponere notissimum, quòd vniuersa medicorum schola vt abscurum, cognituque difficile, & ignotum habet; viribusque omnibus ostendere conatur; absurdius est, quàm reprobari possit. Hæc omnia euidentem elementorum Athenei notitiam auferunt. Mox contra eundem de eorum assertione, & nomenclatura argumẽtatur: Et primum inquit, quòd confusè quidem semper elementa Atheneus intelligit, & significat, per calidum, frigidum, humidum, & siccum; nisi prima ipsa simplicia corpora, ignem, aerem, terram, & aquam intelligat, & significet; cùm enim vbique & ipse, & eius sectatores triplicem calidi, frigidi, humidi, & sicci significatum admittant; calidum nanque & frigidum, & reliqua penès istos & de simplici, & abstracta qualitate dicuntur; & de mixto corpore, quod per exuperantiam tale nominatur; & de impermixto etiam, & simplicissimo corpore, quod tale per summã qualitatem, eius formã existit; de his omnibus apud istos calidum, frigidum, humidum, & siccum verificantur. Videndum modo, quo istorum significatuum, iuxta Athenei propositum verius, & certius nomina ista dicantur, an de qualitatibus ipsis abstractis, an de mixtis à prædominio corporibus; seu magis de simplicibus primis, & impermixtis, igne, aere, terra, & aqua; si enim de abstractis primis qualitatibus verè, & propriè secundum ipsum nomina ista dicantur; tunc facilè redarguitur, quòd elementũ cum principio confundat; eorundẽ discrimen ignorans; intendit nanq; elementa præexponere, & declarare, & horum vice principia exponit, & declarat. Iam superius demonstrauimus, quomodo principia rerum existentia apud Philosophos duo erant, materiale vnum, quod materia prima, & primum informe subiectum nuncupabatur; per omne æuum ingenerabile, & incorruptibile existens: Formale autem alterum appellatur principium, primæ scilicet ipsæ quatuor qualitates primam informem materiam informantes; & earundem qualitatum temperies; qualitates itaque istæ primæ, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, secundum Philosophorum morem loquendi, verius principia, quàm elementa appellantur; cùm verò principia, & elementa inuicem distinguantur, & plurimum differant; non poterit quisque secundum rationem, rectè alterum pro altero sumere, nisi nominum æquiuocatione vtatur. Si itaque

Lib. 1. de elementis.

Athaneus in explicatione sua intendat elementa ostendere; & in eorum vice principia manifestat; quid dicemus, nisi quòd res ipsas confundat, & abusiuè plusquàm satis loquatur? Sic quidem patet penès eius intentum, quòd non nisi indistinctè, & confusè per huiusmodi nomina, calida, frigida, humida, & sicca, qualitates primas, (quæ verè principia sunt) intelligit, & pronuntiat. Quòd elementa, & principia inuicem distinguantur; in hoc de natura humana tractato patefacit Galenus dicens. Elementum minima totius particula dicitur; Principium seu principia sunt huius minimæ particulæ essentiales partes; materia scilicet, & forma mente tantum inuicem seiunctæ, & separatæ; neque enim vnquàm ignem, aut aliud alterum ex elemẽtis realiter actu diuidere poterimus in duas partes, ex quibus ipsum contemperatum esse mente tamen benè cogitare possumus, alteram illius esse substantiam, quę transmutatur, quę & materia, & subiectum dicitur; alteram verò eius, quæ per transmutationem acquiritur forma, su& qualitates ipsæ: Hæc quippe principia nominantur, quãdo primò elementa mox reliqua cuncta cõstituant. Corpora autem (quæ mente diuiduntur in materiam, & formã) elementa appellãtur. Hucusq; clarè probauimus quomodo indistinctè admodum, & confusè calidum, frigidum, humidum, & siccum secundũ Athanei intentum, qualitates ipsas primas (quæ principia sunt) denotant, ac significant. Restat alterũ videre: qualiter hæc eadem nomina mixta corpora in qualitate altera excidentia significant, sub elementorum significatione, ita quòd huiusmodi mixta à prædominio vera elemẽta dicantur. Hæc nanq; à prædominio mixta corpora, calida, frigida, humida, & sicca ab Athaneo verè elementa reputabantur animantium omnium; quæ & si mixta ea dicebat, inter omnia tamen ea minima, ac simplicissima asseuerabat. Contra quæ innititur Galenus dicens; inter omnes corporis nostri particulas nullæ minores, ac simpliciores quò ad sensum inspiciũtur, quàm similares partes, & quatuor humores; erunt igitur elementa apud eum, aut similares partes, aut quatuor humores; at de similaribus partibus non potest intelligere; quando & ipse dicat, simplices, similaresque partes omnes ex primis factas esse elementis, ex ipsis deinde similaribus aliæ constitutæ sunt animalis particulæ. Si modò similares partes ex primis constant elementis, certum est, quòd ipsę non sunt prima elementa, sed potius illa, ex quibus ipsæ similares constant; cùm igitur ex humoribus hæ immediatè constructę fiant, necessariò secundum eius sententiam quatuor humores erunt prima humani corporis elementa, & pariter sanguineorum animalium omnium; & hi sub calidi, frigidi, humidi, & sicci nomine ab ipso promulgantur, & connotantur; propter vniuscuiusq; harum qualitatum in singulis superabundantiam. Sed & quoniam humores mixti sunt, & in vnoquoque præcipuè qualitas vna prædominans est; opus igitur erit, & horum quoque alia perquirere elementa; quando mixtũ quodlibet ex elementis semper constitutum sit; habebunt itaque humores elementa propria ex quibus commixti fuere; & à quibus prædominium excedentis qualitatis sumpserunt; horum autem elemẽta re vera alia esse non possunt, quàm prima quatuor simplicia corpora, ignis, aer, terra, & aqua; quando nulla alia intermedia assignari, fingiue possint inter ipsos humores, & simplicissima hæc prima corpora. Iure igitur quatuor hæc prima corpora, terra, ignis, aer, & aqua sunt humorum primò, mox cunctarum partium communissima, & prima elementa. Si igitur hæc sunt vera elementa prima, & simplicissima ex propria natura, quæ ratio talia esse verè nobis indicat, & demonstrat; perperam igitur & malè humores tales esse prædicantur. Ex sufficienti modo partium enumeratione concludimus necessariò, nomina hæc calidum, frigidum, humidum, & siccum, tertium tantum significatum proprijssimè denotare; quod est corpus simplex impermixtum secundum naturam summam obtinens qualitatem, iuxta (dico) Athanei propositum; quoniam cùm ipse verè hominum, & animalium prima elementa præexponere instituat, eaque calida, frigida, humida, & sicca appellari asserat, quæ nomenclaturę cùm tria hæc tantum significata habere inueniantur; & summas qualitates, & mixta corpora in qualitate vna excedentia; & prima verè ipsa simplicia, ignem, aerem, terram, & aquam; cum perperam semper (si elementa denotare cupimus) primas denotant qualitates; quæ verius principia, quàm elementa dicuntur; & mixta pariter in qualitate prædominantia, quæ minimè elementa sunt, veluti demonstrauimus; de necessitate ergo sequitur, quòd prima ipsa simplicia, ignem, aerem, terram, & aquam, verè connotãt; quando hæc verè elementa sint. Summopere igitur aberrauit Athaneus contra veritatem ambigens, simplicia hæc prima corpora per huiusmodi nomina consignificare; quando & ab Hippocrate illa eadẽ prima corpora fuerint istiusmodi dicta, & nuncupata; calida scilicet, frigida, humida, & sicca; cùm dixit, & rursus cũ hominis corpus demoritur, singula necessariò ad suam naturam discedunt, humidum ad humidum, calidum ad calidum, siccum ad siccum, frigidũ ad frigidum: non solas inquit qualitates humiditatem, siccitatem, frigiditatem, & caliditatem, sed ipsas substantias in quibus qualitates hæ reperiuntur; substãtiæ nanq; ipsę sunt, quæ in hominis morte recedunt, & elementis vniuersi cõmiscentur; qualitates

verò

verò corrumpuntur, & nullatenus ad propriam reuertuntur naturam. Et de his satis. Sequitur Hippocrates vltimam, & completam elementorum conclusionem, inferens.

X.V.

Nempe talis est tum animantium, tum cæterarum rerum omnium natura.

Superius ex priscorum Philosophorum sententia triplicem naturam esse asseruimus, materiam primam informem, ingenitam, & æternam; hæcque ipsa apud eos potiori naturæ nomine significabatur. Secundò habitus & affectiones, quæ primo huic informi subiecto inerant, (materiales formæ à Peripateticis dictæ) natura, & naturalia nuncupabãtur. Tertiò accidentia omnia, cùm propria, tum communia sub naturæ nuncupationem accedebant. Ex Hippocratis autem sententia, superius duas tantum veras naturas indicauimus, formalem vnam, elementalem alteram; quæ & si ingenita, incorruptibilisque permaneat; non propterea ea potior, ac verior natura ab ipso asseritur; sed communis, vniuersalisque tantum nominatur; quando communis omnibus, vniuersalisque plurimum reperiatur. Formalis verò natura, quæ forma, & temperies dicitur, vera & propria vniuscuiusque natura nuncupatur; quoniam vera particularis, & singularis essentia, & perfectio vniuscuiusque quod est, existit; vnumquodque nempe quod hoc aliquid est, per propriam naturam secũdum Hippocratem est. Proprijssima nanque, & verissima natura apud ipsum, & Aristotelicos eum insectantes, est id per quod vnumquodq; singulariter est id quod est, & verè in esse permanet, & conseruatur; id autem per quod vnumquodque est, & conseruatur, est temperies, & forma, vt infra clarius ostendemus; ergo forma, & temperies potissima, & verissima natura ab ipso enuntiatur. Nempe talis est temperies inquam, & forma, tum animantium, tum cæterarum rerum omnium natura; particularis scilicet, perfecta, & absoluta; per quam vnumquodque singulariter est id, quod est, & conseruatur. Possumus equidem & iustè ad elementalem naturam hæc verba referre; quòd quatuor videlicet elementa tum animantium, tum cæterarum rerum natura sit, vniuersalis scilicet, & communis. Communia nempe cunctis elementa sunt; proinde & iure optimo communis natura nominatur. Quoniam enim elementa, & materia nullibi absque forma, & temperie inspici licet; neque enim hæc sine illis, neque illa sine his naturaliter subsistere possunt; sed vna simul iunctæ in re semper reperiuntur, mente tantummodo diuisæ existentes; ne mirum igitur quòd vnico, & quàm breuissimo sermone voluerit has, vt sunt realiter nexæ, ita etiam vnà simul explicare, dicens. Nempe huiusmodi est, tum animantium, tum cæterarum omnium rerum natura; elementalis scilicet, & formalis. Sed quia materialis, & elementalis hæc natura (sicuti diximus) communis omnibus reperitur; propterea minimè perfectissima natura ab Hippocrate iudicatur. Formalis verò cùm singularis, & propria sit, iure talis ab ipso censetur; meritò ergo de hac, vt nobilissima, & perfectissima, Hippocratem principaliter sensisse arbitramur. Quamobrem de ea & nos iuxta eius, & Aristotelis sententiam, sermonem protrahemus; apertè cunctis demonstrando hanc veriorem, potioremque materia naturam esse. Est enim ipsa natura, quæ forma appellatur apud Hippocraticos, temperies, quæ temperat, format, & perficit quodcunque mixtum corporeum, tam animatum, quàm inanimatum, & idipsum conseruat; hinc forma, perfectio, absolutioque vniuscuiusque naturalis rei, & conseruatio nuncupatur. Quam temperiem, & formam, à completa vniuscuiusque entis essentia, & perfectione interna potissimam, & absolutissimam dixerunt naturam. Hanc ipsamque Hippocrates temperiem semper; Aristoteles peculiari nomine entelechiam, habitum scilicet iuxta absolutum finem; Peripatetici formam, & actum vocarunt. Istam igitur temperiem, entelechiam, & formam hac præcipua ratione naturam constituerunt. Omne illud cuius præsentia res naturales sunt, & existunt, est natura; (quoniam vnumquodque tunc dicitur esse, & existentiam habere, cum suã acceperit naturam) sed naturales res omnes sunt & existunt, præsentia temperiei, formæ, & entelechiæ; vt ostendetur; ergo temperies, entelechia, & forma est natura; minor probatur. Vnumquodque eorum, quæ sunt, tunc est, quod est, quando eorundem perfectio interna vndique completa & absoluta fuerit; sed eorum perfectio interna, completa, & absoluta est ipsa temperies, forma, & entelechia; (vt supra abundè diximus infraque etiam dicemus) ergo vnumquodque est, & actu existit, per formam, entelechiam, & temperiem. Vnumquodque quidem tunc est, & existit, & esse & existere dicitur, cùm formam, & entelechiam receperit. Ratiocinantur quoque & id ipsum hoc pacto; id cuius præsentia naturales res naturales appellantur, est natura; quoniam quodcunque à re, à qua essentiam habet, essentialiter denominatur; sed temperiei, & entelechiæ præsentia res naturales appellãtur; (tunc enim naturalia cuncta &

Gal. in proœmio primo libri de natura hominis.

2. phy. cap. 20.

2. phy. t. 11

2.ph.t. 14. sunt, & nuncupantur, cùm formam, entelechiam, & temperiem receperint) ergo forma, temperies, & entelechia sunt natura. Præterea omne id, ad quod id quod oritur, & fit, petit, & properat, est natura; (nam quælibet naturalis generatio ad naturam terminatur) at id quod fit, & nascitur, in formam, & temperiem semper properat; ergo forma, temperies, & entelechia est natura. Rursus omne quod substantialiter naturalia denominat, est natura; nam omne, quod substantialiter denominat aliquod tale, ipsum est essentialiter tale; neque enim quicquam est, quod elargiatur aliquod, & huius expers esse dicatur: Sed generationis fines omnes qui sunt ipsæ temperies, & formæ, essentialiter denominant naturalia cuncta, quæ ad ipsos per generationem proficiscuntur; ergo forma, & temperies, quæ sunt generationis fines, sunt natura.
2.ph.t. 14. Hinc tertius significatus naturæ apud Peripateticos manifestatur; quo dicunt generationem, & viam ad formam naturam esse; sic quippe germen, & productionem fructuum naturam appellant; Vnde & sic etiam ratiocinantur; omne quod naturaliter fit, & ad finem, & ad perfectionem tendit, à fine illo natura, & naturale nominatur; quando singulum quod fit, nomen trahat ab eo, ad quod tendit, cùm per id essentiam habeat, & actu existat; & non à quo discedit; nam hoc priuatur, & denudatur; at ad formam, entelechiam, & temperiem generatio quælibet tendit, & properat; vt ad finem intentum; hæ quidem perfecti generationis fines sunt, ad quos generatio semper tendit; nec alij dantur generationis fines, quàm forma, temperies, & entelechia; ergo generatio quælibet, & pariter genitum omne, à forma, & entelechia, & natu-
2.ph.t. 14. ra, & naturale nominatur. Postquàm ostendimus, quòd forma, & temperies sit natura, ostendimus vlterius, quòd magis quoque natura sunt, quàm materia. Vnumquodque enim magis dicitur, secundum quod est actu; quàm secundum quod est potentia; vnde forma secundum quam aliquid est naturale in actu, est magis natura, quàm materia, secundum quam est aliquid naturale in potentia; res enim naturales secundum materiam dicuntur in potentia tantum naturales, sicut & dicuntur tantum in potentia; at secundum formam, & temperiem naturales simpliciter nominantur, sicuti etiam tunc simpliciter esse dicuntur. Illud ergo erit magis natura, à quo res dicitur esse naturalis in actu, & simpliciter; quam illud, à quo res dicitur naturalis solum in potentia; sed à forma, entelechia, & temperie nominantur res naturales in actu, & simpliciter; à materia verò tantum in potentia; ergo forma, temperies, & entelechia sunt magis na-
» tura quàm materia, cuius oppositum veteres asseuerat. Hoc itaque est id, quod præcipue Hip-
» pocrates hic infert; de formali natura vt nobilissima, & perfectissima. Hæc quidem est, cum animantium, tum ceterarum rerum omnium natura: hæc scilicet quatuor elementorum tempe-
Formalis natura diffinitio. ries, entelechia ab Aristotelicis dicta, ipsa nempe particularis, & propria vniuscuiusque entis natura appellatur. Quam ita descripserunt, natura, quæ forma, & temperies dicitur, est vis, & facultas, quæ per corpora diffunditur, eorumque formatrix, & conseruatrix, principiumq; motus, & quietis in eo cui inest, per se primò, & non secundum accidens.

Si autem quis obijciat, quomodo Galenus naturam hanc, quam nos describimus, præter temperiem, & formam, innatum etiam calidum ex Hippocratis sententia sæpissimè nominet; primò anim Aphorismorum ait; neq; enim aliud quicquam est natura animalium præter innatum calidum secundum Hippocratis opinionem; quoniam neque aliud quicquam animal ab initio efformauit, sicuti neque rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit, præterquàm iste calor innatus, de quo nunc habetur sermo; hic enim est omnium operum naturalium causa. Ex libro octauo de decretis Hippocratis, & Platonis inquit, Hippocrates semper innatum calorem omnium naturalium operum auctorem esse ait; Plato non calorem, sed ignem appellat, dum dicit omne animal in sanguine, & venis calorem, quasi ignis quendam fontem habere; & libro sexto de morbis vulgaribus iterum ex Hippocratis sententia affirmat, animæ substantiam calorem esse naturalem, quem naturalium operum multis in locis auctorem esse testatur. Ad hæc dicimus, quòd animantium natura, & temperies, & calor innatus indifferenter ab Hippocrate nominatur; Temperies nanque dicitur, quoniam primæ ipsæ facultates temperatæ, & moderatæ sunt; Calor verò innatus, quoniam calor ipse in mixtione omnibus præfertur; ipse nanque cæteris collatus se habet, vt agens, & vt forma, reliqua vt materia, & vt patiens; nam proprium caloris est componere, & congregare homogenea, alienaque ab eis separare; hoc quidem pacto necesse est, vt fiat mixtorum corporum generatio; vt scilicet vi agentis ea in vnum componantur, quæ naturæ mixti conueniant, aliena verò abijciantur, & secludantur; est etiam (vt diximus) veluti forma aliorum elementorum miscibilium; nam vi caloris, seu ignis continentur in vnum ea, quæ sunt inuicem composita, & commixta. Generatio ergo mixtorum omnium calori per se primò attribuitur; & igni, qui fons est caloris cuiuscunque. Proinde calor inna-
Calor innatus, & ignis tus, & ignis natura vniuscuiusque mixti ab Hippocrate, & Platone multoties nuncupatur. Sed multò melius, ac rectius insitus calor (ait Galenus) quàm ignis nominatur; & si vterque

ipsorum

ipsorum eisdem ferè naturis præditi sint; quòd sursum scilicet, & deorsum naturaliter ferantur, & quòd perpetuò fomento indigeant, quo præseruentur. Ignis nanque cùm leuissimus, ac rarissimus sit, & ad superas statim euolet oras, rarissima etiam ac paucissima præditus est materia; qua præ cæteris elementis corruptioni expositus est; exigua nanque & rara eius materia existens, ob raritatem suam dispergitur, ac totam se exponit viribus agentis; quod non faceret, si in se ipsa constipata esset, & collecta; quare facile vincitur, & corrumpitur vi corporis alieni. hac profectò ratione videmus, quemadmodum ignis apud nos existens, neutiquam ipse per se consistere potest, sicuti aliorum elementorum particulæ consistunt. Et propterea continuo indiget nutrimento, ex quo possit continuato tenore generari, atque fluere veluti à quodam fonte; ex quo in sublime, vt fluuius quidam feratur, pauloque post ad imum alimenti appetens, trahatur; sursum itaque atque deorsum naturaliter ignis fertur; sursum propria leuitate, deorsum alimenti appetitu, vt alatur, & substenretur. familiare autem ac proximum ignis alimentum est vapor aeris, præsertim si immixtus fuerit terrestri siccitati, seu terræ exhalationi; vi ergo ignis à combustibili corpore resoluitur vapor istiusmodi, qui statim correptus ab igne, flamma efficitur; hæc nanque ab eo fonte, vbi vapor ille resoluitur, fluit continuato lapsu ad superna, & ne confestim intercidat, ad alimentum mox se conuertit. Aequali planè fortuna (ait Galenus) in animantium corporibus calor innatus se continet: nam in libello de tremore, rigore, & conuulsione calidi innati essentiam ex Hippocratis doctrina explicans, inquit. Vniuersum animantis corpus conflaxibile, & conspirabile existit; calorem autem non acquisitum, nec animalis generatione posteriorem, verum ipsum primum, primogenitum, & insitum; ac natura, & anima nihil aliud quàm hic existat: vt essentiam se ipsam mouentem, semperque mobilem existimaus, non erres. Qua enim semper mobilis est insitus calor, non intra tantum, extranè mouetur, sed alius alium motum semper excipit; nam intra firmus, immobilis ocyus euadet, extrorsum, dissiparetur, & periret; modicè autem extinctus, ac modicè adauctus (vt Heraclito placuit) perpetuò mouetur. Succenditur quidem ad ima lapsus, quo alatur appetens, at auctus, & vndequaque expansus extinguitur. Quòd autem extrorsum exeat, & afferatur (& vt sic dicat aliquis) explicetur, à principio proprio, quia calidum natura est, obtinuit; intro autem fertur, & deorsum, hoc est ad proprium principium viam init; & vt alimento foueatur, & quoniam frigidi aliquatenus particeps est; quippe ex calido, & frigido temperatus. Prima sanè calidi ratione, sua sponte mouetur; atque hoc potissimum ad actiones indiget; magnum tamen ipsi vsum, & frigidum exhibet; solet enim calidũ in sublime attolli, & cum eo alimentum adducere, si autem frigidum non obstaret, etiam longissimè procederet. Fit autem frigidum huiusmodi caloris motui impedimento, ne dispersus aboleatur; quippe periculum est, ne ipse præ leuitate, & impetu sursum à corporibus discedat; sed frigidum retinet, impeditque, & vehementiam nimij huius motus tollit. Hucusque Galenus. Quibus apertè declarat, quemadmodum innatus animãtis calor, sicuti & ignis intro, & extra, & sursum, ac deorsum naturaliter feratur; sursum & extra propria vi, & calidi natura; intro ac deorsum alimẽti appetitu, vt alatur, & substentetur. At non vniformiter id assequuntur, calor enim innatus prout moderatus, & temperatus secundum propriam cuiuslibet animati mixti naturam id obtinet, & assequitur; ignis verò liberè, & absolutè iuxta propriam elementi leuitatem id consequitur. Sic quidem Galenus iustè iudicauit rectius Hippocratem, quàm Platonem animantium calorem nuncupasse; quando calor ipse, vt benè hic Galenus ait, frigidi mixtione moderatus existat; & iuxta propriam mixti moderationem agat, & operetur. Quòd autem & aliarum quoque qualitatum mixtione, humidi inquam, & sicci insitus animalium calor moderatus fit; primo Aphorismorum pulcherrimè edocet, dum dicit. Substantia innati caloris aerea est, & aquea; sicuti ex semine licet coniectari, quod paucam omnino terrenam substantiam participat, plurimum autem aeris calidi, humidique in se ipso continet; & quidem alterum nostræ generationis principium, sanguis videlicet menstruus, humidum natura est. His nempe verbis totam temperiem, & moderationem innati calidi manifestat; quæ ex frigido primo temperante, ac plurimo aereo, & aqueo humido, cum modica terrestri substantia consistit. Humidum quippe aereum propria caloris materia dicitur, qua nutritur, & fouetur; inde euenit, vt naturalis calor vim habeat trahendi ad se humidum; vicissimque humidum vim habeat, non attrahendi, sed consequendi calidum; inter se nanque se habent calidum, & humidum, vt perfectio & perfectibile. familiare itaque ac conueniens igni alimentum, humidum suppeditare clarè sic ostendimus. Nam quoniam ignis fomento indiget, (vt diximus) terra autem, & aqua cum sint maximè frigida, igni plurimum contrariãtur, quamobrem nisi prius molliantur, ignis partem propinquam extinguent, & non nutrient; indigent ergo alterius corporis ope, vt igni præstare fomentum possint. id verò aer commodissimè præstare potest; vtriusq; illorum

eadem ferè natura præditi sunt.

Natura, & anima nil aliud, quàm calor innatus.

Calor innatus ex contrarijs omnibus moderatus.

frigiditatem temperans, adeo vt terra, aquaque aeri immixta, compositaque pabulum suppeditent igni, quo foueatur, & conseruetur; tenuitate etiam aeris massa terrae, & aquae compacta fermentatur, adeo vt vis ignis totam queat permeare, & concoquere. Aqua verò & terra sunt materia mixtorum omnium corporum perfectorum, eorum inquam, quae habent formam mixti corporis, per quam in propria specie constituuntur: etenim sine magna terrae copia nullum corpus constans esse posset, sed diffflueret, passimque in minutissimas partes deduceretur, ob vim eorum quibus occurreret; nullum item terminum, seu finitionem propriam haberet. At terrae partes sine aqua inuicem haerere minime possent; sicuti farinae ramenta sine aqua nequeunt inter se haerere; ad compositionem ergo mixti, opus est aqua, & terra; Amplius aer terrae per se misceri minime posset, nisi aqua quasi medio quodam, & veluti internuntio conueniret cum terra; per se autem, neque etiam fingi posset, qua ratione aer terrae misceri valeret. Amplius praeterquam quòd corpus ex aqua, & aere compactum siue terra nequiret per se constare; duo ea elementa, cùm sint maximè humida, non praestarent pabulum igni conueniens, quo ali posset. Sicuti ergo caliditate aeris temperatur aquae, & terrae frigiditas; ita siccitate terrae temperatur aquae, & aeris humiditas; hocque pacto paratur fomentum igni, & calido innato, quo ali possint, & sustentari. rationi experientia concordat; nam ea mixta corpora, quae sunt aereo humido, & terrestri substantia permixta, sunt aptissima vt accendantur, & vt facillimè in flammā & ignem vertantur. Sic vtique ex his primis principijs declarauimus, quemadmodum calor innatus ex his omnibus moderatus existat, & ex his pariter omnibus seruetur, vnde & temperies iure dici meretur, cùm re vera temperatus sit. Ne mirum igitur, si & temperies, & calor innatus absque discrimine ab Hippocrate nuncupetur hominum, animaliumque natura, quando his duobus nominibus iustè, & verè illa nominanda venit.

Combustibilia corpora.

Quod autem Galenus. xj. Methodi protulit; naturam ex tribus partibus constare; ex spiritu videlicet, & ex solidarum partium substantia; quae partes ex genitali semine conditae sunt; & tertiò ex carnosa substantia; quae ex sanguine gignitur; de vniuersa ibidem totius corporis nostri substantia, & essentia loquitur, iuxta primas eius integrales partes, fusa nimirum appellatione naturae nomine vtitur; verius nanque naturale, & naturam habens, quàm naturam pronuntiasset, Conforme huic primo Aphorismorum repetit; verum ipsius primae nostrae naturae, seu temperamenti tria sunt, quae substantiā compleuerunt, spiritus scilicet, sanguis, & seminalis humiditas; tres nanq; praecipuas, ac potissimas primae nostrae substantiae corporeae (quam abusiuè naturam nuncupat) integrales partes manifestat; ex quibus in primo ortu animalis partes solidiores fiunt, & perficiuntur; hae nanque maximę, ac potentissimae sunt ad vniuersam totius substantiam absoluendam. quae verius, & certius naturam habentes, & naturales dici merentur, quàm natura; quando ex materia, & forma, veris naturis compositae existant; vnicuique enim illarum, tum forma, tum materia propria attribuitur, & si singulae hae partes actionum, functionumque omnium animantis corporis principia nominantur, non propterea naturę nuncupandae; quoniam illarum, non vt formae, & natura, principia sunt; sed vt proximum instrumentum operans; iuxta illud Philosophi primo de anima, melius autem est fortasse, non dicere animam misereri, aut discere, aut intelligere, sed hominem anima; operationes nanque perficientia principia apud Peripateticos particulae dicuntur; Vnde autem motus principia, & forma, & temperies appellantur, subsequitur Hippocrates praedictam sententiam comprobando.

Aphor. 15.

tex. 64. & prohoemio metaphisic. 1. de anima t. 81. & te. 82.

XVI.

Omnia similiter gignuntur, similiter intereunt omnia.

Omnia scilicet mixta genita, tam animata, quàm inanimata, ex elementali, & formali natura producta, & genita sunt; pariter ex corruptione elementalis, & formalis naturae intereunt, & pereunt omnia; ex formali cum forma, & temperies corrumpitur; ex elementali, quando elementa ipsa disuniuntur, & dissoluuntur à temperie, & mundi elementis immiscentur. denuo illud idem asseuerans, prosequitur aiens.

XVII.

Constat enim natura ipsorum ex his praedictis omnibus; & desinit iuxta praedicta, in id, vnumquodque vnde est compactum, secedens.

Diximus supra aequè bene Hippocratem intellexisse, & elementalem, & formalem naturam cùm protulit; nempe talis est, tum animantium, tum reliquarum rerum natura, quando inuicem hae semper iunctae teperiantur; & haec ipsarum natura dicatur, vt simul sint; neque

enim

enim forma absque materia, neque materia absque forma persistere potest, in præsenti hoc id ipsum his verbis comprobat, & prius de formali, vt de perfectiori, sermonem profert; constat enim natura ipsorum ex his prædictis omnibus, formalis inquam; animatorum natura ex his prædictis quatuor elementis constat; ex his enim tantum, & non ex alijs, forma, & temperies exsurgit, & conficitur. Quæ quidem forma, & temperies vtrum in animalium rationalium morte pereat, & corrumpatur; an superstes & incorruptibilis sit, cùm de formali causa loquemur, tunc illius loci hæc ipsa tractatio erit. elementalis autem natura, quæ est quatuor simplicia corpora, certè non corrumpitur; sed in vltima corporis putrefactione dissoluuntur, disgreganturque, & ad quatuor mundi elementa, vnde euenerunt, se recipiunt. Quocirca & rectè de ipsa hæc verba subdit Hippocrates; desinitque (vt dictum est) in ea ipsa, & vnde est conflatum illuc quoque sese recipit vnumquodque. Vnumquodque enim in vltima mixti dissolutione, ad suam primam originem recedit, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum, vt supra de his abundè diximus. Insurgunt denuo quidem arguentes, quòd nequaquam ex his simplicibus, igne, aere, terra, & aqua cuncta consistant; & inquiunt, mirum quippe videtur, si homo, aut alia animalia ex primis istis conformata sint; quòd nunquam visum sit, aliquod simplex elementum è corporibus exiuisse, nec vnquàm similiter iniectum eisdem fuisse; cùm igitur nihil tale simplex, & purum sensibiliter è corpore extrahatur, nec eidem etiam addatur; meritò dubitatur, an viuentia, & alia mixta corpora ex his constructa sint. Quibus omnibus satisfacere Galenus nitens, inquit; quòd quando secundum solam qualitatem alterare corpus contingat, vt in præternaturali corporum dispositione euenit; cùm corpus in aliqua qualitatum modum excesserit; ita quòd opposita qualitate ad excessum emendandam indigeat; si summè excesserit, summa quoque opposita qualitate ei opus fuerit; quæ cùm non nisi in puris elementis reperiatur, tunc purum ipsum elementum afferendum; veluti ignis, aer, aqua, & terra. Id quod non semper expetendum est; vt vnumquodque animal ignem ingerat, aut aquam, aut aliquid alterum per seipsum solum absque illo aliorum consortio; sed illo tempore tantum, quo summa qualitas est corpori necessaria. Addit præterea & ipse, quòd & vt in plurimum hoc etiam contingit, quoniam syncerissimis mundi elementis sæpissimè vtimur: Aqua quidem quotidie & in potu, & in balneis, & quouis alio modo; aere verò nobis vndique adiacente, & per inspirationem attracto; & nonnunquam algentes indigemus igne; ego enim illum, (inquit Galenus) qui in gelu ab igne calefit, dico ignem in corpus resumere; & qui aquam bibit, aquam; & qui respirat, eadem ratione aerem; & quidem quæcunque animalia vel arenam, vel terram, vel lapides, vel cenum comedunt, hæc omnia liquido intra corpus terram assumunt. Falsum igitur omnino proferunt, quòd nunquàm prima quatuor simplicia corpora animantium corporibus adijciamus. Nam quemadmodum clarè indicauimus, ea sæpissime pura, & impermixta corporibus nostris adhibemus. At dices, hæc nunquam immixta, & simplicia sunt; cùm in aliena reperiantur materia, & circa medium continuè existant. Ad hæc dicimus, quòd in propria, & vera sunt materia, nam non esse ör aliter elementa; & si aliqua leui alteratione circa terræ locum alterata sint; non propterea dicendum, quòd non sit eadem elementorum materia, & eadem consimiliter forma, & per consequens eadem simplicia elementa; neque enim ex tam modica, & minima alteratione ipsæ elementorum species adulterantur, & extra eorum specificas formas eijciuntur; quando & suam naturalem obtineant latitudinem; intra quam simplices, & impermixtæ simplicium corporum formæ conseruantur, & nominantur. Ac ita iustè vnumquodque quod circa medium est simplicium corporum, suo modo syncerum, & impermixtum dici meretur; cùm intra suæ specificæ formæ latitudinem contineatur. quòd verò consimiliter è mixtis corporibus simplicia ipsa elementa extrahantur; apertè id ostendit Hippocrates in vltima corporum resolutione, cùm ait; Rursus cùm hominis corpus demoritur, singula necessariò ad suam naturam discedunt, humidum ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum. clarum nempe est apud Hippocratem, quatuor mundi elementa simplicia, & immixta esse; quando enim mixtorum corporum elementa in vltima resolutione ad propriam recedunt naturam, ad immixtionem scilicet, & puritatem redeunt; propria nanque eorum natura est pura, & simplicia esse; ergo ad puram, & simplicem essentiam accedunt. ex his ergo habemus, qualiter etiam circa medium hic vbi incolimus, simplicia, & impermixta inspiciantur elementa. An verò in simplicissimo, & purissimo actu in mundo ea sint; & sensu demonstrari valeant; aliud quæsitum est; nec item inficias, quàmplurimas elementorum partes in proprijs locis simplicissimas, ac purissimas reperiri; sensu tamen eas minimè discerni posse; ex eo quòd sensus super huiusmodi non potest dijudicare; etsi enim rectè ipse iudicauerit, ea calida, frigida, humida, vel sicca esse; an verò postea perfecta simplicia sint,

Gal.1.lib.de elementis.

1.de elementis circa finem.


cia sint, in supremo, & purissimo actu, an non, hoc minime discernere valet: Quoniam id vires eius transcendit, & superat; neque enim illucusque sensuum vires se extendunt, vt esse entium absolutum in sua perfectione agnoscat. Sed mentis, & rationis hoc proprium munus est; ratio itaque demonstratiuè hoc id ipsum nobis indicabit. Definitio etenim ipsorum simplicium corporum maximè ostendit quàmplurimas vniuscuiusque elementi puras particulas reperiri in proprijs sitibus. Nam si re vera horum definitiones traduntur, sicuti & ipsa sunt; cum ipsorum rationes, prout rerum in natura existentium, reperiantur; debent verè ipsa actu existentia inueniri, sicut & definita fuere. Habent igitur elementa talia actu in natura existere, & reperiri, qualia fuerunt descripta; nam secus secundum intentionem tantum forent, & minime naturalia. Elementorum autem rationes, quæ verissimæ habentur, sunt Galeni in primo de elementis, & Aristotelis quinto Metaphysices capite tertio; quæ ferè in idem incidunt; Aristoteles, elementum est ex quo componitur aliquid primò in quo existit, & non diuiditur in partes diuersarum specierum; vt vocis elementa, ex quibus vox componitur, & in quæ diuiditur vltima; illa verò non adhuc in alias voces ab ipsis specie diuersas; sed si diuidantur, particulæ sunt eiusdem speciei, (vt aquæ particula, aqua) sed non syllabæ; similiter autem & corporum dicunt elementa; dicentes in quæ diuiduntur corpora vltima; illa autem non adhuc in alia corpora specie differentia; & siue vnum, siue plura, talia hæc elementa dicantur. Hactenus Aristoteles. Galenus verò, elementum est prima, & simplicissima corporis pars, quæ verè secundum naturam minima, & simplicissima est; & non secundum sensum, neque enim sensus eam discernere potest. Hæc quippe verè minima naturalis, ac simplicissima compositi pars neutiquam in diuersarum specierum partes secari poterit: Quemadmodum grammaticorum exemplo apertè ipse manifestat, dum ait; Grammatici enim quatuor, & viginti esse vocis elementa profitentur; hoc est simplices, & primas particulas, quas in alias non diuidas amplius, sicut syllabas: Quippe de hac syllaba stra, si primum detrahas elementum, S, nihilominus reliquum tibi tra erit, quod & ipsum syllaba permanet; itidem si à tra primam auferas literam, t, id quod huius reliquum est ra, diuidas licet; at tibi dissecandæ literæ, a, potestas amplius non datur: Nunquàm enim, a, diuides, ita vt possis ostendere ipsum ex duplici, aut triplici sono constare, sed vnicus est, atque indiuisus eius sonus; non quidem simpliciter secundum quantitatem, sed secundum speciem tantum; indiuisibile est namque, a, iuxta speciem solum, & non secundum quantitatem. Sic quoque illi qui quatuor ea, ignem, aerem, terram, & aquam esse aiunt elementa generabilium corporum; ob id ipsa prima, & simplicia elementa statuunt, quòd sigillatim amplius in plures species secari nequeant. Hæc Galenus; quibus clarè ostendit vnanimem se cum Aristotele in elementorum positione, & assertione esse; quòd minima scilicet, ac simplicissima corpora illa sint, iuxta speciem prorsus indiuisibilia in alias partes. Ad propositum itaque redeundo dicimus, quòd cum à Medicis, ac Philosophis elementorum ratio, & definitio, vt naturalium entium actu existentium, assignatur; prout scilicet talia actu sunt, & existunt: Habent & hæc talia actu in re reperiri, qualia descripta fuere. Res enim vt in rerum essentia sunt, ita quoque definiuntur; nam si aliàs describerentur; tunc nulla profectò talis ratio foret, & omnino falsa diceretur. Si igitur verè simplicium, & impermixtorum corporum, non in alias species diuisibilium actu existentium est descriptio, & ratio; & ipsa quoque simplicia, & verè impermixta in actu qualiter descripta, & definita fuere; habent esse, & inueniri. Materia verò prima quemadmodum in potentia describitur, & definitur, ita & in potentia quoque reperitur: nam quales res ipsæ sunt, tales quoque definiuntur; vt tales quales sunt, verè cognoscantur, & sciantur. Elementa igitur cùm actu pura, & simplicia non in alias species partibilia describantur; actu pura, & simplicia huiusmodi inuenientur in natura rerum; vt talia, qualia sunt, verè sciantur, & cognoscantur: Si verò obijciatur; plurimæ sunt rationes, quæ oppositum ostendunt: respondendo breuiter ad omnes dicimus; veritatem has solummodo habere; de his elementorum partibus, quæ circa medium nanciscuntur; vbi mixta omnia procreantur, & genita cuncta degunt. De istis enim partibus, quæ circa terram sunt, & nos fatemur quoque, quòd semper ferè omnes impuræ, & impermixtæ inspiciuntur: (continuè tamen intra specificam eorundem latitudinem) propter vniuersalis naturæ finem; omnium scilicet generationem, nutritionem, & communem conseruationem: quando genita omnia ex mixtis semper necessariò constant, nutriantur, & foueantur. Quòd tamen in amplis suorum locorum circuitibus (vtpotè magnam latitudinem amplectentibus) plurimæ, & ferè infinitæ vniuscuiusque elementorum simplicissimæ, ac purissimæ reperiantur partes; nulla erit ratio hoc suadens efficax: nec obstat ea plurimum variabilia, & mutabilia esse, vtpotè ex mixtis compositis, confusisque pura, immixta, & simplicia: & è contrario ex puris, simplicibus, & immixtis confusa, mixta, & composita facilè fieri, & permutari: quando eorundem omnium hæc

1. de natura humana co. primo.

sit pro-

sit propria, & innata natura; vt vicissim admixti generationem, & permutationem accedant, recedantque, ac inuicem alterentur, & conuertantur. Hæc nempe est continua eorum naturalis actio; & passio; vt perpetuò inter se transmutentur, ac pariter ad mixtionem, & compositionem accedant. Neque enim si ea sincera; & pura actu inueniri concedimus, perpetuò ea huiusmodi esse fatebimur; ita quòd si pars aliqua elementi simplex, & impermixta in supremo actu in aliqua sui loci parte nunc reperiatur; intransmutabilem illam fore (more Empedoclis) existimemus. Hoc nempe foret eorundem propriam diruere naturam; quæ in continuo, ac perenni naturalium formarum motu, & transmutatione versatur. Sed de his hactenus. Sic igitur claré, & apertè ex Hippocratis placito vniuersaliter contra antiquos demonstratum est; neque hominem, neque aliud alterum ens productum vnum tantummodo esse, sed quatuor superius toties prædicta corpora, ignem, aerem, terram, & aquam, sensilium cunctorum entium communem, ac æternam fore naturam; Et ex his quatuor omnibus temperatis genitarum rerum omnium perfectiorem alteram, temperiem scilicet, & formam constructam, & formatam esse; Quę generabilium, corruptibiliumque materialis forma, Entelechia, Actus, & Perfectio ab Aristotelis nominatur. Et hæc de primis elementis dicta sufficiant. Ad solius Trini, & Vnius Dei gloriam, & laudem.

SEBASTIANI PAPARELLAE, IN LIBRVM HIPPOCRATIS, *DE NATVRA HVMANA* COMMENTARIVS SECVNDVS.



POSTQVAM Hippocrates demonstrauit omnium naturalium rerum communia esse elementa, Ignem, Aerem, Terram, & Aquam; modò ad alterum (inquit Galenus) transit elementorum genus, quod est proprium animalium sanguineorum; Nam sanguis, Pituita, Flaua, & Atrabilis (de quibus futurus est sermo) elementa dicuntur non hominis tantum; sed & reliquorum sanguinem possidentium; Hominis nanque propria elementa sunt particulæ minimæ, quæ similares appellantur, quarum partes vniuersæ eandem inuicem retinent formam; Vnde etsi in aliquibus similaribus sanguinea aliqua animalia cum homine communicant; veluti Equus, Canis, Simia, & id genus reliqua, quæ omnia & arterias habent, & venas, & musculos, & neruos, & ligamenta; nō tamen omnia hæc omnino humanis simillima; Nam vltra hæc alterius generis quædam possident, sicuti vngulas, cornua, aculeos, rostra, squamas, & cortices. Proinde propria singulis animalium speciebus elementa assignantur ipsæ primæ secundum sensum particulæ iuxta propriam eorundem specierum naturam: inter communia autem, & propria sanguineorū animalium elementa humores semper medij numerantur, mediū obtinentes locum; Propterea & media, & secunda in ordine elementa nuncupantur. Humores itaque ipsi sanguis, Pituita, & geminæ biles, post quatuor prima simplicia corpora sunt animalium sanguine præditorum prima, & communia elementa; ex ipsis nanque simplices cuiusque particulę immediatè constituuntur; vt in sanguine menstruo matris apertè licet inspicere; Ex quo sanguineorum animalium proxima elementa, similares, inquam, partes singulę genitæ perspiciuntur. Et quoniam sanguinem menstruum, & parentum semina, ex quibus similaria ipsa immediatè formantur, aliqui tantum sanguinem nuncupant, aliqui verò pituitam flauam, & atram bilem participare dicunt; hinc orta est discordia, nonnullis ex solo

sangui-

2. de elemētis. sanguine nos esse genitos, nonnullis verò ex quatuor humoribus,asserentibus. Non possumus autem æquè benè (ait Galenus) in his ostendere veritatem; sicut in primis elementis;nam sermo vterque habet probabilitatem;hoc idem in præsenti libro de natura humana repetit; Omnino alia eorum placita qui humorem vnum secundum naturā in corpore esse contendunt, facile conuelli possunt;illorū verò sententia,qui sanguinē esse volunt,non est leuis,sed vt conuincatur maior est contentionis. Ex quibus autem commoueatur Hippocrates verius arbitrati quatuor humores omnes hominis esse generationis materiam; hinc sumit initium. Sed nouo & diuerso ordine à superiori progreditur;nam prius mentem, & positionem suam hic affert, & veras suæ positionis rationes; mox contra opposita sententiæ argumentatur; suam itaque primò sententiam refert, dicens.

I.

Corpus autem humanum continet sanguinem, Pituitam, & Bilem geminam, Flauam, & Atram, & hæc illi sunt natura corporis, & propter hæc ægrotat, & sanum est.

Quid autem sanguis,Pituita,Flaua, & Atra bilis sit,primū digrediendo declarabimus: deinceps quomodo natura animatorum corporū & isti sint,interpretabimur. Quid igitur ipsi sint, & quo nomine dicantur, prius docebimus. Sunt quippe omnium medicorum consensu, animantium humores nuncupati; est enim humor corpus humidum,fluidum, in quod primum alimentum transmutatur. Humorum autem alij primò intenduntur à natura ad corpus alendum,qui cōfusi in venis reconduntur, & naturales appellantur; Alij verò ab his segregati sunt inutiles ad nutriendum,sed ad alios animantis vsus eis natura vtitur,& excrementitij dicuntur. Naturalium autem humorum alij vtiles, & boni;alij inutiles & noxij nominantur.pariter excrementitiorum,quidam vtiles,& boni,qui & nomen etiam naturalium retinent;quidā inutiles,quorum superuacanei alij, alij præternaturales nuncupantur. Hi nempe omnes, cùm naturales,tum excrementitij,quatuor cōplectuntur generibus;sanguinis videlicet,Pituitæ,Flauæ, & atræ bilis. Naturales autem humores vtiles, & boni nuncupati,prompti sunt, vt in partem substantiæ aliti conuertantur,eidemque similes efficiantur,rei dissolutæ vices supplentes. Inutiles verò, qui & innaturales quoque dicuntur, sunt & qui à causis præter naturam gignuntur, vt ipsimet naturales,cùm à pristina natura discedunt, corruptelaque deprauantur; tunc naturæ limites exeuntes, & non naturales,& nocui appellantur; Hi quidem nutritioni inepti sunt, raroque in optimum vertuntur humorem,immo antequàm id agere valeant,à corpore expelli, & excuti solent. excremētitij autem humores, qui vtiles, & boni,& naturaliū nomen seruant; sunt & bilis in vesicula, & melancolicus humor in liene, & pituita in articulis; qui propter multos salubres corporum vsus ibidem reconduntur; eis nempe natura vtitur ad vtiles plurimas corporis actiones perficiendas. Inutiles verò excrementitij (qui superuacanei dicuntur) sunt inutilia protsus, & superflua naturalium succorum excrementa, quæ à corpore vt noxia quotidie expelluntur, vt sudores,deiectiones, vrina, & sordida excrementa, quæ per cutis meatus continuè eijciuntur. Hi autem omnes excrementitij succi, tum vtiles, tum inutiles, cùm in prauis corporum habitibus præternaturaliter efficiantur innaturales, tunc excrementitij nominantur. Singulos hos modò percurremus humores, & prius naturales à sanguine cæteris præstantiore exordiendo. Est nanque sanguis (ad Hippocratis doctrinam) calidus, & humidus natura, (etsi Aristoteles secus sentiat, vt infra suo loco declarabimus) cuius duæ

Et Arist. 2. de partibus animalium ca. 3. sunt species,naturalis, & non naturalis: Naturalis enim sanguis rubei coloris est, prauo fœtore carens, & dulcedine præditus;cuius locus sunt venæ,& arteriæ;(vt in Galeni libello,an sanguis in arterijs natura contineatur,ostenditur) in his nanque potissimum vasis conseruatur. Is quidem est, qui moderatos, blandos, venustos, ac floridos homines facit. Non naturalis verò duplex est; alius enim est, qui à debita,& conuenienti temperatura transmutatus est, nō ob aliquod alienum sibi admixtum, sed ob vitiatam sui ipsius temperaturam, vt cùm præter naturam calefit,aut refrigeratur,non adeo tamen vt in aliud humoris genus conuertatur. Alius verò est, qui transmutatus est à natura sua, propterea quòd in ipsum aliquis vitiosus succus est ingressus;& is adhuc duplex existit,nā vel huiusmodi vitiosus succus aduentitius extra veniet,accedetque ad ipsum, eumque corrumpet; vel talis humor in ipsomet sanguine ortus fuerit; vt gratia exempli,si aliqua eius portio putresceret,cuius tenuis pars in flauam bilem,crassior verò in atram mutata fuerit, & vtraque earum in eo remaneat; hic quidem innaturalis ex permutatione dictus; Alter verò,qui ex aduentitio succo innaturalis fit, varius est, iuxta varietatem

rei,

sei, quæ ei admixta fuerit, ex generibus tum pituitæ, tũ atræ bilis, ac flauæ, atq; aquositatis: Sic atq; quandoq; turbulentus, quandoque tenuis, nonnunquam nigerrimus, aliquando albus efficietur, necnon odorẽ, & saporem propriũ mutabit, ita vt quandoq; amarus, quandoq; salsus, vel acetosus reddatur. Excremẽtitiosus verò sanguis paucus est, & minimè annotatione dignus apud Hippocratem; Nam propter purissimã eius essentiam, & temperiẽ nil profectò notabilis excremẽti excernit; & si tandem quid reijcit, insensibiliter partim, partim cum seroso humore, & per vrinam, & per sordidum excrementum, per exiguos (inquam) cutis meatus expellitur: Quòd enim Auicenna ait solum sanguinem inter cæteros humores subsidentiam, & sedimentum fœcale efficere, iuxta Peripateticos fortasse verum diceret; at penès Hippocraticos extranea loquitur. Et hactenus de sanguine. Pituitæ etiam alia est naturalis, alia non naturalis; Naturalis secundum Hippocratis disciplinam est frigida, & humida, & omnis prorsus saporis expers, quemadmodum & aqua; fertur hæc per venas cum alijs simul mixta; vt humidæ & frigidæ corporis partes ex ipsa nutriantur; Quòd autẽ Galenus secundo de naturalibus facultatibus, & prima primi capite de humoribus Auicenna eum insecutus dixere, pituitam dulcem esse, eique proprium membrum, vt receptaculum, naturam non destinasse; propterea quòd ipsa non admodum dissimilis est sanguini; est namque sanguis non integrè concoctus; desiderat quippe talis succus apud istos, non vtiq; vacuari, sed in corpore manens alterari; & ideo membris proximè existit, vt si aliquando penuria erit sanguinis; & membra soluto suo alimento priuentur, hæc quippe prompta est, vt in sanguinem vertatur, ac ea nutriat. Hæc quidem omnia sui forsan oblitus Galenus peripateticè magis quàm Hippocraticè dixit; quoniam asserere vnicum tantum sanguinem alere, Aristotelica positio est; Nam si alimentum pituita apud ipsum præstabit, non nisi in sanguinem versa id assequetur; quæ omnia Hippocraticæ doctrinæ aduersantur; Hæc nanq; quatuor humores omnes naturales esse, eosq; singulos æqualiter nutrire, asseuerat. Pituita quippe, flaua, & atra bilis; vt tales sunt apud Hippocratẽ alimentũ semper præstant; dum naturaliter fuerint permixti, nec opus est, vt in sanguinem vertantur ad nutriendum, vt illi aiebant. Et ratio in promptũ est; nam mixtum omne ex mixto vbique nutritur, & non à simplici tantum; mixtum ergo ex quatuor humoribus, ab ipsis vtique quatuor semper nutrietur, & nequaquam ab vno tantum simplici. Naturalis itaque pituita secundum eius mentem erit (sicut diximus) saporis omnis expers; frigida, & humida, per venas vnà cum alijs mixta continuè permeans, vt simul cum illis animalium corpus nutriat. Hæc namque segnes efficit, somnulentos, carnosos; citò canescentes. Non naturalis autem pituitæ duæ præcipuè species recensentur, acida vna; salsa altera; Acida summè quidem cruda est; quæ præter primam ventriculi confectionem vix vllam, aut minimam in iecore, atque venis concoctionem accipit; quamobrem cùm paucus admodum & modicus calor ei concoctione sit adiectus, perfacilè, & nullo ferè negotio ei potest euanescere, atque tum omnino necessitate quadam coacescit; eadem quippe ratio est in plerisque fructuũ succis; qui cum pauco præditi sint natiuo calore, post quam sponte sua efferbuerint; mox in breui coacescunt. Aciditas autem apud Galenum à calore quidem mutante, non tamen prorsus vincente generatur; cùm enim calor concoquere incipit, nec perfectam alterationem, & mutationem afferre posit tunc acidus gignitur sapor. Salsa autem pituita ex naturali insipida putrescente oritur; cùm enim partes eius quadam vt putredinis assæ, reliquæ aquosæ substantiæ permiscebuntur, salsum tunc saporem producent; quemadmodũ in maris aqua fieri commemorant. Cuiuslibet autem salsedinis causa est mixtio aquositatis humidæ, quæ exigui sit saporis, vel potius saporis expers, cum portionibus terreis vstis siccam habentibus temperaturam; Salsus namque sapor fit à calido sicco non admodum subtili sed terrestri: illud, quo pars aquea colatur, est adustum, parumque in eo superrestat aquei humoris; tale quippiam est illud, in quo primò est sapor salsus, salsa quoque pituita effici potest ex serosæ humiditatis commixtione: ipsa namque salsa est; proinde pituitæ admixta, eam salsam efficiet; Si enim tenui pituitæ (quæ expers est saporis, vel saltem exigui) admisceatur serosa humiditas siccam habens naturam, ac adustam, profectò eam salsam reddet. Efficitur etiam quandoque pituita ipsa acida, & dulcis propter acidi, & dulcis humoris admixtionem; vnde acida, & dulcis per admixtionem nominatur. Excrementitia pituita, quæ vtilis, & nomen naturalis seruat, est proficua naturalis pituitæ superfluitas, quæ à venis excernitur, & ad artus, & iuncturas illabitur, vt artus ipsos, & particulas valde mobiles madefaciat; ne ob calorem ipsius motus, aut propter motuum attritum exiccatio inde accidat eis. Excrementitiæ autem pituitæ inutilis, & superuacaneæ, quæ extra vasa reperiuntur, multæ sunt species. Vna nanque tenuis, & aquosa est, qualis plerunque aquę modo stillat è naribus, aut è cerebro in plurimas corporis partes effunditur. Altera muco similis censetur, quam corporis calor ex illa tenui ob modicum lentorem, (cuius particeps est) ad muci consistentiam redegit; Hæc si naturæ

4. de simp. medicamentorum facultatibus.

2. metheorologicorum.

tutę appulsu ad frigidiora corporis loca impellatur, ibidemque clausa, restrictaque diu maneat, donec crassior, frigidiorque facta sit, vitrea à Praxagora appellatur; quando vitro fuso & in colore & in substantia similis sit; quæ & si calido loco obstruitur; dolores maximos excitet; sic quidem tertia species constituitur. Quarta postmodum emerget, quam multi solent gypseam appellare; hæc quidem Pituita crassa admodum, & dura est, quoniam tenuis eius portio iam dissoluta est, propterea quòd in meatibus, ac in artubus diu detenta fuit; Hanc sæpè deprehēdimus in pulmonibus, & digitorum articulis; accepto quidem ex distillatione principio, tandem in extremam Thophi, & calculi duritiem euasisse. Quatuor itaque inutiles excrementitiæ species pituitæ enumerantur, aquosa, mucosa, vitrea, & gypsea. Et hæc satis dicta de pituita sufficiant. Nunc ad bilem accedamus.

Bilis quoque alia naturalis, alia excrementitia existit, quæ cùm in epate generatur, in duas partitur species; quarum alia cū sanguine meat, alia verò ad fellis vesiculā distillatur; quæ enim cū sanguine permeat, verè naturalis nominatur; Hęc enim calida, & sicca potentia est, flaua, atque splendētis coloris, leuis, tenuis, & mordax, & quanto calidior, tanto flauior existit; quę ideo cū sanguine mixta per venas fertur, vt eas nutriat particulas, quibus pro earum temperatura tantum debetur de colera, quantum pro sua portione, & dispensatione debetur. Qui enim flaua abundauerint bili, iracundi, celeris ingenij, agiles, macilenti, & cibum confestim coquentes erunt. Alia autem bilis, quæ ad vesiculam fellis emandatur, excrementitia, sed vtilis, & naturalis nuncupatur; Quæ propterea talis dicitur, quoniam à sanguine vt quid superfluum, & excrementitium secernitur, nec scilicet totius corporis color ab ea haud secus quàm in ictero inficeretur; & præter hanc purgationem, proprio deinde ductu in intestina illabens affert commoditatem, tum vt ad excremētorum deiectionem stimulet, atque incitet, tum vt lentā, & adhærescentem illis pituitam detergat; quæ alioqui immodicè aucta, in grauissima incommoda adduceret. hinc fit, quòd quandoque accidit dolor coli intestini, vbi contingat porum illum, qui à vesicula fellis ad intestina descendit, obstrui. Ambæ itaque biles istæ, & quæ per venas permeat, & quæ ad vesiculam tendit, duplici colore affectæ visuntur, & flauo, & pallido; flauus enim ex propria natura ei inest, propterea & flaua ab innato colore nuncupatur; Quod enim veluti igneum in bile splendet, flauam ipsam reddet. Si verò contingat, quòd tenuis, & serosus humor ei admisceatur, statim & colore pallidior, & consistentia humidior reddetur; Pal-

Lib. 10. colera, & fel. lidus nanq; color & bili quoque naturaliter inest; Quapropter benè Galenus in de simplicium medicamentorum facultatibus, nosti quòd & in vesicam iecoris interdum pallidam, interdum flauam in consectionibus animalium bilem conspeximus? audisti porrò flauam tanto esse pallida calidiorem, quanto & crassiorem; nam seroso recremento flauæ bili commixto, pallidam constitui contingit; sicut & flauam pluscnlum excalefactam, consistentia reddi crassam, colore autem flauam; quin & in animalibus apparet flaua quidem ijs, quæ magis sunt calida, quæ verò minus, pallida. Hęc Galenus. Pallido itaque & flauo colore vtræque biles istę colorantur; quę ambæ etiam in vitellinam degenerant; dum caloris nō naturalis acrimonia summè coquuntur,

Gal. in libello de atra bili. & quasi torrentur, vt inde ex flauo igneum colorem, & ex tenui substantia crassiorem consequantur; quæ & colore, & crassitudine vitellorum ouorum speciem gerant, à quibus nomen sumpsere. Hæ quidem biles, & flauæ, & pallidæ, & vitellinæ generationem omnes in iecore, & vasis obtinent. Tres præterea aliæ in animalium corporibus biles cernuntur; quæ præternaturales ex tota substantia nominantur, & æqualiter à venis, & à ventriculo esse & generationem habent; sicuti porracea eruginosa, & cerulea bilis, quæ sæpenumero in ventriculo gignuntur, propter quorundam esculentorum, & olerum cruditatem, qualia betæ, cæpæ, allia, & brassicæ sunt, dum nequeunt à ventre deuinci, & in chymum conuerti, tunc colorem suum magna ex parte retinent, & primum ex illis fit porracea, quæ si infixa diutius hæreat, & commoretur, persistente ventris incendio, in eruginosam commutabitur, hæc demum in eam, quæ ceruleo colore tincta apparet, minus quidem viridis quàm superiores, sed tanto illis deterior, quanto proprius ad nigrum colorem accedit. Generantur etiam hæc tria genera bilis nōnunquàm in venis, & iecinore, vt x. de simplicium medicamentorum facultatibus Galenus; vbi enim calida animalia aut fame, aut siti torquentur, bilis tunc ad atrum colorem vergit, interim ad eruginosum, interim ad ceruleum, & isatidis, qui quidem magis est colore brassicæ fuscus; &

3. prædictionum 39. secundo prædictionum 39. per morbos graues, & ardentissimos hæc eadem in venis gigni testatur; qui vehementi caloris incendio bilem vitellinam adurunt, & in hæc genera deriuant, quæ tum prorsus perniciosa, & exitialia indicantur. Hucusque de naturali, & præternaturali bili.

Atræ bilis, alia naturalis, alia excremantitia est: Naturalis autem, quam antiquiores Medici atrum, & melenconicum vocarunt succum, est crassus, frigidus, & siccus humor, pontico sapo-

re, &

re, & atro colore præditus, motuique ineptus; hic per venas vnà cum sanguine meat & necessitatis, & vsus gratia. Necessitas autem idea est, vt tantum de ea cum sanguine misceatur, quantum debetur pro nutritione singulorum membrorum, quæ debent pro sua temperatura idoneã portionem melancholiæ obtinere; eius verò vsus est, vt scilicet sanguini vim, ac robur, atque crassitiem tribuat; per hunc quidem humorem apud Hippocraticos sanguinea massa, cum è venis excidit foras, concrescit in grumum, & inspissatur; secus autem res se habet apud Peripateticos. Excrementitia verò atra bilis, quam verius excrementitiũ atrum, et melancholicum succum nuncupabimus, est atri succi superius dicti excrementum, & non sanguinis, vt Aristoteles dicunt; est enim crassior, terrestriorq; quàm naturalis, & ad motum segnior; hanc sanguinea massa renuit, vt quod superabundans; hinc lien eam expurgans è iecore illam attrahit, & in se recondit, plurimumq; ex ipsa nutritur, & fouetur. Qui excrementitius succus & ventriculo etiam conducit, cùm enim acidus sit, ventrẽ intendit, & in seipsum contrahit, & comprehendere exquisitè cibos cogit, & retinere, quousque plenè concoquantur; quocirca & naturalis, & excrementitius succus iste, vti superior, nuncupatur, quando ad vsum naturę destinatur. Qui ambo atri succi, & naturalis, qui per venas permeat, & excrementitius, qui ad lien naturaliter tendit, æqualiter ambo per adustionem, & putredinem innaturales redduntur; hincque adustæ atræ bilis nomen sortiuntur. Cuius quatuor recensentur species, prima nanque ex duobus his naturalibus succis surgit; cùm enim hi putredinis, & caloris ardore ad summam siccitatẽ peruenerint, tunc prima atræ bilis adustæ species oritur; quæ calida admodum, acris, & mordax est, eo discrimine a naturalibus dissidens (inquit Galenus) quo fex vsta à non vsta; neque enim succi hi in vltimum vruntur, ac in cinerem penitus vertuntur, quando & fluidi, & liquidi adhuc vsti remanent; sed nos ita adustos nominamus, quoniam substantiam ipsam crassiorem, minusque fluidam, cum maxima exsiccandi potentia acceperunt. Altera species ex vitellina bili producitur, exustione enim hæc primum in eruginosam, post in ceruleam, nouissimè in atram bilem omnium perniciosissimam commigrat; quæ tantò certè priori malignior est, quantò bilis atro succo est acrior, & efficacior; ea enim est, quæ in terram effusa fermenti more, & quodam quasi æstu efferuescens ipsam excutit, quæ sua crassitudine parti adhærescens eam arrodit, & exulcerat, ac demum in perniciem semper excernitur. Tertia autem adustæ bilis species ex sanguinis combustione oritur, cùm enim sanguis supra modum assatur, (vt secundo de differentijs febrium refert Galenus) eius pars subtilior, ac pinguior omninò in flauam conuertitur bilem, quæ autem crassior, in atram; quod in his tumoribus, qui carbunculi appellantur, inspicere contingit; nam in his ex sanguine supra modum efferuescente, ad atræ bilis humorem fit transmutatio; ita amen hoc loco accipi volo atræ bilis humorem, vt qui nondum exquisitè in atræ bilis naturam transit, sed in quodam sit confinio constitutus. Hæc Galenus de atra bili ex sanguinis putredine genita: Hancq; secundo prædictionum mitiorem esse, quàm ex vitellina, & atro succo genita, fatetur. Hoc idem & nos cum insequentes de quartà specie ex salsæ pituitæ combustione adorta, asserere possumus; quam & si quis contentiosè admittere nolit, nihilominus ipsam existere nos rationabiliter credimus; quando scilicet salsam pituitam vehementius torreri contingat, tunc atram quandam bilem ex ea gigni dicimus, quę non in exacta atræ bilis natura, sed in quodam confinio constituta erit. Sic vtique quatuor adustæ bilis species à nobis recensentur, spuriæ duæ, & duæ exactissimæ tales. Hæc quidem satis sint de naturalibus, & præter naturalibus humoribus. Quomodo etiam ex præternaturali ipsorum inuicẽ admixtione præternaturaliter & ipsi afficiantur, particulatim dicere longum nimirum, & superuacaneum institutioni nostræ iudicauimus. At vltra hos prædictos quintus adhoc alius humor numeratur, aquositas ipsa humoralis, qua plurimum in vena caua sanguis perfunditur, vt ea tanquàm vehiculo facilè, & expeditè in graciles, & perquàm angustas tum mesenterij, tum iecoris venas influere possit. Hic humor quoniam corpus minimè alere potest, cùm admodũ simplex sit, perfunctus iam illo vehendi munere, & ad reliqua deinceps inutilis è iecoris conuexo secernitur, & erabitur in renes, vnde mox perfunditur in vesicam, & per vrinam pellitur. Hæc tanta dicta sint de humoribus, & succis humani corporis, de quibus omnibus præter hunc quintum (qui abusiuè talis dicitur) in præsenti intendit Hippocrates, cùm ait.

Quinto de vsu partiũ.

2. de naturalibus facultatibus.

In libello de atra bili.

2. de differẽtijs febrium 29.

II.

Corpus autem humanum continet sanguinem, pituitam, & bilem duplicem, tam flauam, quàm atram.

Quòd quatuor hos semper humores humanum corpus contineat, sanguinem, pituitam, flauam, & atrã bilẽ, apertè ipse infra plurimis declarabit demonstrationibus; & nos ibidẽ apertè

interpretabimur. In præsenti autem quærimus quo pacto succi isti in homine, & sanguine præditis animalibus generantur, & habent esse. Id quod secundo de naturalibus facultatibus ex Hippocratis, Aristotelis, Praxagoræ, & Philotimi sententia declarat Galenus cùm inquit. Demonstratum enim ijs est, alimētum dum in venis ab innato calore alteratur, sanguinē quidē ex mediocri calore fieri, reliquos verò succos ex eodem immodico; atq; huic sententiæ, quæ euidenter sensibus apparent, omnia consentiunt; quando & cibi, qui natura calidiores sunt, magis sunt biliosi, qui frigidiore, magis pituitosi, simili modo ex ætatibus, quæ calidiore natura sunt, has biliosiores esse constat; quæ frigidiore, pituitæ magis obnoxias: Iam vitæ rationum, & regionum, & anni temporum, multoque priores his, ipsarum quoque naturarum quæ frigidiores sunt, hæ magis cernuntur pituitosæ, quæ calidiores, magis biliosæ; præterea ex morbis quoque, qui frigidi sunt, hi à pituita oriuntur; qui calidi, à bile ortum habent: Deniq; nihil vsquam inuenias, (inquit Galenus) quod non huic sententiæ astipuletur: vbi apertè demonstrat quemadmodum ex nutrimento in venis, & iecore existente, & ex moderato, & immoderato animantis calore succi omnes in sanguineis animalibus conficiantur; ex calidiori nanque, & frigidiori, tum materia, tum efficienti calidiores, & frigidiores generantur humores; pariter ex moderato, & temperato, moderati, & temperati prægignuntur succi; id quod dilucidè ex victus ratione, ætate, regione, anni tempore, vitæ studio, & morbis comprobat: Qualiter autem

4. met. tex. 28. 1. de generatione t. 30. particulatim ex huiusmodi nutrimento, ac ex moderato, & immoderato epatis, & venarum calore singuli generantur, ex Hippocratis, & Galeni doctrina manifestabimus. Dicimus enim vnà cum Philosopho quarto Methaphysicæ, & primo de generatione, simile à simili semper fieri, tam in efficiensi, quàm in forma, & materia; determinatum nanque à determinato, & non quodlibet à quolibet fieri primo Physicorum libro didicimus; quare temperati sanguinis temperata effectrix causa erit, moderatus (inquam) calor epatis, & venarum: Materialis verò, quod inter alimenta moderatum, & inter potiones optimum; formalis exacta, & proba calida, & humida temperies; finalis verò est, vt corpus nutriat, & seruet. At flauæ bilis, quæ excessiuè calida, & sicca est, efficiens causa calor excessiuè igneus erit, præsertim in epate; materialis autem causa, quod inter nutrimenta tenue, calidum, dulce, pingueque, ac acre, seu mordens est; & eius formalis causa excessiua caliditas, & siccitas; finalis verò est illa necessitas, & vtilitas, quæ iam dictæ sunt superius. Pituitæ autem causa effectrix est calor imbecillus; materialis verò, quod ex cibis crassum, humidum, glutinosum, frigidumque existit; Formalis est temperies frigida, & humida; finalis enim necessitas, & vsus superius iam dicti. Atri autē, & melancholici succi efficiens est diminutus calor ipse; materialis autem est id, quod inter alimenta valde crassum, & parum humidum extat; formalis verò est & frigida, & sicca temperies; finalis demum est vtilitas, & necessitas illa, quæ iam superius citatæ sunt. At quæret aliquis, quomodo sanguis à moderato calore, & flaua, & atra bilis, pariter & pituita ab eodem immoderato prægignantur; cùm omnes æqualiter ab vno, & eodem iecinoris calore efficiantur. ad hæc quidem dicunt, quòd alimenta omnia, sicut & reliqua mixta, ex quatuor simplicium corporum moderatione consistunt; & chylus etiam ex alimento confectus ex earundem quatuor diuersarum partium temperie, & mixtione constabit; quarum aliæ calidæ sunt, & tenues; aliæ frigidæ, & terreæ; frigidæ aliæ, & humidæ; & humidæ, & calidæ aliæ; cùm itaque iuxta varias dispositiones materiæ, variæ ab eodem agente elargiantur formæ; (quod clarè in multiplici formarum productione vniuersi licet inspicere) sic quidem in Microcosmo homine ab vno, & eodem epatis calore varijs, & diuersis chyli partibus variæ, & diuersæ elargiuntur formæ; ex frigida nanque & cruda chyli portione pituitam fieri cernimus; ex calida, & tenui bilem; sanguinem ex mediocri; melancholicum humorem ex frigida, atque terrena; quæ multitudo, & deformitas ex deformitate, & multitudine materiei, & vnitate agentis apud istos prouenit: Et si diuersum, & multiplex agens nominant, non nisi multiplicis actionis ratione sic nominant, & non quòd re vera ita sit. Nos autem secus dicemus, quòd forma qualibet animati corporis, quæ temperies, & calor innatus nominatur, (temperies ex eo quòd ex primis ipsis contrarijs qualitatibus temperata existit; calor innatus, propterea quòd in ipsa calor prædominetur) omne quod pro corporis constructione, & esse operatur realiter vi, ac potentia primarum qualitatum, ex quibus ipsa constructa est, operatur. quoniam vnumquodque, quod ex pluribus inexistentibus constitutum est, facultatibus, & viribus illorum omnium iure pollebit; cùm dicat Hippocrates, sed singulum eorum, quæ generationi suppeditauerit, talem quampiam vim in corpore possidere, qualem contribuerit. Cùm itaque temperies, & calor innatus ex quatuor inexistentibus elementis sit; horum quatuor omnium facultatē, ac potentiam pariter possidebit; calor igitur innatus, & temperies ignis, aeris, aquæ, & terræ, ex quibus formatus est, facultate præditus erit; istorum ergo omnium virtute actiones, functionesq; omnes ipse perficiet. cùm autem animatū corpus

non aliun-

non aliunde regatur, & conseruetur, quàm ex continua temperata humorum quatuorque generatione; idcircò forma, & temperies, cuius munere, & ope animantium corpora seruantur, perpetuò in horum quatuor succorum productione versabitur; id quod non nisi vi, ac potentia primarum qualitatum efficiet; caliditate nanque, & humiditate sanguinem producet; (qui eius virtute, ac robore, naturæque affinitate temperati nomen vendicauit) caliditate, & siccitate flauam bilem; frigiditate ac humiditate pituitam: Atram verò efficit bilem, siccitate, & frigiditate. Falsum itaque pronuntiant, effectricem humorum causam, innatum scilicet epatis, & venarum calorem, vnum prorsus esse, ratione tantum multiplex; cùm re vera vnus tantum ipse dicatur vnitate temperiei, & formæ; at viribus, & facultatibus, quibus præditus est, realiter multiplex, & varius existit; (sicuti ostendimus) qua varietate, & multitudine varios, ac multos producet effectus: Propterea & bene cum Philosopho superius dicebamus; infraque etiam clarius dicemus; simile à simili semper fieri, tam ab efficienti, quàm à materia; quando innatus epatis, & venarum calor humorum effectrix causa ignis facultate bilem producat, aeris potentia sanguinem; aquæ virtute pituitam; terræ autem vi, bilem atram. probè itaque admodũ supra dictum fuit; moderatum, & immoderatum iecoris calorem singulorum humorum effectricẽ causam esse; ac multitudinem, & difformitatem ipsorum æquè ab efficienti, vt à materia emanasse: Quamobrem benè ac iustè princeps dicebat, verùtamen animaduertere debes virtutes passiuas actiuis correspondere debere; vnicuiq; enim potentiæ passiuæ sua propria actiua apud Peripateticos correspondet; id quod clarè etiam nobis demonstrant compares, consimilesq; extrinsecæ efficientes causæ, cùm vna simul iungantur cũ intrinsecis; quòd manifestè ad sensum singulę suum propriũ adaugent, & perficiunt humorem; si enim vnà cum temperie calida, & humida, intrinseca sanguinis effectrice causa, & tempus, & constitutio anni, & regio, & ætas, & exercitium, & ratio victus humida hæc omnia, & calida iungãtur, mirumimmodum sanguis ipse perficietur, & adaugetur; quando suas perficiẽtes causas omnes calidas, & humidas obtinuerit. Hoc idipsum de flaua, & atra bili, & pituita confitemur; quòd si cũ frigida, & humida intrinseca pituitæ effectrice causa extrinsecæ causę omnes efficientes frigidę, & humidæ, vniuersales, & particulares copulentur; vt tẽpus anni, cœli status, regio, ętas, & genus vitę; summopere & ipsa quoq; pituita excrescet; apertissimum profectò indiciũ substantialẽ cuiusq; animantis temperiem separatis distinctisq; potentijs separatos, distinctosq; producere humores. Sed quoniam humorũ effectrices causæ, & intrinsecæ, & extrinsecæ nõ vnà omnes ordinatim nectũtur, & copulantur; sed seorsum, ac separatim vt plurimũ reperiuntur; & intrinsecæ effectrices nõ puræ, ac simplices in mixto naturaliter existunt, sed permixtæ, & confusæ; quemadmodũ & materiales etiã omnes huiusmodi sunt; propterea permixtos, & confusos naturaliter parturiunt succos, & non puros, & synceros; humores enim per venas currunt permixti, ibidemq; etiam à consimilibus permixtis causis efficiuntur; quando autẽ euenit quòd internæ, & externæ humorum effectrices causę vnà cum materialibus simul iungantur ad aliquem vnum humorem constituendum, tunc humor ille excrescit, & incrementum super alios sumit; si enim (vt modò diximus) natura, ætas, regio, & alimentum, omnia hæc calida existant; ab his maximè syncera fit bilis, & redundantia quædam, & affluentia super mediocritatem; simili modo de alijs asserimus, de sanguine scilicet, pituita, & atra bili. Qui si constituentes causas omnes fautrices, & secundas habuerint, syncerus, & purus vnusquisque ipsorum superabundabit; sic vtique concludimus realiter simile à simili, ita ab efficienti, vt à materiali prægigni, & procreari. at princeps addit, sæpissimè autem contingit, temperaturam aliquam suum contrarium generare per accidens; nam frigidum, & siccum temperamentum alienam, & aduentitiã humiditatem generat; non ob similitudines, sed ob cõcoctionis imbecillitatem; vt in vltimo senio euenit; quod plurimum pituitæ gignit, nihilominus frigida, & sicca eius temperies est; sic enim clarè ostendimus quemadmodum sanguis, pituita, flaua, & atra bilis in animatis sanguineis corporibus à consimili materia, & efficienti per se semper producantur. mox subdit.

s. primi cap. de humoribus 9. meth. tex. 25

Prima primi cap. de generatione humorum.

III.

Et hæc illi sunt natura corporis, & propter hæc ægrotat, & sanus est.

Superius vniuersaliter vniuscuiusq; rei duas Hippocrates manifestauit naturas, materialem, seu elementalem vnã, formalem alteram; materialem, quatuor scilicet prima simplicia corpora, quæ cùm vniuersalia, & communia omnibus erant; ita vniuersalẽ, & cõmmunem omnibus naturam esse affirmabat; formalem verò eorundẽ quatuor simplicium corporũ crasim, & temperiem, asseuerabat. pariter modò particularius sanguineorum animalium edocendo naturã, duas

eam facit;elementalem vnam, seu potius humoralem, quatuor (inquam) ipsos humores; qui cùm communes, & proprij animalibus sanguine præditis tantum sint, eorundem tantum communem, & propriam naturam constituit. Formalem alteram, quæ & ipsorum quoque quatuor humorum crasis, & temperies dicitur; per hanc enim animal quodlibet formaliter vnum, & hoc aliquid existit; per ipsamque actionis functionisque omnis principium obtinet; huius autem claram, & apertam constitutionem infra demonstrabimus. nec pro inconuenienti habemus in animato corpore duas temperies affirmare, elementalem vnam, humoralem alteram; quando & Peripatetici ipsi vbique plures in vno supposito admittunt formas, vbi inferiores superioribus subordinatæ sint, & vices materiæ gerant. Materialem aut animantium naturam clarè hic Hippocrates expressit, dicens; » corpus verò humanum continet sanguinem, pituitam, » & geminam bilem, & hæc illi sunt natura corporis, elementalis inquam, & materialis; formalem verò reticuit; sed per primas eius agendi, & patiendi facultates ipsam indicauit, per sanitatem scilicet, & ægritudinem. Sanitas nanque, & ægritudo sunt substantialis formæ viuentium corporum immediatè contrariæ facultates; per has enim viuens corpus, & eius forma agendi, & patiendi modum possident; vnde in postprædicamentis Aristoteles inquit; necessarium est alterum semper in animatis corpore inesse vel languorem, vel sanitatem; animal quidem omne dum vitali fruitur aura, aut sanum, aut ægrum existit. Est autem sanitas ex communi medicorum consensu moderatio quædam animantis corporis, cum qua ipsum agit actionẽ, quam debet secundum naturam benè, & salubriter agere; similiter passionem patitur, quam ex sui natura benè, & salubriter pati debet; ęgritudo verò cùm sit ei opposita, è contrario se habet; est enim immoderatio quędam viuentis corporis, per quam viuens corpus malè, & insalubriter agit, & patitur contra naturam; sub his igitur contrarijs potentijs animal continuè inuenitur, aut sub sanitate, aut sub ægritudine; pariter quoque eius substantialis forma sub eisdem potentijs erunt. Iustè itaque ipsorum propriè, & immediatè contrariæ potentiæ, sanitas & ęgritudo asseuerantur; quamobrẽ quandiu animal vixerit, semper aut salubres, aut insalubres operationes efficiet; cùm enim & sanitas, & ægritudo substantialis formæ, & temperiei primæ potẽtię recensentur; meritò per has, tanquàm per propria instrumenta formalem ipsam naturã Hippocrates manifestauit, dum dixit; & propter hæc sanum, ægrumque degit; propter hos nempe humores, aut sanitas, aut ægritudo in animato corpore semper adest; ab istis quidem humoribus, & vt ab efficienti, & vt a materia (sicuti paulò post inferius declarabimus) tum sanitas, tum ægritudo proueniunt; quæ formalis naturæ proximè, & immediatè nominantur potentiæ. Cum igitur sanitas, & ægritudo sint ipsius substantialis temperiei, & formalis naturæ propria instrumenta, & facultates; & instrumenta, & facultates sine eo, cuius sunt instrumenta, & facultates, præintelligi minime possint; neque enim facultas, & instrumentum sine essentiæ consistentia esse valent; quocirca rectè Hippocrates essentialem temperiem vt notã, & necessariò requisitam, reticuit, contrarias primas eius facultates enuntians, & propter hęc sanũ, & ęgrũ degit. Quòd autẽ sanitas, & ægritudo sint ipsius substantialis formæ prima instrumenta, & facultates, ostẽdimus: Quoniam animal, quandiu animal extat, actiones, passionesq; omnes, quas secundum naturam agere patiúe debet, aut salubres, aut insalubres perficit: Simpliciter nanque actiones, & passiones, ratione temperiei, & formalis naturæ perficit; salubriter verò, aut insalubriter illas perficere, hoc ratione ægritudinis, & sanitatis euenire dicimus; prius nanque secundum naturam est simpliciter agere & pati, quàm benè, aut malè, siue salubriter aut insalubriter agere, & pati; prius igitur secundum naturam erit ipsum essentiale principium, formalis (inquam) ipsa natura, & temperies simpliciter, & absolutè actionum passionumúe omnium prima causa; mox sanitas, & ægritudo ex formali ipso principio, vt à proximo, & immediato subiecto statim emanant ad salubres, & insalubres actiones, passionesúe omnes efficiendas. Posterior nanque eueniens forma (apud Peripateticos) super priorem formalitatem quandam obtinere dicitur; cùm sanitas, & ægritudo secundum naturam posterius ad substantialem formam accidere dicatur: (quando salubriter, aut insalubriter agere, & pati simpliciter, ipsum agere, & pati semper supponat) meritò igitur sanitas, & ægritudo formalitatem quandam accidentalem supersubstantialem formam, & temperiem obtinere asseuerantur. Ea autem quæ ad essentialem temperiem formaliter quodammodo se habent, instrumenta, & facultates illius temperiei appellantur. Cùm itaque sanitas, & ægritudo formaliter quodammodo ad essentialem temperiem, & eius virtutes se habent; meritò igitur ipsius formalis naturæ & temperiei prima, ac immediata instrumenta, ac facultates ipsæ præordinantur; per has enim formalis natura salubriter, & morbosè quandiu vixerit, & agit, & patitur. facultas enim quælibet, per quam formalis natura immediatè agendi, & patiendi modum habet, eius proximum, & immediatum instrumentum à Peripateticis nuncupatur. At sanitas talis est, & ægritudo: iure

2. de generatione te. co. 31.

Gal. de differentijs morborũ. Auer. 1. & 2. colliget cap. 1.

igitur ipsius formalis naturæ prima & immediata instrumenta asseruntur. Sic quidem docuimus quemadmodũ sanitas, & ægritudo sint formalis naturæ immediata, & proxima instrumenta, & facultates.

Ex hac enim doctrina habemus quemadmodum substantiales formæ, temperies (inquam) ipsæ; & earundem virtutes rationabiliter ab antiquis & salubres, & insalubres dictæ fuere, veluti sanitatis, & ægritudinis proxima, & immediata subiecta; ipsæ quidem primò sanitati, & ægritudini subijciuntur. Vnde iuxta superius dictũ dicimus, quòd sicuti duo in animantibus suarum functionum principia existunt, & vnde motus, & perficiens principium; pariter quoque duo proxima, & immediata sanitatis, & ægritudinis subiecta asseuerantur, & vnde motus initium sumit, & complens, & perficiẽs motum ipsum, quæ sunt formales animati corporis particulæ; nam & istæ quoque immediatè sanitati, & ægritudini subiacent. Hæc duo autem principia cùm animati corporis actionem, functionemque omnem initiant, & perficiant, & sanitati, & ægritudini æquè primò subijciantur; ipsa quidem sola iure sana, ægraq; dicuntur. Diximus nanque morbum, & sanitatem substantialis formæ, & suarum animatarum partium prima instrumenta, & facultates esse, & in ipsis primò, & immediatè fulciri, ac substentari; sed quoniam completiuè, & perfectiuè (vt diximus) actiones, operationesq; omnes à perficientibus principijs, particulis scilicet ipsis proueniunt; hinc Aristotelici autumarunt prima principia ista verè, & adæquatè sanitatis, & ægritudinis subiecta fore. Propterea & in de sensu, & sensili Philosophus inquit, neque sanitatem, neque morbum fieri posse constat ijs, quæ vita carent. Animal nanque ipsum, & eius solum formales partes viuere apud Peripateticos dicuntur. Quamobrem & animatum vniuersum corpus, & singulas eius formales partes, primò sanitati, & ægritudini subijciunt, & perfectè ab his denominari dicunt. Temperies autem, & formæ etsi vitæ principium sint, tamen non absolutè viuere dicuntur, cùm id particulis tantum congruat; proinde nec ita absolutè sanæ, ægræque sicut illæ, denominantur.

Superest modò videre qualiter ab ipsis humoribus, & vt ab efficienti, & vt à materia, sanitas, & ægritudo perueniant; tertio enim colliget capite de causis ægritudinis in generali ait Auerroes, & dicimus quòd occasiones materialium ægritudinum sunt humores quatuor, quando egrediuntur ab eorum temperantia in quantitate, aut qualitate; & hoc accidit, aut à parte materiæ, aut à parte efficientis. Declarat nanque ibidem quomodo sub genere causæ efficientis, & materialis ad sanitatem, & ægritudinem conficiendas humores accedunt. At Auicenna prima primi cap. de subiectis medicinæ inter materiales tantum causas illos recensuit, dicens, causæ materiales in medica facultate sunt ipsa subiecta, per quæ sanitas, & ægritudo considerantur; subiectorum autem propinquius est membrum, aut spiritus, remotius verò sunt humores, remotissima sunt elementa; ibi nanque humores inter materiales, & longinquas tantum causas commemorat. Ad hæc nos dicimus, quòd sanitas & ægritudo non habent materialem causam propriè dictam, scilicet causam materialem ex qua, cùm ipsa sint accidentia, quorum natura non est fieri ex materia; est enim materia id, ex quo aliquid fit cùm insit, quare materia est pars facti ex materia; & propterea materia propriè dicta non assignatur nisi substantiæ compositæ: At sanitas, & ægritudo sicut princeps dicit, habent causam materialem in qua ipsæ considerantur, & mensurantur; hoc autem est earum subiectum; ipsum itaque subiectum apud Medicos pro materiali causa semper capitur, & de hac tantum ipsi intelligunt, cùm materiam proferunt. Etsi enim apud Medicos legatur, morbum fieri ex materia; impropria locutio est; materiales nanque & habere materiam morbi dicuntur, ex eo quòd efficientem humoralem causam habent, aut quocunque alio fluore, aut substantia praua; respectu nullam habentium causam in corpore, aut habentium complexionalem, seu organicam, absque vllo humore, & aliqua alia substantia. humoralis nanque efficiens causa, & quæcunque aliæ substantiales causæ effectrices, materiales dicuntur, pro eo quòd in se ipsis res sunt materiales, subiectæ dimensionibus; & non quòd sint materiæ, ex quibus inexistẽtibus fiant morbi, quoniã tunc substantiæ, & non accidẽtia morbi forent. Proinde & benè asseuerãt quòd de veris materialibus causis, pariter & de formalibus, & finalibus nõ attinet Medico scire, nisi quantũ à naturali offertur. Vnde quicquid de eis attingit, sicuti suæ artis principia supponit, nihil in quantũ Medicus de ipsis demonstrãs, de causis autẽ efficiẽtibus, & cõseruantibus ex propria sua arte inuestigat, & quærit; propter quod causa in medicorũ libris pro efficiẽti, & cõseruanti intelligitur tantũ, sicut doctissimè tertio tec. ni Galenus ostendit, diuidens medicas causas solũmodo in efficientẽ, & conseruantem. Instrumentũ verò, & causa sine qua non, & si à medicis considerantur, nihilominus ad efficiens instrumentum reducitur; & causa sine qua non, necessarium quoddam requisitũ ad causandũ est, non autem causa. Ad rem autẽ nostrã redeuntes dicimus; quòd cũ sanitas, & ægritudo substantialis formæ, & totius animati corporis primæ facultates, & instrumenta appellantur; tunc in genere

2. pallicorũ
9. met. t.12.

accidentium hæ reponuntur; si modò hæc accidentia vocamus, vt reliqua accidentia, quæ cùm simplices formæ sint, efficientes tantum veras, & conseruantes causas obtinent, materiales verò, & alias impropriè; pariter hæc ambo cùm accidentia dicantur, illasmet tantum veras possidebunt causas, impropriè autem materiales, & reliquas. Cùm itaque sanitas, & ægritudo ab humoribus esse dicantur; ab ipsis vtique vt ab efficienti, & conseruanti propriè erunt; impropriè verò vt à subiecto; (quod materiam nuncupant) id quod etiam clarè verba textus nobis indicant, cùm inquit; & propter hæc sanum, ægrumque degit. Vbi propositio propter efficientem causam denotat; proptereà & rectè Auicenna remotum tantum subiectum illos constituit, in quantum illi membrorum materia sunt, in membra scilicet per viam nutrimenti conuertendi, vel pro eo quod ex ipsis membra constituuntur. Vnde concludimus ab ipsis humoribus sanitatem, & ægritudinem effectiuè propriè dependere; impropriè autem materialiter, & subiectiuè; quando sanitas, & ægritudo apud Aristotelem ipsorum tantum viuentium verè passiones dicantur: Non enim infirmitatem, neque sanitatem possibile est fieri carentibus vita, primo de sensu, & sensili dicebat Philosophus. Animatum itaque corpus, & eius maximè solidæ partes, similares, inquam, & organicæ, quæ verè agere, & pati, & viuere dicuntur, & quæ vsos, functionesque omnes animati complent, & perficiunt, immediatum, ac verum sanitatis, & ægritudinis subiectum nuncupantur. Idcirco iure ab antiquis nostri corporis partes loca appellata fuere, veluti propria loca, sedes, & subiecta sanitatis, & ægritudinis, à quibus sana, & ægra nominabātur; humores autem neutiquā tales dicentur, nisi longè, & remotè prout scilicet particulas, & membra sana, ægraq; constituunt, & efficiunt. Et quamuis sanitas, & ægritudo primò & per se particulis ipsis iure tribuātur, nihilominus modò solū virtutibus, modò solū instrumētis hæ ab Antiquioribus condonantur, iuxta actionū, passionumq; maiorem, minoremq; dependentiā, aut à virtutibus magis, aut ab instrumētis; nam modò virtutes salubres, & insalubres, modò instrumenta talia nominantur; penès maiorem, minoremque propensionem læsarum actionum, aut à virtutibus, aut ab ipsis instrumentis, vt contra Herophilum, & Praxagoram libro de palpitatione, tremore, rigore, & conuulsione, disputauit Galenus. Nos autem secus dicimus, nam cùm virtutes, & instrumenta vario, & diuerso modo (vt supra retulimus) principia actionum nuncupantur, vario & diuerso etiam modo, salubria, & insalubria dicentur, secundum diuersam eorundem essentiam; virtutes nanque pro eo, quòd vnde motus principia existunt, prout huiusmodi sanæ, ægræque dicentur; instrumenta verò, & organa ex eo quòd actionem complentia, & perficientia principia nominantur, & ipsa quoque vt talia sana, ægraque nuncupabuntur; penès enim varium ipsorum esse, variæ quoque ipsorum sunt nuncupationes. At iam tempus est, vt quomodo hæ conficiantur, vnà cum Hippocrate edoceamus.

3. cæli. 28. & 8. phy. c. 32.

Lib. 1. de locis affectis.

III.

Sanum equidem maxime est; vbi temperamentum hac inter se habuerint moderatum, tum facultate, tum copia; & vbi maxime fuerint permixta.

Diximus duas hic sanguineorum animalium naturas ostendere Hippocratem, elementalem, seu materialem vnam, quam quatuor humores, sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem enunciauit esse; formalem alteram, essentialem animalis formam nuncupatam; quam sub nomine primarum facultatum, sanitatis, inquam, & ægritudinis manifestauit. Quomodo autem hæ facultates constituantur, & habeant esse, in præsenti declarat; & prius à sanitate, vt à potissima exorditur; Primas nempe animati corporis cùm similarium, tum dissimilarū partium proximas, ac continentes sanitatis causas inquirit; Nam cùm hæc sit præcipua naturæ facultas, si hanc nouerimus, facillimè inde temperies, & natura nobis innotescet; & cùm contrariorum eadem sit ratio, facilis quoque sui contrarij morbi cognitio erit. Inquit igitur, sanum equidem maximè est & c. Ab intrinsecis itaque conseruantibus, & efficientibus sanitatis causis hanc explicationem exorditur Hippocrates; declarans, ex Medicorum, Philosophorumque omnium sententia elementorum, humorumque symmetriam sanitatem semper efficere. Ex omnium nempè consensu approbatum principium est, non in animali solum, sed in plantis, & in seminibus; quod naturale, & sanum existit, id moderatum, & cōmensuratum esse; quod ægrum, & præter naturam immoderatum, & inæquale; Omnium enim natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti; vnaquæque quantumuis minima particula naturalis sua certa quadam determinata quantitate, & qualitate consistit, qua vltrò citroque nequit naturalis, & recta persistere. Docet itaque in præsentiarum Hippocrates in quibus commen-

Gal. in expositione huius textus.

1. de differētijs morborum.

2. de anima t. c. 41. & 6. phy. t. 91. et 32. 3. phy. t. 44.

commenſuratio hæc fieri debeat,oſtenditque menſurationem iſtam,tum in quantitate ſubſtantiæ elementorum, & humorum;tum in qualitatibus, & viribus ipſorum reperiri debere, cùm dicit. Sanus equidem maximè homo eſt; vbi temperamentum humores inter ſe habuerint moderatum,tum facultate,tum copia;Non enim ſub quacunque copia,& quantitate elementa,& humores admixtionem,& temperiem veniunt;Non enim multa paneis, & magna paruis compoſita mixtionem agunt apud Peripateticos: Nec etiam quomodocunque ſe habent elementa, & humores,nata ſunt inter ſe agere, & pati; ſed in quantitate tantū terminata; indigent profectò materiales formæ quantitate quadam certa, & terminata, vt conſiſtant, & naturaliter agere poſſunt, octauo Phyſicorum. In commenſurata igitur & moderata naturali quantitate ad mixtionem,& temperiem humores,& elementa ſecundum Medicos accedunt. Propterea & bene Auicenna dixit; Sunt præterea nonnulli,qui putant hominis robur inſequi multitudinem ſanguinis,eiuſque imbecillitatem paucitatem ſanguinis ſequi;& non ita res ſe habet; Immo quod attendi,ac conſiderari debet,eſt quòd ex eo corpus ſumpſerit. Sunt & nonnulli alij, qui cenſent,quòd licet humores creſcant,vel decreſcant in corpore, dum tamen ſeruetur inter eos ea proportio,quæ humanis corporibus debetur in ſua quantitate,ſanitatem quidem ſeruari; verum id non ita ſe habet: quoniam oportet cum hoc ipſos humores habere adhuc certam quantitatem,ac menſuram, non in relatione ad alium humorem, ſed in ſe ipſis; ſeruata tamen menſura,quæ eis debetur in relatione ad alium humorem inter ſe. Hæc princeps prima primi capite de humoribus, vbi doctiſsimè admonet ſanitatem ipſam in limitata humorum quantitate,& qualitate cōſiſtere,& præter hæc etiam in debita ipſorum adinuicem proportione: Determinata nanque ſecundum vniuſcuiuſque formæ naturam quantitas, & qualitas humorum, & ipſorum adinuicem debita proportio ad ſanitatem efficiendam neceſſariò deſiderantur. Hoc idipſum quoque in præſenti explicat Hippocrates per alia verba, cum dicit; ſanum profectò eſt, vbi humores inter ſe habuerint temperamentum, tum facultate, tum copia moderatum. Vbi nempe humores inuicem temperati, & commenſurati fuerint in moderata, & iuſta ipſorum quantitate, & qualitate, ſanitatem vtique ſemper efficiens. A proportionata igitur humorum quantitate,& qualitate ſanitatē conſtrui apertè iſti declarant: Propterea bene apud hanc ſententiam ſecundo de anima,& ſeptimo phyſicorum dicebat Auerroes, quòd ſanitas in temperie eſt bona affectio, & habitus ex qualitatibus primis proportionatis reſultans, & emanans; & ſi varietur, aut deſtruatur proportio illa, variatur & deſtruitur ſanitas; cùm ſanitatis forma ſit in illa proportione temperata. nec enim humorum adinuicem proportio ab iſtis ſimpliciter ſanitas nominatur: nam tunc formaliter ad aliquid foret, & cum relatio non ſit ex principijs actiuis,tunc ſanitas non eſſet operationis ſanę productiuum principium: Eſt nanque ſanitas apud Auerroem proportio,nō prout huiuſmodi,ſed prout forma,& qualitas quædam;& ſi enim proportio ſit ad aliquid, tamen eſt proportio agens; proportiones verò in eo quòd ſunt proportiones, non ſunt agentes, ſed in eo quòd qualitates. hæc omnia Auerroes de ſanitate in temperie dixit. Nos autem vniuerſim & de temperie, & de vnitatis ſectione, ac de bona corporis conſtitutione hoc intelligimus; quòd determinata (ſecundum vniuſcuiuſque formæ naturam) quantitas, & qualitas humorum, & ipſorum adinuicem debita proportio ad ſanitatem conficiendam neceſſariò deſiderantur. Cum enim tria prima ſanitatis genera aſsignantur, in ſimilaribus duo, quorum vnum temperies dicitur, continui ſolutio alterum, tertium in organicis, quod bona conſtitutio, & compoſitio nominatur; de tribus his æqualiter Hippocratem intelligere fatemur,cùm inquit;ſanū profectò eſt,vbi humores inter ſe habuerint temperamentum tū facultate,tum copia moderatum. Vbi enim humores (ait ipſe) inuicem temperati, & commenſurati fuerint in debita & iuſta ipſorum quantitate & qualitate, ſanitatem in ſimilarium partium vnione,& temperie,ac in diſsimilarium conſtitutione ſemper efficient. vnaquæque enim animantis particula ſua certa quadā determinata quantitate,& qualitate cōſiſtit, qua vltrò, citroq; nequit naturalis, & recta perſiſtere. Et quamuis proportionata humorum qualitas, & quantitas ad vniuerſam animantis ſanitatem conficiendam neceſſariò requirantur; non propterea hæ ſimpliciter vndique eam complent; nam ſi non fuerint bene partes illæ inuicem per totum commixtæ, neutique illam perficient; exacta nempe proportionatæ quantitatis, & qualitatis humorum permixtio eſt ſanitatis completiſsima efficiens cauſa. quocirca rectè addidit ipſe. Et vbi maximè fuerint permixta; vbi nanque humorum moderata quantitas, & qualitas probè admodum inuicem per totum fuerint à formatiua virtute commixtæ, tunc completa prorſus ſanitas conficitur,in ſimilaribus primò, & ſimplicibus partibus, mox in organicis, & compoſitis. Et quoniam ſupra docuimus quemadmodum ſanitas, & ægritudo ſubſtantialis formæ, & totius animati corporis prima inſtrumenta, & facultates nuncupabantur; cùm autem hæ ſubſtantialis formæ, & animati corporis facultates ſint, erunt per conſequens neceſſariò ac-

8. phy. t. 34. 87. & 38.

fen. 1. 1. 8. pby. prima primi cap. de humoribus.

tex. 143.

tex. 17.

2. de anima t. 143. & 7. phy. t. 17.

Gal. de differentijs morborum, & Auicenna prima primi fen. 2. doct. prima c. 20

1. methodi medendi, & de symptomatum differentijs.

sariò accidentia; vnde & rectè Galenus, sanitas, & ægritudo omnis in genere affectuũ, & qualitatum sunt; cùm igitur hæ accidentia sint, & non substantiæ, vt reliqua accidentia omnia ad substantiæ formationem formantur, ita & ista ad substantiæ constitutionem constituentur. Dicimus itaque, quòd prædictæ causæ omnes sanitatem conficientes, proportionata scilicet humorum quantitas, & qualitas, & eorundem perfecta mixtura formam primò, & vniuersam substantiam conficiunt; mox sanitatem, vt proprium & inseparabile accidens efficiunt; exacta igitur proportionatæ quantitatis, & qualitatis humorum commixtio completissimum & substantialis temperiei, & sanitatis efficiens nominatur; simul enim tempore cum substantiali temperie sanitatem conficit; exhibens nanque formam, exhibet quoque consequentia formam;

2. phy. t. c. 31. 32. & 3 cæli. co. 28.

si verò mixtio hæc temperiem, & formam construit, concomitanter etiam sanitatem primam eius affectionem, & habitum construet; erit igitur proportionatorũ humorum ad inuicem commixtio absoluta perficiens sanitatis causa. hæcque à Medicis multoties continens, & adhærens causa nuncupatur; hac quidem posita sanitas ponitur, & hac remota remouetur. neque enim sanitas aliqua, aut in substantiali temperie, aut in animati solidis corporis partibus efficeretur, nec tales illæ vnquam nominarentur, nisi inter se humores prius fuerint optimè permixti; ex quorum permixtione vnà cum essentiali temperie immediatè facultas, quæ sanitas dicitur, emanat, & formatur.

Prima primi cap. de subiectis medicinæ.

Et sub hac fortasse ratione, quòd vnà simul formantur, & temperies, & sanitas; formalis ab Auicenna sanitatis causa, temperatura, & corporis constitutio nuncupata fuit; sed extraneè nimirum, & impropriè, quando verius subiectum, quàm forma dici merentur; veluti supra ostendimus. sic quidem causas omnes sanitatem constituentes sub genere tantum efficientium ordinauimus, reliquas verò despeximus, cùm per se ad accidentium esse minime cõferant. Ac ita ex sanitatis dilucidatione, & eius cõpletissimæ efficientis causæ, optimæ scilicet mixtionis, in substantialis naturæ, & temperiei explanationem & cognitionem peruenimus; mixtio nanque apud Hippocraticos, in quantitate vnionem, in qualitate verò temperiem perficit; moderata quidem & proportionata humorum quãtitas in animali ad eorundem continuitatem, & vnionem, vt ad propriam naturam ordinatur, quæ vnitas & cõtinuum, non nisi permixtione conficitur; neque enim aliàs res disiunctæ & separatæ vniuntur, quàm per admixtionem.

De differentijs morborum.

Vnio igitur animatarum partium natura erit apud Hippocratem. Sua nanque vnicuique vnitas partium (inquit Galenus) causa est, vt pars quælibet vna esse dicatur, vnumque actum, vel vsum perficiat. Commensurata verò humorum qualitas ad essentialem temperiem, vt ad propriam etiam, ac certam præordinatur naturam; quæ quidem temperies (vt res ipsa indicat, & ostendit) non nisi per admixtionem perficitur; erit igitur proportionatæ quantitatis, & qualitatis humorum permixtio, & vnitatis, & temperiei vltima perfectio; quæ vnitas, & temperies simul iunctæ, & naturaliter nexæ, veram animantium formam, & absolutam eorundem naturam perfectissimè complent, & si enim mixtio hæc, quæ vnitatem, & temperiem conficit, vna numero sit, motusque vnus ipsa dicatur, diuersis tamen rationibus ambas illas naturas simul perficit; vnionem quippe determinatas partes quantas continuando, & vniẽdo; temperiem verò summas ipsas qualitates temperando, & moderando; quæ diuersæ formationes in his diuersis materiebus faciunt, vt istę diuersæ, & aliæ appellẽtur naturæ; alia nempe natura est vnio, & alia temperies; vnio in determinata, & certa partium quantitate, & continuitate existit; temperies in primarum qualitatũ æquabilitate, & temperantia; quæ cùm naturaliter inuicem innexæ continuè reperiantur; nec vnquàm seiungi possint; vtræque simul vt essentiales partes vniuersam mixti compositi naturam (quæ forma, & temperies simpliciter nuncupatur) absoluent.

Forma et essentialis temperies ex duobus consistit.

Absoluta nanque, & perfecta temperies apud medicos æquè dicitur de his duabus naturis; & de terminata partium continuitate, & de primarum qualitatum temperantia; idem profectò est essentialis temperies, quòd continuatarum partium vnio, & qualitatum temperantia. Nec obstat ad hoc, quòd vnitas partium natura sit pro eo quòd quantitas inter principia actiua non connumeratur; nam cùm ex propria natura inseparabilis à qualitate sit; nec enim qualitas absque quantitate, nec è conuerso quantitas absque quali vnquàm inspici, & esse potest; si igitur per se primò quantitas actionem non attinget; maximum tamen, ac necessarium vsum præstat; hac quidem ratione, quòd inuicem semper naturaliter nexæ sunt; dicimus in maiori quanto, maiorem virtutem existere. præterea addunt, quòd licet quantitas in actione reali non sit ratio agendi, est tamen condictio necessaria; quoniam in agentibus materialibus actio est per contactum, contingentia autem sunt quorum vltima sunt simul, quinto Physicorũ, & sic quoquo modo quantitas forma agens dici potest, quia (vt septimo metaphysices inquit Auerroes) non potest substantia aliqua separata transmutare materiam: sic igitur cum quantum agat vt quantum, licet quantitate non agat, vt principio actiuo, sed vt conditione necessariò requisita; tamen vt sic concedi potest, aliquo pacto quantitatem esse de principijs

tex. co. 22. tex. c. 28. & 31.

pijs

pijs actiuis, reductiuè ſcilicet, & concomitanter. Ad rem autem noſtram redeuntes dicimus; quòd vnitas ſuo modo natura erit, & inter principia actiua concomitanter numerabitur. Affirmamus modo quemadmodum vnitas partium, & qualitatum primarum temperantia à medicis abſoluta temperies; à peripateticis ſimpliciter forma nuncupatur. hæc quidem corporis omnem compoſitionem temperat, vnit, & format, & ſingula particulatim inſtrumenta perficit; à qua vt proprium, & inſeparabile accidens optima corporis conſtitutio oritur; quæ diſsimilarium partium primum ſanitatis genus ex medicorum ſententia ordinatur. Cùm itaque duæ ſecundum partes naturæ ſint, vnitas, & temperies; duæ pariter in eiſdem ſanitates erunt; quando ad vnamquanque naturam propria ſubſequatur facultas rectè & ſalubriter agendi, & patiendi, quæ ſanitas nominatur; (ſicut ſupra retulimus) ſi ergo duæ ſecundum partes naturæ, duæ per conſequens primæ ſanitates erunt; quæ duæ primæ in his naturis ſanitates, cum altera prædicta in organicis, tria prima ſanitatis genera complent; tria igitur in vniuerſum erunt prima ſanitatis genera, in ſimilaribus partibus duo; bona ſcilicet vnitas, & temperies; (& ſi enim vnitas inſtrumentalibus quoque competat, primò tamen ſimplicibus conuenire dicimus) tertium in organicis, bona (inquam) ipſorum organorum compoſitio. ſi autem tria ſunt prima ſanitatis genera, ex conſequenti etiam tria prima morborum genera erunt; quando immediatè hæc contraria ſint; & contrariorum eadem ſit ratio. quare & rectè tertio colliget dicebat Auerroes, numerus ſpecierum ægritudinis eſt ſicut numerus ſpecierũ ſanitatis, & à cognitione ſanitatis cognoſcitur ægritudo; quamuis exiſtimatur, quòd notiores ſint ſpecies ægritudinum ſpeciebus ſanitatis, propterea quia multę ægritudines habent nomina; & ſanitates oppoſitæ illis ſine nomine ſunt; impoſsibile eſt tamen ægritudines perfectè cognoſcere, niſi per oppoſitorum ſuorum cognitionem; proinde eſt dictum, quòd contrariorum eadem eſt diſciplina. Hęc Auerroes; vbi apertè declarat, genera ægritudinum numero generum ſanitatis menſurari; cum enim tria tantum prima ſanitatis genera fecimus, bonam ſimplicium partium temperiem, & vnionem, ac inſtrumentorum congruam compoſitionem; tria quoque prima ægritudinũ genera dicimus, malam videlicet ſimplicium partium temperiem, & vnionem, ac prauam inſtrumentorum conſtitutionem: quæ quidem tria prima morborum genera his verbis Hippocrates manifeſtat.

4.phy.com. 83.

Tria prima ſanitatis genera.

Cap. primo.

IIII.

Aegrotat autem, cùm horum quid minus, aut amplius fuerit, aut ſeparatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus contemperatum.

Superius expoſuimus quemadmodum ſanitas animati corporis, bona cõſtitutio, temperies, & vnio erat; vnde ad eam formandam & perficiendã plura neceſſariò requirebantur; (ad conſtruendum nanq; in topicis ait Philoſophus multa ex neceſsitate deſiderantur) idcirco moderatam humorum quantitatẽ, & qualitatem, & eorundem exactam mixturã ſimul omnia ad eam perficiendam accedere docuit Hippocrates: quamobrem & coniunctim de ea protulit; ſanum equidem maxime eſt; vbi temperamentum hæc inter ſe habuerint moderatum, tum facultate, tum copia, & vbi maxime fuerint permixta. hæc quidem omnia ſimul ad integram conſtituendam ſanitatem expoſcit ipſe. è contrario autem in ægritudine accidit; nam cùm ea demolitio, & euerſio quædam ſanitatis ſit; ad eam efficiendam vnum tantummodo ſufficiet; (ad deſtruendum nanque, inquit Philoſophus, vnum requiritur) vnum itaque ſatis erit ad morbum conſtituendum; propterea diſiunctim morbificas hic internas cauſas ſubſcribit. Aegrotat autẽ, „ cùm horum quid minus, aut amplius fuerit, aut ſeparatur in corpore, & non fuerit reliquis om- „ nibus contemperatum; ægritudinem nanque efficient; ait ipſe, ſingulæ per ſe morbificæ cauſę „ illæ aut innaturalis quantitas, aut qualitas, ſeu improportio, aut mixtura indecens, pariterque etiam omnes ſimul præternaturaliter iunctæ. Iam enim in vniuerſum tria prima morborum genera diximus eſſe; intemperiem ſcilicet, vnitatis ſectionem, & malam partium compoſitionem: horum itaque omnium internas cauſa breuiſsimè hic Hippocrates explicat; dicit enim, quòd immoderata humorum copia ſecundum magis, aut minus, corporis compoſitionem viciat; & vnitatem (quæ in debita ſuarum partium connexione nititur) nata eſt ſoluere; vnde & malę cõpoſitionis, & vnitatis ſolutæ morbi, (dũmodo actio inde ſenſibiliter offendatur) proueniunt; pari fortuna humorum qualitates dum inæquales fuerint, ſecundum magis, & minus (ſi functionem manifeſtè lædant) inſalubrem, morboſamque inducent temperiem; ſimili modo indebita ipſorum ad inuicem proportio modò intemperiem, modò continui ſolutionem, prauam modò conſtitutionem, & multoties hos omnes ſimul efficient; iuxta improportionis magnitudinem. eadem pariter ratione aſſeuerat, quòd ſi contingat, vt iuſta, & proportionata humorum in animante quantitas, & qualitas ſit; & qualitates non fuerint optimè permixtæ, ita

quòd

quòd ex praua permixtione functio lędatur, tunc & insalubris ipsa temperies producetur. pari modo si debita humorum quantitas, & copia sit; & partes inuicem male nectantur, aut nexę soluantur, & separentur, sic quòd actio impediatur; tunc vnitatis solutionem, & malam quoque corporis constitutionem fieri contingit; propterea bene addit; aut separatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus contemperatum. Si in animante contigerit, ait ipse, quòd debitæ, & iustæ naturalis vnitatis, siue continuitatis partes sint, & inuicem quouis modo præter naturam segregentur, & dissoluantur, & earundem partium debitæ, ac iustæ qualitates non bene inuicem permixtæ, & temperatæ sint; hæ morbosam, & malam temperiem, illæ continui solutionem, & aliquando in compositione morbum efficient. Si verò euenerit, quòd insimul & qualitas, & quantitas humorum in animali innaturales fuerint; iniustæ scilicet, & indebitæ sine proportione, & hæ quoque male inuicem permixtæ, & temperatæ sint; tunc trium primorum generum, & intemperiei, & vnitatis solutæ, & prauæ constitutionis compositum morbum constituent; exactissimæ, ac perfectissimæ sanitati oppositum. Hæc vtque breuiter de internis morbificis causis protulit Hippocrates; Membri verò impellentis potentia, & debilitas, seu impotentia recipientis, & meatuum latitudo, & nutritiuæ facultatis debilitas, quę ab Auicenna primo canticorum recensentur; excitantes, & præmouentes, internæ morbificæ causæ dicuntur, non autem immediatè constituentes.

Superest modò contradictiones quasdam soluere de intrinsecis morborum efficientibus causis penès varia, & opposita Hippocratis dicta diuersis in locis; hic nanque palam affirmauit; quatuor omnes humores, sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem morborum omnium internas effectrices causas esse; huius oppositum in libello de flatibus recensuit; vbi morborum omnium flatum autorem esse constituit. in libro verò de affectionibus, circa principium diuersa etiam ab his vtrisque scribit; inquit nanque, morbi hominibus à bili, ac pituita fiunt: hoc idipsum libro primo de morbis repetit, cùm ait; morbi quidem igitur vniuersi fiunt ex his profectò, quæ in corpore insunt, tum à bili, tum à pituita. Sic enim tribus diuersis locis tria diuersa, & opposita de intrinsecis efficientibus morborum causis Hippocrates asseuerat. in hoc tractatu de natura humana humores quatuor omnes morborum intrinsecas effectrices causas commemorat; in libro de flatibus flatum tantum authorem constituit; & primo de morbis bilem solum, & pituitam internas singulorum morborum causas esse recensuit. Ac ita inconstanter modò vnicum tantùm, modò duos, modò quatuor omnes internas efficientes ægritudinum causas edocuit. Quibus oppositionibus sic satisfacere conabimur; si nanque citati libri magni Hippocratis sunt, quemadmodū inscribuntur; primò ad illum de flatibus dicimus, quòd sicuti naturalis flatus, & spiritus ad animantis naturā formandam, maximam ac potissimā vim obtinet: ita è cōtratio præternaturaliter ipse affectus maximā ac potissimā vim ad eam demoliendā obtinebit; sic vtique primus author, & dominus (vt eius vtar verbis) cunctarum prauarum affectionū censetur, & non quòd solus per se morborū omnium efficiens ipse dicatur. Ad alterū verò, quod in libro de affectionibus, & primo de morbis dixit, morbos omnes hominibus à bili, ac pituita fieri; hos solummodo duos cōmemorans, pituitam inquam, & bilem, materialiū morborum intimos constituentes fore; ad hæc dicimus, quòd præcipuos illos recensuit, à quibus vt plurimū, & frequentissimè morbi gignuntur, & fiunt; & qui etiam reliquos vi, ac potestate quoquo modo continent, & amplectuntur. Sed melius fortasse cū Peripateticis dicimus, quòd præternaturales tantū sensibiles humores ibi descripsit, à quibus vniuersi morbi oriuntur; per bilem enim & atram, & flauam intelligendo, per pituitā verò species omnes pituitę innaturales. sanguis verò, etsi apud ipsum pręter naturā reperiri dicatur, nihilominus statim aut ad atram, aut ad flauā vertitur bilem, & nonnisi sub his formis, dum innaturalis existit, in animato corpore sensibiliter cōspicitur; iure igitur hos tres tantum ibidem expressit, cùm præternaturales tantum sensibiles præexponere ibidem intendit. In præsenti autem tractatu de humana natura cùm ex propria intentione de humoribus agat, de his omnibus singulatim sermonem profert, tum in naturali, tum in præternaturali dispositione; tam sensu perceptibilibus, quàm iudicio, & existimatione; quapropter hos quatuor omnes particulatim hic commemorat. Et de his omnibus disputat sigillatim, & sermonem protrahit. Siquidem oppugnationibus istis pro viribus satisfecimus, subsequitur Hippocrates prædictam sententiam declarando.

V.

Necesse est enim, cùm quid horum secretum fuerit, & per se steterit, non solum eum locum vnde secesserit, morbidum fieri, sed etiam eum in

quo stat,

quo stat, & in quem propter nimiam copiam diffusum est, dolore, ac morbo vexari; etenim cùm quid horũ extra corpus effluxerit amplius quàm redundat; euacuatio ipsa dolorem exhibet: rursus itaque si idem intus fecerit euacuationem, & transitionem, ac ab alijs secretionem; geminatum dolorẽ exhibere necesse est, velut dictum est; nempe & vnde secessit, & vbi receptum redundat.

Ex natura rei, & experientia ipsa damonstrat Hippocrates, immoderationem quantitatis, & qualitatis humorum, cùm in superabundantia, tum in diminutione; ac eorundem disgregationem, & prauam mixturam, morbum perpetuò parere, dũ ait; necesse est eum, cùm horũ quicquam separatum fit, non solum ex quo excessit, locum morbo affici, sed etiam illũ, vbi etiam constiterit, & influxerit, nimirum affluente dolore, & labore afficere; quoniam vtraque pars & vnde decessit, & ad quam se contulit, in intemperiem, & vnitatis solutionem incurrerunt (vnde decessit) ex defectu, propter diminutam quantitatem, & qualitatẽ; Cùm enim determinata quantitas, & qualitas humorum prætèr naturam diminutæ fuerint, tunc partes ipsæ male inuicem vniuntur, & temperantur; hinc mala vnio, & intemperies fiunt; quæ dolorem pariunt; & morbi dicuntur; (ad quã se contulit) ex superabundantia, propter excessum quantitatis, & qualitatis; si nanque determinatã quantitas, & qualitas humorum præter naturam auctæ fuerint; tunc etiam partes ipsę male inuicem vnientur, & temperabũtur; & mala prauaq; temperies, & vnio inde exurgent, quæ dolorem (vti diximus) efficient, & morbi quoque dicentur. Quòd verò vtraque pars, & vnde recessit humor, & ad quã se transtulit, morbo, doloreque efficiatur, experientia superenacuantis pharmaci dolorem inferentis, aut cuiusuis similis euacuationis ad extra, id comprobat, quoniam cùm euacuatio humorem aliquem extra corpus, (amplius quàm redundat) eijcit ex diminuta humorum quantitate, & qualitate in parte illa; tunc euacuatio morbum, ac dolorem, (eius concomitans, & adhærens symptoma) immediate effecit; nam ibi statim & intemperies, & vnitatis solutio exurgunt; quas primas simplices, & similares nuncupamus ægritudines; æquè primas, ac proximas doloris effectrices causas. diminuta nanque præter naturam humorum quantitate, necessariò quoq; & qualitates imminuuntur, quando & in quanto hæ semper adsint; qualitas enim quantitatem perpetuò insequitur; diminuta ergo naturali quantitate, illico etiam concomitanter & naturalis qualitas imminuitur, hac intemperiei, illa vnitatis solutionis causa existente. Sic quidem ad extra humorum euacutio plusquàm naturæ conueniat, morbos simplices primos, & dolorem ipsorum proprium adhærens symptoma necessariò infert. Si verò ad intra corpus contigerit, talem humorum secretionem, & eruptionem fieri, tunc geminatum afferre dolorem necesse est, & à quo secessit propter imminutionem, & exiguitatem, & vbi se recepit propter redundantiam, ac multitudinem. (veputa contrariorum eadem est ratio) Aequè nempe & vnitas, & temperies, & ab excessu, & à defectu oblæduntur; quando in medio æqualiter ambo consistant, temperies primarum qualitatum, vnitas suarum debitarum partium secundum propriam suæ formæ naturam.

Duæ doloris inhærentes causæ.

Hinc profectò clarissimè duæ nobis internæ manifestantur doloris immediatæ, & inhærentes causæ; mala scilicet temperies vna, altera similarium partium vnitatis solutio; hæ nempe immediatæ duæ continentes doloris causæ ostenduntur. nam vt bona similarium partium affectio; & dispositio in vnione, & temperie, tanquàm in essentialibus naturæ partibus, bonam semper, & naturalem sensationem producit, & seruat; (perpetuò nanque sensationes, & sensus omnes & boni, & naturales efficiuntur, & seruantur, quãdiu bona, & naturalis dispositio, tum in temperie, tum in simplicium partium vnitate aderit, & seruabitur) ita etiam quãdiu mala, & praua affectio in eisdem naturis affuerit, tandiu malam, & prauam sensationem in eisdem partibus inducet, & seruabit. Duas nempe superius fecimus naturas ex parte formæ in similaribus partibus, & primarum qualitatum temperiem, & partium vnitatem; quæ duæ partiales naturæ, prout benè affectæ, & dispositæ bonarum sensationum, & affectionum per se primò causæ asserebantur, prout autem prauè, & malè affectæ erant, prauarũ, & malarum sensationum per se primò causæ dicebantur; Et hæc in similaribus ipsis primò contingere diximus, mox in organicis, & cõpositis. nam hæ naturæ primò, & per se in similaribus partibus fundantur, mox in organicis; quoniã similaria membra & temperiei, & vnitatis, & consequenter tactricis facultatis, quæ in his naturis consistit, proxima, & immediate subiecta asseuerantur; quare simplicia ipsa primò & per se tristem sensationem, & dolorem pati dicuntur, postea organica, & composita.

2. methodi. sita. (Quaproptèr benè Medici actiones, passionesúe omnes simplicibus tribuerunt, organicis verò vsus solummodo.) Dicimus modò secundum quorundam sententias, qualiter tactrix facultas, quæ in his naturis, & similaribus partibus inexistit, passiua eorundem partium potentia nominatur; quamobrem & sentire in quodam pati consistit, & moueri ab obiecto; Propterea & secundo de anima. lxij. ritè Aristoteles dicebat, vti necesse est ipso pati, & alterari tanquàm proprijs nominibus; passio nempe, quæ in tactrici potentia à tristi, et nocuo obiecto violenter imprimitur, dolor ab istis nuncupatur; vnde et superiori citato libro textu vigesimoseptimo, cui autem sensus inest; huic voluptas, et dolor, et iucundum, et triste est; ibi nanque Philosophus ait, quòd vbi est sensus, ibi voluptas, et dolor, iucundũ, et triste adsunt: Voluptas ex iucundi apprehẽsione, dolor ex tristis obiecti susceptione; vt doctissimè Auerroes interpretatur, qui et tertio colliget capite de accidentibus superuenientibus virtuti sensibili, apertè dolorem ipsum malam sensibilitatem nuncupat, et inter tactricis facultatis symptomata ipsum numerat, in deprauata scilicet eius actione; quando ad corruptionem, et ad malam affectionem permutatur. Apprehensio itaque tristis obiecti, tristis sensatio, & dolor ab istis nuncupatur. et iuxta hanc doctrinam secundo de locis affectis capite primo dicebat Galenus, quòd dolor tristis sensus est, et voluptas blandus sensus nuncupatur. Hoc quidem etiam Auicenna sentit secunda sen. primi libri de causis doloris absolutè, cùm inquit; dicimus igitur, quòd dolor est sensibilitas rei contrariæ; et infra subdit, quòd dolere non est nisi contrariæ rei contrarietatem sentire; et in fine etiam illius capitis addit; amplius dolor proculdubio est contrarium subito impressorem sentire, vt ipse est contrarius, et dolere faciens. Sensibilitas autem rei contrariæ est contrarietatem rei contrariæ sentire, et contrarium subito impressorem sentire; hæc vtique omnia non sunt nisi tristis, nocui, et contrarij obiecti apprehensiones, et sensationes apud viros tactè. Et sic fatebimur, sensum tactus nunquàm circa proprium obiectum decipi, quando in dolorosa cognitione determinatum suum obiectum semper vt triste, nocuum, contrarium, & dolorosum cognoscat: Dolorosa verò cognitio, quæ dolor, & dolorosa sensatio ab istis dicitur, à tactrici facultate non apprehenditur, nisi sub communis sensus ratione, qui particularium sensuum actus, passionesque omnes discernit. concludimus igitur ex istorum omnium doctrina, passionem (quæ in tactrici potentia, & facultate violenter à tristi, & nocuo obiecto imprimitur) dolorem esse, & ita vbique ab ipsis nuncupari; veruntamen apud illos, qui sensationem, non passionem, sed actionem faciunt; & quamuis sentire cum pati fiat, attamen nec pati, nec recipere illud esse, sed agere, & dignoscere tantum asseuerant; aliter profectò dicendum; nec enim isti sensationem, siue nocuam, siue tristem dolorem dicere possunt, quando sensatio apud istos nec tristis, nec nocua sit, sed absoluta cognitio & actio. nec etiam poterunt dicere, deprauatam tactus actionem dolorem esse, quoniam vere dignoscere passionem suo organo & instrumento illatam à nocuo et tristi obiecto, nec deprauata, nec falsa cognitio est. Dicent fortasse & isti formaliter dolorem esse passionem innaturalem confertim illatam à noxio, & disproportionato obiecto in organum & instrumentum tactricis facultatis; violentam itaque passionem tum medij, tum instrumenti tactricis potentiæ à nocuo, & incongruo obiecto factam, dolorem nuncupare poterunt; Incongruum nanque, & disproportionatum obiectum propria vi & organum, & sensum corrumpere potest; quare tertio de anima dixit Philosophus, à nimis magno obiecto corrumpitur sensus; cùm enim organum sensus, & consequenter sensus ipse per se à noxio obiecto alteretur, & patiatur, ac tandem corrumpatur, poterit profectò passio ista alterans, & corrũpens dolor ab istis nuncupari; quando dolor innaturalis affectus naturam diruens, & corrumpens à plurimis describatur, & sæuum tactus symptoma nominetur. Et quoniam

Arist. tertio ethicorum cap. vltimo. simplicium sensilium partium prauas dispositiones duas fecimus, qualitatum scilicet intemperiem, & continuitatis dissolutionem: duo vtique intrinseca consequenter erunt infesta, & nocua obiecta, & intemperies, & vnitatis dissectio, æquè primò, & immediatè tristis sensationis, ac noxiæ passionis effectrices causæ; vt illæ æquè primæ immediatè sunt similarium partium prauæ affectiones. Vt enim ambæ naturales similarium partium affectiones bonam semper, & naturalem sensationem producent, ita ambæ innaturales earundem partium dispositiones innaturalem, & tristem passionem, & sensationem (quæ dolor dicitur) efficient; (vt enim affirmationis affirmatio, sic negationis negatio causa dicitur apud rationales) & quia vtraque ipsarum & intemperies, & vnionis dissectio duobus modis fieri contingunt, & paulatim & remissè, & vehementer, ac repente; quæ enim vehemens, & repentina fuerit intemperies, & vnionis dissolutio, hæc quidem doloris causa enunciatur; quando natura subitas, & vehementes mutationes ægreferat, & omne nimium sit ei semper aduersum, & inimicum. quæ verò leniter, & paulatim vnionis solutio, & intemperies fuerint, dolorẽ minime efficient; cùm hæc quodammodo secundum naturam fiant; sensim enim natura progreditur, & quæ sensim fiunt quodam

2. Aph. li. et libr. 2. vic. Acut. Mor. 18. & 21.

modo

modo naturalia sunt; quæ verò secundum naturam sunt, dolorem nequaquam afferunt. subita igitur ac vehemens vnitatis solusio, & intemperies cùm inimicæ, & molestæ naturæ sint; tristis passionis, ac sensationis, & doloris immediatè causæ meritò asserentur. Efficitur itaque dolor ipse immediatè ab vnitatis solutione, vt à causa proxima dirimente, ac diruente naturam, velut à disproportionato, & incongruo obiecto, forti (inquam) & excellenti nimirum sensibili. Tactrix enim facultas non solum apprehendit, quod temperiem dissoluit, sed etiam quod vnitatem, & structuram dirimit, sexto de naturalibus Auicenna libro secundo capite tertio. A mala verò temperie immediatè dolor prægignitur, ab actiuis primis notis qualitatibus sensibiliter naturam, & temperiem dirimentibus: & hoc etiam vt à nocuo, & valde contrario obiecto. Duas itaque æquè primas internas doloris effectrices causas constituimus, & similarium partium subitam, ac fortem vnitatis solutionem, & earundem innaturalem, repentinam, ac immoderatam intemperiem. Galenus autem primo de symptomatum causis ex Hippocratis, & Platonis doctrina, dolorem, non tristem ipsam sensationem nec passionem confertim à nocuo obiecto sensus organo illatam, constituit; sed efficientes potius, ac continentes doloris causas has nuncupat; quas ambas in vnicam communem redigit; ab istaque immediatè dolorem effici, vt à proprio, & determinato obiecto asserit; vnde & communem coniunctam, continentemque causam ipsam nominat. Huius verò postea coniunctæ continentisque causæ, duas statim efficientes proximas, & adhærentes causas constituit; intemperiem scilicet, & vnitatis sectionem iuxta superius declarata. Doloris itaque causas ibidem ipse referens simul, & voluptatis veluti dolori contrariæ rationem reddit; quando mutuo contraria se inuicem declarant; ait enim, delectatio autem, & dolor omnibus sensibus contingunt, non tamen pari euidentia; sed in oculis minusquàm in cæteris euidenter; in tactu autem, & gustu maximè luculenter; ab his deinceps in odoratu, & post hinc in auditu; quoniam igitur est, tum omnium communis, tum cuiusque causa propria; sanè communis ea est, quam Plato in Timeo reddit sic scribens; violenta passio, » quæ præter naturam est, cùm simul multa, & celeriter fit, dolorem affert; è diuerso quod ad » suam naturam vniuersim, & celeriter reddit, iucundum est; quod autem sensim, & paulatim fit, » sensum latet; atque ita quidem Plato. Hippocrates verò eo antiquior, ijs, inquit, quibus natura » alteratur, & corrumpitur, dolores fiunt. Hucusque Galenus. »

Dolor quid sit apud Hippocratem, et Platonem.

Vbi ex Platonis sententia vnam tantum proximam communem, & adhærentem doloris causam recenset, violentam scilicet præter naturam passionem athroeos factam: Hippocrates verò id vno explicat verbo cùm ait, dum corrumpitur natura dolores fiunt; corrumpi nanque celeritatem simul, & magnitudinem mutationis indicat; cùm enim excellens potens aliquod, & disproportionatum obiectum ipsi naturæ celerem aliquam, & magnam passionem præter naturam inferat; hæc quidem passio naturam corrumpet; cùm nimium omnia fit ei nocuum, & inimicum; quocirca & rectè hæc ab Hippocrate corruptio nuncupatur. Hæc itaque naturæ corruptiua passio dolorem semper apud istos infert, sicut eius continens, & immediata efficiens causa. Huiusmodi autem dolor productus non est corruptio, nec tristis, & mala sensatio, seu passio à nocuo obiecto violenter facta, sed ad corruptionem, & ad tristem sensationem, & passionem insequitur vt proprium, & inhærens symptoma; & vt sic à proprio sensu tactus, & non à communi percipitur. & sub hac ratione, dolor insigne sensus tactus symptoma de differentijs symptomatum à Galeno fuit appellatum. Huius autem celeris, ac vehementis mutationis, naturæ (inquam) corruptionis; duæ etiam ab istis internæ proximæ efficientes causæ asseruntur, & intemperies, & vnitatis dissectio; penès duplicem ipsius naturæ existentiam, & in temperie, & in vnione; sicut supra de his abundè diximus. Intemperies igitur, & solutio continui, si simultaneæ, & vehementes fuerint corruptionis naturæ, & consequenter ipsius concomitantis doloris effectrices immediatæ causæ ab istis dicentur; iuxta illud Philosophi, dans formam, dat & consequentia formam; pariter dans corruptionem, dat & consequentia corruptionem.

2. Apho. 31 *8. phy. t. 4.*

In hac simili & ferè eadem cum Hippocratis, & Platonis sententia Aristotelem esse diuus Thomas in prima secundæ quæstione trigesimaquinta articulo primo nobis ostendit, vbi ex Peripatetica doctrina declarat dolorem, & voluptatem ad appetitum pertinere; inquit enim quòd sicut ad delectationem duo requiruntur, scilicet coniunctio boni, & perceptio huiusmodi coniunctionis; ita etiam ad dolorem duo requiruntur, scilicet coniunctio alicuius mali, (quod ea ratione est malum quia priuat aliquod bonum) & perceptio huiusmodi coniunctionis; quicquid autem coniungitur, si non habeat respectu eius cui coniungitur, rationem boni vel mali, non potest causare delectationem, vel dolorem; ex quo patet quòd aliquid sub ratione boni, vel mali est obiectū delectationis, & doloris; bonū autem & malum, inquantū huiusmodi sunt obiecta appetitus; vnde patet quòd delectatio, & dolor ad appetitū pertinent. hæc ipse, quibus edocet,

quòd dolor, sicut & voluptas, appetitus actus est; pariterq; etiam admonet, qualiter ad omnem doloris speciem duo requiruntur, mali (inquam) coniunctio, & eiusdem coniunctionis perceptio. In dolore autem, de quo præsens est sermo, qui à corpore læso, ac male affecto proficiscitur, hæc duo similiter necessaria erunt, & mali coniunctio, & eiusdem coniunctionis perceptio: Malum autem hoc coniunctum in dolore corporeo erit omne improportionatum, & contrarium, ac repugnans sensitiuæ potentiæ, veluti intemperies omnes, & sectiones continui violenter in animantis corpore factæ; hæ quidem violenter corpori illatæ, vtique malum corpori coniunctum erit, quando & ipsum dirimat, ac destruat; perceptio autem huius mali coniuncti scilicet improportionati, & contrarij obiecti, est a tactrici ipsa facultate. perceptio igitur disproportionati, & contrarij corrumpentis obiecti à tactrici potentia (quam multi malam, & tristem sensationem nuncupant) erit doloris proxima, & adhærens causa: nam quoties disproportionati, & contrarij obiecti apprehensio appetitrici facultati obuia fuerit, tunc ei repugnat, & contrariatur, vnde illico se contrahit, & statim fugam arripit; hæc autem simultanea (vt ita dicam) contractio, & repentina fuga formaliter passio est, quæ dolor dicitur; nam motus, omnis sensitiui appetitus (ait ipse) passio dicitur, & præcipuè illi, qui in defectum, & imperfectionem tendunt: vnde dolor secundum quòd est in appetitu sensitiuo proprijssimè dici-
10. eth. c. 4. tur passio animæ, sicut molestiæ corporales propriæ corporis passiones dicuntur. Huiusmodi autem subitus ac violentus motus, qui dolor dicitur, quoniam confertim ac simul totus fit, æquiuocè certe motus dicetur cum alterationis motu, qui in tempore est: hic nanq; quia neque per partes, neque paulatim, sed subito fit, in tempore per se non erit; quamuis per accidens inesse possit; pro quanto inhærens eius causa transmutationi subiacet; naturæ nanque alteratio, & corruptio, doloris immediata causa per se in tempore esse dicitur. Hæc de dolore ad mentem Philosophi diuus Thomas, qui quantū cum Hipp. & Platone cōuenit, tantum etiam cum superioribus dictis discrepans est, inquit enim Hippocrates, quibus natura alteratur, & corrumpitur dolores fiunt; Illis profectò natura alteratur, & corrumpitur, quibus malum & disproportionatum obiectum coniunctum fuerit, hoc quippe naturam alterat, & corrumpit; ad hanc autem naturæ alterationem, & corruptionem, dolorem in appetitu sequi necesse est; per naturam nanque nil aliud hic intelligit Hippocrates, quàm tactricem ipsam facultatem; per hanc enim animal existere secundo de anima docuit Philosophus, dum igitur tactrix facultas alteratur, & corrumpitur, tunc appetitus patitur violenter, se contrahendo, & dolor fit. At illustres superius à nobis citati viri validissimis nixi rationibus oppositum asseruere. Quidam enim horum tristem, & malam sensationem dolorem esse affirmarunt: Hi profectò sensum passionem esse ex Philosophi mente aiunt, hanc ipsamque passionem à conuenienti obiecto perfici, & seruari; ab incongruo, disconuenientique destrui, & corrumpi ex eiusdem mente asseuerant;
3. de anima t.c. 62. nam tertio de anima dixit, à nimis magno obiecto sensum corrumpi; si modò dolor passio est, sicuti in hoc omnes conueniunt; & passio hæc ex propria vi animantis naturam dirimat, & destruat; est nanque dolor (vt res ipsa ostendit) affectus, & passio innaturalis naturam destruens,
Cap. vltim. & corrumpens; ait enim tertio ethicorum Philosophus, dolor distrahit, & corrumpit naturam eius, qui habet ipsum. Quis igitur negare poterit tristem, & malam sensitionem dolorem esse? est quidem passio, & corruptiua; nam cùm huiusmodi à nocuo corrumpente obiecto genita sit, tunc simul & facultatem, & eius organum, ac tandem semetipsam interimet: formalis quippe ei doloris ratio congruit; quòd passio scilicet sit, & naturam in quo existit, corrumpat; formaliter igitur dolor erit. Hac quoque ratione sententiam suam firmant & illi, qui non tristem sensationem, sed absolutam passionem in tactricis facultatis organum à noxio obiecto illatam dolorem esse asseuerant; nam quoniam passio est, & violenta naturam alterans, & corrumpens, idcirco dolorem illam constituunt, & nuncupant. Quid igitur in hac controuersia dicemus? Hippocrates enim inquit, dolorem ad alterationem, & corruptionem sequi. Isti è contrario dolorem corruptionem, alterationemque moliri aiunt. Præterea isti contra naturam affectum, & symptoma tactus dicunt: Hippocrates appetitricis facultatis malam ac alienam à propria natura actionem (quam multi impropriè deprauatam nuncupant) dicere videtur. Ad hæc quidem (si fas est inter tot, tantaque probatissima iudicia meum infimum apponere) dicimus, quòd dolor duobus consideratur modis. Primò prout est alicuius facultatis actio praua, & aliena à propria natura. Secundò prout effectus quidā innaturalis in subiecto existens; prout ergo praua, & violenta alicuius facultatis actio est, tunc ipsim appetitus formaliter violenta, & aliena à propria natura actio erit; & vt huiusmodi ad alterationem, & corruptionem sequitur; nam prius opus est, vt facultas alteretur, quàm eius actio vitietur. prout verò dolor consideretur, vt affectus innaturalis in membro, & in particula innaturaliter permanens, tunc corruptionem præcedit, & eam molitur; cùm præternaturalis affectio, &

dispositio-

dispositio sit, quare vt huiusmodi verè sensus tactus passio, & symptoma dicitur, & illi semper noxius, & molestus existit. Etsi aliquando etiam prout est actio praua, & aliena à propria natura sensus passio, dolor à Medicis, ac Philosophis nuncupatur. Respondemus quod huiusmodi dicitur, non quia formaliter sit sensus actus, sed quia eius actio ad dolorem efficiendum necessariò requiritur. Vel forsan, & melius, prout vna, & eadem essentialiter in subiecto, & organo hæ virtutes sunt, & non prout ratione aliæ, & diuersæ dicuntur; sicut octauo capite tertij de anima docuit Philosophus; cùm autem sensus iucundum, aut molestum discernit, quasi affirmauerit, aut negauerit, tum persequitur, aut fugit; atque delectari, aut dolere est operari ipsa medietate sensus ad bonum vel malum, vt talia sunt, & non aliud est appetitiuum, aliud fugitiuum, nec alia sunt ista à sensitiuo, quanquàm ipsorum ratio non est eadem, sed diuersa. At de his satis. Concludimus tandem ex Hippo. Platonis, & Aristotelis sententia dolorem fieri in omnibus sensibus, sed præcipuè in tactus appetitu à re præter naturam violenter, & magno cum impetu simultaneè in nos irruente. Voluptatem verò ex reditu ad naturalem habitum simultaneo quidem, sed absque violentia facto. Quare dolor, & voluptas in hoc quidem conueniunt, quod athroeos fiunt; differunt verò, quod dolor violentiam infert; voluptas absque violentia contingit, cùm in naturam motus & status fit. Ab vtroque verò remouentur; quæ pedetentim fiunt, quia præ exiguitate sensum effugientia nec dolorem, nec voluptatem inferunt. Hactenus de dolore, & causis eius.

Sensus, et appetitus essentialiter vna, & eadē virtus.

Et quoniam supra pluries diximus temperiem sanitatem esse, eandemq; temperiem essentiā etiam fecimus; essentiam ergo iure quis sanitatem dicere poterit. Ad hanc igitur ambiguitatē tollendam dicimus; quòd temperies, alia & diuersa ratione, & essentia, & sanitas nuncupatur: temperies nanque essentia, & substantialis forma dicitur, pro quanto vniuscuiusque esse complet, & perficit, & simpliciter actionum omnium per se principium nominatur; est nanque natura, quæ forma dicitur, causa mouendi, & quiescendi eo in quo est, primum per se, & non secundum accidens; sub hac ratione temperies, & forma, & natura, & essentia nominatur. prout verò hæc temperies, quæ forma, & substantia est; benè & optimè disponitur, & afficitur; tunc sic disposita, & optimè affecta, sanitas nuncupatur: Sanitas igitur non simpliciter temperies nominabitur; sed cum additione, temperies inquam, optimè affecta, & disposita. Bona atque dispositio, & habitus in essentiali temperie formaliter sanitas est: Et hæc ipsa affectio, & dispositio præcipua temperiei (quæ forma est) facultas, & virtus appellatur; quando saluberrimè naturalium actionum principium existat. Sanitas igitur naturalis temperiei habitus, & affectus est, qui propriè salubris temperies nominatur; & multoties absolutè temperies propter maximam adinuicem affinitatis consuetudinem: Si verò contrà contingat, quòd temperies ista, quæ forma, & natura est, contrario modo afficiatur, prauè scilicet, & malè; tunc opposita, & contraria dispositio in ea succedet; quæ simpliciter ægritudo, & morbus nuncupatur, aliàs temperiei affectio, intemperies, insalubris, morbosaque temperies. At ista temperies ipsa, quæ forma, & substantia est; vna & eadem essentialiter semper manens, diuersimodè, & oppositè affecta, & salubris, & insalubris, & moderata, & immoderata nominabitur. Ipsa quidem substantialis temperies verum, & immediatum subiectum dicitur harum contrariarum facultatum, & dispositionum; his enim perpetuò duabus vicissim necessariò afficitur; nec ab eis vnquàm prorsus absoluitur. immediatè nanque oppositæ hæ facultates dicuntur; quæ successiuè circa essentialem temperiem, vna post alteram immediatè semper fiunt. Cùm igitur affectiones hæ contrariæ sint, contrariorum quoque affectuum, & actionum principia existent; vt enim sanitas salubrium, & naturalium functionū principium est; ita è contrario ægritudo insalubrium, & innaturalium affectuum principium erit. Et quamuis sanitas, & ægritudo istius temperiei primæ, & immediatè dicantur facultates: Nihilominus sanitas naturæ proximior, ac magis intima, & familiaris est; quàm ægritudo. Hinc & proprium sibi naturæ nomen vendicauit: Proinde quàmplurimum & natura, & temperies nominatur: quando secundum naturæ intentum, & finem ipsa perpetuò operatur, ac eius esse, & essentiam seruare semper nititur. Contrà quæ ægritudo se habet, nam præter naturæ scopum, prauarum functionū principium existit, & eam tollit, ac esse aufert: Ideoque iustè praua, malaque dispositio, & innaturalis nominatur. Sic quidem bellè declarauimus, qualiter substantialis temperies varijs, ac diuersis modis & natura, & sanitas, & ægritudo nuncupatur. Ex hac potissima formalis naturæ, & sanitatis, & ægritudinis ostensione de elementorum, & humorū moderata quantitate, qualitate, & exactissima mixtura (& è contrario in ægritudine;) satis euidēter Hippocrates habet, sanguineorum animalium naturam ex quatuor omnibus cōstare humoribus; Naq; enim si natura vnus solus humor foret, cōmisceri, contemperarique posset; quemadmodū supra de vno dicebamus elemento, quo enim pacto, quod vnū est, generare aliud posset, nisi sit cū quo cōmisceatur?

Mixtio itaque & temperies plures eos fore necessariò supponit. Aggreditur modò Hippocrates nouas demonstrationes contra vnicum tantum humorem naturam hominis profitentes esse: Nam præter superiores prædictas contra priscos Philosophos vnum instituentes principium, & elementum, quæ æqualiter contra vnicum facentes humorem processerunt; & de dolore, & de generatione, quòd nulla scilicet foret generatio; nec vnquam corpus doleret, si vnum tantum esset homo, siue elementum, siue humorem dixerint: Alias denuò contra hos, qui vnicum animantium naturam humorem profitentur, exorditur rationes; prius itaque præmittit, quæ ipse edocturus est, dicens.

VI.

Nam quæ ego hominem esse affirmauero, ea pro lege, & natura, ætate, tam iuuenili, quàm senili, tempore, tam calido, quàm frigido, æquè inesse in illo demonstrabo. Atque etiam signa afferam, & necessitates adducam, propter quas, quodque augetur, imminuiturque in corpore.

Pollicetur in præsenti Hippocrates ea omnia, quæ hominem conficere, & formare ipse affirmat, scilicet ipsos quatuor humores, in substantiarum formis inuicem seiunctos, ostensurum se tales omnes in homine semper contineri, in omni ætate, tam iuuenili, quàm senili, & in omni tempore, tam calido, quàm frigido; quando ij perpetuò hominis essentiam, & naturam constituant, & seruant. Hoc ipsumq; ostendere ipse asseuerat secundum hominum opinionem, & rei veritatem; Pro lege nanque est (inquit Galenus) quod homines putant, & arbitrantur; quam loquendi rationem prisci græci vsurpare consueuerunt; sic pro natura, hoc est pro ipsa rerũ veritate. Et signa etiam afferam, & necessitates adducam, & rationes scilicet à signo, & à causis simpliciter, & propter quid, se adducere pollicetur, ad idipsum demonstrandũ, ostendendumq; quemadmodum singulariter vnumquodque horum augetur, imminuiturque penès ætatum, annique temporum differentias: (Demonstrationem enim simpliciter necessitatem hic Hippocratas nuncupauit) ex his modo initium sumit ad nouas demonstrationes.

VII.

Et dico sanè esse sanguinẽ, & Pituitam, & bilem flauam, & nigrã: & horum primum quidem iuxta receptam opinionem distincta esse dico: & nulli ipsorum idem nomen est; deinde species, & formas iuxta naturam separatas esse: & neque Pituitam similem esse sanguini, neque sanguinem bili, neque bilem pituitæ: quo enim modo hæ inter se similia sint; quorum neque colores similes videntibus apparent, neque ad manuum tactum similitudo aliqua esse deprehenditur: Neque enim similiter calida sunt, neque frigida, neque sicca, neque humida; cùm itaque tantum inter se discrepent, tum specie, tum facultate, necesse est ipsa non vnum esse, quandoquidem neque ignis, & aqua idem sunt.

Quatuor esse humores eosq; in substantia, & essentia distinctos fore, in præsenti demonstrat Hippocrates, ipsorumq; vnũquodq; singulariter nominatim enuntiat, dicens; & dicò sanè esse sanguinẽ, & pituitam, & bilem flauam, & nigrã; hæcq; iuxta receptam opinionem distincta esse ait; sed vltra hanc communem hominum sententiam pluribus rationibus id suadet; primum itaq; declarat quatuor hos humores nomine, colore, formatione, caliditate, frigiditate, & humiditate mutuo differre; mox autem hos omnes clarè demonstrabit in sanguineis animalibus cunctis reperiri, in venis inquam, & arterijs. Nec enim alibi in sano, & temperata corporis constitutione humores inueniuntur; Horum enim gratia venæ conditæ sunt, vt tertio de partibus animalium refert Philosophus; humor nanque conceptaculum quisque desiderat, venarum autem genus conceptaculum, & vas est; itaque sanguis in his, quasi in vase reconditur. Nec enim quærere habemus in naturali corporũ consistentia, an hi puri, & synceri ibidem reperiantur. Nam cum natura tota in æquabilitate, & temperantia cõsistat, & hi pariter quoq; qui eam

Cap. 5.

consti-

constituunt, in æquabilitate, & temperãtia reperiri debent. Quamobrem secũdo prædictionis bona ratione admonet, humores cùm synceri, & puri è corpore excernuntur, prauam semper, & malam affectionem prædicere, valdeque à temperie corpus remotum esse; vnusquisque igitur horum in animantium corporibus moderatus, & temperatus secundum propriam naturam apud Hippocratem inuenietur, alioqui intemperiem potius, quàm temperiem constitueret. Permixti itaque, & temperati in naturali corporis natura per venas permeant, & currunt humores; sed taliter, quòd speciem adhuc, & formam retinent; sunt quidam in mixtione ipsa quodammodo refracti, & non extincti; ideoque speciam, & formam seruare dicuntur. vnde dicimus, quòd vniuersa sanguinis moles, quæ per venas fertur, quatuor distinctis varijs partibus infignita conspicitur, quemadmodum his diuersis partibus conflata existit; pars enim illa, quæ rubra, mediocrisque substantiæ, ac moderatè calidior inspicitur, sanguinem repræsentat, qui copia, & abundantia cæteris præstat in temperata corporis habitudine; pars verò altera, quæ tenuis, flaua, & calida admodum cernitur, bilem præ se fert, quæ verò cruda, liquida, & alba, pituitam; Atram autem bilem, quæ crassa, nigra, & facultate frigida intuetur. Hæc quidem sunt prima, & simplicissima corpora, in quibus elementa, ignis, aer, terra, & aqua primò transmutantur, cùm ad animati corporis mixtionem à superioribus lationibus ordinantur. His enim primis natura vtitur ad animatum formandum, in hisque singulis singula vera elementa propriam impresserunt naturam; propterea singuli hi singula præ se ferunt elementa. Hæc itaque quatuor prima simplicia corpora, sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem, vltra hominum receptam opinionem in essentiali substantia, & facultate inuicem seiuncta (quemadmodum prima illa simplicia à quibus esse sumpserunt, distincta seiunctaque sunt) ex diuersis, varijsq; ipsorum nominibus, & ex eorundem varijs diuersisq; formis, ac contrarijs eorundem facultatibus, & potentijs in præsentiarum ostendere Hippocrates conatur, & prius à distinctis horum nominibus argumentatur penès antiquitatem ipsorum nuncupationũ consuetudinem. Prisci namque medici omnes ex longo, & diuturno vsu quatuor hos semper humores proprijs distinctis nominibus nuncuparunt; quæ distinctæ, & variæ nuncupationes varios ac distinctos in substantijs inter se inuicem eos fore apertè suadent, & indicium faciunt; quando diuisa, & separata quælibet substantia suo diuiso separatoque nomine perpetuò nuncupetur. Mox ex rerum natura, & veritate ipsa tales eos fore demonstrat, taliter arguendo; omnia ea, quæ tum forma, tum facultate inuicem distincta, & separata sunt naturaliter, & secũdum veritatem, inter se distincta penès essentiam esse dicuntur. At humores omnes, qui in corpore insunt, & forma, & facultate seiuncti, separatique sunt; ergo humores omnes, qui naturaliter in venis corporum conduntur, distincti in substantia, & essentia meritò dicuntur. Quòd verò humores omnes, qui naturaliter in venis corporis insunt, & continentur tum forma, tum facultate diuersi, differentesque dicantur; ostendimus. Et prius, quòd forma, & specie distent; ratiocinamur; quæcunque dissimilium formarum, & specierum sunt, diuersa, dissimiliaque in substantia, & essentia esse dicuntur: At humores tales sunt, quòd in formis, & speciebus dissimiles, diuersique omnes inspiciuntur; ergo inuicem distincti, & separati in essentia, & substantia esse dicuntur; maior euidens est, quoniam variæ, & diuersæ specificæ formæ, varias ac diuersas specificas substantias constituunt; & ex varijs, diuersisque materialibus substantijs, diuersæ variæque specificæ resultant formæ. Formæ enim specificæ distinctæ specificas distinctas materias semper ostendunt; & cùm ad aliquid sint; distinctæ specificæ materiæ distinctas specificas formas demonstrabunt; quando determinatum à determinato apud Peripateticos vbique fit, & non quodlibet à quolibet. eadem igitur forma eandem substantiam, & essentiam; dissimilis, & alia, dissimilem, & aliam essentiam, & substantiam attestabitur. Minor à sensibus ipsis euidentiam sumit, quòd inuicem humores omnes substantialiter dissimiles, difformesque sint; apertè namque & ad visum, & ad tactum dissimiles esse cognoscuntur. Neq; enim horũ colores similes videntibus apparent, neq; ad manuum tactũ similitudo aliqua esse deprehenditur; quoniã non idem omnibus calor, nec idẽ omnibus crassities, & tenuitas, neq; grauitas, & leuitas, nec consimiliter frigiditas, humiditas, & siccitas: hinc probè admodum dixit Auicenna, quòd sanguis dũ à corpore exit, & separatur, ac in vase quieuerit, sensu ipso affirmante, in partẽ secernitur spumosam, quæ cholera est, & in partẽ rubram, quæ sanguis dicitur, & in partẽ fœculentiæ, ac turbulantiæ similem, quæ melancholia est, & in partẽ albo oui similem, quæ est pituita, ac in partem aquosam, quæ est ipsa aquositas, cuius excrementum per vrinam expellitur. Hæc ipse. Cùm igitur verè ad sensum hi essentialiter difformes, differẽtesq; sint; iure dissimiles, ac diuersi in substantia, & essentia esse nominãtur. Quod autẽ facultate, & potentia humores diuersificantur; & hoc notissimũ, quando euidenter pateat, non æquè omnes (qui in corpore continentur humores) calidos, frigidos, humidos, ac siccos esse. sanguis nanque calidus, & humidus est, qui actu, & potentia talis esse conspicitur;

12. met. t. c. 18. et 9. met. t. c. 2. vbi potentia actiua ibidem, & passiua.

Prima primi capite de humoribus.

Pituita humida, & frigida; cuius specierum, quædam talis actu, & potentia cernitur, quædam potentia tantum: Bilis autem flaua, calida, & sicca; Atra sicca, & frigida; & hi facultate huiusmodi solum visuntur. Hinc profert Galenus, fortassis offendit quosdam, cùm humidi sint humores omnes, siccitate distare humorem ab humore, eadem quoque ratione negabunt eos humiditate differre, (siquidē humidiorem aliū alio esse fatemur) quando id etiam omnibus humoribus accidere videamus. ad hæc respondens dicit, quòd humores pura elementa non sunt, sicut aqua, terra, aer, & ignis; quoniam ipsorum quilibet ex quatuor his simplicibus compositus est, alio in alio eorum præpollente: vnde cùm hos humores calidos, frigidos, humidos, & siccos dicimus; tales esse non nisi potestate asserimus; præcipuè de flaua, & atra bili. Nam sanguis, & actu, & potentia, talis semper cernitur; & multoties etiam pituita veluti vitrea; dissidet quippe id, quod actu, & secundum existentiam tale est; ab eo quod facultate, & potentia tale existit; Actu enim est, quod iam præsens est; potestate, quod iam futurum est; atque vt fiat, id quod dicitur, velut habile, non tamen adhuc subsistens. sic certè flauam bilem siccam appellamus, quantumuis sit aspectu humida; Aquam prætèrea marinam, non obstante quòd humida (prout apparet) existat, siccam esse proferimus; quoniam potentia talis inuenitur; siquidem carnes exsiccat; & incorruptas seruat. Bilem verò flauam esse potestate calidam, & siccam hinc facilè colligitur; quòd vbi plurima in ventriculo continetur, perpetua siti infestemur; contra verò si ea euomitur, à siti magis vendicemur, quàm si plurimam hausissemus potionem. Quod de flaua dicimus, illud quoque & de atra à simili dicere possumus. In potentia itaque maxime, & à præpollente vnusquisque humorum calidus, frigidus, humidus, & siccus, præcipuè nuncupatur. His igitur stantibus, quòd & secundum legem, & secundum rei veritatem, animatorum corporum humores tum specie, tum facultate inuicem diuersi, differentesque sint; claram, & euidentem conclusionem infert dicens; quando ergo tantum inter se forma, & facultate differunt, necesse est, eos non esse vnum; nisi certè ignis, & aqua vnum sint; (vt litera vna habet) quòd vtique impossibile existit. (Alia verò) quandoquidem neque ignis, & aqua idem sunt; quando à simili, & pari ratione vnum non sint, sicut neque ignis, & aqua vnum sunt. Iterum prædictam conclusionem subsequitur declarando, dicens.

VIII.

Quòd autem hæc omnia vnum non sint, sed vnumquodque ipsorum vim, & naturam suam habeat; vel hinc cognoscere licebit; si enim homini alicui medicamentum dederit, quod pituitam ducat, pituitam tibi vomet; et si pharmacum dederis bilem ducens, bilem tibi vomet; eadem ratione & bilem atram purgabit, si medicamentū exhibuerit, quod bilem atram ducat. Quòd si ipsi partem aliquam sauciaueris, vt vulnus fiat; effluet ipsi sanguis. atque hæc omnia faciet tibi totam diem ac noctem, & hyme, & æstate, donec spiritū in sese trahere potens fuerit: potens autem erit donec aliquo horum congenitorum fuerit priuatus: congenita autem sunt prædicta.

Superiori oratione & ex hominum opinione, & ex rerū veritate apertè demonstrauit quatuor sanguineorum animalium humores, sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem in essentia dissimiles, diuersosque esse. In præsenti illud id à signo, & ab effectu ostendit; æqualiter etiam ostendendo hos quatuor semper in animantium corporibus inesse, vt benè interpretatur Galenus, ex eo quòd nullum anni tale tempus sit, nec ætas aliqua talis, qua alicuius horum humorum expertem possis hominem demonstrare; quando naturaliter quatuor hos omnes continuè possideat; & hæc simul omnia commixta sint ipsi congenita essentia, & natura. id quòd maximè à signo purgationes ostendunt, & quòd diuersi, differentesque hi succi in substantia, & essentia sint; & quòd simul permixti & in homine, & in sanguineis animalibus omnibus semper reperiantur. Nam si medicamentum alicui, quod aut bilem, aut pituitam cier, des, id, cui ciendo est, vacuari ab eo cernes; atque hoc tibi faciet semper, tam die, quàm nocte, hyeme, & æstate; quod perpetuò quatuor hos in substantia diuersos humores in corpore contineri signum est. Huic contradicere nonnulli falsis imaginationibus contendunt, (inquit Galenus) abnegantes

2. de naturalibus facultatibus.

medica-

medicamentum purgans è corpore familiarem humorem trahere? Dicunt nanque singula medicamenta in sui naturam mutare qualecunque id sit, quod attrahitur, suique venenositate humores ducere; & non propter substantiæ similitudinem: Vnde non illam quæ sequitur, vtilitatem in humoris noxij purgatione fieri aiunt; sed communi ratione euacuationis. Contra quos experientia sola, & ad incongruum deducens insurgitur Galenus dicens, tentat aliquis bilioso homini medicinam dare, quæ apta sit purgare pituitam, non sine magna noxa dogma profectò experietur; idemque ei continget, si pituitoso homini medicamen aptum purgare bilem propinauerit, bilis parum cum magno nocumento euacuabit. Præterea cur non secamus venas omnibus hominibus, siue sint tenues, siue crassi, siue morbo regio, siue atra bili laborantes? sed horum quidem plurimis; qui sufficienter sunt exsenuati, non parum profuit noxis humoris euacuatio; si quis verò his sanguinem auferre tentasset, statim occidisset. Ad incongruum postea deducens inquit; ad hæc quidem sequitur, nullam inesse naturæ nostræ alienam qualitatem, neque etiam illarum, quę per ventrem excernuntur, superfluitatum, sed quando venter retinetur, nos ratione multitudinis ægrotare; & esse sanationem, vel paucitatem cibi, vel omnimodam abstinentiam. Insuper & nos addimus, quòd si pharmacum ratione tantum venenositatis humores eijciat; non nisi à vijs ductuum eos educet, à ventriculo scilicet & ab intestinis; quod experientiæ aduersatur; nam si qualitate sola venenosa agat, non poterit vtique ab ambitu totius attrahere; quando similitudinem nullam habeat, per quam attrahat, sed contrarietatem tantum, per quam expellit; (attrahitur nanque aliquid vt simile, & vt contrarium, & noxium expellitur) cum igitur à venis neutiquam pharmacum attrahere posit; quoniam ab eis semper vt contrarium, & nocuum expelletur; si quid ergo purgabit, obuiantes tantum humores purgabit; quòd si tandem vi ad venas accesserit; sic quòd earum virtus à pharmaci potentia superetur, tunc nulla aderit ratio, cur non magis sanguis, quàm noxij educantur humores; quando eandem pariter potentiam super vtrosque obtineat; & supra sanguinem fortasse maiorem; nec adsit virtutis robur, à vi pharmaci (vt diximus) euictum, id prohibere potens. Quæ omnia falsa admodum sunt, & veritati contraria. Vera itaque remanet Hippocratis positio, quòd medicamina singula familiarem sibi, & proximum humorem eliciunt, vt infra magis enucleabimus. Quocirca si humores semper separatim à purgatorijs medicamentis trahuntur, & medicamenta è contrario humano corpori exhibita, diu noctuque, & omni ætate, ac omni tempore eos pariter diuisim euacuat; manifestum iudicium est, quatuor hos succos in substantia diuersos esse, ac perpetuò simul permixtos, in corpore omnes naturaliter reperiri. quòd autem de pharmaco purgante dixit, illud idem & de corporis vulnere inquit; nam si aliqua pars corporis vulnere affecta fuerit, sanguinem semper emittet; & quoniam hæc perpetuò contingunt; vt clarè enunciat ipse (atque omnia vsu hæc tibi euenient, tam inter diu quàm noctu, tam hyeme quàm æstate, nulloque temporis spacio intermisso, donec homo spiritum accipere, reddereque potest) sic vtique perpetuò his omnibus vitæ temporibus hęc nobis indicia faciunt, quatuor hos diuersos humores in homine semper seruari, donec ipse attrahere spiritum, & vicissim poterit reddere. Mox declarat quandiu spiritum in se trahere potens homo fuerit. Potens autem fuerit, donec aliquod istorum priuetur cognatorum; cognata autem sunt prædicta, humores scilicet ipsi. Manifestat hic Hippocrates quandiu vitã homo agere posit; & inquit, quandiu aliquod istorum priuetur humorum. Vita enim apud medicos aut sunt vires, & facultates temperiei, aut earum actiones; essentia autem virium, & facultatum in commodo istorum primorum corporum temperamento posita est. si modò vnus ex humoribus istis, qui ad constitutionem virium, & actionum concurrunt, prorsus aufertur; & totum etiam temperamentum vnà cum viribus, & actionibus auferetur. Quapropter & benè Galenus (dum aliquo priuetur cognatorum) intelligit profectò mortem afferri animanti, non modò vbi sanguine priuetur, verum etiam vbi vel pituita, vel bili flaua, vel atra; Nam cùm singula hæc animanti ipsi congenita sint, & eius essentiam, & vitam constituant; quocunque ipsorum perempto, & vita, & essentia simul perimentur quando hæc ipsa in omnibus his æqualiter consistant. Vltimò subdit, congenita autem sunt prædicta; humores scilicèt quatuor. quòd autem hi animalibus cunctis congeniti sint; pulcherrimè his verbis demonstrat.

Contra Aristotelem, & Archiginè:

Nono methodi, & primo de præsagatione ex pulsibus.

IX.

Quomodo enim non congenita essent: primum enim manifestum est, hominem in se ipso hæc omnia semper habere, donec vixerit: deinde nata sunt ex homine hæc omnia habente: postea nutrita sunt in homine hæc om-

nia ha-

nia habente: quæ videlicet nunc dico, & demonstro.

Postquàm à signo ostendit quatuor humores in substantia dissimiles simul permixtos, & cōgenitos in animato corpore perpetuò reperiri: mox propter quid, & simpliciter à rei essentia illud idem demonstrat; tū ratione continuæ permanentiæ & existentiæ ipsorū, tum generationis, nutritionis, & auctionis ratione. à perenni prius, & continua eorum existentia, & permanentia ratiocinatur, ea cognata, & simul genita in animatis semper corporibus fore. omnia, quę semper à primo ortu vsque ad vltimum occasum æque in animantibus repariuntur, congenita talia esse meritò dicentur. At humores omnes à primo ortu vsque ad extremum, & per totū vitæ curriculum æquè semper in animantium corporibus reperiuntur, meritò ergo cognata, & simul genita esse dicentur. Modò simpliciter à generationis, auctionis, & nutritionis causis idipsum ostendit. Quæcunq; in animantium omnū productione, auctione, & nutritione æquè semper necessariò requiruntur, & reperiūtur, cōgenita iure talia nuncupātur; At humores quatuor omnes in omnū animantium productione, auctione, & nutritione æqualiter necessariò semper requiruntur, & reperiūtur: iure igitur cognati, & simul geniti dicantur. Quòd perpetuò in quacunq; animantiū productione, nutritione, & auctione quatuor omnes humores æquè semper requirantur, & reperiantur; pulcherrimè in his cōmentarijs docet Galenus, dicens: Cuilibet est manifestum, ex sanguine matris animalium sanguineorum partes omnes genitas esse: Et quoniam sanguis bifariam dicitur, & is, quem in sanguinis missione, & vulneribus euacuari videmus; & purus ille, & integer alijs humoribus non confusus; ex sanguine priori dicto conformari fœtum verū est; ex altero sanguine nutriri etē; nunquàm enim solus ille in prægnantibus mestruis; sed ille semper; qui vtriusque bilis, & pituitæ particeps est: quòd autem de matris sanguine dicimus, illud idem & de vtriusque seminie affirmamus; quòd si ex his membra aliqua conformantur, ex his prout quatuor humoribus confusis, semper generantur: Nam ex sanguine semen genitū est, at non ex mero quidem sanguine, & aliorum experte humorum, sed ex eo, qui per excellentiam nomen id sortitus est; multiplex igitur iure sanguis iste erit. cum itaque ex non experientia horum fit; animal quodlibet ex sanguine matris, & vtriusque parentis semine conformatum esse; pariterque in vtero auctum, & nutritum; & sanguis ex quo nutritur, & augetur, purus nō fit, sed pituitę, & vtriusq; bilis semper particeps; ex necessitate euenit, animal quodlibet ex quatuor perpetuò humoribus conformatū, coagmentatumque esse; vicissimque quatuor hos in substantia diuersos humores vniuscuiusque horum productioni continuè inesse. Si ergo quatuor ij æquè semper in cunctorum animalium productione, auctione, & nutritione necessariò requirantur, & reperiantur, necessariò quoque sequitur, hos quatuor omnes in animantorum singulorū generatione, auctione, & nutritione cognatos, simulque genitos esse. quòd autem sanguis menstruus, & ambo parentū semina purus & simplex sanguis non sit, sed multiplex, & confusus, similaria membra immediatè ex eo constructa manifestant: Nam si sanguis iste vnus simpliciter esset, & similaria membra omnia immediatè ex eo constructa; consimilia semper eiusdem vnitatis, & naturæ forent: quod falsum vtique existit: vtpote similaris est caro, & neruus; sed caro quidem sanguinea est, & calida, & ex toto mollis; neruus verò contrario modo se habet, exanguis, durus, & frigidus existens; verumenimuero nec illa omnino mollis, & calida est; nec similiter durus, ac frigidus est omnino neruus; quoniam sanguis carne mollior, & calidior est; os autem neruo durius, ac frigidius: & sic quælibet alia particula, altera altera, hæc quidem frigidior est atque calidior, hæc verò mollior, alia durior. Nunquid igitur omnes (quærit Galenus) ex eadem materia genitæ sint? an potius natura optimus opifex quo primum tempore ex sanguine matris in vtero immisso gignebat, atque afformabat fœtum; ad corporum quidem durorum structuram, partem eius crassiorem attrahebat, ad molliorum verò humidiorem, & sic calidiorem ad partium calidiorum, & frigidiorem ad partium frigidiorum generationem? mihi quidem videtur (respondet ipse) hoc longè magis naturæ consentaneum; & quòd statim ab initio ex propria, & familiari substantia formatus fit conceptus; & consimiliter in sequenti tempore omni alimentum, atque augmentum pars vnaquæque ex materia familiari, & propria susceperit; & non ex vna, & eadem consimili, & vniformi. Ac ita ex ipsa rerum natura, generationis scilicet, nutritionis, & auctionis causis, demonstrauimus quatuor in substantia diuersos humores in vniuscuiusque geniti conceptu, & formatione congenitos esse; ac pariter fœtum, conceptumque omnem ex his diuersis quatuor humoribus formatum semper, & constructum existere: atque per omnem vitam hos quatuor perpetuò seruare: quando tandiu vnumquodque viuit, quandiu nutritur; & pariter vnumquodque ex eisdem nutritur ex quibus consistit: vt suprà retulimus, cùm quatuor elementa vnicuique mixto inesse declarauimus. Sic quidem simpliciter, & propter quid quatuor in essentia dissimiles humores in om-

De natura humana, & 2. de elemētis.

2. de elemētis.

2. de elemētis.

nium

nium animantium vita, & formatione cognatos, congenitosque esse demonstrauit Hippocrates. Ad antiquiores modò Medicos se conuertit, eorundem sententias secitans.

X.

At verò ex medicis, quidam hominem sanguinem esse, quidam bilem, alij pituitam dicunt; iam & ij eandem omnes subijciunt cõclusionẽ; aiunt enim vnum esse, quod cuique illorum appellare libeat: porrò id cùm sit vnum formam, & facultatem mutare, à calore, vel frigore coactum, mox dulce, aut amarum, aut album, aut nigrum, aut omnimodum fieri; verum mihi hæc non sic se habere videntur.

Ex vetustioribus medicis (inquit Hippocrates) multi sanguinem, quidam pituitam, alij bilem, veram naturam, & essentiam esse docuerunt; ac vnum illud, quod tale esse constituerunt, naturam semper, & naturale solum nuncuparunt; & si aliquid alterum in corpore inspiciebatur, ab eo in figura, sapore, colore, aut quauis alia qualitate diuersum, illud vnum præternaturaliter affectum huiusmodi prædicabant; semper enim prisci ij quemcunque humorem naturam fecerunt, aut sanguinem, aut bilem, aut pituitam, illud idem naturale solum in corpore inesse asseuerabant; & formam, & colorem, & saporem illius secundum naturam tantũ pronunciabant; & si quid alterũ diuersa, & opposita qualitate præditum in animante intuerentur; non aliud, & diuersum illud esse dicunt; sed illud ipsum vnum, quod ipsi constituere, præternaturaliter huiusmodi affectum enunciant. Rationi cõsentaneum esse (inquit Galenus) in præsenti dulce appellasse sanguinem, album, pituitam, amarum, flauam bilem, nigram, atram; in quæ vnum illud naturale à calido & frigido contra naturam impulsum, & coactum transmutatur. Id verò quod dicit, aut omnimodum fieri; præternaturales omnes illius vnius dispositiones intelligit; veluti affectiones omnes innaturales, quæ in humoribus reperiuntur; quas singulas nominatim recensere; cùm præter naturam sint, laboriosum nimirum foret, & vltra nostrum institutum.

In hac positione de naturalis humoris vnitate, & pluralitate Aristoteles Hippocratem relinquit, & veteres imitatur; tenet nanq; & ipse vnà cum medicis antiquis vnicũ tantum sanguinẽ naturalem humorem esse; reliquos excrementa, vt infra Auerroes declarabit. inquit enim, cùm autem omnis alimenti, omnisque excrementi conceptaculum aliquod haberi necesse sit; venæque quasi vasa sint sanguinis; patet sanguinem esse animalibus sanguineis vltimum alimentum; exanguibus verò id esse, quod vice sanguinis habeatur proportionale; quamobrem quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit; quoties ingeritur, augetur; & si alimenta bona assumuntur, sanguis integer est; si praua, vitiosus. postea subiungit; quas autem fibras vocant, non omnis continet sanguis; sed sunt, qui non habent, vt ceruarũ sanguis, & damarum; quamobrem id sanguinis genus nunquàm spissatus; sanguis enim qui dilutior est, frigidior est; itaque durescere non potest; qui autem terrenus est, nimirum coit, cùm humor euaporatur; fibræ autem illæ terræ sunt opificium; quoniam etiam euenit, vt nonnulla ex his animalibus, quæ talem obtinent sanguinem, sapientiora sint; verum non sanguinis frigiditate, sed potius tenuitate, atque munditia; quorũ neutrum in terreno est; habent enim sensum mobiliorem quorum humor tenuior, & syncerior est; quorum autem sanguis fibris admodum multis, crassisque refertus est; hæc terrena constans natura, & animosa, iracunda, & furibunda sunt. At si fibras detraxeris, sanguis non cogetur; vt si ex luto terrenam portionẽ semoueris; aqua non concrescet; ita sanguis, fibris detractis, incongelabilis manet; fibrarum enim natura terrena est; quod si non eximantur, cogitur, vt terra humida, frigore; cùm enim calor exprimitur, humor vnà trahitur, & euaporatur, (vt dictũ est) æquè ita concrescit; non à calore siccescente, sed à frigore; at verò quãdiu in corpore continetur, humidus est propter calorẽ animalibus inditũ. Addit præterea & ipse, quòd sanguis quodammodo per se calidus est, quodammodo non per se calidus; per se quidẽ temperatè calidus est; non per se autem, cùm superfluè actu caleat, & ferueat: Quòd autẽ de calido dixit, pari modo de sicco, humido, & frigido statuendum: Nam quando sanguis in frigido, humido, & sicco secundum naturam temperatus reperitur, tunc per se frigidus, humidus, & siccus temperatè nuncupari poterit; cùm verò per affectionem, aut passionem ex harum temperie exiuerit, nequaquam erit per se talis nuncupandus; sed præter naturam, & accidentaliter affectus, frigidus scilicet, aut humidus, aut siccus, iuxta eorundem dominium, & intemperiem nominabitur,

2. de partibus animalium cap. 3. & 4.

nabitur,

2. de partibus animalium cap. 2.

nabitur. Ipsarum autem partiũ discrimina, quibus inter se discrepent, notæ melioris gratiæ habentur (secundo de partibus animaliũ capite secũdo refert Philosophus,) vt tum aliarũ, tum sanguinis ad sanguinem; alius enim tenuior, alius crassior est, & alius syncerior, alius turbulentior; itẽ alius frigidior, alius calidior, tam in eodem animali, quàm in diuersis. quantũ enim sanguis parte corporis continetur superiori, his differentijs discrepat cum inferiori. Omnino animalibus, alijs sanguinẽ dedit natura, alijs vice sanguinis partẽ eiusmodi aliam; est certè roboris efficatior sanguis qui crassior, & calidior est; vim autem sentiendi, intelligendique obtinet pleniorem, qui tenuior, atque syncerior est. Quapropter optimè constant, quæ calidũ, tenuem, & syncerũ habent sanguinem; quippe quæ vnà & viribus corporis, & animæ ingenio plurimum valeant. propterea pars etiam superior corporis ea ipsa differentia dissidet cum inferiori, & fœmina cum mari; & dextera pars cum sinixtra eiusdem corporis. Hæc omnia ibidem Aristoteles; horum verò causam capite quarto adscribit; sanguis nanque materia totius corporis est; quippe cùm alimentum materia sit; sanguis autem vltimum alimentum habeatur; fact igitur vt plurimum differentiæ existat, si calidus, aut frigidus sit, si tenuis, aut crassus, si turbulentius, aut nitidus; nam ex differentibus his materiebus differentes & variæ prodeunt formæ, & naturæ. Etsi enim talibus differentibus formis prædictus sanguis apud Aristotelicos cõspiciatur; nõ propterea fatentur sanguinem illas acquisiuisse ex humorum permixtione, sicut Hippocratici asseuerant; sed ex alimẽto immediatè, vt ex materia proxima eas hausisse dicunt; sin nanque quælibet pars sanguinis, siue crassa, siue tenuis, siue mediocris, aut quauis alia qualitate affecta fuerit, vnius præcisè substantiæ apud istos intuebitur, & non plurium & diuersarum, quemadmodum sanguinea massa à Medicis prædicatur. Quæ quanta vera sint, infra demonstrabitur. Sed prius harum antiquarum positionum rationes subscribemus.

2. de partibus animalium cap. 4.

XI.

Qui autem vna re constare hominem aiunt: Hi mihi propterea hoc statuere videntur: quòd ex his, qui haustis medicamentis in nimijs purgationibus animam egerint, hos bilem, illos pituitam euomere conspicati, putarunt hominem, quod vis illud esse, quod per purgamenta morientem eijcere conspexissent. eadẽ nituntur ratione, qui hominem dicunt esse sanguinem: quoniam cruorem, qui sibi sub conspectũ ex iugulatis hominibus manens subijcitur, animam in homine esse putarunt. Hæc sunt, quibus omnes isti vtuntur, in suis sermonibus Argumenta.

Clara nempe, & aperta est istorum ratio, ex apparentibus, & euidentibus sumpta; ex eo nanque, quod in nimijs purgationibus quàmplurimos, alio atque alio prorsus euacuato humore, vitam profudisse inspexissent, illum vnum humorem hominis esse naturam, & animã arbitrati fuere. Proinde & benè ita argumentabãtur; omne illud à cuius ablatione, & amotione animal statim aufertur, & amouetur, tale omne est esse propriũ, & innata natura animalis cuiusque; modo ab ablatione, & amotione vniuscuiusque humoris (quemcunq; illi fecerint, siue sanguinem, siue pituitam, siue bilem) ablatio, & remotio animalis statim insequitur; ergo humor ille (quemcunque isti dicunt, aut sanguinem, aut bilem, aut pituitam) est animalis cuiusque propria, & innata natura. Hinc probè admodum Poeta ad istorum mentem dixit,

Vitamque cum sanguine effudit,

Hæc quippe omnis istorum ratio est. Ad hæc Hippocrates respondens inquit.

XII.

Atqui primum quidem insuper purgationibus nemo vnquàm mortuus est, bile sola purgatus: verum cùm quis pharmacum biberit, quòd bilem ducat, primũ bilem vomet, deinde pituitam postea, per vim etiam atram bilem, postremo moribundus quoque sanguinem purum vomet.

Ex immoderatarum purgationum dilucidatione falsam istorum argumentationem demonstrat Hippocrates: in superfluis nanque purgationibus non vnus solus tantum humor euacuatur; sed

tur; sed

tur; sed quatuor omnes ordinatim semper effunduntur: vnde & falsum illi assumebant, quòd in superpurgationibus in quibus mori contingerat, quòd vnus solum humor eijciatur: Quando semper vnà cum illo cæteri humores effundantur, vt rei ipsius euidentia clarè nobis demonstrat. Si enim homo ex superflua euacuatione mori contingat, non propterea quòd vnus tantum humor fuerit eiectus, emorietur; sed quoniam simul cum illo reliqui omnes fuerunt effusi; quibus omnibus effusis, illicò mors superuenit: Verũ profectò est, quòd vno prorsus euacuato humore, minimè homo viuere potest; attamen non statim animal cadit, sed si omnes simul eijciuntur, in quibus vita præexistit, illicò decidit. Falsum itaque illi assumebant, quòd vnus tantum humor in immodicis euacuationibus eijceretur; proinde & falsum quoque concludebant, quòd humor solum vnus animantium natura foret. Quòd non vnus tantum, sed omnes pariter in superpurgationibus humores effundantur, ex Galeni doctrina quatuor de simplicium medicamentorum facultatibus declaramus; superpurgationes nanque eueniunt, cùm purgans medicamen vsq; adeo inualuit, vt in vasorum ad ventrem pertinentiũ osculis mordicationem, apertionemq́ue multam relinquat, assidueque irritans, conuellensq́ue corpora, & quæ in vasis sunt vires dissoluat, atque deijciat. Quod nanque in ventre euenire conspicimus, vbi vires eius in extremam inciderunt infirmitatem, idẽ in venis accidere putandum. In ventre nanque euenit vomitus totius eius, quod deglutijt; vbi videlicet superiores eius partes debilitas occupauit: Intestinorum verò leuitas, vbi inferiores: Huiusmodi affectum existere in venis existimandum est in superpurgationibus; Cùm autẽ per initia modica etiam num sit & apertio, & imbecillitas, tum quod & tenuissimũ est, minimeque naturæ familiare excernitur; sed vbi vtraque adaucta est, iam tum etiam crassa, & quæ naturæ familiarissima sunt, euacuantur. Quamobrem in superpurgatione à pharmaco bilem ciente producta; bilis primo, pituita secundo loco, tertio loco atra bilis excernitur; omnium postremus sanguis effunditur; (ait hic Hippocrates.) vtpote qui naturę succus est familiarissimus; ipse etenim purus, & syncerus non nisi apud mortem euomitur. Quæ excretionum differentiæ manifestissimæ ad sensum ipsum in cunctis his euacuationibus cernuntur. Falsum itaque est, quòd vnus tantum humor in superfluis excernatur purgationibus. Hoc id ipsum in superpurgatione à pharmaco pituitam ducente factæ ostendit. Cap. de superpurgationibus.

XIII.

Eadem perpetiuntur à medicamentis pituitam ducentibus, primum enim pituitam vomet; deinde bilem flauam; postea atram; morientes autem sanguinem purum; & in hoc mox vitam finiunt.

Postquàm medicamentum pituitam purgans ipsam primam è corpore duxerit, mox consequitur primus qui ducitur præter alios facillimè, & talis est bilis flaua, quoniam calidissima, ac tenuissima est, motuique promptissima: Post ipsum verò bilis atra, grauis nanque, & crassus, ac moueri contumax est humor iste, & non nisi per vim trahitur. Deinde omnium nouissimus sanguis, pro eo quòd familiarissimus naturę humor est, in eoq; maximè natura conseruatur; quo prorsus effuso, vita finitur. Omnium igitur postremus subsequitur sanguis, tanquàm ex inanitis iam vasculis effluens, vtque summa iam debilitas occupet, quæque ad osculorũ extremam apertionem peruenerint. Cæterum causæ quamobrem omnino & qui alieni sunt, à purgante medicamento succi vnà excernantur, in hisce tribus consistunt; vasculorum scilicet imbecillitate, osculorum laxitate, & purgantis mordicatione; cùm enim vascula non amplius in sese continere succos possunt; & oscula eorum reclusa fuerint, nec irritare medicamentũ desinat, posseque non amplius familiarem trahere succum, necesse omnino est, reliquos etiam quo diximus ordine, excerni. Satis enim erat vnica mordicatio, quæ organa ad excretionem excitare posset; quanto ergo magis id fiet, vbi & apertio, & imbecillitas vasorum coierint? Fit autem apertio ob medicamenti potentiam, ob quam etiam mordicatio prouenit; vasorum autem imbecillitas, tum ob ingentem defatigationem, (quam scilicet dum à purgante medicamento mordicarentur, ac veluti emulgerentur, acquisiuerant) tum ob intemperantiam, quæ in superpurgationibus euenit; quemcunque enim humorem penitus euacuaueris, intemperantiam consequi necesse est; sic quidẽ alieni succi à pharmaco purgante trahuntur; hoc scilicet prædicto ordine, quòd vacuandorum humorum tum tenuitas, tum crassitudo in causa sit: & ad hæc, prout magis, aut minus animantium constitutioni quilibet familiaris est. Hæc omnia ibidem Galenus. 4. de simplicium medicamẽtorum facultatibus.

Contra eosdem adhuc inuehens Hipocrates dicit.

Etenim

XIIII.

Etenim pharmacum vbi corpus intrauerit, primum quidem ducit id, quod ex omnibus in corpore existentibus sibi maxime secundum naturam familiare fuerit: Deinde verò etiam alia trahit, ac purgat; quemadmodum ex terra nascentia, & in ipsam plantata, ac seminata: vbi in terram peruenerint, vnumquodque trahit id, quod suæ natura familiare in terra existit: inest autem in terra & acidum, & amarum, & dulce, & salsum, & omnigenum: Primum itaque plurimum eius trahit in se ipsum, quod sibi ipsi iuxta naturam maxime familiare fuerit: Deinde trahit etiam reliqua. Huiusmodi sanè quidem etiam pharmaca in corpore faciunt: quæcunque enim bilem ducunt, primum meracissimam bilem purgant, postea verò mixtam: & rursus pituitæ pharmaca primum meracissimam pituitam ducunt, postea mixtam: & iugulatis primum quidem sanguis calidissimus, & ruberrimus profluit, deinde pituitosior, ac biliosior.

Ex proprio Hippocratis dogmate in de formali causa docebimus singulas animantiũ particulas quatuor naturalibus facultatibus insignitas esse, Attractiua scilicet, & retentiua, cõcoctrici, ac expultrici; quibus medijs partes singulę conuenientem sibi succũ ad se trahunt; attractũ verò coalescere, accrescereq; omnibus partibus faciant, demumq; assimilent; quòd antẽ interea omnimodam alterationem, ac cum nutriendo similitudinem recipere non potest; id secratoria vi reijciant: Hippocrates quidem omnium quos nouimus Medicorum, Philosophorumque primus (ait Galenus) vt qui primus naturæ opera nouit; hanc semper tum admiratur, tum prædicat; quam & iustam nominat, & solam animalibus ad omnia sufficere protulit; ipsamque per se sine doctore, quæ opus sunt, artificiosè, ac iustè agere. talis autem cum sit, statim eam facultates habere proposuit; vnam qua sibi conuenicus attrahat; alteram qua alienum à se segreget; ipsam præterea tum nutrire animalia, tum augere; iam morbos quoque finire, iudicareque eisdem facultatibus existimauit; ideoque in animantium corporibus vnum conspiratum, confluxumque esse, ac omnia inter se mutuo affici enunciauit. quatuor itaque has facultates singulis corporis particulis inesse, hac ratione suadet Galenus. Omnibus scilicet propemodum animalis partibus inesse debere desiderium quoddam, ac veluti appetentiam conuenientis sibi qualitatis, aduersationem quandam, & veluti odium alienę: At dum expetunt, attrahere eas rationabiliter existimatur, dum aduersantur, à se ipsis repellere: Atque ex his tum attractoria vis inesse monstratur, tum expulsoria; at verò & si appetentia quædã est, & attractio; erit profectò & fruitio aliqua; cùm nihil in rerum sit natura, quod propter ipsum, (vt sic dicam) trahere, siue trahẽdi functionem, trahat; immo vt eo, cuius per tractum sit compos, fruatur. Atqui frui eo non licet, nisi retineat; iam hinc rursus retentrix vis necessariò genita esse probatur.

Hipp. Medicorum, Philosophorumque primus.

De facultatibus naturalibus lib. 2.

Hæc omnia ibidẽ Galenus. quas virtutes & plãtis, & stirpibus omnibus inesse hic cõmemorat Hippocrates, dum ait; quemadmodũ stirpes, ac semina vbi terram sunt ingressa, id quod in terra inest suæ naturæ accommodatum, singula trahunt; singula autem trahere secundum propriam vniuscuiusque naturam, attractricem hæc profectò facultatem ostendunt; si modo attractrix facultas ipsis inest, inerunt quoque & reliquæ omnes, cùm insimul naturaliter perpetuò reperiãtur; sic quidem quatuor his naturalibus virtutibus, stirpes, ac semina insignita dicuntur. Edocet insuper ipse attractoriam facultatem familiarem semper, ac sibi conueniens attrahere: Hocque per qualitatis conuenientiam, & familiaritatem facere testatur. vnde sicut in animato corpore pars quælibet proprium, ac familiarem sanguinem attrahit, vt nutriatur; sic stirpium plantarumque singulæ particulæ proprium, ac determinatum terræ succum attrahunt, vt commodè inde alantur. Consimilem itaque trahendi facultatem per qualitatis scilicet conuenientiam, & familiaritatem adesse & in purgantibus medicamentis, & in naturalibus vegetantium particulis hic admonet Hippocrates; quando per nutritionis similitudinem pulcherrimè do-

mè doceat modum, quo purgantia pharmaca euacuant, dicens; sicut enim sata, & plantæ cum terram subeant, trahunt vnumquodque quod terræ inest, suæ naturæ conueniens; inest autem terræ acidum, dulce, salsum, & amarum, & omne saporis genus; primum quidem igitur ac plurimum trahit ad se id, quod sibi conuenit secundum naturam, mox & alia trahunt; tale quid etiam consimiliter agunt medicamenta in corpore assumpta: Nam primum trahunt humores sibi familiares, deinde etiam alios. His quippe verbis æqualiter & nutritionem, & per pharmacum euacuationem per qualitatis conuenientiam attractionem facere, manifestat. Quomodo autem in his ambobus huiusmodi attractio à natura fiat, secundo de elementis exponit Galenus, dicens; Naturalis enim quædam potentia inest vnicuique horum, quæ sibi conueniunt, attractiua; sicuti lapidi Hærculeo ferri; & per hanc potentiam nutritiones, ac purgationes perficiuntur; nutritione quidem, quando copia suppetit alimenti, id quod conuenit attrahentem: nonnunquàm verò simul cum ipso & quod non conuenit; quod etiam euacuantibus accidit medicinis; nam cùm id totum, quod superfluitat, vel bilis, vel pituitæ, (sic autem voco id, quod continetur in venis) ex ipsis traxerint; mox è corporibus solidis propriam trahunt humiditatem vi, ac difficulter, veluti resoluentes, atque in elementa redigentes, & omnino animal destruentes. In attractionis autem violentia alius aliquis semper humor consequitur, qui sit illi naturæ proximus, qui primum fuit violenter attractus. Hanc eandem à qualitatis conuenientia attractionem quarto de simplicium medicamentorum facultatibus clarius declarat, dum inquit; in naturalium facultatum commentarijs demonstrauimus plerasque perfici attractiones qualitatum familiaritate; proinde quamque sigillatim animantis particulam familiare sibi nutrimentum attrahere; ad quam sententiam, seu dogma sequitur, medicamenta purgantia esse quidem detrahendis humoribus familiaria; verum quæ attrahunt, quodammodo esse efficaciora, valentioraque, sicuti magnes lapis ferro; quippe qui ad ferri naturam accedat, inq; ferri metallis reperiatur, eique magnopere specie persimilis est; verum fortior est quodammodo, vt attrahere sit aptior, quàm attrahi; quin nec euuicum quoque à pituitæ natura alienum esse diffidendum est; vti colore suo præse fert; sed tamen calore ipso quàm pituita valentior est; vt trahere, quàm trahi magis par sit. Sed animaduertendum quòd purgantium medicaminum quædam iam etiam possident idoneam ad attractionem similitudinem; quædam non perfectè eam obtinent, verum in animantis corpore accipiunt; non secus atque vrentia medicamenta; (quæ caustica Græci vocant) itaque duplex quoque in his similitudo est, vna actu, altera potentia, velut & in alijs plurimis contingit; Attrahens igitur per qualitatis conuenientiam facultas, & similis, vel actu, vel potentia, & validior eo, quod trahitur, esse debet; aliàs neutiquam traheret. Si verò immodica, & superflua nimirum fuerit medicamenti purgantis attractio, tum etiam & qui alieni sunt ab euacuante medicamine succi, huius violentia vnà excernuntur; sicuti supra enarrauimus. Quapropter & probè admodum in præsenti Hippocrates dicit; pharmacum, cùm corpus subierit, primum id, quòd sibi omnium maximè ex his, quæ in corpore insunt, natura cognatum est, agit; inde reliqua trahit, ac purgat: Etenim quæ bilem ducunt, primum meracissimam bilem purgant; deinde mixtam, vtpote magis sibi consimilem, mox verò pituitam; quæ quamuis in actiuis qualitatibus bilis naturæ proxima non sit; nihilominus statim post eam educitur; vtpote in tenuitate, & facilitate motus magis ei communicans, quàm atra bilis; quæ omnium crassissima, & frigidissima est, & moueri contumax. Idipsumque proprijs oculis in sanguinis euacuatione inspicimus, vtputa in iugulatione, primò fluit feruentissimus, atque perquàm ruber, mox magis pituitosus, postremo atrabilarius manat sanguis, vt grauior, segniorque ad motum. Ac ita ex rei euidētia manifestauimus, qualiter falsum illi assumebant in superpurgationibus vnum tantum excerni humorem, & vnà cum illo vitam hominem agere; quando omnes successiuè ordinatim vnum post alterum (vti diximus) excernantur semper.

Quòd verò dicit Hippocrates, quòd sata, ac plantę, cùm terram subeant, trahunt vnumquodque quod terræ inest, suæ naturæ conueniens; aut dulce, aut acidum, aut salsum, aut amarum: Id simplicium medicamentorum facultas clarissimè ostendit; veluti hærbarum, ac arborum folia, flores, semina, fructus, radices, succi, liquores, gummi, cortices, & ligna, quæ singula à natura varijs, & diuersis saporibus prædita sunt; & ex eisdem perpetuò aluntur: idque non aliunde, quàm à proprio solo assequuntur; nam si aliò transportantur, ex incongruo, & non germano succo moriuntur; vt manifestissimè quarto libro de morbis circa initium Hippocrates ipse ostendit, dum dicit: Quemadmodum etiam in plantis similis humor similem trahit de terra; habet enim modo terra omnigenas in se ipsa, ac innumeras facultates; nam quæcunque in ipsa nascuntur, his omnibus exhibet humorem similem vnicuique, qualem & hoc ipsum quod nascitur, sibi similem iuxta cognationem habet: Et trahit vnumquodque de terra alimentū, quale etiam ipsum existit: Nam & Rosa trahit talem humorē, qualis ipsa est in poten-

tia; & Allium de terra humorem eiusmodi trahit, quale ipsum in potentia est: Et alia omnia humi nascentia ex terra trahunt singula iuxta se ipsa. Si enim hæc res non ita se haberet, non nascerentur plantæ similes seminibus. Cui porrò plantæ in terra cognatus humor multò vberior est, quàm conuenit, ea planta ægrotat. Cui verò paucior, quàm opportunū est, ea exiccatur. At si ab initio non insit terræ humor, quem planta iuxta cognationem trahat, ne germinare quidem poterit. Intelligentiam autem huius rei, quòd si non habeat planta humorem secundum naturam, ne ab initio quidem germinet; inde nobis suppeditatur: Ionia enim Regio, & Peloponesus pro temporibus anni à Sole non minimè calet, ac illustratur, vt Sol nascentibus è terra sufficere possit; attamen fieri non potest, multis frustra iam id tentantibus, vt in Ionia, aut Peloponeso silphium nascatur; at in Libia sua sponte nascitur; non enim est nec in Ionia, nec in Peloponeso huiusmodi humor, qui ipsum alere possit; cùm autem sint & aliæ multæ medicinæ, quas (Sole etiam sufficiente) regiones alere non possunt; aliæ verò sua sponte producuntur; hoc ipsum eius, quod nunc dicturus sum, considerandi occasionem exhibet; quantum videlicet locus alteri loco etiam valde vicinus præstet ad iucundi vini productionem, Sole æqualiter sufficiente; hic etenim in terra humor est, qui vinum suaue exhibere potest, illic non est. Sunt etiam syluestria non pauca in loco nascentia, quæ ad cubitorum quatuor spatiū translata, nasci minimè comperias; non enim habet terra talem humorem translatū, qualem alia syluestribus plantis exhibebat. Sunt nanque ex ipsis quædam venenosiores, aliæ humidiores, aliæ dulciores, aliæ asperiores, & innumeræ aliæ aliter se habent: Innumeræ nempe sunt in ipsa terra facultates, ex quibus singulis singula in ea nascentia nutriuntur, & augescunt. Hæc tanta Hippocrates, quibus clarè patefacit, quomodo plantę, & cætera in terra orta seruantur, ac superfiunt ex attracto secundum propriam singulorum naturam è terra alimento. Si autem non adest humor secundum naturam conueniens, tunc alimenti penuria & defectu alienū, & quod non ei congruit, succum attrahunt; propterea & ipse dicit: Deinde trahit etiam reliqua, quæ non sibi propria, & familiaria existunt: Vnde ex non congruo, & cognato alimento tabescunt postea, & moriuntur. Exponit deinceps Galenus, qualiter sapores ij, qui in terra insunt, in animalium pariter corporibus reperiantur; adest nanque in ipsis sanguis, qui dulcis est, flaua bilis amara, acida, atra, & pinguis, ac salsa pituita; & sicut his saporum differentijs humores præditi sunt; ita & alijs plurimis afficiuntur. Propterea & ipse addit, & omnigenum; nam vt acidum, dulce, amarum, & pingue humorum differentiæ dicuntur; ita acerbum, austerum, acre, & salsum, eorundem species sunt, tum in animalibus, tum in plantis, haud aliter in terra; cùm iuxta proportionem hæc omnia sibi inuicem correspondeant. Huic consimile superiori citato libro de morbis dicebat Hippocrates; & omnia quę nascuntur, in cibi, ac potus vsum venientes, multas facultates de terra ad se trahunt, & in omnibus est aliquid pituitosi, & sanguinei. At de his hactenus. Aliam modo potissimam contra eosdem exorditur demonstrationem, dicens.

In huius textus commentatione.

XV.

Quemadmodum enim annus omnis omnium particeps est, et calidorum, & frigidorum, & siccorum, & humidorum: neque enim quicquam horum, &c.

Iterum contra antiquos à simili, & condecenti ratione quatuor humores hominibus omnibus congenitos esse, his verbis ratiocinatur Hippocrates; quemadmodum enim annus &c. Sed antea quam demonstrationem ipsam inducamus; prius magna cum diligentia à nobis perquirendum est: Quid vtique annus sit apud Astronomos, & Medicos: Quomodo ab eisdem in quatuor diuersas dissecatur partes; quid insuper in præsenti ipse vult, per calidum, frigidum, humidum, & siccum. Alio nanque modo Astronomi, alio Medici annū describunt, & manifestant. Est quidem annus apud Astronomos motus vnus Solis continuus sub obliquo circulo ab vno discedens puncto ad idem reuertens, Zodiaci signa omnia percurrendo: Est enim (vt id breuibus agam) completa Phœbi ab vno Zodiaci puncto ad idem conuersio, & reuolutio. Vnde Astronomi vniuersum Phœbi motum annum vnum esse dixere; dum ipse scilicet ingreditur primum Arietis punctum ad illum idem rediens in trecentorum sexaginta quinque dierum spacio, & quartæ ferè; Huncq; in quatuor præcipuè secatunt partes, Ver scilicet, Aestatē, Autumnum, & Hyemem; penès varias quadruplices Solis mutationes, & situs in obliquo circulo; ac penès quoq; quadruplices diuersas habitudines eiusdē ad terrā, & eam incolentes. Vnde apud clymata nostra citra æquatorem versus Boream ipsas quatuor anni partes describendo, dicimus; quòd ex quo Sol accedit ad primū Arietis punctū, quod est circa decimā, vel vndecimam

Martij, donec totum Geminorum signum peragratur; vniuersus motus ille, seu mauis motus ipse mensuratus calidum, & humidum Ver nuncupatur. Mox Aestas subsequitur à Solis ingressu in primam Cancri partem (duodecimam, vel tertiadecimam Iunij diem) ad extremum Virginis punctum; cuius motus omnis numeratus, & mensuratus calida, & sicca Aestas appellatur. Postea Autumnus à Solis ingressu in primam Libræ partem, donec totũ Sagittarij signum conficiat, qui numerus motui, frigidus, & siccus Autumnus nominatur. Deinceps Bruma venit circa vndecimam, vel duodecimam Decembris iuxta Capricorni caput, cùm Sol ibi ingraditur, vsque ad Arietis principium proficiscens; (quod iam Veris initium statuimus) qui motus omnis frigida, & humida Hyems nuncupatur. Ac ita vniuersum in Zodiaco Solis motum apud clymata nostra in quatuor secuimus partes, Ver, Aestatem, Autumnum, & Hyemem; penès quatuor Phœbi habitudines, tum ad nos, tum ad ipsius Zodiaci signa. Annum quippe semper hic sumimus secundum Peripateticos, pro motu scilicet numerato, & mensurato; & non pro simplici tantum numero, & mensura, quæ in anima reperitur.

Medici autem etsi in easdem vt plurimum differentias illum distribuant, hyemem scilicet, ver, æstatem, & autumnum; nihilominus non à simpliciter causis, velut Astronomi, sed à cosmico ortu, & occasu syderum; vti ab euidenti, & noto vnicuique signo, id assequuntur; iuxta enim arturi, & pleiadum ortum, & occasum, ac penès æquinoctiũ singulis gentibus notissimum, quatuor his partibus annum distribuunt. Pleiades autem, & Arctophilax, seu Bootes clarissima quippe, & perspicua valde sydera sunt omnibus citra tropicum Cancrum degentibus. His igitur vniuersis ex æquinoctio, & manifestissimis syderibus, sicuti à signo manifestissimo, in quatuor dictas partes annum distinguunt. Dicunt enim primò hyemem esse à pleiadum occasu vsque ad æquinoctium vernum; fit autem pleiadum occasus temporibus nostris ad exitum Octobris; eo nanque tempore Scorpionem Sol peragrans cum eo mane oritur: Vnde & Taurus eidem oppositus, cum pleiadibus mane occidit; tunc quidem cosmicè pleiades occidunt. Aequinoctium autem vernum fit intra decimam, & vndecimam diem Martij; protrahitur itaq; hyems apud istos ab Octobris extremo vsque ad decimam, vel vndacimam Martij. Ver autem est ab æquinoctio vsque ad pleiadum exortum: Cosmicus nanque pleiadũ ortus fit circa Aprilis finem, quando & ipsis pleiadibus in Tauri signo existentibus Sol idem percurrens signum, associatur, ac vnà cum illis nascetur: Erit itaque Ver ab æquinoctio verno, vsque ad Aprilis exitum: Aestas verò dicitur à pleiadum ortu, vsque ad arturi exortum: Bootis autem siue Arctophilacis exortus est intra Septembris initiũ; tunc enim temporis, Sol ad Libram accadit, & Bootes cum extremo Virginis, vel Libræ principio existens, vnà cum Sole ibidem progrediente, du mane exoritur; id quod citius, tardiusúe paululum contingere potest, ad variam, & diuersam parallellorum positionem: Erit itaqua Aestas à fine Aprilis vsque ad Septembris initium. Autumnus verò est ab arturi exortu, vsque ad pleiadum occasum; circa enim Septembris principium, quando tunc Bootes exoritur, Autumnus initiũ sumit, & vsque ad vltimum Octobris protendit; quoniam tunc est Cosmicus pleiadum occasus. Sic vtique à notis etiam, & euidentibus cœlestibus signis annum in quatuor notissimas partes Medici partiuntur. Distribuunt & ipsi quandoque annum in septem tempestates; æstatem, ac hyemem subdiuidentes; æstatem nempe in duas tantum dissecant partes, in tres autem hyemem; æstatis nanque prima differentia à pleiadum ortu vsque ad maioris canis exortum protenditur: Priorem hanc æstatem nuncupans; Altera verò ab huius exortu vsque ad Cosmicum Bootis extenditur ortum: Hanc ipsamq; hoporam, ac posteriorem nominant æstatem. Hyemem verò dissecans, cuius tempus medium sub Solstitium constituunt de extremis duabus partibus, primam sementem, priorem; postremam, inserendi tempus dicunt. Hoc enim pacto illi appellant ista; (inquit Galenus) nam in libro de hebdomadis, qui Hippocratis nomen præfert; in septem partes diuisum annum inuenies; ita vt Autumnus, & Ver integra constent, & indiuisa; diuidantur autẽ in partes tres hyems, & in duas æstas. Etsi enim bifariam diuidas (addit ipse) quod intercidit tempus inter Vergiliarum ortum, & arcturum: Nihilominus cuilibet est communis nimia siccitas; vt etiam hyemi immodicus algor, & humiditas; quamuis in tres deducas partes. Sic quidem Medici ordine diuerso ab Astronomis progredientes, modo in quatuor, modo in septem distribuunt anni differentias. Reliquum est, vt videamus qualiter & ipsi annum manifestant. Sed prius quid calidũ, frigidum, humidum, & siccũ hic significent exponemus; vnà igitur cum Galeno dicimus; quòd calidum, frigidum, humidum, & siccum, non quod per excellentiam tale dicitur, intelligit Hippocrates: sed pura quatuor ipsa prima simplicia corpora, ignem videlicet, aerem, terram, & aquam: hæc vtique ipse sentit, per calidum, frigidum, humidum, & siccum.

Hipp. lib. 3. de dieta siue de ratione victus, & lib. 1. de morbis vul. c. 1.

Libr. 1. de morbis vulgaribus co. 1.

Quid modo essentialiter annus sit apud Hippocratẽ, declaramus; est enim annus absolutus, & cõpletus circularis in Zodiaco Solis motus, quatuor ipsa prima simplicia corpora perpetuò

continens, & perficiens; per vniuersalem nanque producentem, & conseruantem causam, tanquam per formam, & suos per se vniuersaliter productos effectus, vt per materiam, annū in præsenti Hippocrates describit; vniuersalis igitur æterna producens, & conseruans causa, completa, inquam, ipsius Solis ab vno Zodiaci puncto ad idem conuersio, & quatuor elementorum orbis ab hac ipsa reuolutione perfectus; iustè quidem annus ab Hippocrate hic nuncupatur, dum dicit,

Sicut enim annus omnis omnium particeps est, & calidorum, & frigidorum, & humidorum, & siccorum; vt enim vniuersus Solis motus in Zodiaco (qui prout suum totum perficit cursum annus dicitur, ab anulo sic dictus, quod in se redeat, quasi anulus, veluti Poeta, *Atque in se sua per vestigia voluitur annus*) omnium particeps est, et calidorum, et frigidorum, et humidorum, et siccorum; omnium profectò elementorum vniuersum Solis motum in Zodiaco participem esse affirmat Hippocrates, sicut immediatam continentem causam sui immediati producti effectus participem esse dicimus: Quemadmodum enim annus omnis, dictionem vniuersalem distributiuam addit, vt innuat, quòd non simpliciter Phœbi motus essentialiter est annus; sed ipse inquam, completus, & perfectus, vnde & Cicero; Annus est, vbi Sol suum totum conficit, & peragrauit orbem; Nec etiam completa Phœbi latio, & ad idem conuersio annus absolutè, & simpliciter hic ab Hippocrate appellatur; sed vna cum latione, & perfecta conuersione prima quatuor producta elementa, ignis, aer, terra, & aqua: Hæc vtique simul annū perfectè constituunt; & hæc ambo pariter ab ipso annus nominatur; qui multò clarius & orbis, & mundus à Philosophis nuncupatur: Est nanque mundus (qui & orbis quoque à sapientibus appellatur) constitutio ex cœlo, & terra, & naturis, quæ in eis continentur, & omnium partium ordo, & decus à Deo conseruatum. Auerroes autem in libro destructionum disputatione prima in solutione vndecimi dubij ait: Mundus ex quinque constat corporibus elementalibus, ex corpore scilicet supercœlesti, & ex quatuor alijs simplicibus corporibus, quorum vnum est graue absolutè, aliud leue absolutè, & duo alia media; & hoc demonstratiuè à Philosophis est probatū; & disputatione tertia in decimioctaui dubij solutione, mundus vnam habet virtutem spiritualem diffusam, ex qua colligūtur omnes virtutes spirituales, & est vnigenea extensa in toto vniuerso; alioquin nullus ordo esset in eo. Hæc omnia ibidem ipse. Sic quidem apertè inspicimus qualiter annus essentialiter hic ab Hippocrate descriptus, cum orbe, & mundo Philosophorum idem realiter est; quando ambobus his æqualiter eadem competat descriptio & esse.

Et prout est ab anima mensuratus apud Peripateticos.

Nicolaus peripateticus lib. 1. de mūdo.

Superest modò, vt dicere aggrediamur, quomodo æterna producens, & conseruans causa (completa scilicet Phœbi ab vno Zodiaci puncto ad idem conuersio) quatuor prima simplicia corpora, ignem, aerem, terram, & aquam æterno tempore perficiat, & constituat; ita vt inuicem se naturaliter consequantur, vt per se causæ, & effectus; pariter quoq; dicere nitemur, quomodo ambo hęc simul, & causa & effectus, circularis, inquam, Phœbi latio, & quatuor ab eo producta corpora verè sint annus, & orbis; vt ex Hippocratis sententia modò retulimus. Sed prius qualiter obliqui cœli latio simplicia ipsa corpora constituat, ex Philosophi doctrina primo Meteorologicorum manifestabimus; dum inquit, Oportet mundū hunc inferiorem superioribus lationibus esse contiguum, vt omnis virtus eius inde regatur; vnde enim motus principium omnibus est, illam causam putandum est esse primam. Necessarium quippe asserit quatuor prima elementa (quæ mundum inferiorem nuncupat) superioribus orbium motibus contigua esse; vt horum omnium formæ, & facultates benè à cœlestibus gubernentur; hæ nempe mundi huius virtus nominantur, quoniam ex ipsis mundana cuncta temperantur, & sunt, cunctorumque virtus illæ ipsæ dicantur. Reguntur autem quatuor primorum simplicium corporum formæ, & facultates à supercœlestibus, quando ordinatim hæ singulę, iuxta propria tempora, determinatos scilicet Phœbi in obliquo circulo motus, & proprias essentias, & virium robur suscipiunt. quòd autem prima corpora ista à cœlestibus orbibus regantur, rationem Philosophus dicit; vnde enim motus principium est omnibus, quę hic sunt, illam causam putandum est esse primam; sed mundi superioris motus principium est omnibus, quæ hic sunt, ergo mundum superiorem fatendum est causam esse primam; & ita in illo est vis huius gubernatiua. Sed virtutem hanc gubernatricem instrumentaliter tantum in lationibus existere dicimus; ex eo quòd lationes instrumenta sunt motorum; motores enim diuini per motus, quibus lumina adducuntur, & abducuntur, hæc gubernant. Cùm enim gubernare actus sit intellectus, rationi cōsentaneum est, non lationes hunc gubernare, nec lumen, sed motores cœlorum mediantibus lationibus, & luminibus. Etsi enim vniuersi motores omnium orbium perpetuò quatuor hæc prima simplicia corpora regant, & ordinent; Sol tamen potentissimus inter omnes hoc maximè facit. Quamobrem rectè Auerroes in parafrasi primi meteororū inquit; dictū est autem in secundo de generatione, & corruptione quòd causa efficiens generationis, & corruptionis elementorū secūdum

8. phy. t. 61.

2. de generatione. 55.

te. com. 56.

perpe-

perpetuitatem æqualem, & circulationem est motus corporum cœlestium, & maximè motus Solis in suo obliquo circulo; videtur enim quòd Sol, cùm venit ad meridiem, minuitur caliditas eius in Septentrione, & augmentatur natura ignis, & aeris; & hæc actio eius est secundum circulum; idest quòd cùm fuerit frigiditas in parte Septentrionali, est caliditas in parte Meridionali, & è conuerso; & ideo hyems nostra est æstas in parte Meridionali; idest in clymatibus, quorum distantia à Sole in illa parte est distantia clymatum nostrorum; & æstas nostra è contrario se habet apud illos. Ex ipso autē Sole per hos duos motus fiunt duo genera exhalationum, vnum eorum fumosum, & calidum est, & siccum; reliquum verò calidum & humidum, vel frigidum & humidum. Declaratum est etiam in libro cœli, & mundi, qualiter causa in hoc, quòd Sol calefacit, & reliquæ stellæ duobus modis inuenitur; vnus eorum est motus, alius reflexio luminis; sed caliditas, quæ à motu fit, pauca admodum & vix sensibilis est; quæ verò à lumine, & reflexione maxima, & potēs existit; hæc nempe vario & diuerso modo se habens, variam & diuersam primorum simplicium corporum naturā in informi materia construit. Hucusq; Auerroes. Hanc autem Auerroicam doctrinam nos imitantes, & particulatius eam declarantes dicimus; quòd phœbi motus sub Zodiaco circulo est vera producens, & conseruans causa primarum quatuor formarum, & qualitatum in informi materia; & per consequens primorū quatuor elementorum, penès quatuor diuersos aspectus, & habitudines ad ipsa. Cùm enim Sol accedit ad primum Arietis punctum, totum Gemini signum peragrans; tunc caliditatem, & humiditatem in materia informi præcipuè gignit, quæ aeris elementum constituunt; caliditatem nanq; ex propinquo accessu, & recto aspectu, ac longiori mora super terram; humiditatē, ex eo quòd propinquus, & longius calefaciens niues, & hyemales glacies in fluidum humidum resoluit; sic quidem perficitur, & adaugetur aeris elementum; adaucta eius substantiali forma, calido inquam, & humido; & hoc continget semper, quandiu contigerit signa illa Phœbum peragrare; hæcque peragratio vnà cum aereo producto elemento vernum tempus ab Hipporrate nominabitur. Cùm postea Cancrum ingreditur, Virginis domum totam progrediēs; tunc caliditatem, & siccitatem summam producit, quæ ignis elementum perficiunt; caliditatem nanque ex diuturna, & multa mora, & ex recto per perpendiculum aspectu, per quem radij ad angulos rectos reflectuntur, validissimi ad caliditatem summam procreandam ac potentissimi ad intensam, & excedentem siccitatem generandam; caliditas nanque maior quàm debet, reddit corpus siccius quàm oportet; progressus verò iste caliditatem, & siccitatem producens, vnà cum producta, & aucta caliditate, & siccitate æstas nominatur; velut superior humiditatem, & caliditatem perficiens, & adaugens, ver nuncupabatur. Cùm deinde primum Libræ punctum aggreditur, Sagittarij signum penitus perambulans; tunc siccitas, & frigiditas immensæ efficiuntur, quæ terræ elementum constituunt; per has enim & esse, & perfectionem terra suscipit; frigiditas quidem gignitur, & exuperat; quoniam Sol calefaciens causa breuiorem moram super nos facit, & debiliores radios iaculatur, declinando à capitis nostri vertice; sic enim innata terræ frigiditas, remota contraria calefaciente causa, augescit, & perficitur. nec enim aliàs à cœlo frigiditas gignitur apud Auerroem, quàm respectiuè, & priuatiuè; quare & secundo cœli dixit, non existimo quòd Auicenna dicat, quòd Luna frigiditatem, & humiditatem operatur; nam hoc est remotum, & extra fundamentum; sed si fuerit, erit secundum comparationem: & ibidem etiam commento .xciiij. addit; remotio à motu cœli dat grauitatem, quietem, & frigiditatem; sicut vicinitas dat leuitatem, caliditatem, & motum; generatur itaque à cœlo frigus, quoniā deest calefaciens causa, & non quòd ibi infrigidans causa adsit. siccitas verò fit, & augmentum sumit, tum ex consumpto humido æstatis ariditate, tum frigiditatis coniunctione, & societate: hæc nanque congregat, constipat, & immobile facit; quapropter siccitati iuncta, eam grauem, crassam, & compactam efficit, difficiliusque alieno termino terminabilem reddit; hac quidem differentia terræ ignisque siccitas distinguuntur; quoniam hæc calidi affinitate rara, leuisque reperitur, & facile alieno termino terminatur; hæc autem frigidi coniunctione grauis, densaque existit, & difficulter alterius termino terminatur; quamuis & meliori fortasse ratione differant; quoniam siccitas in terra summa est, per quam terræ elementum primò conficitur; in igne autem siccitas non prima sed secondaria inest; quapropter siccitas terræ suapte natura terminabilis est termino proprio, interminabilis autē alieno; quoniam siccitati primò & per se conuenit, vt constipet corpus illud, in quo primò inest; indeque effici, vt terminari nequeat termino alieno, sed suo tantum terminabilis sit: in igne verò secus res se habet; quoniam siccitas non prima, sed secundariò ibi inest; vnde & caloris naturam insequitur; qui cum rarissimus sit, & facile alieno termino terminatur; pariter & siccitas eius assecla, vnà cum calore ipso, eodem termino terminabitur. Frigiditas itaque, & siccitas, terræ elementum conficientes, in hoc Solis progressu complementum, & incrementum sumunt. Et hæc ipsa siccitas, & frigiditas cum Solis

Phœbi motus efficiens & conseruans causa primorū simplicium corporum.

Auic. prima primi ca. de temperamētis.

te. com. 42.

Frigus quomodo à cœlo generatur.

motu in Libra, & Sagittario ſigno Autumnus ab Hippocraticis nominatur. Quando autẽ Sol Capricorni caput ingreditur vſque ad Arietis principium proficiſcens, (quod iam veris initium fecimus) tunc frigiditas, & humiditas adoleſcunt; quæ aquæ elementum perficiunt; frigiditas nanq; ad ſummum creſcit, eadem qua ſupra ratione; quoniã Sol calefaciens cauſa breuiſsimam moram facit, ac debiliores radios mittit, & à recto capitis noſtri aſpectu multũ elongatur; hinc nulla contra oppugnante cauſa ex inſita natura ſummopere creſcit. humiditas verò incremen-

2. meteororum te. 5. 1. meteororũ. te. 9.

tum ſumit ex vaporibus plurimis anconſtanti Autumnali tempore genitis. tunc enim temporis vapores plurimi gignuntur tum ſicci, tum humidi; humidos itaque Hyemis frigiditas ſuperueniens, in aquam, & humorem conuertit; humiditas nanque iſta à frigore conſcreſcit; proinde quodammodo denſata per ſtyllas deorſum fertur. hoc quidem diſcrimine Veris, Hyemisque frigiditas ſeparantur; quoniam hæc ratione frigoris magis denſa, & compacta eſt; illa verò calidi ſocietate magis fuſa, defficiliusq́ue proprio termino terminabilis cernitur, quamuis & potiori quoque ratione differant; quoniam in aere humiditas princeps facultas eſt; proinde valde admodum fuſa ibi ineſt; in aqua autem principis facultatis veluti aſſecla; quare & minus fudibilis. Frigiditas itaque, & humiditas ab iſto Solis motu productæ, & auctæ, aquæ elementum complent, & perficiunt; huiuſmodi autem Solis motus, & frigiditas, & humiditas ab eo perfecta, & aucta, hyems, & hyemale tempus ab iſtis appellatur. Et hæc omnia contingent ſemper, quandiu contigent ſigna hæc omnia Phœbum percurrere; quod vtique æterno tempore contiget. Hæc autem quæ enarrauimus, veritatem maximam habent apud clymata noſtra citra æquatorem verſus boream ad polum arcticum; ſecus autem res ſe habet ſub hemiſphærio ad auſtrum extra æquatorem verſus polum antarcticum; ibi nanque ordine oppoſito Solis motus quatuor anni tempora, & prima quatuor ſimplicia corpora conficit, & conſeruat; eo enim curſu, quo ignis elementum, & æſtatem apud nos perficit, hyemem, & aquæ elementum apud illos conficit; & quo tempore aerem, & vernum tempus apud nos efficit, & ſeruat; eodem quoque tempore apud illos terram, & Autumnum efficit, & fouet. Et hæc quidem prouidè, & iuſtè rerum omnium neceſsitas ordinauit; vt cuncta ordinatè ſeruentur ſua temperie, & menſura: nam cum ex vna mundi parte elementum vnum accreſcat; ex altera oppoſitum elementum pariter accreſcat; vt ſymmetria, & ordo ipſorum in æquali conſeruentur potentia, & eſſe; nec enim aliter ipſorum communio, & ſocietas conſiſtere poſſet; nam ſi alterum altero valentius, potentiusúe foret; omnia breui abolerentur; hæc vtiq; omnia iuſtiſsimè à ſummo opifice ordinata fuere, vniuerſum temperante, & perficiente. Ac ita perpetuò quatuor ij diuerſi Solis motus in Zodiaco quatuor hæc prima ſimplicia corpora perficiunt, & conſtituunt in vniuerſo orbe; contraque ſimplicia hæc quatuor perpetuò ab his diuerſis Solis motibus, & habitudinibus perficiuntur; ac mutuò ſe neceſſariò ſemper conſequuntur. Sic quippe clarum fecimus quomodo Solis in obliquo circulo motus, & quatuor ſimplicium corporum globus ſint ſicut per ſe cauſæ & effectus inuicem naturaliter conſequentes.

Reliquum eſt, vt oſtendamus qualiter hæc ambo & cauſa, & effectus inſimul verè in præſenti ab Hippocrate annus, & orbis nominetur; vniuerſus ſcilicet Solis motus in Zodiaco, & quatuor hæc prima ab eo producta corpora, ignis, aer, terra, & aqua; huius autem oſtenſio ex prædictis manifeſtatur: Diximus nanque ſecundum Aſtronomos, vniuerſum Solis motum in Zodiaco annum eſſe: Quem perennem immediatè perfectiuam cauſam horum ſimplicium corporum demonſtrauimus; penès quatuor diuerſas eius habitudines; vnde ſicut continuus, & perennis eſt motus ille, ita continua, & perennis eſt horum ſimplicium corporum productio; & vt ſemper, & continenter cauſæ iſtæ ſimplicia hæc corpora perficiunt, & oſtendunt; hæc eadem pariter ſimplicia corpora producta continuè, & perpetuò illaſmet producentes, & conſeruantes cauſas demonſtrant; mutuò itaque ex natura rei, vt per ſe cauſæ, & effectus, hæc ſe conſequuntur, ac mutuò ſe oſtendunt. cùm enim Solis progreſſus in obliquo circulo ſecundum diuerſas habitudines ſit quatuor elementorum continens perpetua cauſa; ita vt nunquàm hæc ſine illis, & illa ſine his inſpiciantur: (veluti per ſe immediatarum cauſarum omnium, & ſuorum effectuum eſt natura) neque enim continens, & adhærens cauſa ſine ſuo per ſe producto effectu perſpici licet; nec è contrario per ſe productus effectus ſine ſua continenti, & adhærenti cauſa. Iam ſuperius hunc eundem Solis progreſſum in Zodiaco circulo annum fecimus; (progreſſus nanque ille prout ab anima menſuratus, & tempus, & annus nuncupatur) eſt nanque tempus quarto phyſicorum, numerus & menſura motus: Motus itaq; Solis in obliquo circulo numeratus, & menſuratus annus dicitur: Qui motus numeratus idem realiter cum motu eſt, ratione ſolum diſcrepans. Cùm igitur ijdem realiter ſint Solis motus in Zodiaco, & annus ipſe; euidenter ſequitur, quod & annus etiam horum quatuor primorum corporum continens, & adhærens immediata cauſa dicatur, neque vllo tempore ſine iſtis eſſe poſsit; veluti immediata

Quomodo aggregatũ ex vniuerſali efficiẽti cauſa & primis ſimplicibus corporibus annus dicatur. c. 101. & 102.

continens,

continens, & producens causa sine immediato per se producto effectu neutiquã valet esse. Non poterit itaque Annus, sicuti motus (cum realiter idem sint ratione tantũ differentes) sine quatuor his simplicibus corporibus vnquam inspici, & esse: cùm igitur Annus, & quatuor hæc prima simplicia corpora vt per se causæ, & effectus, vnà semper existant, ac mutuo se demonstrent: Non incongruum existimauit Hippocrates tum causæ, tum effectui hoc idipsum Anni nomen cõdonare, causæ per se, & simpliciter, effectui vt id ostendenti, & indicanti; per quatuor nanque sensibiles elementorum differentias Annum metimur, & in quatuor differentes secamus partes; iuxta horum quatuor diuersas differentias: Hæ vtique solæ, & non aliæ apud nos illum distribuunt, & distinguunt. Hoc idipsum pulcherrimè libro & cõmento primo de morbis vulgaribus nos docuit Galenus, cùm dixit; atque ita temperamenti magnæ differentię, calidum scilicet, frigidum, humidum, & siccum; quas rectè generales appellaueris, Annum diuidunt in quatuor tempora, genere inter se, aut specie differentia, vtcunque tibi apppellare visum sit. Quod autem de Anno vniuerso, illud idem & de partibus proferimus. Vere, Aestate, Autumno, & Hyeme: hæc nanque tempora talia nominantur, & penès motum, & penès producta corpora; penes motum simpliciter; iuxta genita corpora, pro quanto ex sensibilibus eorum differentijs motum ipsum percipimus, & mensuramus. Sic quidem ex per se causa & effectu, ex completo scilicet progressu Solis in obliquo circulo, & primis simplicibus corporibus, tanquàm ex veris constituentibus, & integrantibus partibus Annum, & orbem ex Hippocratis doctrina componimus, & formamus. Quòd verò Aggregatum ex æterna vniuersali efficienti causa, & suo per se producto effectu, Annum, & Mundum Hippocrates nuncupet, his verbis manifestat.

XVI.

Neque enim quicquam horum ne minimo quidem tempore consisteret, sine reliquorum omnium, quæ in hoc mundo sunt, consortio; immo si aliqua deficeret, omnes simul abolerentur, quippe quæ ab eadem sunt constituta necessitate, & inuicem aluntur, & substentantur.

Per hæc quidem verba apertè ostẽdit, quemadmodũ supercœleste corpus, vniuersalis scilicet æterna producens, & conseruans causa, & prima simplicia corpora, ignis, aer, terra, & aqua, Mundum & Annũ, vt quid completũ & absolutum suis omnibus integrantibus partibus perficiant. Hæc profectò quinq; corpora, supercœleste scilicet, & quatuor elementa vndiq; Mundũ constituunt, vt verè integrantes, & perficientes partes à summo opifice vniuersum absoluente prærordinatæ. Quòd autem his verbis Hippocrates id sentiat, manifestamus; sententiam eius interpretando: Quæcunque per se secluso aliorum consortio, consistere non possunt; aut quorum vno prorsus corrupto, & totum ipsum vndique corrumpitur, ad esse & compositionem totius vt constituentes partes necessario requiruntur; sed supercœleste corpus, & quatuor prima elementa, secluso mutuo ipsorum consortio, per se consistere non possunt, & vno ipsorum prorsus corrupto, vniuersa Mundi machina corrumpitur: ergo supercœleste, & quatuor prima elementa ad esse, & compositionẽ vniuersi vt integrantes partes necessariò requiruntur. Maior ex se euidens est; quoniam composita & existentia cuncta per illorum præsentiam, & inexistentiam habent esse, per quorum subtractionem, & absentiam priuationem patiuntur. Minor autem secundum ambas suas partes ab Hippocrate in textu probatur; & primò secundum primam, cùm inquit; neque enim quicquam horum ne minimo quidem tempore consisteret sine reliquorum omnium, quæ in hoc mundo sunt, consortio: Neque enim elementorum aliquid consistaret, (ait ipse) seclusa aliorum societate: sed statim propter suæ consistentiæ priuationem rueret, & præceps ferreretur. Vnumquodque nanque cuius esse in commensuratione, & ordinatione alicuius consistit, neutiquam sine tali ordine, & cõmensuratione esse potest: (quando eius esse in tali communiona existat) at quodlibet orbis terrarum elementum in ordine semper & symmetria aliorum omnium reperitur; (singula nanque elementa ab æterno conditore Deo insimul coordinata fuere ad vniuersum perficiendum) neutiquam igitur horum aliquid sine cæterorum affinitate & societate consistere poterit. propterea & rectè subnectit ad aliam minoris partem comprobandam: Immo si aliqua deficeret, omnes simul abolerentur. Verumenimuero (inquit) si vna ex componentibus partibus pereat, & reliquæ omnes simul cum illa peribunt, quòd vna penitus ex constituentibus, & ordinantibus mundi partibus ablata Annus, & tota orbis machina auferatur; omnes tum Platonici, tum Aristotelici consentiunt; quoniam ex partium vniuersum constituentium destructione, vniuersum ipsum destrui æqualiter omnes asseuerant. Cùm verò in omnium suarum partium ordine, & symmetria Mundus

consi-

consistat; si vna ex ordinantibus, & componentibus partibus corrumpatur, statim symmetria, & ordo ipse vnà cum reliquis partibus corrumpetur; & huius rationē necessariā scilicet producentem, & conseruantē causam subdit: Quippe quæ ab eadē sunt constitutæ necessitate. Aequè nempe Platonici, & Aristotelici necessariā mundi efficientē causam constituunt: Hancq; Platonici diuinam nuncupant mentem: (quæ qualiter etiam vt summū bonum, rerumq; omnium exemplar causa sit, suo loco manifestabimus) secunda in ordine necessaria æterna efficiens mundi causa, anima mundi ab eo nuncupatur; quare & x. de Republica scripsit: Mundum inter necessitatis Deæ genua volui; necessitatem animam mundi nominat: vt quæ fatali eius virtute vniuersum ducat inter genua (inquam) idest per virtutem eius inferiorem, voluēdis sphæris accommodatam; siquidem mente, rationeque Diuinis incumbit. Quæ quidem mundi anima nil aliud re vera est, quàm particularium orbium cœlestium propriæ intelligentiæ; sed præcipuè orbis Solis intelligentia; quæ omnes mente, & intellectu summo bono, idealique menti incumbunt, circulari autem sphærarum motu, perpetuò elaborant ad corruptibilem istum perficiendum orbem; seminariam, vitalemque virturem passim materiæ infundendo. Hæc itaque Hippocratis, & Platonis necessitas idem realiter est (vt infra mox declarabimus) cum æternis efficientibus Aristotelicis caussis. Sed ad rem nostram redeamus; Cùm enim prima quatuor simplicia corpora, calidum, frigidum, humidum, & siccum æqualiter ab æterna dependeant necessitate, à mente ipsa diuina, & orbis Solis intelligentia; non poterit ipsorum vnum aliquid prorsus corrumpi, ni reliqua etiam corrumpantur; cùm pari mensura ab eadem necessaria causa foueantur; si modò necessaria hæc conseruans causa in aliquo istorum deficiat, (vt non conseruet) ex æquo & in alijs dificere habet, quando vniformis necessaria ipsa sit, nec sit diuersitatis ratio quare in hoc potius quàm in illo delinquat; idcirco bene protulit quòd vno prorsus ablato ab ordine scilicet vniuersi; reliqua omnia pariter auferentur; quando ab eadem sint necessitate. Mox ex altera necessaria materiali causa hoc id ipsum demonstrat; quòd vno funditus destructo elemento, ex potentiori, & superioris vigore illico tabes alteri in qualitate affini impartietur; (quando elementa se inuicem alant, & substentent) hinc & illud eadem validiori vi peribit. Mox alterum etiam affinitate coniunctum pari fortuna corruet; nouissimus autem ipse omnium consumptor cadet, cùm non amplius habuerit à quo foueri, nutririq; possit, sic quippe tandem omnia ruent & destruentur. Proinde & vltimò ipse subiunxit, (materialē alteram necessariā causam attestans) & aluntur à se mutuo; idest mutuo simul substentantur, se inuicem generando, & transmutādo. Nec enim alia est elementorū nutritio, quàm eorundē inuicē generatio, & permutatio; cū simplicissima corpora sint, quę aliter minime nutriri possunt, quàm per eorum integrā transmutationem. Mutuo nempe elementa transmutātur, & aluntur, duplici (inquam) necessitate, & ab vniuersali producenti, & efficienti causa, vario scilicet Solis motu in orbe decliui; & ex propria eorundē innata natura. Elementa nanq; ex propria hoc habent natura, vt per continuam eorundē transmutationem se inuicē alant, & substententur: Perpetuò itaq; inuicem ipsa generari, & corrumpi tertio cœli, & secundo de generatione Aristoteles demonstrat. Si enim elementa generantur, aut ex aliquo corpore, aut ex nō corpore; non quidē ex non corpore; quoniam si aliquod elementū, vel aliquod corpus ex non corpore generatur: cùm fuerit generatum corpus, occupabit locū in quo generatur; & cùm generatio fiat in instanti, erit necesse, vel quòd duo corpora sint simul in eodem loco; id (inquam) quod fit, & id quod prius aderat, vel quod illud corpus in quo subintrat, cedat in instanti; quod est impossibile; si autem dicas, quòd non erat corpus aliud in loco, in quo subintrat; tunc sequitur, quod ibi esset vaccum; quod etiam est falsum; non ergo generatur ex non corpore; sed ex corpore; at non ex aliquo priori quando ista prima sint, ex quibus fit generatio; neque ex posteriori, quando posteriora ex prioribus generantur, & non è conuerso; cùm autem neque ex incorporeo, neque ex alio corpore fieri possint, ex se se mutuo fieri reliquum est. Alia rursus ratione hoc idipsum secundo de generatione ostenditur: Contraria ex se inuicem fiunt, & vicissim mutantur; (non enim quodcunq; in quodcunque, sed contrariū in contrariū tantū transmutatur) elemēta autē contraria sunt, & contrario modo se habent; igitur omnia ex se mutuo generantur, & in se mutuo permutantur. quòd elementa contraria sint, ex ipsorū differentijs innotescit, quibus & formantur, & mutuo aluntur: Dupliciter verò inuicem permutantur, videlicet vnum ex altero, & vnum ex duobus, vnum quidem ex altero gignitur, tam in symbolis, quàm in non symbolis, vnum autem ex duobus, solum in non consimilibus contingit. Hæc est nempe materialis elementorum necessitas, ex qua mutuo se generandō, & permutando, mutuo quoque se alunt, & substentant; conforme autem Hippocrati istic, & Plato in Phœdro dixit.

" Vt idem sibi ipsi tum alimentum, tum tabem subministret; vtque omnia in se ipso, & à se ipso agat, & patiatur, ex arte comparatum est.

Necessaria mundi efficiens causa quæ fuerit apud Platonem.

3. cœli. 53. & 54. 2. de generatione 24. & 25.

Ex proui-

Ex prouidentia enim ordinatæ naturæ, ex artificioſo (inquam) Solis motu in Zodiaci circulo conſtitutum eſt; vt vnumquodque ſimplex corpus ſibi ipſi tum alimentum, tum tabem ſubminiſtret; alimentum quidem ad nutritionem, & auctionem ſibi præparat, & ſuggerit; cùm proſperum, & ſecundum ad propriam naturã fluentem Phœbi motum habuerit; tunc eius ope, & adiumento fortius, & potentius factã reliqua imminuit; ſe ipſum perficiens, & adaugens; permutatio enim omnis a viribus ſemper potentioribus euenit. Contraque elementum quodlibet tabem, & diminutionem ſibi ſuggerit, & miniſtrat; cùm aduerſum, & contrarium Solis progreſſum inſpexerit; tunc quidem imbecillius, & infirmius redditur; quare facile à potentiori imminuitur, & mutatur; potentiora nanque agentia ex propria natura imbecillia cõtinuè alterant, & permutant; dummodo ſe naturaliter tangant; validiora igitur facta elementa & augentur, & perficiuntur; debilia autem tabeſcunt, & demoliuntur; & hoc nõ niſi per eorundem ſubſtantiarum perditionem, vt per ſubſequentia hæc verba apertè dilucidat; *3. cœli. tex. com. 52.*

Vtque omnia in ſe ipſo, & à ſe ipſo agat & patiatur, ex arte comparatum eſt.

Quia enim vnum omnium eſt elementorum immediatum ſubiectum; prima ſcilicet materia informis; circa quam perpetuò ſingula elementa, hæc inquam omnia, & agunt, & patiuntur et nutritionem, et auctionem, et diminutionem, et permutationẽ quamlibet; omnia profectò hæc, elementa ſingula in ſe ipſis agunt, & patiuntur, materialiter ſcilicet, prout vna eſt omnium ipſorum adæquata materia. neque enim hoc ratione formæ, & ſpeciei intelligi poteſt; quoniam ſic vnumquodque quod agit, in alterum à ſe ipſo agit; & vnumquodque quod patitur, ab altero in forma à ſe ipſo patitur. Ratione tantum igitur cõmunis materiæ Plato hic protulit, quòd omnia, quæ elemẽta agunt, & patiuntur, aut alendo, aut augendo, ſeu diminuendo, aut quouis alio modo ſe permutando; hæc inquam, omnia ratione communis materiæ & agunt, & patiuntur, quandu naturaliter penès tantum primam informem materiam permutationes illæ omnes elementis contingant. Cùm enim Phœbi motus in Zodiaco ſecundum propriam alicuius elementi naturã proceſſerit; tunc fortius validiusque illud efficitur, & illico in conſimile, & cognatum elementum prius agit, imminuendo, & permutando ipſum, eiusque materiam ſibi nanciſcendo; hinc ex multa materia adepta grandius efficitur, & potentius ex potentiori, & validiori virtute in maiori & ampliori quanto exiſtente. contraque huic contraria elementa debilia, & infirma redduntur ex deperdita materia pauca & exigua exiſtente; pariterque ex tenui, & debili virtute in pauco cõnſiſtente quanto; propter cõtrarium & inimicum Solis aſpectum; vnde & facile à potentioribus imminuuntur, & permutantur; quando à proportione maioris inæqualitatis permutatio omnis procedat. Omnia igitur hæc in ſe ipſis elemẽta agent & patiuntur & nutritionem, & auctionem, & tabem, & demolitionem; nutritionem, & auctionem agendo, dum fortia & valida fuerint, & ex quantitate materiæ, & ex fœlici Solis aſpectu; demolitionem autem, & tabem dum anguſta, & pauca fuerint, & ex exigua quantitate, & ex aduerſo ſui naturæ Phœbi intuitu. Sic quidem infirmum, & tabidum elementum in ſe ipſo patitur, materiam ſibi propriam deperdendo; fortius verò, & potentius in ſe ipſo agit, materiam plurimam ſibi propriam adipiſcendo, & conſequendo. propterea & iuſtè dixit Plato, vt idem ſibi ipſi tum alimentum, tum tabem ſubminiſtret, vtque omnia in ſe ipſo, & à ſe ipſo agat, & patiatur, ex arte comparatum eſt. per artem verò nil aliud intelligit, quam (vt diximus) artificioſum Solis motum in obliquo circulo, ſeminariam, vitalemque virtutem informi materiæ infundentem. Hinc meritò aſſerimus eandem hic eſſe Platonis artem, Hippocratis neceſsitatem, vniuerſalem efficientẽ Ariſtotelis cauſam; vnde & ipſe examuſsim ſecundo de generatione hanc eandem diuinã artem, & neceſsitatem dilucidat, generationis, corruptionisque omnis vniuerſalem æternam efficientem cauſam conſtituens. *3. cœli. tex. com. 52.* *2. de generatione tex. 55.*

A nobis autem vniuerſaliter & prius dictum eſt de cauſis, & nunc determinatum eſt & de »
materia, & de forma; amplius autem quoniam ſecundum lationem motus oſtenſum eſt, quòd »
æternus; neceſſa his exiſtentibus, & generationem eſſe continuam; latio enim generationem fa- »
ciet inceſſanter, eo quòd adducat, & abducat generatiuum; ſimul quoque manifeſtum quòd »
& priora rectè dicta ſunt, primam ſcilicet mutationum lationem, ſed non generationem dicere; »
multò enim rationabilius ens nõ enti generationis cauſam, quã non ens enti, ipſius eſſe; quod »
igitur fertur, eſt; quod verò fit, non eſt; quapropter & latio prior generatione exiſtit, quoniam »
ſuppoſitum eſt, & demonſtratum continuam eſſe rebus generationem, & corruptionem; dici- »
mus autem lationem cauſam eſſe generationis; manifeſtum eſt, quòd vna exiſtente latione, non »
contingit fieri ambo, quia contraria ſunt, idem enim ſimiliter ſe habens, idem natum eſt facere; »
quare vel generatio ſemper erit, vel corruptio; idcirco oportet plures eſſe motus, atque contra- »
rios, aut videlicet latione ipſa, aut variatione; quandoquidem contrariorum contrariæ ſunt cau- »
ſæ; quo fit vt non prima latio generationis, & corruptionis cauſa ſit, ſed ea, quæ circa obliquum »

eſt circu-

„ est circulum; hęc nanque & perpetua est, & variatione gemina existit; quòd si perpetua sit semper generatio, & corruptio, necesse est, eam mutationē esse semper; ne videlicet deficiant transmutationes ipsæ, geminam verò, ne alterum tantum contingat. Continuatis itaque nullam aliam agnoscimus causam, quam vniuersi impulsum; incursus autem obliqui orbis habitus, accessus atque recessus author est; ita enim accidit Solem modò remotum, modò propinquum existere; inæquali enim distantia existente, inæqualis erit motus; quocirca si accessu & vicinitate generat, recessu, & longinquitate ad ipsum corrumpet; atque si frequenti accessu generabit, frequenti recessu corrumpet; nam contrariorum causæ contrariæ sunt.

2.phy.t.26 t165.et 73

De effectiua vniuersali causa edocens Philosophus ait; quod & in Physica ab ipso dictum est; quòd circularis cœli latio effectiua causa est eorum, quæ generantur, & corrumpuntur; ex illa nanque & anni temporum conuersio, & cum anni temporibus elementa quoque concurrunt, & fructuum generatio. Videmus nanque quòd accedente ad nos Sole, & plantæ germinant, & fructus generantur, & animalia multa; recedente autem ipso, contraria contingunt; hinc manifestum est, (inquit) quod rectè in physico auditu à nobis dictum est; quòd prima mutationum est localis, etiam ipsa generatione; nam & generationis hęc est causa, non autē generatio ipsius motus; si enim quod generatur nondum est, in quo tēpore generatur; quod autē secundum locum mutatur, iam existens mouetur; rationabile vtiq; est, quod est non entis causam esse dicere; non quod non est, hoc est quod generatur, causam afferre eius, quod iam est, & eius quod secundum locum mouetur. Hæc cùm dixisset, consequenter dubitat quomodo dicimus circularem lationem causam esse generationis, & corruptionis; quoniam enim hæ duæ sunt mutationes ad inuicem contrariæ; quæ nam autē est harum causa; non quidem possibile est vnam, & eandem contrariarum mutationum esse causam; contrariorum quidem etiam effectiua (naturalia dico agentia) contraria oportet esse; quapropter si mutatio secundum locum causa est generationis, & corruptionis; necesse est, & efficientium causarum motus ipsos quoque esse contrarios, aut ipsa latione, aut variatione saltem; latione quidem, vt duæ sint lationes contrariæ, quarum vna generationē faciat, altera verò corruptionem; variatione verò, vt vna quidem sit latio; sed quia non eodem modo ad nos semper se habeat, quod mouetur; sed quandoq; quidem nobis appropinquat, quandoque verò distat; dum enim accedit, generationem facit; dū verò abest, corruptionem.

8.phy.t.61. 64. & 66.

Sciendum vtique est, quòd vtraque accidunt; nam & lationes duæ sunt, hæc quidē ab oriente in occidente vt firmamenti motus; altera verò contraria, vt quæ ob occidente in oriente, vt errantium latio, inęqualitas verò, eo quòd cum hęc in obliquo circulo fiat, inæqualem inhabitudine ad nos facit motum Solis; quandoquidem ad nos prope accedentis, quandoque verò procul. Duas itaque has lationes firmamenti & errantium, vnà cum inæqualitate continuæ, & perennis generationis, & corruptionis causas esse declarabimus, Firmamenti enim latio generationis tantum causa existit, ordinem, moderationem, & temperiem cunctis largiendo; neque enim eiusmodi esset ordo, & mundus, nisi esset firmamenti latio, illinc enim ex vnaquaque circulatione, & dies, & nox ordinatè sibi inuicem succedunt. Si autem (hanc firmamenti lationem per imaginationem supponamus à proprio cursu cessare) & in circulo obliquo Sol moueatur, esset profectò vniuersa hyems nox vna, & æstas tota dies vna, & vt simpliciter dicamus, vniuersus annus vnum dies, noctisque interuallū; hoc est vna die, nocteque vna constitutus; quod si sic esset, tunc dies illa per continuos sex menses duraret, pariter & nox; vnde in tam longa & diuturna die, tanta vigebit caliditas, & exarsio, quòd penitus generationem omnem auferret; similiter & in nocte illa æqualiter protracta, & extensa; adeo redundabit rigor, & frigus, quòd nullam admittet generationem; vt declarant tales terræ partes inhabitabiles existentes, veluti quæ sub polis vniuersi sunt; in quibus propter exuperantis frigiditatis intemperiem, ex cœlestis motus tarditate, Solis distantia, debili radiorum reflexione, ac dierum cum noctibus improportione, nulla adest viuentium habitatio; (& si quis mathematicè eas habitabiles esse contendat) primum igitur firmamenti latio moderationem, & temperiem singulis elargitur; mox per se primò æternitatem eisdem impartitur; cùm per se primò ipsa æterna sit, reliquis bonitate sua perpetuitatem communicans; Errantium autem latio propter sui progressus in obliquo circulo inæqualitatem, & generationis, & corruptionis causa existit; cùm verò inæqualiter vt ad nos moueatur, propter hoc contrariæ sunt mutationes, quę secundum generationem, & corruptionem; & præcipuè Solis latio harum mutationum causa dicitur; nam ei potissimum generandi facultas tribuitur; ex eius enim absentia, ac præsentia & generantur, & intereunt omnia. Eius verò præsentia, & absentia causa est Zodiaci inclinatio, & eleuatio; quando enim inclinatur à circulo æquinoctiali ex vna parte, eleuatur ex alia; tunc contingit, quòd ipsum generans, quod Sol dicitur, quandoque est prope generationis locum, quandoque longè; & ideo

Firmamēti latio quomodo ordinem, moderationem, & temperiem cunctis largiatur.

Motus Solis quomodo & generatio-.

sicut

sicut in accessu rem producit, ita in recessu eandem corrumpit; contrariorum nempe contrariæ sunt causæ; quæ contrarietas est penès tantum accessum, & recessum, & penès radiorum modum respiciendi, aut obliquè, aut rectè generationis locum; sic quippe planetarum motus ad generationem, & corruptionem procedit. At firmamenti latio ad generationem tantum progreditur; Phœbi prægignendi potentiam moderando, ac temperando; neque enim quicquam ipse produceret, sin noctis, dieique interuentu temperatus foret, vt superius clarè ex suppositione demonstrauimus. Motus itaque primus diurnus duplici de causa generationi præest; primum ordinando, & moderando Solis progressum; (vt cuncta moderatè, ac ordinatum procreantur) per quam actionem conseruans, ac ordinans generationis prima nuncupatur causa; secundò cum ipse per se æternus, & perpetuus sit, reliquis cunctis perpetuitatem largiens, & generationi ipsi successiuam perennemque cōtinuationem impartitur; hinc quoq; prima æterna causa ab omnibus nuncupatur. Si enim motus primus diurnus prima æterna, conseruans, ac ordinans generationis causa nominatur, ergo & huius motor, Motor inquam, ipse primus, æterna prima, & ordinans potissimè generandarum rerum nominabitur causa; de quo benè Peripatetica scripsere, formas omnes ei actu inesse, in potentia autem primæ materiæ; cùm de efficienti verò causa loquemur, longiorem de eo sermonem protrahemus; hæc sunt Peripateticorum placita de diuina Platonis arte, Hippocratis necessitate, ac vniuersali efficienti, & producenti Aristotelica causa.

nis, & corruptionis causa dicatur.

His itaque dictis; si quis quærat, cur nam absentia Solis corruptionem agere dicimus, aduentum verò generationem; quando in æstate non solum fit generatio, sed etiam corruptio, & hyeme similiter non solum corrumpantur quædam, sed etiam generentur; & vt vniuersaliter dicamus, cùm vnius generatio sit alterius corruptio, quo pacto autem ait, in alio generationem, in alio corruptionem accidere. Dicimus quòd est melioris quidem substantiæ generatio; hanc generationem vbique Aristoteles vocat, eaque verò, quæ est deterioris, corruptionem; pariter etiam ob rerum genitarum frequentiā, & multitudinem, quoniam tunc temporis vt plurimum res generātur; in pluribus nanque accedente Sole meliorū generationes sequuntur, fructuum, animalium, & meliorum elementorum, ignis, & aeris, & aliorum omnium, quæ per sermonem enarrare, non est facile; Abeunte verò hæc omnia corrumpuntur; proptereà accessu Solis, generationem; absentia verò, corruptionem fieri determinamus. Sol enim inter omnes planetas potissimam obtinet vim ad generationem; si quidem propter ipsum, est ver, æstas, hyems, & autumnus, quatuor scilicet prima simplicia corpora (vt supra exposuimus) Aer, Ignis, Terra, & Aqua; inter quæ ad generationem, & vitam, Ignis, & Aer, validiora, & meliora dicuntur; sed Aer potissimum ad animatorum generationem temperatum nominatur; quando eius temperie, calida videlicet, & humida, animalia omnia conformantur, & saluantur; quamobrem & saluberrimum, & temperatum ver dicitur; non quòd tale in qualitatibus refractum, & per aliorum commixtionem sit; sed quoniam (vti diximus) talis eius natura existit, quòd maximè, & potissimè ad viuentium generationem, & esse conferat, quando cunctorum vita his duobus præcipuè consistat; calido nempe viuimus, & aereo maximè humido nutrimur. Proinde & Hippocrates in libello de flatibus, quantum animalibus Aeris vsus necessarius sit, pulcherrimè docet; scribit enim, mortalibus autem vitæ, & ægrotorum morbis solus Aer est autor, tantaque omnibus corporibus Aeris necessitas exstat, vt si quidem omnibus alijs abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum; possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere; si cui verò spiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat, vt vel hinc quanto vsui spiritus corpori sit, liceat existimare. amplius autē ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines; multæ enim sunt mutationes in vita; verū ab hoc opere, nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cessent spiritum adducere, ac sursum exhalare; vides ergo ex his quę dixi, quanta communio omnibus animantibus in fruendo Aere exiſtat. Hactenus Hippocrates. sic quidem & nos ad propositum dicimus, Ver ideò temperatum nuncupari, non quòd ita in qualitatibus moderatum reperiatur; sed pro eo quòd aeris elementum, vitę summopere necessarium, tunc temporis præcipuè vigeat.

3. Aphorismorū aph. 9.

De longitudine, & breuitate vitæ Philosoph.

At ad prima ipsa quatuor elementa reuertamur, communem & æternam generationis, corruptionisque materialem causam declarantes; dicimus enim, quòd quemadmodum Solis & planetarum motus vniuersales æternæ efficientes causæ dicuntur; pariter & prima simplicia corpora ab ipsis perpetuis efficientibus causis producta, continuæ generationis, corruptionisque omnis communis æterna materialis causa appellantur: Nam generatio, & corruptio quælibet circa harum primarum quatuor qualitatum temperiem & intemperiem, formam scilicet, & eius priuationē successiuè semper versatur: Huius enim temperiei, & formæ generatio, est alterius temperiei, & formę corruptio; cōtra, huius corruptio, alterius est generatio. Hæc quippe peemu-

3. cæli t.c. 67.

pe permutatio, & retributio secundum has formas, & priuationes in perpetuum est ipsorum simplicium æternorum corporum. Sic vtique perennis materialis causa generationis, & corruptionis simplicia hæc prima corpora dicuntur, aqua scilicet, terra, ignis, & aer; quando æterno tempore impermutabilia ipsa secundum speciem permanentia, his varijs semper & contrarijs formis successiuè ordinatim afficiantur. Nec enim alteram formam, siue corporeitatis, siue alterius generis in prima informi materia expetit Hippocrates ad formarum temperierumque omnium eductiones & productiones; quàm quatuor has primas tantum qualitates. Hæ
3. cæli te. c. 67. quippe commodè formarum omnium temperierumque productionibus satisfaciunt: Nam ex his temperies materialesque formæ cunctæ educuntur; nec ab alijs quàm ab ipsis educi possunt; vt rerum euidentia demonstrat; quæ perfectiones, formas, & actus cunctarum rerum nil aliud profectò esse ostendit; quàm istarum quatuor qualitatum temperies & moderationes; sicut supra abundè diximus. firmamenti itaque motum, & Phœbi in obliquo circulo vniuersalem rerum omnium generationis, corruptionisque perpetuam efficientē causam fecimus; pariter quatuor simplicia corpora ab æterno ab his producta, & iuxta speciem in perpetuum permanentia eiusdem generationis, & corruptionis perennem materialem causam constituimus. Quæ æternę vniuersales efficientes, & materiales causæ orbem ipsum vniuersum vndique ex formis, perfectionibusque omnibus, ex his quatuor elementis constructis, & confectis, completum ac perfectum semper ostendunt. Quæ quidem eternæ efficientes, & materiales causæ annus in præsenti ab Hippocrate nuncupatæ fuere, dum dixit.

XVII.

Quemadmodum enim annus omnis omnium particeps est, & calidorum, & frigidorum, & siccorum, & humidorum; neque enim quicquam horum ne minimo quidem tempore consisteret, sine omnium quæ in hoc mundo sunt consortio; immo si vnum etiam absit, omnia simul aboleantur; siquidem omnia ex eadem sunt constituta necessitate, & aluntur à se mutuo; ita homo si quid illorum ipsi deficiat, quæ cognata sunt, viuere non posset.

Postquàm longa digressione declarauimus quid annus, eiusque partes sint; quid insuper calidum, frigidum, humidum, & siccum significent; quomodoque vniuersales æternæ producentes causæ prima simplicia corpora præordinant, & constituant, Annum & Mundum totum perficiendo: Superest modo Hipp. argumentationem contra antiquos inducere; à simili namque & condecenti ratione, quatuor humores hominibus omnibus congenitos esse, nec ipsorum aliquem prorsus corrumpi posse, homine superstite, his verbis ratiocinatur. Sicut enim Annus & vniuersus orbis ex quatuor elementalibus partibus materialiter perfectus, & ordinatus reperitur, nec minima temporis parte consistere posset sine omnium quæ in hoc mundo sunt consortio; ita & Microcosmus homo ad eius imaginem & exemplar fabricatus, æqualiter ex quatuor elementalibus partibus perfectè ordinatus, ne minimo quidem tempore duraret, si quid illorū deficeret, ex quibus conflatus & coagmentatus est: Quòd homo ad habitum totius vniuersi formatus sit; primo de natura animalium ab Aristotele & in diui Cosmi Medices idea à nobis demonstratum est. Quòd pariter ex quatuor elementalibus partibus (sicuti & mundus) materialiter constructus sit, multis rationibus infra declarabitur; quòd vna ex quatuor constituentibus partibus corrupta, & totum corrumpatur, à simili, & pari ratione id comprobat dicens; quemadmodum vniuersus orbis ne minimo quidem temporis spatio staret, aliqua suarum partium diminutas; ita homo, si quid illorū ipsi deficiat, quæ cognata sunt, viuere non posset. Qualiter autem orbis ex vna suarum partiū abolitione illicò & ipse aboleatur; apertè ipse declarat, (vt supra deduximus) cùm inquit; quoniam ab eadem sunt necessitate, & mutuo se alunt; à summo (inquit) rerum omnium opifice, & mundi anima ordinis necessitas his omnibus impartitur; vnde & si in aliquo illa delinquat, in cunctis quoque delinquere necesse est; quando vna eadē sit omnium ratio; nec enim plus in isto, quàm in illo deficere debet. Hoc idipsum quoque declarauit dum dixit; & mutuo omnia necessariò se aluut & constituunt, cùm enim vnum ex ipsis prorsus aufertur, tunc tabes alteri ex alimenti defectu illicò infertur; proinde & illud statim peribit; & consequenter reliqua omnia vt supra ostendimus. Consimili ratiocinio microcosmus homo ad totius mundi exemplar fabricatus, & ab eadem æterna ne-

cessitate

cessitate rectus, & moderatus; quò ad eius determinatum, & certum periodum, si quid ex his, ex quibus constat, prorsus deficiat; & ipse simul corruet, & deficiet. Cùm igitur ex quatuor humorum temperantia effigiatus sit homo; horum quippe moderatio, & temperies eius essentia, & vita existet; si quid vnum modò illorum prorsus, & ex toto eruat, & deficiat; ipsa pariter temperies, & symmetria necesse habet eruere, & deficere; (quando ipsa æquè in omnibus cõsistat) vnde & cum his vnà simul & essentia, & vita eruent. Sic vtiq; æquali ratione & vniuersus, & microcosmus, vna ex constituentibus partibus ablata, & ipsi simul pariter auferuntur. Si igitur hominis vita, & essentia in quatuor humorum commensuratione, & symmetria consistat; nec sine his symmetria, & commensuratio esse potest; euidens equidem fit, quatuor ipsos humores necessariò hominibus, animalibusq; cunctis congenitos connaturalesq; esse: nam secus impossibile foret hominum vitam, horum symmetriam, & temperantiam esse; sic quidem his eisdem Hippocratis verbis, quatuor humores hominibus, sanguineisque animantibus omnibus congeniti fore demonstrantur.. Quamobrem & bene mentem eius interpretatur Galenus, dicens; congenita appellauit sanguinem, pituitam, & bilem; quandoquidem fœtus primam figuram, & nutrimentum, & incrementum ex matris sanguine quatuor omnium participe humorum suscipit: sanguinem verò istum, ex quo formatur, nutritur, & augetur fœtus, temperatum nuncupat, dicens; ipse etenim est, qui qualitates quatuor continuo actu continet, frigiditatem, humiditatem, caliditatem, & siccitatem; quò fit, vt temperatissimus sanguis pituitæ, flauæ, atręque bilis sit semper particeps; si autem temperata massa sanguinea horum omnium naturaliter semper sit particeps; necessariò sequitur hos omnes etiam congenitos, connaturalesque semper fore. Hæc omnia rectè Galenus ad Hippocratis mentem.

Cap. primo.

Contra, magnus Auerroes secundo colliget ex Aristotelis sententia vnum solummodo secundum naturam humorem constituens, (vt supra enarrauimus) argumentatur, animantium membra omnia in prima vniuscuiusque formatione, ex sola sanguinis substantia conformari, & nullatenus ex alijs tribus. inquit enim, consimilia membra, quæ simplices animalis particulæ dicuntur, non consistere nisi ex sanguine tantum; neque enim pituita, flaua, & atra bilis sunt similarium partium elementa; eo modo, ac via, qua sanguis; & huius ratio est, quoniam res quæ ex pluribus conficiuntur, non complentur, nisi quando constituentes partes actu misceantur, & inuicem corpus vnum perficiunt; vt tetrapharmacum, quod ex cera, resina, pice, & adipe componitur; quorum singulum ante mixtionem actu existebat; sed in vtero neque biles, neque pituita, actu reperiuntur, quæ cum sanguine misceri valeant ad corporis particulas formandas. Flaua autem, & atra bilis in animantium corporibus propter alios vsus reperiuntur; & non vt ex ipsis modo aliquo conformentur animatorum partes; at ex pituita, vt ex materia remota, vtique poterunt membra conformari; cùm inconcoctus denominetur sanguis, qui postea concoquitur, & perficitur; & vnà tunc cum reliquo sanguine similares corporis partes construit: Et propterea æquiuocè excrementum pituita respectu flauæ, & atræ bilis nuncupatur: sanguinea nanque superfluitas vt sit sanguis ab eo nominatur. Sanguis itaque diminutè concoctus erit pituita, & non excrementum, quod in sanguinis concoctione, & digestione secernitur; velut flaua, & atra bilis in sanguinis concoctione excernuntur. A flauæ nempe, & atræ bilis separatione purus, & perfectus redditur sanguis; atra itaque & flaua bilis sunt in corpore excretiones tantum; quoniam chylosus cibus, qui à ventriculo ad epar tendit, neutiquam verus efficitur sanguis, ni ab eo ambæ istæ secretiones separentur; sicut neque mustum vinum vnquàm purum efficeretur, ni duo pariter ab ipso secernerentur excrementa; crassum vnum, & terrestre; subtile alterum, & aereum; hinc prouida natura propria flauæ, & atræ bili receptacula donauit; (quod flegmati non fecit) quando hæ duæ excretiones nullam omnino aptitudinem habeant, vt ex eis similares partes construantur; at ex pituita in sanguinem versa pulcherrimè conformantur. Sic enim declarat qualiter æquiuocè hæ superfluitates dicantur; bilis vtique per se, pituita secundum quid, & quodammodo per accidens. Sed contra obijcit; flaua, & atra bilis in sanguine in potentia continuè reperiuntur; ita post eorundem segregationem dum purus sanguis existit, sicut antea dum confusus erat; semper enim quantumuis perfectus sanguis sit, in potentia transmutationis ad flauam, & atram bilem reperitur; continuè nanque sanguis (vt licet intueri) in bilem, tum flauam, tum atram conuertitur, & transmutatur. Non ergo tantum excretiones dici merentur; sed & simplicium partium elementa, eodem ferè modo dici possunt, quo sanguis, & pituita dicuntur: nam si vbique in naturali sanguinis potentia inueniantur, vt ex sanguine membra; ita ex ipsis quoque quadam ratione generari dicentur. Ad hæc ipse respondet, quòd non in naturali potentia tales biles in sanguine insunt; sed in præternaturali, & corruptiua tantum; velut vita ad mortem in corruptiua solum potentia esse denominatur; sanguis nanque ad flauam, & atram bilem conuersus,

2. colliget cap. 5.

2. colliget cap. 1.

uersus, corruptus, & præter naturam in hos motatus humores dicitur, & pariter ipsi præternaturales nuncupantur. Non igitur quæ præter naturam in aliquo reperiuntur, naturales eius partes, & elementa appellanda sunt; sed corrupta, inutilia, & magis noxia excrementa, potiusquam proficua nominanda merentur. Flaua igitur, & atra bilis non nisi in præternaturali, & excrementitia potentia in sanguine continentur, proinde semper ve inutilia proijciuntur;

Ibidē ca. 2. Vnde & subiungit, ideo non dicitur, quòd fex, & spuma sint vini elementa; sed dicimus quòd vinum est perfectum, istis separatis ab eo, nam vera eius excrementa dicuntur, quæ in concoctione ab ipso fuerunt secreta; sicut & in cunctis reliquis (quæ per concoctionem perficiuntur) euenit; quòd superfluitatem semper aliquam inspicimus, quæ ab eis concoctionis tempore segregatur. Hæc tanta Auerroes de hominis, animatorumque corporum humoribus ad Peripateticorum sententiam; ex quibus sanè elicimus apud istos sanguinem solum naturalem humorem esse, reliquos tantum excretiones, quæ aut per concoctionem excernuntur, aut propter cruditatem, & incōcoctionem crudæ, & imperfectæ relinquuntur. Hæcque ferè vniuersim quarto de partibus animalium ab Aristotele hauriuntur capite secundo, dum inquit, sed enim vt bilis, quæ qualibet corporis parte gignitur, excrementum quoddam, liquamentumque est, sic fel iecori adiunctum, non rei cuiquam delegatum, sed excrementum esse videtur, quomodo & alui intestinorumque sedimen; ibidemque inferius subdit; absurdum est autem nisi vbicunque pituitam, aut alui sedimen videris, excrementum id esse putes; pari modo de bili, felleue censeas; sed locis discrimen eligere velis: mox addit: Nam quædam animalia fel habent iuxta iecur, quædam verò habent iuxta intestina, vt pisces, talia autem locis differunt, tamen vbicunque sint, semper excrementa sunt iudicanda. sic enim perspicuè ex eius doctrina habemos, bilem tum atram, tum flauam, pariter & pituitam in qualibet corporis parte generari posse, & excrementa nuncupari. Hæc quippe ea sunt, de quibus supra Galenus dixit, omnino

Lib. 1. de natura humana. alia placita eorum, qui humorem vnum secundum naturam in corpore esse contendunt, facile conuelli possunt; illorum verò sententia, qui sanguinem esse volunt, non est leuis, sed vt conuincatur magnæ est contentionis; superest modo videre quantum Hippocratis demonstrationes contra hos valeant, quantumque hæc omnia conuincant.

Primum itaque ad Auerrois rationes dicimus, & ad primam, quòd res, quæ ex pluribus generantur, non complentur, nisi quando constituentes partes actu existunt, vt inuicem misceantur. hoc quidem falsum esse dicimus, præcipuè in naturali generatione mixtorum; in qua omne quid generatur, ab eo quod est actu, aliquod actu ens & formatum, generatur; fit autem ex eo, non quatenus est actu ens, sed quatenus est potentia id quod fit; mixtum itaq; naturale animatum potissimè à mixto semper fit, vt in potentia, sicuti diximus; non enim in naturalibus generationibus requiritur, quòd partes constituentes sint à se inuicem actu seiunctæ, & separatæ, vt in artificiali productione mixti euenit, quemadmodum de terrapharmaco dicebatur; secus profectò ast in naturali composito; vbi partes in actu diuisæ nunquam reperiuntur, sed confusè semper mixtæ, & temperatæ; mixtum igitur compositum, quod per concoctionem producitur in natura, semper à mixto fit, quatenus scilicet in potentia, & non à partibus actu seiunctis, vt in artificialibus contingit. Sic falsam vtique ostendemus primam Auerrois rationem.

Adalteram autem, quòd sanguis solus naturalis humor sit; reliqui excretiones tantum, quæ aut per concoctionē excernuntur, aut propter indigestionem, & cruditatem imperfectæ relinquuntur; sicut huiusmodi semper in omnibus per concoctionē genitis inspici licet; ad hæc dicimus falsum assumere, sanguinē solum naturalē humorem esse, reliquos omnes excretiones tantum; quando & horum quodlibet naturale existat, & per naturalem producatur concoctionē; pariterq; & singula, prout in animante talia inueniuntur, propria æqualiter singula excernunt excrementa, unde & naturalia, & excrementitia æquè in animalibus reperiuntur (vt supra nos docuimus); falsum itaque assumpsit, vnum tantum secundum naturam humorem esse, & reliquos excrementitios omnes. Quòd autem falsum assumat, vnum solum naturalem humorem esse, prius argumentatur Hippocrates. Mox æqualiter quatuor humores secundū naturam fore clarè demonstrabit. Primò itaque, quòd non tantum vnus naturalis humor sit, ratiocinatur.

XVIII.

At ego sanè censeo eum qui hominem sanguinem solum esse dicit, & nihil aliud; demonstrare debere, ipsum non transmutare formam, aut variari, & aliquid quid diuersum fieri: vel saltem horā aliquā anni, aut hominis ætatem, in qua sanguis solus in homine esse appareat: Verisimile

est enim vnum aliquod esse tempus, in quo appareat ipsum in se ipso vnum existens. eadem censeo etiam de eo, qui pituitam solam esse dicit, & qui bilem.

Ab ipsa origine rerum argumentatur Hippocrates vnum præcisum humorem materialiter hominem non esse; nam si re vera vnus solum humor est, tunc nulla in ipso inerit dissimilitudo, nec vlla contrarietas; quando dissimilitudo, & contrarietas omnis fit semper penès diuersas, & contrarias formas; at in vnico absolutè humore vnica tantum forma, & non diuersæ, & contrariæ reperiuntur. Nulla igitur ibidem erit dissimilis, & contraria forma; & si sic, tunc nulla permutatio in ipso continget; cùm actio, & mutatio omnis sit penès dissimilitudinem, & contrarietatem; vt supra declarauimus; si igitur nulla in eo fit passio, & alteratio; tunc inalterabile, & impermutabile animal erit, & quò ad speciem, & quò ad reliquas omnes dispositiones; & hoc est, quod primò inquit Hippocrates; qui hominem sanguinem, & nullam aliam rem esse sentit; is deberet demonstrare eum nõ mutare formam, aut aliquid quid diuersum fieri; quod autem hoc sit falsum penitus, impermutabile scilicet animal esse; vnumquodque per se experitur. Tacitæ deinde obiectioni respondet Hippocrates; poterit enim quis dicere, & si animal non alteratur ab intrinseco; cùm vnum tantum sit; ab ambiente saltem, & reliquis prædominantibus simplicibus corporibus extrinsecè permutari continget. Vnde & iustè ipse ratiocinatur; quòd saltem eo anni tempore, ac ea hominis ætate, qua consors, & compar elementum dominatur, seipsum inalterabilem, & impermutabilem homo ostendere posset; quando ueo ab intrinseco, nec ab extrinseco tunc permutari valeat; cùm nulla à similibus, & æqualibus formis sit alteratio, & permutatio. Diximus supra annum quatuor primorum corporum coordinationem esse, perpetuò ab æterna necessitate seruatam, & productam; Hancque eandem in quatuor secuimus partes, Ver, Aestatem, Autumnum, & Hyemem; aerem scilicet, ignem, terram, & aquam; penès diuersas quatuor tantum necessariæ efficientis causæ varietates in obliquo circulo, quatuor illa specifica, prima constituentis corpora. A simili quoque microcosmum hominem ex quatuor constare humoribus, quatuor illa prima simplicia corpora præsefe-rentibus asseuerauimus; Pariterque vnàcum primis ipsis elementis ab æterna conseruari necessitate penès determinatum proprium periodum. Cùm itaque æqualiter secundum proportionem ex ferè eisdem quatuor constant, & annus, & homo; proportionabiliter quoq; homo ipse iuxta quatuor easdem secabitur differantias. Quocirca & bene Galenus protulit, quòd in omnibus semper, quæ Hippocrates in qualibet oratione percepit tempus anni considerare, & ætatem, & regionem inspectandam monet; & quodcunque de vno ex his audiueris, ad reliqua duo transferre te id vult per similitudinem; eandem siquidem rationem in ætatibus puer, quam in quatuor temporibus Ver habet; eandem iuuenis, quam Aestas; eandem senex, quam Autumnus; eandem postremò decrepitus, quam Hyems. Propterea pueritia, & iuuentus calidæ, floridæ, & amplæ, vt Ver, Aestas calidæ, lucidæ, & perspicuæ; prima & vltima senectus angustæ, frigidæ, & tenebricosæ, vt Autumnus, & Hyems, frigida turbulenti, & caliginosi; pari modo & ex regionibus temperata veri, calida æstati; quæ in caliditate, & frigiditate inæqualis, frigiditate tamen, & siccitate superet, Autumno) frigida, & humida, Hyemi correspondet. Cùm enim & annus, & homo ex quatuor ferè eisdem consteut elementis (humores quippe quatuor tantum sunt, pro eo quòd quatuor tantum sunt elementa, vt infra apertè demonstrabimus:) ac æqualiter etiam & anni, & hominis tempus iuxta proportionem in quatuor secetur partes, proportionabiliter quoque penès earundem singulas differentias vtrunque ipsorum & permutabitur, & conseruabitur. In dissimilibus quidem temporibus & variari, & alterari contingit; in similibus conseruari, & foueri. Quambrem & benè in præsenti Hippocrates ratiocinatur dicens: Rationabile vtique est, in consimili anni tempore, & consimili hominis ætate, in qua & humor, (quo formatum corpus esse dicunt) & elementum tunc temporis prædominans similia, & conformia vndique visuntur, nullam tunc in animante adesse alterationem, & permutationem; quoniam nec intrinsecè nec extrinsecè aliqua cernitur difformitas & contrarietas, per quas mutationes fieri contingant; tunc enim verisimile est, quòd ipse in se ipso vnus existens, id videatur quod est: Modò nullũ anni tale tempus datur, nec pariter ætas aliqua, qua vnius præcisè formæ inalterabilis, & immutabilis possis hominẽ demonstrare: nullatenus igitur homo ex vnico constabit humore; quando nec ætas, nec anni aliquod tempus, (quantumuis consimile) datur, quo id vnum, quod esse aiunt, demonstrari valeat. Rationabile vtique foret, si vnus talis homo re vera existeret, vt in consimili anni tempore, & ætate, (in qua nulla propter æqualitatem fit alteratio, & passio) talem vnum inalterabilem se gereret, &

impaſsibilem. Cùm autem in omni tempore, & ætate ſemper plurimam humanorum corporum varietatem inſpiciamus; adhuc etiam partium naturas longè differentes, non eſt imaginabile (ait Galenus) neque ſtatim ab initio ex vna eadem fieri ſubſtantia; neque in reliquo tempore, vno vti alimento; ſed naturalius longeq́ue melius dicemus ex quatuor diuerſis in eſſentia humoribus generationem, nutritionem, & auctionem noſtris cõtingere corporibus. Eodem modo confutat eos, qui bilem, vel pituitam volunt hominem eſſe; hoc eſt naturam id ſolum nominari; arbitrantes cuiuſque generationem primam ex tali ſolo humore factam eſſe. Alteram modò Hippocrates aggreditur demonſtrationem, in qua quatuor humores omnes verè ſecundum naturam exiſtere oſtendit.

XIX.

In anno autem aliquando Hyems maximè viget: aliquando Ver, modò Aeſtas, modò Antumnus: ſic etiam in homine, aliquando pituita præualet, aliquando ſanguis, aliquando bilis; primum quidem flaua, deinde etiam nigra appellata.

Ab anni ſimilitudine, & conuenientia argumentatur Hippocrates, quatuor naturales humores homini ineſſe, dicens; ſicut enim annus (velut ſupra expoſuimus) perfectum quoddam, & completum exiſtit ex quatuor elementalibus partibus conſtructus; pariter & homo perfectum quoddam, & completum eſt ex conſimilibus quatuor elementalibus partibus conflatus. Modò à ſimili & condecenti ratione argumentatur, vt enim in anno nunc humida, & frigida aqua dominatur hyemis tempore; nunc calidum, & humidum aer, & hoc in Vere; modò calidus, & ſiccus ignis, in æſtate; poſtremò verò omnium in autumno frigida, & ſicca terra; conſimiliter & in homine contingit; nam in decrepita ætate, & hyeme cum ſimilia tempora ſint, pituita viget; humor hyemi & vltimo ſenio affinis, frigidus, inquam, & humidus. in adoleſcentia, & vere ſanguis calidus, & humidus veri, & adoleſcentiæ conformis. Flaua bilis æſtate, & in iuuentute, quæ facultate calida, & ſicca exiſtit, iuuentuti, ac æſtati perſimilis. Atra autem bilis in ſenio, & Autumno, ſicca, & frigida, ſicuti ſenium, & ipſius Autumni elemẽtum prædominans frigidum, & ſiccum eſt. Secundum rationem dicimus Hippocratem anno hominem comparaſſe, & in temporibus, & in ſuarum partium conſtitutione; in temporibus, cùm proportionabiliter ex eiſdem ferè quatuor temporum differentijs vterque ipſorum, & annus, & homo conſtent; vt ſupra enarrauimus: in ſuarum autem partium conſtitutione; quando re vera hominis partes, humores ſcilicet ipſi, ex quibus homo conflatus eſt, immediatè atteſtantur ac indicant prima ipſa ſimplicia corpora; ex quibus formatus eſt Mundus, & Annus. Vnde & quaternarium humorum numerum Hippocratici non niſi à quaternario elementorum numero deducunt: Sic quippe quatuor tantum fore humores argumentantur; quatuor ſunt anni tempora, & quatuor tantum prima ſimplicia corpora, ſingula per ſe in animantium corporum conſtitutione ſingulos per ſe tantum humores ſpecificè producentia, ac conſeruantia; quatuor ergo tantum ſunt in animatis corporibus naturales ſpecifici humores. Quòd quatuor ſint anni tempora, & quatuor tantum prima ſimplicia corpora, iam ſatis ſuperque declaratum eſt; quòd autem ſingulum quodque anni tempus, & elementum, ſingulum ſpecificè per ſe tantum in animantium corporibus humorem procreet; à rerum conuenientia patefaciet: declarans, ſingulis anni temporibus ſingulos proprios procreari, & dominari humores. A ſimili namque, & conuenienti vnumquodque ſemper perfici argumentatur; rationabile vtique eſt, frigidam, & humidam pituitam hyeme dominari, vtpotè à conſimili, & cõuenienti tempore, & elemento frigido, inquam, & humido productam; calidum, & humidum ſanguinem veris tempore vigere; à calido, & humido aeris elemento præcipuè genitum; calidam, & ſiccam bilem, à calido, & ſicco conſimili igni maximè effectam, æſtate excellere; frigidam, & ſiccam atram terræ elementum præſeferentem, Autumno plurimum pollere; quando & ab eo plurimum ipſa quoque conficiatur. ac ita ſingulis anni temporibus naturales ſingulos procreari, & ſeruari humores à conſimilibus, inquam, temporibus, & elementis ratiocinatur Hippocrates. Ad hæc clarius manifeſtanda ſermonem protrahit dicens.

Quaternarius humorum numerus demonſtratur.

XX.

Porrò pituita in homine hyeme augetur: hac enim hyemi maximè ſecundum naturã cõuenit, ex omnibus in corpore exiſtentibus: frigidiſſima

enim

enim existit. Signa autem quòd pituita frigidißima est, hæc sunt: si enim pituitam, & bilem, & sanguinem tangere libuerit: pituitam sanè frigidißimam esse comperies; quamuis viscosißima sit, & per vim maximè post bilem atram trahatur: quæ verò per vim trahuntur, calidiora fiunt, à violentia coacta. Sed tamen super hæc omnia, frigidißima esse apparet pituita ex sua ipsius natura: quòd autẽ hyems corpus pituita repleat, inde cognoscere datur; quòd homines pituitosißima & spuunt, & emungunt hyeme: & tumores laxi, albißimique fiunt maximè hoc tempore: Item reliqui morbi pituitosi.

Primum à conuenientia, & naturæ similitudine pituitã hyemis tempore in corpore dominari demonstrat; mox hoc idipsum à signo manifestat; notissimum profectò apud Aristotelem est septimo Methaphysicæ, conueniens à conuenienti fieri; in quibusdam enim palàm quòd generans tale quidem est, quale generatum, nec tamen idem, & vnum numero, sed idem specie vt in Physicis. Homo nanque hominem generat, nisi quid præter naturam fiat, vt equus mulum; & hoc quoque simile; quod enim commune super equum, & asinum non est nominatum proximum genus: sunt autem ambo forsan velut mulus: manifestum est igitur (contra ideas concludens) quòd non oportet, vt aliqua forma sit quasi exemplar. Idem quoq; primo de generatione docet, fit igitur simpliciter alterum ex altero, quemadmodum & in alijs determinatũ est; & ab aliquo etiam actu ente, aut eiusdem generis, aut eiusdem speciei, vt ignis ab igne, vel homo ab homine, vt ab actu; durum enim non à duro fit. Hæc Aristoteles, vbi habet, quòd omne quod fit; ab effectiua causa fit, actu existente eiusdem generis, vel speciei cum eo quod fit eiusdem speciei, vt cùm ignis ab igne, vel homo ab homine fit; eiusdem generis quidem est, secundũ hoc ipsum per quod actu est, simile ei, quod fit; quemadmodum illud, quod fit actu durũ, à frigido (inquam) fit, quòd actu frigidum est: ob hoc igitur ab eo quod eiusdẽ generis fit, quia ex actu ente: effectiua nanq; causa quæcunq; fuerit, omnino actu est; & inter herbas quoque, quæ sponte nascuntur, non eiusdẽ speciei efficientem generationis causam habent; sed eiusdẽ generis, quoniã ex actu ente proficiscitur. opifices enim cęlestis motus rationes cùm actu sint, eorum quæ sponte fiunt, causæ sunt. Notissimum igitur apud Peripateticos cõueniens à conuenienti, & simile à simili fieri, eiusdem scilicet speciei, vel eiusdem generis; à similibus autem eiusdem speciei similia maximè perficiuntur, & augentur; facillimeq; etiam similia eiusdẽ speciei inuicem permutantur; vt rectè secundo de generatione Philosophus admonet; quæcunq; enim habent cognationem ad inuicem, celer horum est mutatio, quæcunque verò non habẽt, tarda; quoniam facilius est vnum, quàm multa mutare; pituita verò cum hyeme, & aquæ elemento maximam cognationem, & communicationem habet: frigidissima etenim hyems, frigidissima & pituita existit, & pariter ambæ humidissimæ; maxima vtiq; similitudo, & conuenientia; maximus vtique & facilior transitus, & permutatio. Iure igitur pituitam hyeme crescere, & abundare dicimus; quando in vtrisq; qualitatibus cum hyeme conuenientiam maximam habeat: ex qua facile fit, augetur, & perficitur. Ad hæc autẽ & vnà cum Galeno dicimus, quòd vltra hanc vniuersalem efficientem potissimam pituitæ causam, reliquas compares, & consimiles minus cõmunes, & particulares eiusdẽ pituitæ effectrices causas semper Hippocrates subintelligit, & innuit, vtputa & ætatẽ, & regionem, ac exercitiũ, & temperiem, ac rationẽ victus: vnde quodcunq; hic, & inferius quoq; de vniuersali anni tẽpore percipit spectandũ, similiter etiã illud idẽ & de omnibus his inspectandũ admonet: vnde si cum frigida, & humida anni constitutione, vniuersali potissima pituitæ effectrici causa, reliquæ omnes intrinsecæ, & extrinsecæ frigidę, & humidę efficientes causæ nectantur, vt ętas, complexio, ratio, victus, exercitiũ, & regio, hę vtique frigidę, & humidę causæ omnes simul iunctæ, & nexæ exquisitissimã, & absolutissimam constituent pituitam. Concludimus igitur cum Hippocrate, quòd frigida, & humida hyems, vnà cum reliquis similibus causis frigidis, & humidis, pituita perpetuò, & vbiq; in animatis corporibus parturiet; quòd autem hyems frigida, & humida sit, vnicuique ex sensu ipso, & ex iam dictis innotescit; quòd etiam frigidissima pituita sit, sensu tactus assent perdiscendum; dicens cuius rei id testimonium habeas: quòd si pituitam tetigeris, sanguinemque, atque etiam bilem; pituitam omnium inuenies frigidissimam. At si contingat, (quemadmodum etiam plurimum

Tex.co.28.

Tex.co. 30.

 euenit)

euenit) quòd calida tangatur; per accidens id euenire ait, propter motus violentiam; nam cùm ipsa viscosissima sit, & per vim & difficulter trahatur; tunc calefit, & calida tangentibus apparet; quæ enim per vim veniunt, ea propter motus violentiam, feruentiora redduntur; si igitur calida tangetur pituita, per accidens tantum propter ipsum scilicet motum, & non per se talis sentitur; propterea absolutè eius naturam infert: his tamen omnibus non obstantibus, frigidissima esse apparet pituita, ex sua ipsius natura. Mox à signo & ab effectibus hoc idipsum ostendit; corpus scilicet pituita hyeme abundare; quoniam spuunt homines, & emungunt hyeme pituitosissima, & tumores albi, & laxi potissimum hoc anni tempore exuperant; aliique pituitosi morbi diuturni, & difficulter solubiles. Vnde & clarè ipse infert, quòd autem corpus hyems pituita impleat, tibi patebit; cùm ex sputo, & muco ac pituita nasi, quæ hyeme supra modum fluentia emunguntur; tum verò ex cæteris morbis pituitosis, præsertimque tumoribus, qui præcipuè eo tempore maximè albicant: quod verò de pituita modò refert, hyemis tempore maximè abundare; hoc idem de sanguine, vere plurimum dominari nunc demonstrat.

XXI.

Cæterum vere pituita quidem adhuc fortis in corpore manet: sed sanguis augescit: nam & frigora remittuntur, & imbres superueniunt: sanguis autem iuxta hæc augescit, ab imbribus videlicet, & calidorum dierum tempore: hæc enim anni pars maximè iuxta naturam ipsi conuenit: vtque calida, & humida existat. Signa autem hinc colligere licet, quòd homines vere, & æstate dysenterijs corripiuntur: & sanguis è naribus ipsis fluit: & calidissimi, & ruberrimi sunt.

Pituitam autem veris tempore adhuc validam manere dicit Hippocrates, propter temporũ cognationem, & conuenientiam in suis extremis partibus; orta itaq; & producta in illis æqualiter communicare, & conuenire rationabiliter hic asserit; primum nanque veris extremum hyemis principium sapit, & Hyemis extremitas veris principium redolent; & propterea in eis genita eandem frigidam, & humidam naturam, & facultatem cum extremis illis retinent. Iure igitur protulit, vere pituita in corpore adhuc valida manet, propter extremarum partium istorum temporum in frigido, & humido similitudinem: postea addit; sanguis iuxta hæc augescit à pluuijs videlicet & calidorum dierum tempore; hæc enim anni pars maximè secundum naturam ipsi conuenit; vtque calida, & humida existat. Pari ratione hic vt superius Hippocrates & à simili, & à conuenienti ratiocinatur, verno tempore sanguinem adolescere: Ver nanque calidum, & humidum existens, eius natura sanguini est maximè accommodata, & persimilis; quando & ipse calidus, & humidus reperiatur. Simile quippe (vti diximus) in simile facillime mutatur, & à simili vnumquodque nutritur, fouetur, & incrementum suscipit; iustè igitur hac tempestate calida, & humida ob naturæ cognationem calidi, & humidi sanguinis plurimum generabitur; si aliæ quoque consimiles efficientes causæ consenserint, vt regio, ætas, complexio, ratio, victus, & exercitium; tunc vtique maximè superabundabit, & augescet, cùm perficientes causas omnes obtinuerit. Ab effectibus modò, & à signo hoc idem manifestas, dicens; cuius rei indicium est; quòd homines verno, æstiuoque tempore potissimum dysenterijs corripiuntur; illis inquam, quæ cruentæ appellantur; non hæ, quæ ob bilem vellicant intestina; (de quibus in libro de articulis verba fecisse Galenus testatur) ibidemque declarasse ait; hunc affectum frequentissimè fieri, cùm in venis sanguinis copia multa affuerit; qui affatim deinde à natura per intestina expellitur; perinde ac in mulieribus per vterum; in alijs verò per nares, aut hæmorhoidas, aut vomitione; nam per omnes has regiones consueuit natura sanguinis superabundantiam excernere; has autem sanguineas excretiones veris tempore potissimè accidere Hippocrates testatur; conseruit autem cum vere æstatem (inquit Galenus) dysenteriarum ratione, atque ob colorem rubrum: nam quæ fini veris continuantur, sicut similem habent temperaturam cum æstate; ita & in morborũ generatione, & in alijs dispositionibus communicant; propterea & addit, ac supra modum calescunt, & rubent; calidissimi scilicet, & ruberrimi fiunt. Hoc idem quòd sanguis in vere plurimum dominatur; à sensibus visus, & tactus apertè comprobat; vere nanque genitus sanguis, ex suo rubro colore rubentem corpori vniuerso colorem impartitur; color nempe similis efflorescit humoribus; rubicundus enim color à rubicundo prouenit sanguine; consimiliter ater, & flauus ab atra, & flaua efflorescit bili.

Com. quarto. *1. aph. aphr. secundo.*

Calidissi-

Calidiſsimi quidem ſunt; quoniam tunc homines à tangentibus tales perſentiuntur, tum ex ſanguine, tum ex ambiente aere; animantium nanque caliditas effectus per ſe ſanguinis eſt; & propria, & peculiaris eius actio; ex ſuperabundanti itaque ſanguinis copia, ſuperabundans quoque prouenit caliditas.

XXII.

At verò æſtate ſanguis adhuc viget, & bilis in corpore eleuatur, & vſque in Autumnum porrigitur; in Autumno verò ſanguis modicus fit; contrarium enim eius natura id tempus exiſtit: bilis autem per Aeſtatem, & Autumnum corpus poſsidet, id quod inde cognoſcere potes; quòd homines ſua ſponte hoc tempore bilem vomunt: & in medicamentorum potionibus bilioſiora purgantur: manifeſtum fit & febribus, & hominum coloribus; pituita autem æſtate debilior ſe ipſa eſt; contrarium eſt enim naturæ eius id tempus, calidum enim eſt, & ſiccum.

Propter eaſdem ſuperiores prædictas rationes, conſeruantes ſcilicet, & producentes; & pariter à ſigno, & ab effectibus in præſenti ratiocinatur Hippocrates bilem in æſtate prædominari. Et primò ait ſanguinê æſtate adhuc vigere inter eius præſertim initia; exponit Galenus quando nondum ſanguis à calore ambientis aeris fuerit digeſtus, & innata eius humiditas conſumpta; nam poſt eius abſumptionem tunc increſcit bilis; eo quòd tunc temporis præternaturaliter nimium excalefiat corpus; ex temporis itaque natura bili perſimili, & conuenienti, bilis plurimum prægignitur, & adoleſcit; quando conueniens à conuenienti ſemper fiat, ſeruatur, & augetur; & præcipuè ſi cum anni tempore, & conſtitutione calida & ſicca, reliquæ etiam calidæ, & ſiccæ cauſæ omnes affuerint, vtputa regio, ætas, temperies, & ars, cum conſimili etiam efficienti cauſa, ratione ſcilicet victus; hæ quidem omnes ſimul iunctæ exactiſsimam perficient bilem. Quòd & autumnali tempore bilis quoque corpus teneat, hoc circa eius initium præcipuè intelligimus; quoniam huius principium æſtatis extremum ſapit. Participat itaque Autumnus bile, propter eius & æſtatis conuenientiam in ſuis extremis partibus. A ſigno modò argumentatur, & clarè hoc ipſum edocet; quoniam homines hac tempeſtate, & ſponte ſua bilem vomunt propter exuperantem eius copiam, & per medicamētorum potiones bilioſiſsima purgantur; id quod etiam maximè atteſtantur bilioſiſsimæ quàmplurimæ febres, quæ tunc temporis humana corpora afficiunt; necnon & ignei hominum pro eo tempore colores. Quòd autem de pituita inquit, quòd in æſtate debilior ſeipſa reperitur, quoniam contrarium (rationem claram adducit) eius naturæ id tempus eſt; contrariorum enim ſemper contraria ratio exiſtit; ſi nempe conuenient, & conſimilis natura perficit, & adauget; diſsimilis & oppoſita diminuit, & corrumpit; æſtas nanque pituitæ naturæ ob calorem, & ſiccitatem prorſus aduerſatur; hinc calefaciendo exiccandoque eam minuit, & debilitat. Proſequitur Hippocrates.

XXIII.

Autumno ſanguis pauciſsimus efficitur in homine: quoniam Autumnus ſiccus, & hominem iam refrigerare incipit: atra porrò bilis Autumno & plurima, & fortiſsima eſt.

Autumno ſanguinem imminui hic declarat; quoniam ſanguinis naturæ Autumnus contrarius reperitur: Quamobrem modicum eum, ac debilem reddit; atra autem bilis tunc temporis plurima eſt, & potentiſsima propter eius perficientes, & adaugentes cauſas; frigiditas nanque & ſiccitas potiſsimè ea tempeſtate vigent; quæ bilis atræ efficaciſsima cauſa nuncupatur; frigidus quippe Autumnus eſt ob caloris abſentiam, & priuationem; ſiccus verò ex derelicta æſtatis ariditate; & ob propriam & innatam naturam ex omnimoda humiditatis carentia: Animal enim tunc temporis refrigerare incipit, & ob ſanguinis imminutionem, & ob frigidi ſucci prædominium; iam pluries ſuperius diximus ſimilia à ſimilibus perfici, & incremēta ſuſcipere; è contrario in diſsimilibus euenire; vt tum conſumptio, tum decrementū contingat; Ac propterea Autumno ſanguis in homine pauciſsimus fit; quoniam ſiccus maximè ipſe exiſtit; ſanguis verò humidus valde; natura enim Autumnus ſanguini contrariatur; vnde & bene Galenus;

ſiqui-

siquidem sanguis veluti Ver, calidus & humidus est; & Autumnus frigidus & siccus; erit sanè Autumnus veri contrarius; humoremque etiam sanguini contrarium exuperantem habebit, siccũ scilicet & frigidum; qui meritò eiusmodi factus est; propterea quòd ante humores deusti essent ęstate; iam quod est ex deustis illis reliquum erat; extincto quidẽ calore frigidum statim, siccumque redditur; frigidum ob calorem extinctum, siccum quod eius omnis, dum torreretur, sit consumptus humor; & hæc quidem veritatem maximam habent in consimili frigida & sicca ætate, temperie, regione, & reliquis similibus causis extrinsecis; nam cùm fuerint hæ omnes simul inuicem copulatæ, quàmplurimam, ac meracissimam atram constituent bilem.

XXIIII.

Postquàm autem hyems apprehenderit, bilis flaua perfrigerata modica fit, & pituita rursus augetur, tum pluuiarum copia, tum propter longitudinem noctium.

Ab hyeme, & pituita harum demonstrationum exordium Hippocrates duxit, ad easdem modò reuertens illas terminat; & complet; frigidam & humidam temporis constitutionem auctæ pituitę effectricem causam iterum recenset; tanquàm ex efficientibus potissimam ac validissimam causam; vnde & propter supradictas contrarias causas, & flaua bilis ineunte hyemè decrescit; & pituita de integro augetur. Hic nempe Galenus doctissimè exponit dicens; & causam addit cur maior hyeme fit pituitæ copia: ob frequentiores (inquit) imbres, & noctes longiores; quod perinde est, ac si dicas; quòd humidum fit, frigidumque hoc anni tempus: Humidum esse probatur pluuiarum frequentia; frigidum noctiũ prolixitate; si quidem caloris, quo præditus est, ambiens nos aer æstate, author Sol est; qui ascendit prope supra verticẽ nostrum; & diem longiorem efficit, idemque etiam frigus hyeme inducit; quoniam obliquus & humilis, breuique tempore super terram feratur, productiores noctes deducens. Sic vtique clarè manifestauit Hippocrates antecedens supradictæ demonstrationis, videlicet quatuor Anni tempora singula per se in animantium corporum productione, singulos per se tantum specificos humores producere: Quando apertè declarauerit, vnà cum circumfusi aeris statu, & animalium corpora affici, siccari in siccis eius temperamentis, humectari in humidis; hoc pacto etiam incalescere in calidis, in frigidis algescere; quare si humida hyems & frigida est; meritò in ea, frigida & humida præualet pituita; hæc sibi ratio & alijs etiam anni temporibus constat; æstate flaua bilis dominatur; quoniam sicca & calida facultate est; vere sanguis excellit, calidus & humidus humor; sicuti & ver calidum & humidum existit: Autumno atra bilis, vt quæ iuxta hoc anni tempus, sicca sit. Hæc quidem omnia veritatem semper habere asserimus penès vniuersalem naturalium entium ordinem, & mensuram; & præcipuè si vniuersales, & particulares horum efficientes causæ tam intrinsecæ quàm extrinsecæ vnà simul omnes iungantur ad ipsa perficienda; quòd si propter alias & diuersas causas, hoc idipsum cõtingat, & per istas non contingat; ex raro id vtique, & per accidens esse fatemur; & non per se, & secundum rerum naturam; & propterea iuxta prædicta omnia vniuersalem conclusionem infert contra antiquiores, & Aristotelicos omnes.

Sol caloris author.

XXV.

Hæc igitur omnia habet perpetuò corpus humanum: verum pro temporis circunstantia, aliquando plura se ipsis fiunt, aliquando pauciora: singula tum iuxta partem & copiam, tum iuxta naturam.

Singulos quatuor humores cunctis animantibus corporibus secundum naturam inesse hic concludit Hippocrates, dicens; qualiter corpus humanum dum viuit, semper hæc naturaliter omnia habet, quatuor videlicet ipsos humores, sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem; verum pro temporis circunstantia, aliquando plura se ipsis fiunt, aliquando pauciora; penès nanque aliud & aliud anni tempus, alius & alius humor crescit, & decrescit; singulum itaque augetur & diminuitur, tum quò ad quantitatem & copiam; tum quò ad complexionẽ & naturam penès similia & dissimilia tempora; apud similia quidem maiora, penès contraria & dissimilia, minora ac debiliora redduntur. (secundum autem aliam literam, in qua habet): Pro temporis circumsistentis qualitate, ac propria cuiusque natura separatim modo maiora, modo minora fieri: Pro temporis circumsistentis qualitate, bene exposuimus, penès sua proportionalia & similia tempora; humores omnes, validiores, infirmioresque fieri, ac plures & pauciores; sed

diuer-

diuersimodè hoc continget; iuxta diuersas particularium ac singularium hominum naturas & temperies: Neque enim particularis quisque homo vna præditus præcisè est natura & temperie (vt suo etiam loco dicemus) quando intra humanæ temperiei latitudinem ampla satis & magna ipsarum cernatur differentia; vtpote hi sanguinei magis, hi verò biliosi, quidam atrabilarij, & pituitosi alij dicuntur, semper tamen intra latitudinem humanæ speciei. Easdem quoque temperierum differentias æquali ratione penès aliorum animatorum proprias naturas asseuecamus; Quoniam animalia hæc sanguinea, biliosiora alia, melancholica ista, pituitosa illa nominãtur, secundum prædominantis humoris naturam in propria cuiusque temperie, & mixtione, singulum tale semper nuncupatur. non vniuocè igitur dicimus humores istos in singulis animalibus iuxta sua tempora, maiores minoresque fieri; quoniam & biliosiora, & sanguinea, & alia quæ ab excedenti nominantur qualitate, & humore, in contrarijs etiam & dissimilibus temporibus vestigium semper manifestum prædominantis humoris seruant. Qui itaque in temperie excedunt humores, in contrarijs quoque temporibus quodammodo etiam excedent; & præcipuè respectu illorum qui in incongruis reperiuntur temporibus; secundum igitur proportionem singuli humores, validiores, infirmioresque, plures ac pauciores, penès temporum circunstantiam, & animantium temperiem, & naturã efficiuntur. Propterea & bene iuxta hanc literam ipse profert; profectò hæc omnia semper habet corpus humanũ; quæ certè non negauerim, pro temporis circunsistentis qualitate ac propria cuiusq; natura, seperatim modò maiora, modò minora fieri; sic quippe vniuersaliter cõcludit Hippocrates animatum corpus sanguine præditum hos quatuor semper naturales continere humores, maiores minoresque, tum quò ad naturã, & virtutem, tum quò ad molem & copiam, penès proportionalia tempora, & animantium temperiem: vltimò harum omnium rationum clarissimum testimonium infert, dicens.

XXVI.

Quorum omnium euidentissimum argumentum hinc habes: si enim eidem homini idem pharmacum quater in anno dare velis: vomet tibi hyeme quidem pituitosissima: vere autem humidissima: æstate biliosissima: autumno nigerrima.

A medicamine vomitum mouente, & excitante prædictorum omnium certissimum testimonium nouissimè sumit; quòd singulis scilicet anni temporibus singuli dominentur humores; & inquit, eidem nanque homini eodem porrecto medicamento vomitum ciente vicibus quatuor in quatuor anni temporibus; fiet Hyeme vomitus pituitosior, Vere humidior, biliosior Aestate, & nigrior Autumno. Rectè vtique dixit, si enim eidem homini idem pharmacum quater in anno exhibere velimus, (alia litera) si quater in anno eidem homini vnam eiusdẽ generis potionem dederis; nam si non eidem homini, nec idem medicamentum porrigatur; sed diuersum & alterius generis; non equidem clarum, & fidum indicium foret; singulos hos humores singulis his temporibus dominari: quando purgationes illæ variæ & diuersæ vacijs & diuersis naturis, necnon medicaminum purgantium diuersitati, tribui possent; & non humoribus certis suis temporibus dominantibus. Ac si eidem homini eiusdem generis & facultatis medicamen vno & eodem modo, quater in anno exhibeatur; (ita quòd nec ratione temperiei, nec medicaminis, nec modi seu cuiuscunque alterius rei, discrimen aliquod fit) & quater in anno semper quatuor diuersi humores largiter expurgantur, euidentissimum quippe signum est, singulo quoque anni tempore singulum naturaliter prædominari humorem.

Ac ita pulcherrimè & doctissimè contra vetustiores, ac Peripateticos Hippocrates demonstrauit, tum à causis producentibus, & conseruantibus, tum ab effectibus, & a signo in animatorum sanguineorum corporibus quatuor naturales semper reperiri humores, specie & facultate seiunctos, & distinctos, penès eorundem efficientium, & conseruantium causarum quaternarium numerum. Et hæc satis sint de hac potissima demonstratione; supremam tandem manum operi imponens inquit.

XXVII.

Itaque cùm hæc sic se habeant, quicunque morbi hieme augescunt, æstate desinere solent; quicunque verò æstate augescunt, hieme finire consueuerunt, nisi certo dierum circuitu discedant; de circuitu autem aliàs

dicam;

dicam; Quicunq; autē morbi Vere fiunt, ad Autumnum eorum discessum fore expectare oportet: Quicunque postremum Autumnales morbi sunt, eorum discessum necesse est Vere fieri; Quicunque verò morbus hac tempora transgressus fuerit; eum annuum fore scire oportet.

Quoniam quatuor hæc contraria tempora, & prima simplicia corpora mutuò se gignere, & corrumpere diximus, prepetuoque immutatione hac continua, ab æterna ordinata necessitate reperiri; pariterque etiam diximus, quatuor primos naturales humores secundum primorum simplicium quatuor corporum dominium, singulos singulis determinatis quatuor anni temporibus dominari; pituita nempe Hyeme præualet, vtpote à consimili & conuenienti tempore aucta, & producta, simili modo & sanguis Vere; bilis Aestate; atra Autumno; vnusquisq; à consimili conuenienti tempore auctus & productus, tunc temporis plurimū excellit. cùm itaq; succus vnus dominetur iuxta sui cōparis elementi dominiū, tunc reliqui imminuuntur, debilioresque redduntur; quando permutatio quælibet à viribus semper potentioribus veniat; potentiora nanque agentia ex propria natura imbecillia continuè alterant, imminuendo, ac permutando, dummodo se naturaliter tangant; cùm enim quis istorum fortior, validiorque factus fuerit à fouentibus & perficientibus causis; tunc è temperie statim egreditur, innaturalisque fit, ac in reliquos præternaturaliter agit, quoniam à maioris inæqualitatis proportione permutatio quælibet procedit. Si modò contingat, quòd morbus ex aliquo istorum prædominio oriatur, tunc tandiu vigebit, quandiu robur, & potentia illius humoris præpollebit; id quod tandiu erit, quandiu à suis conseruantibus, & fouentibus causis adaugebitur, & perficietur. Cùm deinde adaugentes, & perficientes causæ abierint, & contrariæ nouæ successerint, contrariū adaugentes, & perficientes humorem; tunc excellens humor ille morbum parturiens decrescit, minorque, ac se ipso debilior efficitur, à suo potentiori, ac fortiori contrario; (à potentiori nanque agente patiens quodlibet, vt supra retulimus, immutatur, & deuincitur) istius itaque excedentis, & superabundantis humoris imminutio, & permutatio à suo fortiori contrario, & tempore scilicet & elemento, morbi solutio est, & perfecta sanitas. Quapropter commodè & rationabiliter in præsenti præsagientem instruit medicum, dicens; quicunque morbi hyeme augescunt; æstate desinere solent; quicunque verò æstate augescunt, hyeme finire consueuerunt.

Præsagiēdi ratio cū curandi ratione semper coniuncta.

Cum enim recta præsagiendi ratio cum recta semper medendi ratione coniuncta sit; scienter quippe præsagiens & naturalia, & non naturalia, & præternaturalia, sicut scienter medens præcognoscere omnia debet; vt bene riteque præsagiat. Peritus autem ac edoctus Medicus vtique cognoscit quòd contraria contrarijs tantum curantur; quando meritò contrarietatis actio omnis fit, & contrarium à contrario solum corrumpatur: Si igitur huiusmodi est actio, &

Contraria contrarijs tantum curantur.

permutatio omnis; rationabile quidem est, vt morbi, qui hyeme augentur, æstate finiantur; quæ verò æstate inualescunt, vt hyeme desinant; propter eorundem causarum efficientium, & conseruantium ablationem à contrarijs causis; æque enim causæ, vt morbi, & casus, à contrarijs auferuntur; quòd verò tempora inuicem effectiuè contraria sint; contrarij, & oppositi effectus ab his producti id clarè manifestant; sic quidam euidens fit qualiter in contrarijs temporibus morbi, casusque omnes vnà cum producentibus causis destruantur, & corrumpantur. Cùm itaque idem intendant, idemque sapiant, peritè curans, & præsagiens, neque alius quispiam Medicus

3. de crisib.

(scribit Galenus) rectè curauerit, alius exactè præsagiet; verum quicunque optimus fuerit, ipse præsagiet vnà, & curabit: vnde & Hippocrates ad Philopenem, Medicina & vaticinatio valde cognatæ sunt, quandoquidē & pater ambarum artiū vnus est Apollo progenitor noster, & præsentes, & futuros morbos prædicens, & ægrotos, & ægrotaturos sanans. eandem profectò præsagiens [illegible] cognoscendi rationem habebit naturalium, & præternaturalium, sicuti curans, & medens; [illegible] vtique præsagiens, pariter ac medens morbos qui hyeme fiunt, & augentur, æstate finiri, & contra, qui æstate crescunt, & inuadunt, hyeme terminari; vernorum morborum liberationem in Autumno expectādam esse; Autumnales autem Veris tempore liberari; vtpote contrarias causas à contrarijs destrui, & aboleri vere sciens, & optime præcognoscens. Hæc verò omnia de diuturnis sentit morbis; propterea & addit, nisi intra dierum circuitu terminantur; de circuitu autem postea dicemus; qui enim dierum circuitu morbi absoluuntur, acuti profectò omnes nominantur; de circuitu promittit se aliàs loquuturum, vtputa in prædictionū libris, & in de iudicationibus, & diebus indicatorijs: de diuturnis igitur morbis, qui paulatim per concoctionem soluuntur, sermo iste verificatur, quòd tempore ipsis contrario in quo inuaserunt,

» iudicantur; hoc est septimo mense; qui vbi nec sic terminantur; in annuum morbum transire

ait;hæc

ait; hæc dictio annus, (inquit Galenus) eũ potest denotare, qui post annum suæ generationis discedit; potest & eum, qui septem annorum ambitum amplectitur; vt ille qui septem mensium; siquidem in aphorismis in hunc modum scriptum reliquit.

Plurimæ passiones pueris iudicantur; nonnullæ in quadraginta diebus, nonnullæ in septem mensibus, nonnullæ verò in annis septem; quædam verò vsque ad pubem accedunt; quæ si permanserint, nec in pubertate finierint; puerulis, aut fœminis cùm menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt. Vbi Galenus exponens inquit; ex diebus autem quadragesimus primus eorum est, ex quibus diutini morbi iudicantur, vltimus autẽ inter illos, qui acutos ex intercidentibus iudicant; quicunque verò hunc transcendit numerum, secundum septimanæ rationem iudicium habent; non à septem diebus connumeratis, sed primum quidem mensibus, deinde annis; & quidem qui hoc tempus transcendunt, ad quartum decimum annum perueniunt: nam secunda septimana in hoc completur tempore, aliæque in pubertate magnæ fiunt, corporum mutationes, in fœminis maximè, propter menstruorum eruptionem; quare qui morbi neque hac ætate finiuntur, vsque ad longum tempus perdurare consueuerunt: hæc quippe Hippocrates innuit, cùm dixit; quicunque verò morbus hæc tempora transgressus fuerit, eum annuum fore scire oportet; medentem modò instruit Medicum, dicens. 3. aphoris. 28.

XXVIII.

Sic Medicum morbis mederi oportet; habita bene cuiusque ratione, quod in corpore, pro tempore, & eius natura viget.


Rectè admodum curantem Medicum edocet; instruens quomodo ad morbos curandos ipse accedere debeat; vt prius semper exuperantium humorum naturam in morbis agnoscat; secundum anni temporis temperiem, & propriam cuiusq; naturam. Quamobrem & ritè hic Galenus interpretatur, qualiter hoc in loco Hippocrates admonet modum, & vsum huius præcedentis sermonis de anni temporibus, & corporum naturis; indicans commentationem de ætatibus, regionibus, vitæ studijs, & quotidiana victus ratione eandem præstare commoditatem; horum habita omnium ratione, Medico considerandum est; qui præpollens humor, aut quantitate, aut qualitate, aut viribus dominetur; & qua etiam in corporis particula præsertim redundet; sic quidem Medicum se optimum præstiterit, & curantem, & præsagientem. Tandem breuiter Galenus methodum, quem in hoc libello insequutus fuit Hippocrates, declarans; extrema libri persequitur.

Cùm Hippocrates in libro isto instituisset nostri corporis naturam adinuenire, hac via, & ratione adinuentionem vsus est; primum simplex, an multiplex esse quæsiuit; quod vbi esse simplex compertuit; simplicium deinde partium, quæ multiplici illi inerant, substantiam, qualis nam esset, inquisiuit; idest quam haberet, aut ad patiendum ab aliquo, aut ad agendum facultatem: Ac qualiter ex horum actione, & passione natura, quæ forma, temperies, & cuiuslibet actionis principium dicitur, proueniat, edocuit. præterea & temporum anni fecit mentionem, considerans, quam habeant elemanta ad ipsa relationem, & conuenientiam; quomodoque ipsa quatuor tantũ verè simplicia ab æterna proficiscantur necessitate, ac terrarum orbem constituant; qua etiam ratione quatuor specificè sanguineorum animalium elementa temperantur; sanguis, pituita, flaua, & atra bilis; sanguinea animalia omnia perficientia; ac sanitatem in cunctis, & ægritudines efficientia; quarum præsagia, & curationes ad eandem reduxit necessitatem, vniuersalia scilicet quatuor anni tempora. Hęc tanta tui intuitu, Princeps sacerrime, (ad solius Trini & vnius Dei gloriam) de Humana Natura professi fuimus ad mentem Hippocratis.

F I N I S.

Deo Optimo Maximo Laus.

NICOLAVS CASANOVA E MONTE SANCTO LECTORI S. D.





Olvs Homo inter cœtera Animantia, Artium, Scientiarumque omnium capax est: at ob vitæ breuitatem vix fieri potest, vt in vna ad summum illud perueniat, vltra quod non detur progredi. In harum autem traditione modi duo sunt, & præcipui, & valde necessarij: Inuentio, & Vsus. Alteri tantum tribuit Plato, & Aristoteles, vt potius à quopiam Deo, quàm ab homine esse existimet: alter verò ex longa sententiarum obseruatione adipiscitur. In his quidē ambobus vnus inter alios eminet Hippocrates: hic enim multa vtilia, & maximè necessaria ad vsus vitæ varios excogitauit, & nobis reliquit; sed ita strictim, vt verba sententias adæquent: nec omnibus patet ad doctrinæ illius cognitionem aditus sine clarissimorū Interpretum auxilio. Inter alia igitur sua volumina de Natura Humana librum reliquit, in quo omnia penè totius Philosophiæ, ac Medicinæ principia conclusit, ex quo Plato, & Aristoteles suæ Philosophiæ exordia sumpserunt. Librum hunc enarrandum sibi proposuit SEBASTIANVS PAPARELLA *propter complures vtilitates, & commoda. Quanti laboris negotium fuerit, scit ille: quantæue eruditionis, aliorum sit iudicium. Aequi, bonique consulat Lector, si* PAPARELLA *aliquibus in locis Hippocratis sententiam diuisit, transposuitque. Non eo fecit animo, vt Hippocratem Medicinæ parentem, & Deum velit inscitiæ redarguere; quòd non rectè locis eius omnia reposuerit, aut crederet suo vsus iudicio meliorem reddere: sed hoc fuit in causa, vt simul iungeret quæ essent eiusdem argumenti, & tractationis. Vale.*

SEBASTIANI PAPARELLAE A MONTE SANCTO MEDICI AC PHILOSOPHI.

DE EFFICIENTIA PRIMI MOTORIS in naturalium rerum omnium factura: Liber.

PROOEMIVM.

IN Animo est paucis ostendere, quemadmodum primus motor, & princeps Deus ad corruptibiliũ effectionem descendat. Vtque etiam Planetæ eiusdem motoris æmulentur operationem. Quid deinceps naturales, & generatrices formæ in ipsa rerum productione moliantur: quidquè innatus calor, & temperamentum præstet. Mox qua ratione formator spiritus exprimat formam: ac vltimò tandem quo pacto primus motor, planetæ, procreans forma, insitus calor, & formator spiritus simul omnes vnà concurrant ad perfectam rerum omnium efficientem causam constituendam.

CAPITVM INDEX.

PRIMI MOBILIS MOTOR est omnium corruptibilis mundi formarum primus efficiens.



PRIMVS Motor, qui cœlum, & quæ cœlo feruntur corpora ab oriente in occidentem, vigintiquatuor horarum spatio circumuoluit, primus, vnus, verus, atque optimus materialium, immaterialiumq́ue formarum efficiens existit. Primus quidem est; nam si in rebus non reperiatur primum aliquid, non erunt sequentia vlla: Cuncta enim trahuntur à primo, quod quidem si nusquàm extet, non erit vnde effluxus rerum aliunde fluentium vnquàm exoriatur; rationi enim consentaneum est (inquit Alexander »
libro de fato.) & principium quoddam esse: dicere in causis, quòd nullum vlterius an- »
te se principium, & causam habeat, absurdum vtique est in infinitum abire in causas, »
& seriem ipsarum, & connexum; ita vt nihil primum, nihil vltimum sit: nullam »

„ enim dicere esse primã causam, causam est interimere: Sublato nanq; principio, & id quod post
„ ipsum est, auferri est necesse. Hoc quidem primum est, quod per se immobile mouet, atque
impatibile facit, cùm impossibile sit, vt id ipsum moueatur, & patiatur, quod cuiusque motionis, & factionis est causa; in ordine nanque mouentium & motuum ad vnum tandem veniendum, qui ita moueat, vt amplius non moueatur. atq; hic æqualiter mouens, & faciens ab Auer. Tertia disputa. in solutione 10. dubij nominatur. Est quippe primus motor primum rerum principium per se existens, ad nullamq; naturam contractum, sed omnem in perfectionem essendi in se continet, stabilisq; manens, dans cuncta moueri. Est & vnus primus motor, cùm sit tota, indiuisaq; entitas per se subsistens, compositionis, partisq; omnis expers: hæc simplicissima est vnitas longè superexcellens vnitates, quas nos intelligimus: vt enim eminenter ens dicitur, modo excepto, ab omnibus alijs, quæ sunt, & quæ dicuntur entia; ita & eminenter vnum dici-
„ tur, tanquàm exceptum à cæteris quæ sunt vna. Si nanque primum principium (ait Boetius)
„ non esset ipsum vnum simplicissimum, mancum quodpiam & deficiens in eo esset; quamobrem nec primum constitui illud oportet. Verus & ipse est primus motor, & verè semper efficit; verus est, quoniam id verum dicitur, quod est sibi, & suo principio conforme & vnitum. Cùm itaque primum mouens sit tota, indiuisaq; entitas, & maximè sibi ipsi vnum & idem; nec ad aliud, sed ad seipsum referatur; sicut est maximè conforme & vnum, ita est maximè verum: quodlibet enim tunc se habet verè, quando sibi ipsi, atque principio suo vnitum, conformeque manet. Verus etiam est efficiens primus motor; Nam dum mouet, & ipse facit, ait nanq; Auer. Dans motum, est agens motus in rei veritate. Cùm autem materiales formæ eius motu fiant, immateriales verò lumine propriæ essentiæ; meritò primus motor efficiens dicetur. eminentiori tamen quadam ratione atque excellentiori modo causa est efficiens, quàm causæ hę, quas nos efficientes esse dicimus, neq; enim qua simpliciter infinitæ potentiæ existit, ipse ad rerum productionem mouet, sed qua sua potentia commensuratur rei producendę. Optimus insuper est summus motor; nam quicquid boni reperiri vnquàm potest, ipse cõplectitur: est etenim bonum ipsum perfectum, quoniam bonitatem suam communicat eis, quæ capacia illius sunt: perfecti nanque est perficere ac suam perfectionem capacibus eius impartiri, sicuti & boni est non inuidere, sed amare, & bonitatem suam alijs cõmunem facere. Quum igitur primus motor bonus, perfectusq; sit, & ex suæ bonitatis & perfectionis redundantia amet, atque ex amore agat, non propterea vt sibi quicquam accrescat, cui nihil deest, verum vt cætera omnia, quæ esse queunt, pro cuiusque captu suæ faciat bonitatis participia; Ideoq; bonum appetunt omnia, quoniam cùm à bono sint nata, suam originem repetunt, vt vnde effecta sunt, inde perficiantur. Hanc ipsam verò perfectionem, & bonitatem, quam inferis mortalibus optimus opifex communicat, duobus medijs deorsum eam in nos vibrat, motu scilicet. & lumine propriæ essentiæ. At prius contemplemur quomodo motu illam nobis impartiat; Postea videbimus qualiter lumine suæ essentiæ hominem perficiat.

Hic nanque optimus motor immobilis sua potentia, atque amore (quæ idem sunt in ipso) primum mobile, & quæ cum ipso trahuntur mobilia velocissimo, ordinarissimo, communissimoq; motu circumuoluit, & eum (quem diarium motum dicimus) constituit. Velox vtiq; circularis est motus diurnus, cùm totius vniuersi spatium xxiiij. horarum cursu absoluat. Ordinatus est etiam, quum mouentium omnium motiones ordinatè ritèque disponat. Vniuersalis insuper communisq; existit, cùm quocunque perueniat, ac singulam vnamquamq; rem attingat; neque enim quicquam potest dari, quod hunc subterfugiat motum. & si enim ab orbe abstractus, separatusq; sit primus motor, eum ipsum tamen communicabilis solo bonitatis amore ad cunctorum mortalium formas effigiandas mouet: & verius ex ijs fit vnum, quàm ex materia & forma compositum. mouet nempe primum principium ex sui bonitate; nam superexcellentis illius bonitatis ac superfluentis non erat in se contineri, aliorumq; bono inuidere, sicuti bene
„ in Timæo explicauit Plato, dum ait; Conditor optimus erat, at optimi non est inuidere, nam
„ inuidia procul abest à natura perfecti, & à natura potioris illius amoris quo bonum alijs quæritur. Suo itaq; amore, intelligentia, atq; potentia summus Conditor (quando intelligere, amare, & posse idem sint apud ipsum) ad rerum factiones perpetuò mouet: Et quamuis hæc idem sint in diuina essentia, motio tamen ad formas effingendas non idem cum illa affirmatur, quoniam hæc primum etiam mobile concernit, & transiens est actio. Simul igitur cum Platone, & Aristotele affirmamus, quòd primus motor vniuersum producit intelligendo, & volendo; intellectu nanque ens bonum communicabile concipit, voluntate autem appetit id consequi, ac ideo suum mobile mouet, vt voti compos euadat. Rem igitur partitè, definitè, distinctèque explicantes dicimus, quòd primæ motricis formæ, atque sui primi mobilis motio rei cuiq; com-
„ munis, secundum cientis motum virtutem agens, quotidie æthereos spiritus caducarum rerum,

tum

tum simplicium, tum compositarum formas elicientes, vniuersaliter producit. quæ hunc terrarum orbem omnigena rerum formatione viuum seruant, & pulchrum, perfectumq; reddunt. Hæc nempe ęterna primi motoris, & mobilis motio cum informantium spirituũ effluxu ad singulas mundi partes est totius orbis terræ vita & existentia; quemadmodum virtutis pulsatricis, & cordis perennis motus cum vitalium spirituum profluxu ad membra est microcosmi vita, & subsistentia omnis. Quamobrem vt in microcosmo homine à primo eius motore, & mobilis motione (qui est cordis vitalis facultas, & dilationis, constrictionisq; eiusdem continuus motus) communiter vitales effluunt spiritus, vim habẽtes singulis corporis partibus vitam dandi, hominemq; conseruandi, ac sibi simile faciendi: Ita & in annoso mundo à primo motore & mobilis motione vniuersaliter formatores emanans spiritus, potentiam habentes singulam quanq; rem procreandi, & cosmon ipsum, & partes eius omnes seruandi; & sicut vitales spiritus naturali quadam necessitate in homine insunt, quod mors ipsa edocet, quę cordis effluxu cessante, eductoq; solo spiritu pes vulnera cordis sequitur: nam vulnerato corde, atque thorace moritur homo, solo exhalante spiritu, ac cordis effluxu deficiente. Sic & in terrarum orbe dicere contingit, quòd formantes spiritus necessariò insint. Quòd si momento aliquo hi deficerent, illico orbis periret: adeo vt si qua via primum mobile offenderetur, & id quod sempee ab ipso fit (effluxus inquam procreantium spirituum) modo aliquo intercipeeetur; in nihilum vnumquodque entium redigeretur, solo primi mobilis effluxu spirituum intercepto.

Sed fortioribus ac altioribus medijs horum spirituum necessitatem probare enitamur: à prima nanque essentia & primo motore (inquit Philosophus primo cœli) & essendi & mouendi principium est omnibus in mundo existentibus: quod quidem principiũ est substantia, & forma, qua singulare indiuiduum per se hoc aliquid esse dicitur: at cùm ipsum producatur, nec à planetarum motu & lumine pee se produci possit, cùm vtrunq; sit accidens, & vniuersale instrumentale agens: neque enim per se substantiam accidens attingere potest; substantia nanq; per se à substantia & non ab accidense proficiscitur, nam principia per se propinqua substãtiæ 12. met. debent esse substantiæ, nec cõmune instrumentale agens per se singulare hoc aliquid efficere potest; Singulare nanq; & indiuiduum à singulari, & indiuiduo emanat efficiẽre, & minime à communi & generali. Necessum igitur fuit procreantes substantiarum spiritus ponere, qui substantiæ sunt indiuiduæ & singulares, singulariter etiam vim procreandi substantiam habentes; multitudinem verò, & numerũ hi spiritus à substrata eius conuenienti materia habent. Indiuiduationem autem, & procreandi vim à formatricibus nanciscuntur virtutibus diuinitus editis. Neque enim potestatiuos inchoationis formarum habitus, aut corporeitatis formam, seu seminales rationes intra materiei gremium latitantes nos admittimus. quoniam horum sententiæ duas in potentia substantias in materiei sinu inesse concludunt, formæ scilicet & materiæ, easque ipsas confundit, simulq; & principia eorum, quæ Anaxagoræ Chaos constituunt, & quodlibet ponunt in quolibet, ac res se ipsas gignere affirmant, prærerea absurdum vanumque indicamus rem vilissimam, ac minimæ entitatis grauidam esse nobilissimarum substantiarum, quales sunt formæ, atq; illas parere. ac ideo hæc nos contendimus, & vnà cum Arist. in nudo primæ informis materiei gremio constituimus; primum amplam eius possibilitatẽ ad mundanas formas omnes consequendam, & hæc amplam summi motoris perfectricem potentiam contuetur. Secundò eiusdẽ possibilitatis particulares potentias & respectus, particulares informantes agentes circumspicientes, spiritus inquam ipsos: qui contra has particulatim potentias conspicientes, particulatim etiã iuxta propriam cuiusq; naturã eas perficiunt informãtque. hæ nanque singulares potentiæ amplæ possibilitatis, omnes quot quos recipiunt, & retinent essendi actus ab his agentibus, informantibus scilicet spiritibus, consequuntur. Sic igitur duo inuicem distincta naturalium rerum principia facimus, materiale vnum, quod principium dicitur transmutandi ab altero, quatenus altero, & hoc informe est subiectum cum suis potentijs & respectibus omnibus. Formale alterum nominatur, quod est principium transmutandi alterum, quatenus alterum, & istud est primi mobilis motor, cum informantibus spiritibus. sed vlterius horum necessarium vsum commostrando progrediamur atque alia diuina ratione comprobemus formantium spirituum necessitatem.

Omne nanq; quod quouis modo est particeps ipsius esse, est à primo quod per naturã, & essentiam est ipsum esse, etenim quũ omnia pręter primum habeant esse participatione quadam, necesse est, vt id ab eo sortita sint; quod per se & per essentiã sit ipsum esse; sic omnia ignita ab igne ignita sunt, Omnia item quæ illuminata sunt, ab eo vtiq; lumen acceperũt, quod suapte natura est luminosum. Quum igitur istud esse quod per participationem à Deo obtinent genitæ substantiæ, sit substantia, pee quod nanque medium est ista participatio substantiæ ab ipso Deo? non per vagantium syderum lumen & motum, quoniam vniuersalia indeterminata agentia sunt:

tia sunt: & genitæ substantiæ à Deo pendentes, particulares, & terminatæ sunt: Particulares igitur & terminatos exposcunt participentes, & non interminatos & communes: causa namque vniuersalis effectus non distinguit, sed cum omnibus omnia facit: non enim potest quicquã fieri hoc & illud & tale, nisi sit prius quod hoc, illud, & tale faciat. At si omnino asseueres Deũ vniuersaliter tantum absq; spiritibus ad rerũ productionem agere, tunc ei æqualiter res genitæ omnes deberent: & homo perinde ac vilis vermiculus easdem gratias agere teneretur ex longè dispari beneficio recepto. Vltimo & efficaciori medio arguimus. Si ipsum esse, quod res genitæ participãt, à Deo habeãt; (quũ asseuerent quòd omne esse pendeat à Deo) quærimus an illud esse cõsequantur à Deo per creationẽ, vel generationem? Non est dicendum quòd per creationem id obtineant, quoniã res per transmutationem genitæ, assequuntur suum esse per generationem. At nulla alia via possunt res genitæ consequi suũ esse à Deo per generationem, quàm per spiritus ipsos informantes; præsertim cùm planetarũ lumen & motus particulare ipsum esse minime assequi possint. Neq; enim fas est dicere, quòd is simpliciter diuina qualitas sit, vt aliqui asseuerant, quæ è cœlis emittatur, & per omnia permeat. Omniaq; cõpleat, & perficiat; nam qualitas ista, aut erit intentionalis aut realis; at intentionalis nequit esse; quando nullum intentionale apud Peripateticos effectum realem immediatè valeat producere; & hac ratione influentiam spernũt, quoniam & ipsa intentionalis qualitas est, per vniuersum & singulas eius partes insensibiliter penetrans; huiuscemodi enim ab Aristotelicis negliguntur. erit igitur diuina illa qualitas apud istos realis, quæ per hunc mundum & singulas partes permeat, & res conficit. at qualitas omnis realis apud Peripateticos suo congruo fulcitur subiecto. oportet igitur & huic illud substernere; at quodcunq; illud dixeris, aut feceris, illico spiritus formabis, aut quid eis valde simile, & proportionale: atq; hi profectò sunt debitum medium, quo cœlestia proximè accedunt ad terrestria, ea ipsaq; tangunt, ac particulariter permutant. Concludimus tandem, quòd sicut in microcosmo homine primus eius motor non potest ipsum motu dyastoles, & systoles tantum seruare sine vitalium spirituum influxu; pari ac fortiori ratione apud vetustiores Philosophos, primus motor in mundi machina non potest eam regere, & seruare circulari motu tantum sine profluxu formatiuorum spirituum.

Postquàm horum necessitatem ostendimus, superest, vt qualiter fiant, & procreentur, manifestemus. Dicimus itaque quòd primus motor primum mobile mouet, vt mouendi principium informi materiæ largiatur. quod vt debito consequatur medio, simul cum vniformis sui primi motus factione productrices etiem diuinas profert virtutes, vim habentes formatores spiritus materialium rerum omnium procreandi, propriũ enim est cœlestium motionum cœlestes spirare virtutes: æthereus nanque tepor, qui idonea ad spiritus gignendos est materia, motionibus cœlestibus est contiguus, & facillime ab vniformi, & regulari diuina motione effluentes formatrices rerum virtutes suscipit; vnde spiritus formantur diuina procreatrici facultate prædit. Est autem tepor æthereus ex ignis sphæra mitis, lenisque calor ex omni parte ab vniformi motu diurno elaboratus pro formatricum virtutum subiecti constitutione. Formatrices verò virtutes sunt cœlestes actiuæ qualitates producendi formas potestatem habentes. ex virtute itaque, è regulari primi mobilis motione emanante, vt forma, & exætherei elaborata teporis materia vt subiecto, formatiuus gignitur spiritus, qui præ tenuiætherea subsistit substantia, impetumque facit more ventorum, qui vndequaque momento temporis corpora facillime penetrant; neque enim alia materia ad hoc magis habilis erat, & vt diuinarum virtutum congruum euaderet organum, & vt tanta celeritate corpus omne traijceret. Atq; informis materiei hic nobilissimus fortasse est gradus, quo æthereas potestates ipsa attingit, ac eisdem continuatur, & iungitur; ij quippe ipsi spiritus sunt, qui proprias cuiusque rei materiales expromunt formas, & vnde motus principium exoritur, effingunt; nec profectò aliud potest reperiri aptius instrumentum, & magis primo motori proportionale in corruptibilium factione, quàm æthereus spiritus iste simplex, vndiq; sibi similis, substantia luminosa se ipsam mouens, semperq; mobilis, facultatem habens singulis corporibus singulam formam exhibendi. Nec enim ignis, nec aer, nec alterum in eis dominatur elementum, sed ex perfectè elaborata materia, atq; ex cœlesti actiua qualitate perfectum exoritur corpus, quod verius formans, ac animans, quàm formatum, & animatum dici meretur. Nec propterea quòd hi spiritus è cœlo effluunt, dicimus cœlum per se hoc aliquid efficere, quando hi geniti spiritus meliori ratione, quàm lumina & motus syderum, principia rerum sunt, & quo res fiunt, & non hoc aliquid, quando ab his materiales formæ omnes habent vt fiunt, & vnde motus principia dicantur. fatemur quidem cœlum rerum omnium efficientia principia effingere, spiritum (inquam) & calidum, & ideo pater omnium nuncupatur: at corporeas res ipsas minime attingere potest. Simili medio vnà cum Philosopho dicimus, in igne ac eius ambitu nihil corporeum mistũ produci. Quod idem videtur Pindarus sensisse,

dum

dum Aethera desertum appellat. at rerum principia simul cum ipso ibidem procreari affirmamus: hinc profectò quòd cœli motui inhærens est sphæra ignis super omnia elementa habet, vt calidus, leuis, mobilisq; sit; atque hic vbique locorum commixtionis, generationisq; rerũ opifex, authorq; existat. Horum autẽ diuinorum spirituum modum agendi ac operandi in præsenti exponere accingimur. Et primum quo pacto simplicia, & composita inanimata corpora, postea qua ratione vita prædita atque cætera denique informent animantia explicabitur.

Dicimus itaque, quòd spiritus hi cœlitus editi, ac diuina formatrice virtute ornati vim habent per simplicia compositaque corpora permeandi, atque simplicium, compositorumq; corporum species formandi, & lapidum, & metallorum, & mineralium omnium, quæ in aqua, & terra nascuntur. Primum nanq; informe chaos primis quatuor simplicibus formis informant, & ignem, aerem, aquam, & terram suis actibus distinguunt. Mox quatuor humores, & succos quatuor ipsa testantes elementa; proprijs speciebus effingunt. deincept & lapides, & metalla & media vtriusque naturæ (vbi eorundem penetralia adiuerint) præstantioribus formis absoluunt. Nec propterea quòd hi spiritus corpora tranant, admittimus corporum penetrationem, quando corpora omnia apud Hippocratẽ transpirabilia, confluxibiliaq; sunt; vnde facilis est per occultos poros spiritibus aditus ad corporũ ingressum, præter hoc quòd illa penetrent. At si alicui hæc corporum confluxibilitas non satisfacit, is cum Platone in Timæo dicere poterit. Omnia, quæ ex minutioribus constituta sunt, continere maiora; quæ ex maioribus verò minora cohibere nullo modo posse: ac propterea ignem, cùm ex minutioribus partibus, quàm cætera alia constet, per aquam, terram, aerem, & alia quæ ex ijs componuntur, penetrare, quodque eum continere valeat, esse nihil. Quum igitur spiritus vegetior, ac efficatior caloris sit pars, & ignis naturam sapiat, vt hic per omnia permeat, ita & ille per omnia tranat: Et sicut in microcosmo conspicimus in corde vitales genitos spiritus, qui prouidæ naturæ ordine, & systoles, dyastolesque impulsu, ac propria etiam propensione ad singula viuentis membra prosiliunt, & impelluntur, vt suum concessum ibidem vitæ munus perficiant: Consimiliter & in magno mundo affirmamus, conformantes spiritus ordinata primi mobilis motione productos, inde summi motoris prouidentia, impulsuque velocissimi motus diurni, ac eorundem insita natura huc exilire & impelli, vt suum hic formandi res expleant munus. Ad medium nanq; sua propensione hi mouentur, vt ad proprium ac destinatum suarum functionum locum. sed dicamus qualiter & ipsi suis rebus procreandis designentur distribuanturque.

Istorum autem formantium spirituum ad proprias materias ordinatus progressus, iustaq; distributio Summi Opificis scientia, idea à Platonicis dicta efficitur; quæ est rectum exemplar, & propria ratio omnium agendorum: cuncta enim quæ fiunt, hac ipsa scientia ritè disponuntur, & ordinantur: formatores itaq; materialium specierum spiritus singuli singulis proprijs distribuuntur subiectis Summi conditoris scientia, & prouidentia: omnium etenim, quæ in mundo sunt, ipse gubernator est, qui est omnium effector Deus, & suo loco cuncta disponit. vetus enim sermo est à maioribusq; proditus, inter omnes homines, (ait Philosophus lib. de mundo) vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atq; coagmentata; nullamq; naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ extra Dei præsidium, suæ ipsa demum tutelæ permissa sit, etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, & seruator, & genitor est ipse Deus. Hæc ille, Nec propterea, quòd Deus hæc eminenter (seruata rerum serie) regat, & gubernet, dicendum est ipsum rem vilem aliquam facere; vilesceret vtique si hæc ipsa, vt nos mortales, vulgariter regeret, & curaret. Et quoniam ab eodem species rerum habent, vt sint, à quo habent, vt distinctę sint; idcirco vt à Deo ordinem, ita etiam & esse recipiunt. Dei enim scientia, ait Auerroes, nostræ opponitur, quoniam nostra causatur à rebus, sed Dei scientia causat res: hæc autem scientia est factiua, quoniam speculatrix non est de agibilibus, & factibilibus, faciens verò per scientiam tenet similitudinem facti; sicut ædificator domum ædificans simulacrum domus habet. cùm itaq; Deus totius vniuersi sit fabricator per scientiam eius imaginem repręsentantem, iure & ipse vniuersi totius imaginem retinet. hæc autem imago, & species, & forma nominatur, & hæc est exemplar & idea, quæ Dei repræsentantis ratione vna simplicissima est, respectu verò rei repræsentatæ multiplex, & infinita: sicut Orpheus cecinit, *Iouis oculus infinitus*. per factiuam itaq; idealemq; scientiam Deus omnia procreat, nec aliter est asserendũ: nam vt bene refert Plato, dicere enim Deum non omnia causare, est dicere ipsum non esse Deũ. Quare & iustè asserimus, quòd à prima puraq; Dei forma, vt ab essentia omniformi vis conformandi imagines mũdi omnes euenit, vti à formarũ promptuario; ipsa etenim est genitarum formarũ omnium primum exemplar, vnde & Orphicum illud, Iupiter species omnium: at Boetius clarius explicat, Tu cũcta superno ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse mundũ mente gerens, similiq; ab imagine formans: exemplar enim est prima forma omnium imaginum; hæc quippe in ordine

formarum cuiusque genitæ formæ prima origo affirmatur, non influendo, sed mouendo, vt bene refert Philosophus, à prima essentia, & primo motore, & essendi, & mouendi principium est omnibus in mundo existentibus. à prima itaque immobili forma ordinatum primi mobilis motum ciente, formatoremque spiritum gignente, & essendi, & mouendi principium caducarum rerum omnium emanat: at non tantum rerum series, & esse à primo exemplari prouenit, sed & concomitantia ipsum esse, & vnitas, & simplicitas, & immobilitas. producta nanque forma quælibet, & vna, & simplex, & immobilis existit iuxta naturam suæ originis, quæ est summa absolutissimaque vnitas, simplicitas, atque immobilitas. Indiuiduæ nanq; & immobiles materiales formæ sunt, prout ab immobili indiuisibilique forma vna procedunt, bonitas enim prima, ait Author de causis, influit bonitates super res omnes per modum vnum, quia non est bonitas nisi per suum esse, & suum ens, & suam virtutem; siquidem bonitas, & virtus, & ens sunt res vna. Etsi enim primum mouens immobile, vnum, simplex, indiuisibileque sit, est tamen per se & motus, & multitudinis, compositionisque omnis prima causa, & ratio: ipsum nanque eminenter, & motum, & compositionem, & multitudinem omnem continet; vt enim ab immobili motus omnis prouenit, ita ab vno, & indiuisibili (in quo eminenter hæc ipsa insunt) multitudo, compositioque omnis deriuat. Proximior verò & euidentior multitudinis, compositionisque rerum æterna vniuersalis causa est multiplex, ac inuicem complicata planetarum corporum latio, de qua infra statim dicetur.

Sed præter supradictas virtutes, quæ in animatorum corporum formas effingunt: alias consimiles, & altiores viuentium formas (quas animas dicimus) effigiantes primi motoris, atque mobilis ordinata motio perpetuò gignit, corruptibilique huic mundo elargitur. quum enim summa sempiternaq; vita primus motor existat, penès hanc naturam motum ciens, inde virtutes vitam animamq; dandi effluunt, quæ materiæ cœlestis tẽporis (quæ obuiam est, vt congruũ subiectum) iunguntur, & vitales effingunt spiritus genera omniũ viuentium secundũ proprias cuiusq; naturas viuificandi, animandiq; potestatem habentes. Qui quidem spiritus, vt forma & virtute alios superius expositos antecellunt, ita magis elaborata, & præstantiori subiecti parte constare dicuntur, vt de animalibus, & vitalibus spiritibus in homine genitis idem dicere contingit: hac quippe viuificandi, & animandi virtute præditi ætherei spiritus simul cum lumine, & motu naturaliter deorsum prosiliunt ad sua parata subiecta: ordinatimq; etiam penès supremi ordinis rationem ac debitam vniuscuiusque naturæ capacitatem cunctorum viuentium connato calido distribuuntur: Cui ob qualitatis similitudinem facile inhærent vniunturque; & vt inde foueantur, & seruentur, & vt eam etiam, quam viuificandi, & animandi virtutem possident, eidem impartiant. nam sicut Fermentum, quod cuicunque adhæret massæ, illam fermentat, & augendi vim præstat; ita viuificus hic informans spiritus cuicunque debito calido iungitur, illud viuificat, adauget, & propagandi vim elargitur. hinc plantarũ, fructuum, herbarumque, & huius generis similium intra mundi elementa sponte nascentium productrices visuntur virtutes, quæ elementorum permixtione hæc ipsa vegetantia faciunt; & cunctorum pariter imperfectorum animalium (inordinatim spontaneam generationem habentium) consimiles facultates genitrices cernuntur, quæ elementa innato calido ad vitam præparant, & anima elementaria corpora viuificant: suo etiam modo ipsa eadem vitalis virtus insito calido stirpium, plantarum, & consimilium vegetantium (quæ ex seminibus fiunt & perpetuò suis seruantur speciebus) vnitur, vt inde alatur, ac eorundẽ ex ordine procreans efficiatur spiritus. Vltimo ac perfectiori gradu penès diuinæ regulæ rationem nobilium animatorum corporum innato calido iungitur æthereus spiritus, & vt ex eo nutriatur, & vt vegetatiuæ animæ perfectorum viuentium formatrix virtus euadat: perfecta quæque animalia formandi vim possidens tum volatilia, tum aquatilia, tum terrestria omnia. ad centrum nanque terræ & maris profundum prædictæ diuinæ virtutes simul cum radijs Solaribus perueniunt, eodemq; modo ibidem corporibus ad vitã, animamq; prouis vniuntur. Quamobrem dicimus, quòd sicut in microcosmo tres differentes specie spiritus visuntur, & vitalis, & sensilis, & motrix; qui subiectas animantium particulas triplici genere vitæ adornant: altrici, (inquam) sensili, & motrici. Idem & in magno orbe cognoscitur, nam tres eiusdem ordinis spiritus cernuntur, qui singulas viuentes mundi partes hoc eodem triplici ordine vitæ præditas reddunt: Et sicut in homine procreantes spiritus ex putredine animãtia multa in quauis corporis regione, & in sublimi, & in media, & in infima generant; qualia sunt lumbrici, & vermes cuiuscunq; generis; at in propria & determinata corporis parte (vtpote in matris vtero) ex semine perfectos procreant fœtus. cõsimiliter & in mũdo informantes spiritus in aere, aqua, & terra vbiq; locorũ ex putri materia animata producũt corpora: In determinata tamẽ ac propria terræ parte præcisè; quæ ex propagatione viuẽtia fiunt, prægignunt. Proinde iustè asseuerant, vitalem hunc vigorem omnia tranantis spiritus in omni-

bus

bus esse disseminatum mundi membris, omniaque viuifico replere halitu; ij nanque formantes spiritus simul cum innato cœlesti calore quocunque locorum naturaliter permeant, vbique etiam res gignunt, & producunt. Quamobrem & bene dixit Philosophus, generantur animalia & stirpes in terra, & aqua, quòd in terra quidem sit humor, in aqua spiritus, in eo autem toto calor animalis, vt animæ quodammodo plena sint omnia. Hippocrates autem de hoc quidem spiritu sermonem habens inquit. Quid autem sine hoc fit tandem? aut cui rei non adest? omne enim quod inter cœlum & terram est, spiritu repletum est. Verum nec mare ipsum spiritus expers esse, omnibus manifestum esse puto; non enim viuere natantia animantia possent, si non spiritu participarent; quomodo autem participarent, si non per aquam, aut ex aqua spiritum attraherent? postremo addit, nec quicquam vsquam est spiritu vacuum. huic conforme dixit Trismegistus, spiritus quoque plena sunt omnia, permixtus cunctis, cuncta viuificat. Rem igitur ad vnum colligentes, vna cum Aristotele dicimus, quòd motus cœli in quantum est principium caloris cœlestis (qui spirituum est substrata substantia) est tanquam vita omnium natura constantium: & hoc profectò vidit Zoroaster dum ait, omnia sunt ex vno igne genita; & huc fortassè allusit Moses, dum Deum igni suo primo instrumento incorruptibilium formarum opificio similem fecit: quod quidem explicat doctissimus Trismegistus, vbi ait, etenim ipse cœlorum artifex igne potissimũ ad suam fabricam vtitur: quin etiam ipsa natura in corporis partium formatione igne vtitur vt instrumento, sicut libro de Semine refert Galenus ad membrorum fabricam, eorum præsertim, quæ sinus aliquos & ventriculos habent, instrumentis vtitur natura, igne & aere. Sic quippe & motus, & in formantis spiritus ratione, quem sub nomine ignis & calidi sæpius Antiqui explicantur, à primo motore, & sempiterna vita principium motus & vitæ omnibus communicatur, alijs clarius, alijs obscurius iuxta cuiusque naturam & conditionem, ac penes ordinem & legem rebus diuinitus datam. vt enim primum mouens in ordine motuum, est causa omnium motuum qui sunt in ordine motus; ita primum viuens in genere viuentiũ cuiuscunque animantis vitæ prima vitalis causa asseritur. à primo nanque quod per naturam, & essentiam est ipsum esse, & vita, cuncta dependent, quæ vita, & esse participant. Ex quo quidem primo refert Empedocles Philosophus.

Omnia quot quot erant, quot sunt præsentia, quotque
Orta fuere vnde hæc, stirpes, hominesque, feræque:
Inde etiam volucres, pisces que humoris alumni.

Quem Virgilius imitatus eadem ferè cecinit.

Inde hominum pecudumque genus vitæque volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub equore pontus,
Igneus est illis vigor & cœlestis origo, Seminibus.

At longè prius sanctissimus Iob hæc ipsa memoriæ hominum tradidit, dum ait, nimirum interroga iumenta & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit, & narrabunt pisces maris. quis ignorat, quòd omnia hæc manus domini fecerit; in cuius manu anima omnis viuentis & spiritus vniuersæ carnis hominis? Iustè itaque de ipso cecinit Orpheus,

Omnium genitor, principiumque, & finis.

Postquam satis abundè declarauimos, quantum in nobis fuit, quemadmodum optimus conditor motu caducas materiales formas omne producat: Superest vt pro ingenij nostri viribus exponamus, qualiter lumine propriæ essentiæ immortales à materia abstractas formas creat, & creatas suis impertiat corporibus. Ipse etenim Summus Opifex per proprium lumen suæ essentiæ, (quod idem re ipsa est, quod summa supremæ mentis atque intellectus lux, quodque est simplicissimum quoddam rerum centrum; à quo reliqua tanquam lineæ ducuntur) facillime nutu inde vibrat mentis intellectusque lumina mortalium hominum. Hæc autem mentis & intellectus lumina sunt ipsæ à materia abstractæ, & immortales animæ: quæ cum à materia separatæ sint, nullum per generationem habent esse, sed per solam creationem illud assequuntur: Creatio verò nec subiectum exigit, nec fit motu, vel tempore, sed operatricem virtutem exigit infinitam: Itaque immortales animæ immediatè à solo creantur Deo: ipse etenim ex nihilo eas creat, & creando simul humanis paratis corporibus elargitur. hæc quippe abstracta & immortalis anima (quam nos & mentem, & intellectum etiam nominamus) vt confertim simul tota fit; ita & confertim simul tota infunditur: neque enim qua simpliciter infinitę potentię Deus est, animas creat; sic enim infinitæ virtutis eas faceret, & non finitæ. sed qua sua potentia eis commensuratur illas producit. hoc quippe diuinum animam procreandi principium, secundo de generatione animalium Cap. Tertio, Philosophus vidit; vbi scriptum reliquit; genituræ autem corpus in quo semen animalis principij congreditur; hoc quidem separabile à corpore est;

in qui-

in quibuscunque numen comprehenditur, qualis est, quæ mens appellatur. hoc autem insepa-rabile. hoc inquam genituræ semen dissoluitur, versumque in spiritum euanescit, cùm naturam humidam aquosamque habeat. ibidem nanque docet Philosophus, quòd in corpore genituræ, in quo principium dandi animam continetur: hoc inquam principium maxime in hominibus; in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est, quæ mens nuncupatur. sub duplici est differentia, vnum quidem est à materia abstractum, & separatum, qualis est Summus opifex Deus, qui abstractas, separatasque animas, & mentes procreat. alterum est cum humida, aquosaque materia coniunctum, ab ipsaque inseparabile, qualis est genitalis spiritus, qui vegetalem sensualemque animan præbet; & hic cùm materialis sit, euanescit, & dissoluitur, sicut refert Philosophus, huic conforme, xij. Methaph. & ipse protulit, quòd homo generat hominem: præter hoc autem id quod est primum omnia mouens. ex nihilo autem aliquid facece, Dei solius ast proprium. Solus itaque Deus ex nihilo immortales hominum mentes inesse producit; productasque hominibus per omnem vitam ad vltimam eorundem perfectionem impartituc. Hic nanque modus diuinæ creationis exceptus est, atque excellit efficientiam cuiusq; alterius causæ efficientis, neque à nobis satis comprehendi potest. Suprema autem diuina lux circa hominum intellectus, & intelligibilia sic se habet (inquiunt Platonici) vt Solis lumen circa oculos, & res visibiles; quemadmodum enim Sol & oculos generat & colores, oculisque vim præbet, qua vident coloribus, qua videntur; & vtrosque in vnum lumine conciliante coniungit; ita summa lux ad intellectus omnes, resque intelligibiles se habere putatur; species enim rerum intelligibiles; & intellectus omnes ipse procreat: atque virtutem inuicem agendi præbet vtrisque propriam semel atque naturalem: Circunfundit insuper assiduè commune lumen, per quod virtutes & intelligibilium & intellectum ad actum mutuum excitat, copulatque agendo: quod sanè lumen in rebus quidem intelligendis veritatem; in mentibus autem scientiam Plato nuncupat. Quum itaque intellectualis hominum mens proxime à Dei lumine sit, & nihil inter eam, & Deum ipsius opificem intercidat mediũ, quod ipsam à faciente disiungat, ac si solo Deo eget, vt fiat; solo etiam eget, vt maneat; Et quia Deus per eandem vim seruat creata, per quam creauit: Ideo sicut ex infinita summi luminis bonitate anima ex nihilo ad esse, & lumen processit: ita per eandem in esse permanet, procul à nihilo, vt vita Deo proxima diuinæ vitæ simillima sit. Vt autem reuertamur vnde diuertimus, dicimus quòd omnia quęcunque hic existunt, habent essentiam à primo ente, & prima causa, & viuere à prima vita, & intelligere immediatè à prima & summa intelligentia. Res enim omnes, inquit Author de causis, habent essentiam per ens primum; & res viuæ omnes sunt motæ per essentiam suam propter vitam primam; & res intelligibiles omnes habent scientiam per intelligentiam primam. Omne nempe, quod quouis modo est particeps ipsius mentis & intellectus, est à primo, quod per naturam & essentiam est ipsa mens & intellectus: ipse etenim vt est abstractus & separatus intelligens; ita abstractos & separatos intellectus propria ratione primus gignit & format.

Quod nanque est maxime ens, & maxime verum, (inquit Philosophus) est causa omnis entis, & omnis veri: Et quod est suprema mens & supremus intellectus, est cuiuslibet mentis & intellectus causa, sicut id, quod est maxime calidum est causa omnis calidi. Hoc profectò 2. de generat. animalium voluit Aristoteles dum ait. Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit; nihil enim cum eius actione communicata actio corporalis: Et sicut in Microcosmo homine nõ quælibet eius viuens particula intellectus est capax, sed præstantiores tantummodo cerebri partes; ita & in magno mundo non quodlibet animal viuens particeps est intellectus, sed solus omnium viuentium nobilissimus homo. quòd verò Intellectus immortalis æternusque sit, duodecimo Metaphisicorum Aristoteles testatur, dum ait. Si autem aliquid postecius permanet, considerandum est; in quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus; omnem nanque fortassis impossibile est. Idem secundo de anima, de intellectu autem & speculatiua potentia nil adhuc manifestum est; sed videtur genus aliud animæ esse; & hoc solum posse separari sicut perpetuum à corruptibili. Concludimus tandem secundum Peripateticorum dogmata, primum motorem rerum omniũ opificem mortales immortalesque mundanas formas effingere, has propriæ essentiæ lumina creando, illas motu, procreanteque spiritu informando. Ab omniformi nanque Deo mundanæ cunctæ formæ dependent. Et ideo bene Peripatetici dixere, primum mouens mouet ad omnes formas, quare manifestum est quòd forma primi mouentis, aliquo modo est omnes formæ: idemque alibi confirmarunt, dicentes, Imagines formasque omnes actu inesse in primo motore, potentia verò in prima materia; & hac quoque ratione bene inquiunt. Deo omnia esse similia, quando in se eminenter ipse contineat, quicquid in inferioribus generatur. Quare & sapienter antiqui dixerunt, Deum per omnem naturam esse diuisum, & Deorum plena esse omnia. hinc & ve-

re dixit

rè dixit Poeta. Iuppiter est quodcunque vides: Iouis omia plena: hocque longè melius expressit Propheta dum ait, Cœlum & terram ego impleo. quod Actuor de causis explicans inquit: Bonitas prima implet omnia secula bonitatibus, verumtamen omne seculum non recipit de illa bonitate, nisi secundum modum suæ potentiæ & virtutis.

Ideæ autem & exemplaria, quæ in magni conditoris mente præesse Aristotelici volunt, sunt ipsamet scientia & prouidētia Dei, qua motu & formatoribus spiritibus caducas mundanas formas omnes gignit riteque disponit: & qua immateriales immortalesque animas lumine propriæ essentiæ procreat, & suis eas distribuit subiectis ad vniuersi mundi fabricam ordinandam. Hanc quidem Orpheus ita expressit, omnia intus inspicis, omnia intus audis, omniaque distribuis; hæc quippe Summi opificis idea & vna, & plures dicuntur. vna dicitur quoniam Dei essentia atque scientia vna simplex est, qua vno simplici intuitu mortales, immortalesq; formas omnes iuuetur ad mundi ordinem conseruandam: Plures verò ideæ dicuntur propriæ diuinæ agendarum rerum rationes, quibus singulæ quæq; res tam caducæ quàm immortales particulariter fiunt, & tuentur, ad vniuersi (inquam) ordinem seruandum. Ratio autem totius ordinis haberi non potest, nisi rationes propriæ partium omnium, ex quibus totum constituitur, habeantur; quemadmodum Architectus ædificij speciem non potest concipere, nisi proprias partium eius conceperit rationes: propriæ nanque in Deo sunt omnium rationes, nec aliunde species rerum habent, vt distinctæ sint, quàm vnde habent, vt sint. Nec diuina simplicitas ob earum multitudinem minus est simplex, cum per formam vnam, vnoque intuitu omnes contueatur; nec dicitur diuina essentia idea prout simpliciter est essentia; sed in quantum huius species, vel illius est exemplar. Quocirca quatenus rationes ex vna essentia plures intelliguntur, eatenus plures dicuntur ideæ: quatenus verò hæ omnes rationes vna simplex est essentia & prouidentia, eatenus vna simplex dicitur idea. Postremum autem Summus opifex vt ad se mentes hominum conuertat, materialia phantasmata sui intellectus splendore illuminans intelligibilia reddit, & facit, vt per ipsa creatorē Deum homo cognoscat. Hunc quidem hominem à delictis mundans ipse magnus conditor Deus per Christum Iesum mediatorem sibi cōciliat, & vnit: vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.

PLANETARVM MOTORES SVNT *alterantes primi & magni Motoris concausæ in corruptibilium factione.*



SECVNDA Causa efficiens naturalium rerum post primum Motorem, sunt æterni vagantium corporum motores, qui continua, & inæquali sub obliquo circulo latione feruntur. hi vtique motibus & luminibus informem materiam naturalium rerum primum subiectum alterant, permutantque, & ad formas suscipiendas idoneam reddunt. Verum quoniam in his motoribus alterationem primò molientibus, sunt species boni à quo sunt: boni verò ea est natura, vt perfectione sua perficiat ea omnia, quæ capacia fuerint: non enim est boni inuidere, ac intra se bona continere, sed effundere, ac effluere. Cùm ergo in hisce primum alterantibus motoribus sit lucida forma summi boni non offuscata tenebris materiæ, nec dissimilitudinis varietatibus inuoluta, nimirum valde cupiunt æmulari pro viribus summum bonum, ac rebus alijs bonitatem suam elargiri. Hoc profectò in Timæo inspexit Plato, dum inquit: Patrem omnium ad minores Deos conuersum eis præcepisse, vt in factione inferiorum rerum, quam eis demandauerat, se imitarentur. Et propterea hi errantium syderum motores cupiunt elargiri alijs perfectionem suam. Verum ad eum modum effectionis, quo primum agit, quoque res omnes à principio rerum omnium completæ emanant, attingere nequeunt. Idcirco conantur deteriori nota eum efficientiæ modum æmulari. Quamobrem cùm informem materiam perficere non possint, veluti Summi opificis ministri, per lumen & motum suorum corporum eam alterando præparant, & ad formas suscipiendas disponunt. Ad hanc quippe procreandarum rerum præparationem & dispositionem vagantiū syderum latores omnes concurrunt; sed præcipuè Sol & Luna id operantur: cùm vniuersales, ac magis efficaces omnium, quę sub cœlo sunt, corporū, dicantur motores. De his igitur vt de notioribus maxime sermonem habebimus, quando & idem sit iudicium de reliquis. Prius enim narrabimus, qualiter Sol, & Luna post primum Moterem & mundi, & naturalium rerum omnium vniuersales dicuntur rectores. Deinde dicemus vt eorundem motus, lumen, & calor à magni motoris motu,

lumine

lumine & calore differant: & quomodo illarum virtus ab ipſa prima temperetur ad mundi perfectionem. Poſtremo exponemus quomodo prædicta ſydera motibus proprijs & luminibus expers omnium formarum ſubiectum alterant, permutantque, & ad actus ſuſcipiendos habile reddunt.

De Luna autem, ita Galenus ſcripſit: Luna verò vt princeps non mediocris inter Solem, & nos medius conſtituins, terreſtrem regionē meritò gubernat, nō potentia cæteros planetas, ſed vicinitate exuperans. etenim hæc menſes perpetuò, atq; omnes eius dies diſponit; vt bene canit Poeta, Luna regit menſes, huius quoque tempore menſis finit. Ipſa quidem (vt refert Ptolemæus) humectando antecellit, quia terræ proxima eſt, & humidis vaporibus vicina. manifeſte igitur hoc modo corpora afficit, & mollia reddit; aliquando verò calefacit, propterea quòd à Sole lumen recipit; & quò magis lumine Solis abundat, eò magis eſt omnibus ſalutaris. Luna nanque humido præeſt, idque ipſum fermentat, & cum aduentu ſuo in hunc, vel illum ſtatum res exagitat, & aptat ad rerum productiones; mutuatum enim lumen, quod à Sole Luna recipit, cum imbecille & debile ſit, nequit terræ vapores ſoluere, ſed magis adauget, & in humorem vertit, cumque ipſum variè afficit, pro ſui curſus & luminis varietate, ac ideo humido præeſſe dicitur. Eruditiſsimus autem Pirus hunc quidem humidum dupliciter Lunam prægignere affirmat; ipſa nanque deficiens, & ſeneſcens propter imminutum calorem ex luminis defectu malas & exerementitias humiditates producit; Augeſcens verò & plena propter eundem calidum auctū, bonos & cōnaturales procreat humores: fluunt igitur & creſcente luna humiditates & decreſcente; ſed aliæ, atq; aliæ creſcente bonæ, decreſcente malæ. Philoſophus verò addit quòd Luna principium eſt propter Solis ſocietatem, receptumque lucis; fit nanque quaſi alter Sol minor. Quamobrem conducit ad omnes generationes, atque perfectiones. Sol autem planetarum princeps motu ſuo noctes dieſque diſtinguit, & horas, & menſes, & annos, acceſſuque viciſsim, atque receſſu quatuor efficit anni partes, vt ornatè, ſplendideque Galenus explicat, dicens; Omnium certe ſuperiorum aſtrorum potentia fruimur; verum Sol maximè hunc orbem exornat, & concinne diſponit. quippe veris, æſtatis, autumni, & hyemis auctor alius nemo exſtat. à nullo enim impeditur, quo minus æſtatem faciat, cùm in vertice noſtro conſtiterit, aut frigus adducat; ſi humilis, & demiſſus eius curſus fuerit: aut æquinoctium vtrunque conſtituat, cùm mediocriter obliquus videtur. Nec alius eſt, qui tam manifeſtè, vel ex terreſtri fœce animalia gignere poteſt; nec fruges maturare, nec ad coitum & generis propagationem animantia prouocare. Hactenus ipſe. Huic quidem Orpheus Appollinis hymno ita ſubſcribit. Tu habens mundi terminos vniuerſi, tibi curæ eſt principium atque finis; per te vireſcunt omnia. Tu Sphæram totam Cythara reſonante contemperas. His quoque nos addimus quòd Sol ſuo ſplendore ac lumine cuncta perpetuò exhilarat, & maxime ad formas & vitam præparat; ſuis enim viuificis radijs tepore diuino præditis vndique informe ſubiectum alterat, commouet, & ad formatrices virtutes recipiendas excitat. Idcirco Sol vitalis potentiæ fons: Luna naturalis eſſe à Ptolemæo perhibetur. Eſt nempe vita apud Philoſophos in ſitus viuentium luminoſus calor, vitale corpus ſuo ſplendore illuminans. Dilatationis conſtrictioniſque motu, aut huic proportionali ex ſe ipſo, ſuoque nixu inceſſanter agitatus, quo eius mediocritas retineatur, ac primogenium humidum, quo alitur, comparetur; quidam verò vnà cum Philoſopho primo politicorum vitam actionem dixere; quamobrem nutritionis perennem motionem, atque auctionis generationiſque motum, ſimul cum ſenſatione & intellectione vitam nuncuparunt; quare & multi vnico verbo illam deſcribentes dixere, vitam eſſe actum functionemque animę: Aliqui verò eſſe animæ in proprio organo, & connato calido, & humido vitam vocarunt. Cùm igitur Luna humorem pro vita digerat, Sol verò calorem patiat, iure hic vitalis, illa vegetalis potentiæ origo appellatur. ac ideo Solis in generatione & comes habetur, & ſocia; perinde ac paternas vices Sol, maternas Luna in generatione retineat. Accedit ad hæc, addunt Aſtronomi, quòd quatenus Sol ad medium aſcendit cœlum, vitalem, & animalem ſpiritum in nobis mirificè fouet: quatenus verò deſcendit ſpiritus, vterq; debilitatur. Simili modo Luna Solis coniux naturale humidum, & calidum aſcendendo pariter recreat, & deſerit deſcendendo. hoc profectò vidit Album Aſut, cùm dixit, non eſt vita viuentibus præter Deum, niſi per Solem, & Lunam. Sic quippe antiqui affirmarunt Solem Lunamque vniuerſaliter per eorundem lumen & motum mundana corpora regere & gubernare.

Horum autem ſententias nos interpretantes narrabimus, quænam ſit primæ Lationis diurnæ præſtantia, & nobilitas: & quænam ſit Phœbi motus ſub Zodiaco virtus, & actio. Sed prius dicemus, vt lumen & motus differenter à ſuperis vim agendi ſortiantur. Motus nanque ab anima mouente magis quàm à moto corpore ſuam obtinet virtutem, & actionem. Lumen verò à moto corpore magis illam nanciſcitur. Item motus à ſphæris potius quàm ab aſtris agendi

faculta-

facultatem possidet. Lumen ab astris potius quàm à sphæris illā habet. At Motus diurni dignitatem explicemus. Hoc quippe est primi Motus diurni priuilegium & excellentia erga alias Lationes omnes, vt pro illius motu perpetuo cæteri motus omnes & ordinentur, & excitentur, & absque eo perperam aguntur. Ipso nanque primo motu mouente, reliquæ lationes motum seruant; at illo intermittente, cæteræ cunctæ intermittuntur. sicut in microcosmo homine si cordis motus cesset, tunc aliæ motiones omnes cum illo desinunt; ipso autem viuente cuncta viuunt & mouent. quocirca bene octauo Phisicor. dixit Philosophus, Motum primi cœli vitam esse omnibus. Hic quippe quasi artifex, omnia quidem ambit, per omniaque se intimè diffundens omnia continet, conseruat, & fouet. at Phœbi, Lunæ, cęterorumque errantium motus longè ab illo diuersus cōspicitur. hi nempe informem materiam & corpora vitæ capacia ad esse & vitam tantum præparant, & disponunt; Ille verò perfectionem, atque ordinem elargitur. Ipse nanque Sol cùm inæquali sub obliquo circulo feratur motu; generationis, corruptionisque causa dicitur, quoniam & aucti perfecti, & imminuti imperfecti caloris auctor est. dum enim ad nos accedit, calorem auget, & perficit; dum recedit, imminuit, & extraneum reddit. huic verò caloris disparitati generatio, & corruptio per se primò attribuuntur: perfectus nanque & moderatus calor generationē molitur; imminutus ac extraneus corruptionem facit. horum autem vtriusque Sol est auctor penès eius ad nos accessum, & recessum, & ideo generationis corruptionisque effectorem Aristoteles illum esse asseruit. generationem autem hic sumimus pro præparatione & præuia tantum ad formæ susceptionem alteratione, & non pro subito aduentu formæ: hanc quippe primus motor Deus elargitur, illam verò Solis accessu efficit. Idcirco vtrobique bene dicit Philosophus, Homo generat hominem, atque Sol. & Homo generat hominem; præter hoc autem id, quod est omnium primum omnia mouens. parare itaque materiam, ac postea informare, quod vtrunque fit suo tempore, & cœli est, & cœlestium corporum. Errantium autem orbes materiam suis motibus, & luminibus præparant, & disponunt: paratis postea materiebus primum mobile conformatrices virtutes impartitur. hoc profectò est, quod 2. cœli docuit Philosophus, dum ait. Sciendum igitur est, quòd primus orbis principium est potentiæ, & causa in vita cuiuslibet viui, plus quam alij orbes: primus enim orbis (ait Auer.) est principium & causa in dando cuilibet viuo suam vitam fortius quàm principia cæterorum corporum diuinorum. Huius verò fidem facit disparitas caloris, qui à cœlestibus istis prouenit corporibus; neque enim eiusdem naturæ & effectus est calor à Sole, & à reliquis stellis genitus, & à primi mobilis motu productus. hic nempe cùm perfectus sit, & ad vnitatem, & ad similitudinem semper accedat, perpetuò vniformis, & regularis est. quare calorem nobis efficit sempre æqualem æqualiter temperatum procreatrici formarum virtute præditum. Sol autem, & reliqua errantia sydera cùm ad multitudinem, & dissimilitudinem accedant, non semper emittunt nobis calorem conformem; sed modò maiorem modò minorem penès ipsorum ad nostri capitis verticem in signifero orbe propinquitatem, & distantiam, ex qua radiorum recta, vel obliqua reflexio causatur, quæ est omnis ratio & causa maioris, minorisque caloris in terris. Cùm itaque syderum calor modò intensus modò remissus sit, nisi ad temperiem quandam reducatur, minime ad rerum productionē conducere potest. Et ideo in 2. nostro tractatu de natura humana ostendimus quòd Solis calor per se non moderatus ab ordinato primi mobilis motu nihil gignit; sed aptus natus est omnia interimere, nam aut hic multo, & alibi pauco calido præest, aut è contrario, quæ extrema rerum temperiem tollunt, & corpora infirmant, & sic excessu, defectuque omnia natus est perdere. Quòd verò eius caliditas æquetur, & temperetur, diei, noctisque vicissim interuentus clarè nobis ostendit. Iure igitur errantium syderum calorem dissimilis facultatis à primi mobilis calore facimus: hic quippe vitalem formam elargitur; ille a diuino motu moderatus, & rectus ad huius susceptionem tantum præparat, & disponit. Et hoc vidit Auer. dum dixit quòd motuum æternorum quidam sunt generantes entia, & quidam conseruantes; quamobrem iustè hic calor & primus alterans, ille tepor & primus perficiens est nuncupatus. Qui nanque à planetarum motu solum, atque à Lunæ, Solisque cursu genitus est calor, hic quamuis & terram, & ambientem aerem leuiter ac remissè calefaciat, non eo tamen viuido, formanteque calido mortalia corpora afficit, quo æthereus tepor, à primi mobilis motu productus. nam vt regularis hæc æterni corporis motio erraticis motibus cunctis excellentia præstat, ita calor ab illa effectus cuicunque errantium calori præest, & virtute excellit. hunc quippe calorem lib. tertio aduersus astronomos inspiciebat Picus; vbi tradidit, quòd siue hoc calore (quem nos teporem spiritumque nominamus) cæteræ qualitates agere nihil possunt; quare si cœlesti hoc tepore destituantur, nec frigiditatem agere frigus poterit, nec calor caliditatem. non enim tepor ille cœlestis frigori est contrarius, sicuti calor igneus, vel aereus; sed omnes continet elementares qualitates eminentia simplici; sicut cœli natura continet omne corpus, sicuti motus

circularis omnes motus, sicuti lux omnes colores, & quod Pitagorici dicerent, sicuti vnitas continet omnes numeros. Hactenus ille.

Et sicut primi motoris motus, & calor à planetarum motu, & calore differens est: Ita & lumen ipsius à lumine illorum aliud est, & diuersum. magni nanque motoris lumen ex nihilo hominum immateriales, immortalesque mentes suo infinito splendore creat, creatasque seruat; ac idoneas reddit ad intellectiones omnes percipiendas; apud quosdam etiam ipsa eadem diuina lux materialia phantasmata suo lumine illustrat, & intelligibilia facit. Solis nanque lumen longè à supremo illo diuersum est: hoc quippe suo lumine interminatum diaphanum illuminat: terminata verò perspicua colorat, & visibilia reddit; quatenus verò radiorum reflexione & densatione calefacit: sic informe chaos perpetuò alterat, & disponit ad formarum omnium susceptionem. correspondet tamen Solis lumen supremo lumini tanta consonantia, vt Dionysius, & Platonici multi perspicuam Dei statuam Solem vocitent: at Iamblichus imaginem diuinæ intelligentiæ appellat. Est itaque Sol apud ipsos vera Dei statua, & imago supremi luminis, adeo quòd in notitiam Dei perducit, vt non habeant Academici aliquod, per quod expressius deificam illam naturam docere possint. Sed ad planetarum munus in productione rerum exponendum accedamus.

Primum nanque æterna duo vniuersalia naturalium rerum principia ponimus, Cœlum inquam, & informem materiam, iuxta Philosophi doctrinam primo de generatione, & corruptione, vbi perpetuæ generationis causas recenset, cùm ait; & causa quoque aperienda est, cur generatio à natura semper obeatur, eam designo, quæ tum simpliciter, tum per partes prodit, at cùm vna causa sit, vnde motus exordium capitur; altera vnde materia promitur; hæc passiuum principium dicitur, aptum natumque vt à cœlo semper alteretur, ac successiuis continuè formis permutetur. Actiuum Cœlum principium est, aptum congruensque vt materiam alteret semper, ac permutet ad nouas excipiendas formas. hoc ipsumque & motu, & lumine præcipuè agit. Quamobrem dicimus quòd planetæ motus luminisque potentia solū apud Peripateticos vniuersaliter materiam alterant, & primas elementorum facultates particulatim eam permutantes ad formarum pręparationem pariter excitant. Et si de Sole, & Luna pręcipuè vt de potioribus loquuti sunt, omnium nanque planetarum validissima in rebus mortalibus est Lunæ Solisque potestas; eodem similiter modo de alijs sensisse censendum; quòd motuum scilicet, & luminum tantum potentia hæc eadem ipsa operentur. At circularis Phœbi motus in Zodiaco aspirante reliquo planetarum choro, præter hoc quod materiam alterat, & elementares concitat facultates, conformatrices etiam virtutes ad suas formas expromendas pariter commouet: nec solum ad illas gignendas, prædictas factrices virtutes præmouet, sed post ortum etiam ad auctionem, perfectionemque vsque ad ætatis vigorem formas ipsas perducit: in quo statu cùm non detur consistere, vt ad deterius, ad habitum (inquam) frigidiorem labantur, necesse est, ab hoc deinceps habitu pari temporis mensura ad diminutionem, declinationemque, & ad vltimam tandem corruptionem illas deduci. Istud quippe docet Philosophus, dum inquit. At si crebro aduentu Sol vsque ad ætatis vigorem auget, & crebro discessu vsque ad obitum attenuat & imminuit, (rerum enim contrariarum contrarię sunt causę) auctio quoque & diminutio, quę naturæ pręscriptione fiunt, ęquali tempore mensuratur. Hoc profectò inspexit Poeta, dum ait:

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt.

Nec ad formarum animarumque ortum, & auctionem, imminutionemque tantum planetæ agunt, sed ad exaltationem, depressionemque earundem, & ad omnes pariter fortunas faciunt. Verum ea ipsa magis inclinando, quàm necessitatem inferendo operantur: sed Astronomis ista remittantur. Ptolemæus verò non motus, luminisque calore solum, sed reliquis etiam quatuor agentibus qualitatibus ad rerum generationes planetas agere affirmat. refert nanque in quadripartito errantia sydera non calore solum, sed agentibus alijs facultatibus prædita esse, & singula harum congruam combinationem secundum propriam naturam sortita esse, ijsque viribus omnibus informe subiectū ad formas recipiendas disponere, atq; res genitas æqualiter afficere recenset. sed siue calore tantum, siue agentibus reliquis facultatibus planetæ agant; omnes tandem motu & lumine maximè operantur, & ad formarum inductionem præcipuè agunt. sed quatenus lumine id moliantur, prius explicare tentabimus.

Dicimus autem, quòd Luna cùm sit stellarum infima, terræque finitima, primam informem materiam tum vehementius propter vicinitatem alterat, tum sæpius proter celeritatem. velocissimo nanque cursu diebus septem, & viginti, & tertia ferè diei parte cœlum omne circuit. hoc enim breui tempore totum signiferi circulum percurrit. magnæ sanè sunt Lunæ in hæc inferiora vires, inquit Galenus, & effectus varij: sed qui tamen Solis effectibus cedant, & secun-

dss teneant. Verùm enim menſibus illa ſemper præeſt, vt apertè in animantibus, ac potiſſi- „
mum marinis deprehendere licet. Sed profectò hoc ipſum quod habet, à Sole habet. tenuiſ- „
ſimum enim lumen facit proximus acceſſus eius ad Solem, tanta autem eius portio ſemper con „
ſpicua, illuſtrataque eſt, quantam Sol aſpicit. prorſus autem deficit lucisque expers, & tenebro „
ſa redditur, vbi oppoſita Soli interpoſitum, intericctumque terræ opacatur, & repente deficit: „
quapropter tum cum Sole congrediens, tum digrediens varias lucis mutationes habet. Ipſa „
igitur ijs quæ oriuntur è terra dat incrementum, animantia ſaginat, menſtrua ſtato tempore „
mulieribus curioſè ſolicitat: pro ratione ſcilicet progreſſus eius ad Solem, vel receſſus eius a So- „
le. Sanè quidem omnia quæcunque illa efficere nata eſt, tum obſcura ſunt, cùm corniculata „
eſt, falcisque habet imaginem; omnia contra valida, cùm ipſa pleno orbe lucet. Quare eo „
tempore frugum incrementum, & maturitatem accelerat. Hactenus Galenus. Vt igitur Luna ad res omnes Solis eget auxilio; ita Sol ad nullam rem magnam, neq; alterius cuiuſquam aſtri, ſed ne ipſius quidem Lunæ opem deſiderat. à nullo enim impediri poteſt, quin ſui luminis acceſſu atque receſſu mundana cuncta ad vitam, & necem præparet. quum enim Sol ad noſtrorum capitum verticem progreditur, vtpote ad primum cancri punctum, lumen ad nos ferè dirigit, quod à terra per rectam, vel quaſi rectam lineam reflectitur. Inde calor nos exercet & accreſcit, cæteraque calida augentur, atque meliora regenerantur, & corrumpuntur frigida. Calor enim lumen inſequitur (aiunt iſti) quaſi eius proprietas; licet magnus Albertus ſecundo cœli aſſeueret; lumen non eſſentialiter producere calorem, hi tamen calorificam lucem appellant. Cùm verò contra Sol ad oppoſitum migrat, vt ad primum capricorni punctum, declinat lumen, nec reflectitur è terra per rectam lineam, ſed ad latus; hinc creſcit frigus generanturque frigida, & calor & calida corrumpuntur. Sic vtique acceſſu, receſſuque luminis mutuam rerum generationem & corruptionem fieri, & Aſtronomi & Philoſophi ęqualiter aſſeuerant. Inde Auicenna in lib. metheorol. lumen vocauit vehiculum virtutum omnium cœleſtium, quoniam eſſentialiter viuificèq; informem materiam ad eſſe, & vitam præparat. Nos autem, qui lumen in medio ſimul cũ græcis Philoſophis & intentionali, & reali facultate æqualiter preditũ eſſe tenemus; dicimus quòd Solis lumen perpetua ſuorum radiorũ reflexione perpetuò in terris producit calorem, aeris corpus diſgregando ſuorũ radiorum condenſatione, idq; validius conſequitur recta, vel quaſi recta, quàm obliqua eorundem reflexione. Cùm nanque Solis radij in denſiori aere quodammodo incorporantur; ſi contingat quòd hi deorſum orthogonaliter cadant ſuper planum, vel concauum, vel conuexum terræ, reflectuntur etiam orthogonaliter. Et ita radius cadens, & reflectens ſuper eandem viam, intenditur per partes omnino oppoſitas. Et fit ibi maxima diſgregatio, & per conſequens maximum calidum. At ſi Solis radij obliquè, & ſecundũ angulos obtuſos cadant ſuper terram, tunc vt obliquè cadit, ſic & obliquè reflectitur: quare radius cadens & reflectens, non quidem intenditur per partes omnino oppoſitas: vnde minor cauſatur diſgregatio, & minus etiam generatur calidum. Quinque vtique recenſentur, quæ intenſionem caloris facere dicuntur, magnitudo. [lucis; denſitas, atque propinquitas, & rectitudo, cum mora: non eſt autem ad liquidum exploratum, quantum alterum alteri præpolleat, & quantum mora & rectitudo cum radiorum reflexione cæteris præualeat. Huiuſmodi verò radiorum reflexiones & calorum productiones quater in anno apud nos manifeſtè cernũtur, vere, æſtate, autumno, & hyeme. hic quippe maior, & minor cœlitus genitus calor primus alterans à Philoſophis nominatur; & penès varias, ac multiformes eiuſdem caloris differentias, variæ, & multiformes fiunt alterationes, & præparationes rerum procreandarum; ad ipſumque particularia alterantia cuncta rediguntur, indeque alterandi virtutem ſortiuntur. hicque ipſe calor eſt, qui præparans, ac diſponens viuifico tepori adiumentum affert in corruptibilium factione. vt enim primus motor ſuum prægignendi res munus adimplet per viuificum teporem & ſpiritum; ſic & Sol per calidum tum motu, tum lumine genitum, alterandi ſuum officium complet. & ſicut teporem procreantis Dei inſtrumentum facimus; ita & calidum alterantis Solis organũ dicimus. & vt opifex Deus principalis, Sol verò eius concauſa dicitur; ſic & tepor primũ perficiens inſtrumentum; calor verò ei pręparans & adiumentum afferens nominatur. Sic de cordis iecinoriſq; calore in microcoſmo homine dicere contingit, quòd vnus vt princeps, & opifex in ſuis muneribus ſe habet; alter ei perpetuò paret, & vbiq; deſeruit. At quoniam ſupra retulimus, quòd radij Solares aliquo pacto cũ aeris corpore commiſcentur in luminis, & caloris productione; hinc profectò genitorum corporum candoris, nitoriſq; cauſam colligimus. Cùm nanque radij Solares in denſiori diaphano incorporãtur; tunc genita corpora, & maximè perſpicua (hac quantumcunque tenui radiorũ incorporatione ſplendida, ac lucida) euadunt. Lux nanq; ipſa in medio & intentionalis & realis qualitatis ęquè particeps, vt ſuorum radiorũ duplicatione calefacit corpora, ita eorundẽ nitore illa nitida claraq; reddit, ſi diaphana extiterint. Viuentium

M autem

autem corpora, cùm perspicua sint, ab eadem clara radiorũ lucis reflexione, & calida simul & luminosa facta sunt, luminéque semper vt suo simili & compari gaudentia. vnde bene dixit Philosophus, cum Sole lætemur & tristemur. Solis nanque præsentia, vt re consimili, læti efficimur, tristes verò sui absentia, vt re contraria & dissimili: qualiter autem lumen colores, coloratáque effigiat corpora, in lib. nostro de Catharro palàm docebimus. Sed vt motus informẽ materiam præparet ad formas excipiendas, exponere accedamus.

Motus verò & si formaliter sit vbi fluens, nec inter principia actiua numeretur, nihilominus quatenus magno mobili cum velocitate, & propinquitate coniungitur, eatenus agendi, & calefaciendi facultatem adipiscitur. Velocissimus nanque vagantium syderum cursus, & præcipuè Solis in ætherem primum ac ambientem propinquum aerem, mox in alia finitima elementa calorem parit: qui primus & communis alterans est, ad omnes mundanas formas expromendas. ipse etenim Phœbi & errantium velox motus, quas attingit, & obuiat partes attenuat, atterit, disgregat, calefacit, & raras, leuesque reddit, & ad proprias suscipiandas formas disponit, instar circularis motus rotarum figuli, qui lutum disgregat, terit, disrarat, ac debitè ad destinatas vasorum species effingendas præparat. Hoc profectò voluit Diuus Thomas, dum dixit, quòd corpora cœlestia causant formas in istis inferioribus non influendo, sed mouendo; formæ etenim corporales à substantijs spiritualibus dariuantur, non tanquã influentibus formas, sed tanquam mouentibus ad formas. Ipsa tamen æthera corpora in suis multis varijsq; motuũ speciebus determinatè semper, & propriè mouentur, & splendorem immittunt; & sic etiam elementa alterant, & ad formas recipiendas disponunt. Ordinatè quidem, & determinatè elementa à cœlo ad agendum, & patiendum cientur, aiunt Philosophi, vt determinatè, & ordinatè omnia nascantur. Quocirca naturalissimè dictum est à Ptolemæo, & in generatione, & in corruptione formas affici à cœlestibus corporibus. mundanæ nanque formæ omnes ad ortum & interitum à superis trahuntur formis. hę quidem suis certis, determinatisq; motibus & luminibus proficuis ad formarum productionem elamentares permutantes virtutes ad generandum excitant, & illis vigorem præstant. Contra, ipsæ eædem cœlestes species determinatis alijs motibus, & luminibus pronis ad formæ deperditionem elementorum facultates transmutandi vim habentes præmonent, ac illis potentiam ad corrumpendum addunt. Est vtique cœlestium æternorum corporum naturales virtutes excitare, & præmouere semper ad nouas producendas formas: neque enim quæ corrumpuntur res ad nihilum à superis permutantur, sed ad aliam atque aliam formam, & naturam deducuntur: Nam ad antiquam informis materiei possibilitatem, vnde iam effluxerunt, rediguntur, pronam præstòque semper ad nouas suscipiendas formas. atque vt superis erraticis lationibus vis varia, multiplexque inest præparandi materiam ad variam multiplicemque formarum effectionem; sic vicissim informi materiæ vis varia, multiplexque inest, patiendi ab eisdem motionibus pro varia, multiplicique formarũ receptione. vt igitur errantium syderum multa diuersaque est ad formas elargiendas facultas, ita informi materiæ multa, diuersaque passiua inest potentia ad illasmet suscipiendas. Et hæc materialis, illæ verò æternæ vniuersales per se effectrices causæ multitudinis, pluralitatis, ac varietatis cuiuslibet generationis tam simplicium, quàm compositarum rerum omnium, quæ in hoc mundo fiunt, asseuerantur. Et si enim varia est errantium syderum latio; in omni tamen sua varietate determinatè mouentur ad determinatam materiei partem alterandam, pro certa constitutaque forma suscipienda. Vtquè hæc quàm illa materia magis apta est, hanc quàm illam à Deo concessam formam admittere; sic hæc quàm illa errantis syderis latio, & radiatio ad hanc quàm illam materiei partem præparandam pro suæ cuiusque concessæ formæ receptione aptior est. Quod ni esset, species ipsæ rerum confusæ essent, & passim homocerui nascerentur, & æquipalleres: at firma statutaque sunt omnia ex firmis, statutisque cœli motibus, ac luminibus. & de his fortasse motionibus sententiam Ptolemæus protulit, dum ait; ne prætermittas centum, & decem nouem coniunctiones; in his enim posita est cognitio eorum, quæ fiunt in mundo, & generationis, & corruptionis. Et si aliquando monstra visuntur, hæc insueta, raraque syderum concursio & permixtio efficit, vltra materiei, agentis, vteri, imaginationis, aut plurium horum peccatum. Magnus etiam Auer. hæc eadem explicare percipitur, cùm dicit. Calores igitur generati ex caloribus stellarum generantes quamlibet speciem specierum animalium, habent mensuras proprias illius caloris ex quantitatibus motuum stellarum, & dipositionibus earum ad inuicem in propinquitate & distantia: & ista mensura prouenit ab arte diuina intellectuali, quæ est similis vni formæ vnius artis principalis, sub qua sunt artes plures. Hæc quidem ars erit singularum formarũ totius producti orbis magni Dei exemplar, & idea, de qua supra sermonem habuimus. Sed vt diurna prima motio cæteris cunctis prestat exponamus.

Primus autem motus diurnus longè ijs omibus præstantior, atque excellentior existit; nam

efficacissimus maximeq; salutaris conspicitur, omnia penetrans, omnia fouens, omnia moderans, atque essentialiter vitaliterque omnia calefaciens; hoc quippe est cœli munus præcipuum, quo inferiora corpora perficiuntur, & prona ad vitam viuificantur, & animantur, pariterq; seruantur. Vtque tandem vna absoluam sententia, generandi vis omnis seminibus insita est à primo motore, vtpotè principe: tametsi stellarum cæterarum accedit etiam opera, & præcipuè Solis, & Lunæ. est nanque Summus Architectus Deus specierum omnium auctor, atq; cunctorum viuentium pater. Iure igitur ad ipsum generatio refertur, vtpote formę inductorem, vitæque ipsius datorem, atq; artificem: planetæ verò & cæteræ stellæ omnes, quæ ad generationem, & vitam conferunt, perinde se habent vt media quædam instrumenta, quæ subministrandi fungunturr officijs, obtemperentque Architecto, ad quem opificium ipsum, & quidem totum refertur. Quamobrem illud idem in vniuersi formarum generatione contingit dicere, quod in bene instituta republica, vt Magistratus vnus, moderatorque rei totius, quędam partim agat per se ipse; quædam partim facienda iuuat, alijsque peragenda permittat; quædā & gerat ipse, & aliorum simul in gerenda re vtatur opera; alia verò nunc decernat ab his, aut illis administranda; nunc imperet quibus sit obtemperandum, ac nunc præscribat, nunc geri ex officio cuiusque rem, atque ex vsu annuat. Ipse tandem vnus ille ac solus sit, ad quem omnia referantur, & cuius nutu administrentur cuncta.

TERTIA CAVSA EFFICIENS, *est generatrix facultas, vnde est motus generationis principium.*



EFFICIENS causa per se & prima à Philosopho dicitur, vnde est primum motionis principium: hæc quidem materialis est forma immobilis, inseparabilisque à corpore, cuius est forma: neque omnino est necessarium (inquit Alexander in lib. de anima) vt idipsum moueatur, quod rei cuiusque motionis est causa: quo enim pacto fiet, vt per se moueatur, quod non per se abiunctum, separatumque est è hæc vtique est efficientis formæ conditio, & natura, vt immobilis impatibilisque per se sit, & primò moueat atque efficiat: quatenus verò in materia reperitur, quæ motionis, passionisque est causa, ad eius motionē & passionem ex accidenti mouetur, & patitur. Vt enim primus motor immobilis totius orbis est centrum, & sic rebus omnibus inest, vt vnicuique rei interior sit, quàm ipsamet sibi, & vniuscuiusque pariter rei vnde motus primum principium dicitur; sic & in Microcosmo primus motor in corde corporis centro residens, magni motoris speciem gerens, totius animati corporis punctum est; & ita in membris omnibus existit, vt vnicuique magis sit intimum, quàm ipsummet sibi, & cuiuslibet corporis particulæ, vnde motus principium nominatur. hic nanque vnde motus exoritur, proximum & particulare immobile principiū dicitur; sicut summus conditor vniuersale & primum idem immobile nuncupatur principium. Quamobrem sicut primus motor in orbe vnus, simplex, stabilisq; manens, dat cuncta moueri, & incessanti sui primi mobilis motu incessanter formantes procreat spiritus, potestatē habentes singulas mundi partes formandi, amplificandi, atq; in specie seruandi; ita & in microcosmo homine primus eius motor, vnus, simplex, immobilisque existit, dans viuere cuncta, continua cordis pulsatione continuè vitales generat spiritus, facultatem habentes corporis membris vitam dandi, augendi, ac sibi simile in specie procreandi. hinc profectò vitales genitæ formæ omnes vltra agendi, & mouendi principium, quod commune possidet cum inanimatis formis, potentiam quoq; propriam nutriendi, augendi, atque generandi obtinent; Altrices nanque formæ cum alendi, increscendi, atq; procreandi facultate omnes nascuntur. Sed de augendi, & nutriendi virtute non est vt in præsenti quicquàm dicamus, quum tantum sit institutum generatricis vis munus exponere, & explicare. Quantum igitur ad propositum spectat, prius dicemus, quęnam sit generatricis facultatis efficientia; deinceps qualiter primò & spiritum, & calidum innatum procreet tertiò narrabimus, quomodo per hæc ipsa materiales res disponat, & perficiat: vltimò difficultates quasdam soluemus, & naturale patiens explicabimus: ipsius igitur generatricis facultatis efficiendi modum primò enarremus.

Generatrix autem facultas est animantis centrum immobile, vnde primum dilatationis constrictionisque motus exoritur. Ipsa quidem prima hanc viuentis corporis motionem excitas,

quæ cuiuslibet corporis motionis origo, & regula nominatur. Hæc enim vt prima est, ita corporeas motiones omnes & villorum, quæ naturali faculta ti, & musculorum, quæ animali obtemperant, atque vasorum seminalium, quæ generationi deseruiunt, regulat & ordinat: sicut primi mobilis ordinata motio & errantium syderum, & quatuor elementorum, ac mixtorum singulorum motiones omnes ordinat, & disponit. Generatricem itaque facultatem & vnde alterationis, & vnde generationis motus oritur, principale principium facimus; quoniam ipsa per systoles dyastolesque motum, & spiritum, & calidum procreat, hic alterandi, ille generandi virtutem habens; per spiritum nanque gignitiuum generatrix facultas permutat, & assimilat passum, & consimilem suæ speciei formam patienti elargitur; & ita sibi simile facere dicitur, & hæc est præstantior generatricis facultatis effectio. Altera sed minus nobilis est, vnde motus alterationis initium exoritur; quo scilicet innatus calor determinatum ac proprium subiectũ alterat, & disponit ad formæ susceptionem. Et si enim generatrix facultas immobilis existit, cordisq; pulsum ciet, ad alterandum tamen progreditur per calidum connatum, & per ipsum præparat subiectũ ad formam recipiendã. simili modo ad formæ procreationẽ stabilis manens, cordisq; motum excitans, per spiritum informantem accedit, per eundemq; perficit compositum. Sic profectò generatricem facultatem æqualiter principiũ facimus, & vnde generationis, & vnde alterationis motus exorditur; de quo principio alterante intellexit Auer. septimo Metaphi. » dum dixit. Idem est agens disponens materiam, & inducens formam. præparare itaque subiectum, atque idipsum particulariter perficere, proprium generãtis facultatis est munus. At præter hoc, quòd generatrix facultas alterans & perficiens sit causa, conseruatricẽ etiam causam dicunt, quando & alterationem & formationem ipsa conseruet, vsque ad completum perfectionis terminũ. Dum nanque stabilis, immobilisq; permanet, inde continuus est effluxus & calidi innati & formantis spiritus, qui alterationem, & formationem continuant per totum formationis tempus, vsque ad perfectam formæ inductionem, siue illa per minima, siue per partem, post partem introducatur. sic quidem primam alterantem, perficientem, & conseruantem causam generatricem facultatem constituunt.

Superest modò, vt declaremus, quomodo procreatrix virtus connatum calidum, & informantem spiritum procreet. quæ vera organa sunt ad omnes suas obeundas functiones: ab aliquibus communia vniuersaliaq; animæ instrumenta dicũtur ad omnia eius munera absoluenda accommodata; peculiare verò ac proprium instrumentum est, quod singulis actionibus explendis, potissimum est à natura comparatum, vt oculus, neruus, musculus, & huius generis alia, quæ ad determinatas actiones peragendas sunt determinata instrumenta. Ad rem igitur redeuntes, dicimus quòd generatrix facultas, & alterandi, & generãdi principale principium existit. Hæc quippe vna, simplex, immobilisq; in corde permanens, instar primæ formę, primi mobilis, cuius exemplar est; & à quo esse, & perficiendi vim habet, cor suum primum mobile mouet, dilatationis constrictionisque motu, & ex arteria aorta, atq; venosa vitales prægignit spiritus. ex vena autem caua, & vena arteriali (vt Solis & vagantium stellarũ vicaria) innatum conficit calidum. Facultas autẽ animæ cordis pulsationem ciens, siue altrix, siue vitalis anima fuerit, aut earundem primaria virtus, qualemcumque dixeris, parui interest: quoniam vitalẽ ab altrici hic non distinguimus, nec animæ virtutes ab eius substantia alias facimus. qualiter verò hæc eadẽ altricis animæ primaria virtus ad testes & seminalia vasa profluat, ibidemq; plenè suũ procreandi munus obtineat, suo loco explicabitur. Sed obiter hoc sit dictum, si formatrix virtus vltimam à testibus perfectionem reciperet, tunc in formatione membrorum fœtus genitales partes iure prius formarentur quàm aliquod alterum membrum. Nunc autem narremus, quemadmodum spiritus & innatus calor in corde procreentur.

Est autem cor ipsius animæ arx in corpore munitissima, in qua quatuor magna cõspiciuntur vasa; arteria (inquam) aorta; arteria venosa; vena caua, & vena arterialis; quæ quasi vberrima flumina in vnum collecta vitalem portum constituunt, vbi calor, temperies & spiritus affluenter fiunt, & inde tanti operis beneficium cunctis partibus, vel minimis distribuitur. Fœcunda itaque vitalis facultas Summi Opificis vicem gerens per incessantem suæ pulsationis motum in aorta, venosaque arteria, & ex emanantibus, exurgentibusque vitalibus facultatibus, vt forma; & ex inspirato aere per arteriam venalem intra cordis sinistrum sinum, eo ipsoque purgato, & elaborato; atque ex pura, synceraque arteriæ aortæ sanguinis exhalatione (siue mauis vaporem, aut halitum dicere) vt subiecto, vitales procreat spiritus tenuissima, leuissimaq; substantia præditos, vim habentes per omne corpus permeandi, atq; ipsius animæ potẽtias ad actus deducendi, altricẽ scilicet, auctricem, atq; generatricẽ potentiam: cui vltimæ ac omniũ præstantissimæ summopere hi geniti spiritus incumbunt, vt Summo rerũ conditori inseruiant; qui generationẽ præ omnibus hic seruare sibi proponit. ij nanque spiritus habent potentiã animandi,

& forman-

& formandi, quam animatam Auer. nuncupat; At præter perfectricem vim, quam à primo motore Deo microcosmi forma habet, à primo etiam alterante Sole alterandi vim retinet, & ita huic alterando, & præparando paret, sicut & illi perficiendo deseruit. Quapropter ipsa eadem vitalis forma vt Solis, & reliquorum errantium syderum alumna suo systoles, dyastolesq; continuo motu quatuor massæ sanguineæ humores sua debita qualitate, & quantitate moderatos in vena caua, & arteriosa persistentes optimè permiscet, & temperat, inde crasim, & temperiem alicit, quæ & naturalis calidiras dicitur, prout ipsa neturaliter vnitos, & cócretos humores continet; & ita temperamentum, & natiuum calidũ vitalis facultas conficit: quod quidem vniuersale est alterans, & conseruans cuiuslibet actus corporis viuentis: Et quo etiam generatrix ipsa immobilis forma vtitur ad alterandum, & pręparandum pro actuum, formarumq; affectione, & procreatione. Ex hac ipsa massæ sanguineæ temperie solidorum membrorum temperies proficiscitur, & seruatur. Sic quidem viuifica ipsa immobilis facultas suo peranni motu hinc ab arteria magna, & venosa vitales spiritus: inde à vena caua & arteriali innatum calidum, & temperamentum efficit, & format; & vt primis æternis mundi principibus inseruiat; (quibus machinæ vniuersi conseruetio meximè ac præcipuè est curæ) & vt ijs eisdem vtatur veluti proprijs instrumentis ad animantis vitam tutaodam, ac speciem ipsam seruandam, sibi similia procreando, hæc quippe duo, innatus (inquam) calor, & gignitiuus spiritus sunt ipsius enimę vehicula, & instrumẽta, quibus ipsa descendit in suas functiones ad animantium salutem, & prolem conseruandam: hoc ipso etiam systoles, dyastolesq; continuo cordis motu, & calor, & spiritus seruaotur, & aluntur: nam libro octa. Physicæ eusculationis. vnde motus principium est, ijs illam causam putandum est esse primam, & efficientem, & conseruantem.

Reliquum igitur est, vt exponamus quemadmodum generatrix facultas per hæc prædicta, calidum scilicet, & spiritum materiales res disponat, & perficiat. Dicimus itaq; quòd alterare apud Arist. est actu passionem facere, & generare est formam, qua sibi passum assimilet, exhibere; non quidem producendo ipsam absolutè, sed applicando eam ad passum: eodem nempe modo procreatrix facultas formas conficit, & producit, quo esse hebent, & subsistunt. Sed earum esse, & subsistentia omnis est in elementari materia: in eadem itaque materia tantum omnis earum affectio, & productio erit. Neque enim extra materiei gremium materialis forma effingi potest. Sic quippe vnicuique competit fieri, sicut & ei competit esse. hac profectò ratione Sept. Metaphys. dixit Philosophus, quòd neque forma, neque materia per se generatur, sed ex ijs compositum: quod quidem compositum ita alterari, & disponi, mox generari, & perfici nos asseueramus; quum nanque calor, & spiritus ferè semper simul sint, ferèq; semper simul operentur, & ad generationis opus explendũ vnà semper visuntur. quamuis caloris munus spiritus opus semper præcedat; & hic in instanti, & ille cum tempore operetur. & propterea dicimus, quòd quentũ calor successiuè subiectum alterando præparabit, tantundem spiritus perficiendo illico informabit. in ipsa namq; rei compositæ, atq; viuentis generatione calor semper præuenit alterãdo, & præparando subiectũ, mox pręsto adest formator spiritus ad idipsum formandũ: in instanri enim spiritus perficit, quod fuerat cum tempore à calido debitè præparatũ. horum quidem operationes naturaliter se consequuntur in ipsa viuentis productione. præuia nanque successiua calidi dispositio subitam informantis spiritus formationẽ ex natura rei semper præcedit. quæ formetio simul est cum subiecto, simulq; cum ipso perficitur, & absque ipso nusquam est. sic quippe patet qualiter altarando, & præparando calidum; & qualiter perficiendo, & formando spiritus ad rei compositæ, & viuentis generationẽ, & formæ elargitionem conducant; & qualiter hic in instanti; & illud cum tempore operetur. in frigidorum autem corporum, & præcipuè simplicium, & imperfectorum mixtorum generatione; & si formaliter calor generationis actum calefaciendo nõ præcedat; eius tamen absentia, aut actionis intermissio, tanquàm causa sine qua, non ad frigidi productionem conducit. priuatiuè nanq; calor non calefaciendo ad frigidi opus agit, aut vt accrescat secundum gradum formæ, si per se frigidum sit; aut vt ex rei frigidæ adhæsu frigida euadat, si frigiditatis expers fuerit; contrariorum enim contrariæ sunt causæ, inquit Philosophus. nam sicut caloris præsentia calorem efficit, ita eius absentia calidi defectum & frigidum operatur. Sed de his satis.

Vltimò restat (vt difficultates tollamus) quomodo calor scilicet & spiritus è cœlestibus, & terrenis proficiscantur agentibus; quomodoq; vniuscuiusque & naturales, & proprij dicantur, cùm ab æthere & cœlitus originem ducant. Quantum igitur ad primum spectat, non negamus connatum calidum, & formatores spiritus à duobus diuersis agentibus simul fieri, & foueri, à superis scilicet lationibus, & à cordis, cordique proportionalium partium motionibus: ab illis nempe per se, & propria virtute producuntur: ab istis in virtute illarum, & secundum participationẽ tantum fiunt. At nec fieri, & esse tantũ, sed & agere, & operari etiam efficacius forma-

tor spiritus, & connatus calor ab æternis orbium motibus assequuntur, quàm à caducis cordium pulsationibus. Quod vtrunque Author de causis sapienter nos edocuit, atque prius de ipso
» esse sermonem habens, inquit, quod omnis causa primaria plus est influens super causatum
» suum, quàm secunda: quum ergo remouet causa secunda virtutem suam à re, causa prima vniuer
» salis non aufert virtutem suam ab ea, quod est; quia causa vniuersalis prima agit in causatum
» causæ secundæ, antequàm agat in ipsum causa secunda. quum igitur agit causa secunda in cau-
» satum, non excluditur ipsius actio a causa prima, quæ est supra ipsam, & quando separatur cau-
» sa secunda à causato, quod sequitur ipsam, non separatur ab eo causa prima, quoniam est causa
» eius. iam ergo manifestum est, & planum; quòd causa prima, & longinqua est plus comprehen-
» dens, & vehementior causa rei, quàm causa propinqua: & propter hoc operatio eius fit vehe-
» mentioris adhærentiæ cum re, quam operatio causæ propinquæ. hactenus Author. quod verò calor innatus, & spiritus à primis cœlestibus motricibus virtutibus suum esse verius nanciscantur, quàm à pulsatricibus cordium facultatibus, Author duobus medijs comprobat. primum, quoniam per se primò illæ agunt; secundò quòd efficaciori, ac magis perseuaranti effectione operantur. Sed antequàm hæc exponamus, prius animaduertimus, quòd non cum illis sentimus, qui putant totũ quod fit, à proxima fieri causa: nec aliud agere superiora quàm vt ipsam proximam causam moueant ad agendum, tot interpositis à natura medijs causis, non vt aliud alia faciat, sed vt ordine suo res efficiantur, cùm nec fieri effectus nisi à cognita causa possit. nos verò cum his, qui longè melius sentiunt, tenemus; quòd superiores, primæ, æternæ causæ in ijs, quę hic fiunt, continuè agunt, & aliud, quàm proximę & particulares, atque id perfectius & efficacius operantur. Primæ nanque vniuersales causæ, vltra quòd omnia contineant, vehementius quoque ac fortius ad res ipsas producendas agunt, quam particulares & propinquæ. primus quidem motor ad mundanas formas omnes procreandas, & esse cuiuslibet entis prægignendum perpetuò mouet: Sol verò, Luna, & cæteri planetæ ad eorundem debitas præparationes, dispositionesque elargiendas incessanter agitant. Proximæ particularesque causæ ad proprias singularesque corporeas cuiuslibet rei genitæ differentias, esse ipsum terminantes, finientesque semper laborant. ac ideo dicimus quòd esse est primæ causæ vestigium; propensiones verò & affectiones secundarum. particularis autem causæ vestigia sunt accidentales, materialesque rerum differentiæ res ipsas circumscribentes. His prælibatis, ad Authoris sententiam explicandam accedamus, exponemusque vt innatus calor, & formator spiritus a primis ęternis motricibus virtutibus certius suum esse obtinent, quàm à pulsatricibus cordiũ facultatibus. Motrices nanque cœlestes virtutes cùm primæ sint, & per se subsistentes, tum per se primò & propria virtute agunt. quod enim esse habet ex se, inquit Philosophus nono Metaphys. ex se etiam habet operari, quando vnumquodque agat, & operetur secundum quod est. quòd potiori fortiorique ac magis etiam continua effectione agant, declarat dicens quòd causa prima in rei factura primò agit, ac prius attingit esse causati, & vltimò ab opere desistit, cum enim cœlestes causæ sint, primo etiam agunt, & cùm potiores, maximæque sint potentes, prius etiam esse causati attingunt, & hac eadem ratione quòd validiores sunt, diutius suam cõtinuant actionem, quare & postremò suam virtutem ab opere remouent. Priora enim sunt potiora in agendo quam posteriora, & validius suos effectus consequuntur; in vnoquoque nanque genere principiorum, in quo principia quæpiam fuerint priora, quædam verò posteriora, semper omnis vis posterioris depẽdet à priori, illiq; innititur. hac profectò ratione, quòd potiores ac maximè sunt potentes, & prius, & fortius, diutiusq; agunt, & actionẽ protrahunt; vnde posteriora discedunt ab opere, concluditur quòd causa prima plus agat, in suum causatũ quàm causa secũda; ac ideo bene dixit Philosophus secũdo Methaph. res in quibus est prius & posterius, necesse est vt prius sit causa eius, quod est post; & à remotione prioris remoueatur posterius, & non è contrario; quoniã prius non dependet à posteriori. Cùm igitur causa secunda & posterior recedat à causando, non propterea recedit prima, sed suam actionem perseuerat. Quare & bene dixit hic Author, quòd causa prima agit in causatum causæ secundæ, antequàm agat in ipsum ipsa secunda; & quando separatur causa secunda ab effectione sui causati, non separatur ab ea factione causa prima. postremò conclusionem infert, dicens, & propter hoc operatio eius fit vehementioris adhærentiæ cum re, quàm operatio causæ propinquæ. effectio nanque primæ causæ (quod est esse) longè intimior, interiorque est cum re, quàm effectio secundæ causæ; nihil quicquam profectò antiquius est in re, quàm ipsum esse: vita enim (inquit Galenus) nihil esse prius in animantis corpore potest. secundæ verò & propinquæ causæ effectus sunt propriæ particularesque corporeæ accidentales differentiæ posterius enti inhærentes, ipsumque terminantes. primæ nanque vniuersales causæ cum ad particularium effectionem descendunt, in propria, ac singulari contrahuntur, particulariterque. & sic ambæ vnà concurrunt ad indiui-

duum producendum. in producto autem indiuiduo inest esse, quod primæ causæ effectus dicitur. adiunt etiam affectiones propensionesque, quæ planetarum vestigia nuncupantur; insunt præterea propriæ indiuiduæque rationes esse contrahentes, definientesque: quæ proximæ causæ effectus nominantur: hæ autem à Neothericis septem recensentur, videlicet forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis, Patria; sunt septem, quæ non habet vnus, & alter. proximam autem causam hic nominamus accidentalium materialiumque causarum congressum, quę ad indiuidui constitutionem conueniunt: & si alibi formaliter proximam perficientem gignitiuum spiritum, ac calidum explicauimus. Prima itaque vniuersalis causa in particulari contracta, cùm per se habeat esse, & propria virtute agat, ac prima, fortisque sit ad agendum, tunc per se esse producit; & quoniã prima est, primò etiam illud in ortu efficit; & quia fortis constansque existit, ideo & ipsum constans, forteque ad dissoluendum reddit, vt non facile corrumpatur. vnde & bene isti inferunt, quòd vestigium, quod à prima causa imprimitur, scilicet esse, & prius imprimitur, & posterius deletur, quam reliquarum vestigia causarum. Et si enim proxima, propinquaque causa primam vniuersalem contrahat, terminetque; non propterea sequitur, quòd ipsa potior sit ad agendum, quando huiusmodi particularis determinatio, & posterior & inferior sit; & omne posterius suo priori innititur fouetuique semper. Et hæc dicta sufficiant pro Authoris sententiæ explicatione. ex qua quidem declaratione, clarum planumque est factum, quòd cœlestes motrices virtutes plus ad esse innati calidi & spiritus agunt, quam pulsatrices cordis facultates. Mox illud idem ostendit de agere ipso, & agendi vi, quòd innatus (iste) calor a primo alterante Sole vim alterandi verius habeat, quàm ab ipsa alteratrice animæ potentia: sicuti & formator spiritus à primo formante Deo perfectius vim informandi obtinet, quàm a formatrice animæ potestate; ait nanque Author ipse.

Et causa prima adiuuat causam secundam super operationem suam, quoniam omnem operationem, quam efficit causa secunda, efficit & prima: veruntamen prima causa efficit eam per modum altiorem & sublimiorem, quia efficit eam principaliter, & vi quadam eminenti quam explicare non possumus: Causa verò secunda & propinqua efficit operationem in vigore primæ, & (vt ita dicam) instrumentaliter quodammodo. & non figitur causatum causę secundę, nisi per virtutem causæ primę; quod est, quia quando causa secunda efficit rem, influit causa prima, quæ est super illam, de virtute sua super rem illam; quare adhæret ei adherentia vehementi, & seruat eam. Hac quippe sententia Author declarat, quomodo causa prima adiuuet operationem causæ secundæ, & det illi virtutem vt agat. superius proximam accidentalem, materialemque causam nominauimus accidentalium, materialiumque causarum concursum, quæ ad indiuidui constitutionem conueniunt: vt congrua materia, locus, tempus, patria, atque parentum voluntates, quæ ad accidentale, materialeque esse indiuidui faciunt, sicut & spiritus, & innatus calor ad eiusdem essentiale, formaleque esse conducunt. Secundam autem causam Author hic nuncupat proximam, & propinquam ex accidentali, materiali, atque formaliter efficienti causa constitutam, qualis est prædictarum causarum omnium congressus, cuius completa actio & factio est indiuidui & essentiale & accidentale esse efficiendum. de huius verò secundæ causæ actione, & factione Author intelligit hic, quòd causa prima adiuuet causam secundam super operationem suam, & quòd omnem actionem, quam efficit causa propinqua, facit & prima. hoc idē Proclus in libro de causis propositione prima affirmauit, dum dixit, omne quod producitur à secundis causis, à prioribus ac potioribus producitur, & eminentius. triplici nanque ratione Auctor asseuerat, quòd causa prima adiuuet operationem secundæ causæ; primò ex eo, quòd causa prima dat causæ secundæ virtutem agendi, Secundò quòd operatio causæ primæ est fundamentū operationis causæ secundæ. Tertiò propterea quòd causa prima regulat, & dirigit operationem secundæ causæ. primam rationē tangit Proclus in commento quinquagesimo primæ propositionis suæ, vbi vult quòd causa secunda habet à prima quod sit, quia habet ab ipsa substantiam suam; per consequens & potentiam operandi ab ea obtinet. à quo ergo quis habet substantiam, & ab eo virtutem habet quod operetur. Secunda ratio sumitur ex eo, quòd operatio causæ primæ est fulcimentum operationis causæ secundæ. nam causa secunda non potest attingere rem, nisi prius attingat eam causa prima. neque enim operatio causæ secundæ recipitur in re, nisi subter eam substernatur operatio causæ primæ quasi fundamentum eius: at hoc faciendo causa prima adiuuat secundam, & dat ei quod agat. quòd verò actio secundæ causæ in actione primæ fulciatur, conseruetúrque, octauo physicæ auscultationis docuit Philosophus, vbi scribit: Motum primi cœli vitam esse omnibus per naturā existentibus: quare & ipso primò motu vigente, reliqua mota suas motiones cōtinuant; at illo cessante, illico cætera à motu desisterent, neque enim moueretur ignis sursum, (inquiunt isti) aut lapis deorsum, quiescente cælo. Hoc idē in libro de substantia orbis affirmat Auerroes, inquens;

Si motus cœli aufertur, motus etiam inferiorum entium destruitur. Hæc ergo vna est cœli dignitas, & efficacia erga mundum inferiorem, vt pro illius motu infatigabili cæteri motus omnes & ordinentur, & excitentur. Tertia ratio habetur, propterea quòd causa prima dirigit, & regulat operationem causæ secundæ. cùm enim ipsa secunda causa sit veluti instrumentū causæ primæ; sicut igitur instrumentum habet quod agat ab arte, & iuuatur in agendo per virtutem artis, & regulatur per ipsum, qui habet artem; sic causa secunda quasi instrumentum causæ primę dirigitur per ipsam, & habet quod agat ab ea, & iuuatur per eam in actione sua. Ex his itaque expositis facilè vnusquisque conijcere potest quantum creatura suo Creatori tenetur, quantumque miser homo summum conditorem Deum amare, & colere debet. quod autem proxima, & propinqua causa sine adiumento primæ agere non possit, sic persuadere innitimur. Omne agens, in quo natura aliqua existit secundum participationem, non potest eam naturam alteri impartiri, nisi foueatur à superiori agente, in quo eadem natura principaliter fuerit, & eminentiori modo. Cùm autem singula particularia, & proximè agentia huiusmodi sint, quòd natura quam cōtinent, ac alijs communicare student, propria non sit, sed à superis participata: meritò igitur cùm mutuata & sua absolutè non existat, sine horum assensu, & fauore, à quibus illam mutuò obtinuerunt, nequaquam eam alteri impartiri poterunt. nam vt bene nos lex docet, id quod nostrum est, sine facto nostro ad aliud transferri non potest. nec id quod alterius est, sine eius arbitrio, alteri tradere licet. Quum igitur informans spiritus vim formandi participatione habeat, & non ex se, sicuti & innatus calor alterandi vim participatione retinet, & non per se; nam hic à Sole primo alterante; ille à primo formante Deo suas obtinet vires agendi: Quare necessum est, vt hic in formando, & ille in alterando à primo formante, & alterante foueantur, & adiumentum suscipiant. sic quidem clarum fecimus, quemadmodum formator spiritus, & innatus calor longè perfectius cùm esse, tum operari ab æternis orbium motibus sortita sunt, quàm à caducis cordis pulsationibus. Sed de his satis, & ad aliam difficultatem soluendam properemus.

Diximus nanque, quòd generatrix facultas naturaliter per se & alterandi, & perficiendi subiectum potentiam habet; nec hoc superius dictis contradicit, vbi asseruimus, quòd hanc ipsam vim communicatam à supernis motoribus contineat. neque enim repugnat, quòd participatam inde retineat, & quin sit sibi proprium, & naturale alterare, & perficere semper; quando hoc sit maximè mortalium omniū naturalissimum à primis æternis ordinibus dependere, vimque suam inde omnem habere, naturaliterque semper agere, ac operari cum hac ipsa connata cœlesti dependentia, & participatione. Propterea vbique Philosophus, vbi de agente generante sermonem facit, asseuerat quòd à cœli numine ille dependet, & diuini aliquid semper continet. secundo enim libro de anima ait. Naturalissimum enim operum viuentibus est, quæcunque perfecta, & non orbata generationem spontaneam habentia facere alterum, quale ipsum est. animal quidem animal, planta autem plantam; quatenus ipso semper & diuino esse, & immortali participant, secundum quod possunt: Omnia enim illud appetunt, illiusque causa agunt omnia, quæcunque agunt secundum naturam. Ex hac Philosophi sententia duo elicimus, primum quòd generatrices naturales virtutes omnes iuxta earundem capacitatem diuini, immortalisque numinis participes sunt, & huius virtute ignota nobis actione sibi similia naturaliter generant, & congruenter secundum naturam agere dicuntur. nec oportet, vt quis magis huius procreatricis virtutis incognita opera admiretur, quàm nutritiuæ, quæ alimentū animantibus præstat. vt enim hæc ex pane naturaliter cōficit sanguinem, ex sanguine carnem, os, neruos, & reliquas reficit partes; atque hæc omnia agit incognito artificio: nec propterea quisquam admiratione afficitur: consimiliter nec aliquis suspicit auctricis, motricisque facultatis incognitum operandi modum: pari ratione nec quis etiam huius formatricis virtutis naturales occultas effectiones admirabitur, nec illas secundum naturam esse ibit inficias; ineffabilis enim est, atque recondita longèq; nostra virtutis operatio. Alterum, quod ex vulgata Philosophi sententia habemus, est quòd productrices virtutes in rerum generatione verius formas inducunt, quàm educunt. cùm enim eis sit propriū & connaturale sibi similia gignere, vt hoc consequantur, opus est vt speciem, & formam, quam virtute, & in potentia factrici ipsæ continent, in materiei passiua potentia imprimant, inducantque, & sic res sibi similes facere dicuntur. hoc idem quòd forma verius inducatur, quàm educatur, primo de generatione animalium clarè Philosophus annuit, vbi seminis essentiam explicat, cùm dicit. Constat semen esse excrementum alimenti sanguinei, quod vltimò in membra digeritur, & quidem vim magnam ob eam rem obtinet. sanguis enim synceri salubrisque secessus resoluere potest; vtque filij similes parentibus sint, ratio exigit. simile est enim quod ad partes accesserit, ei, quod remanet: itaque semen manus aut faciei, aut totius animalis est manus indefinita, aut facies, aut animal totum indefinitum;

& qua-

& quale quodcunque illorum eſt actu, tale ſemen potentia eſt, aut corpulentia ſua, aut facultate, ſeu virtute, quam in ſe ipſo continet. Hactenus Philoſ. Virtus nanque ſeminis formatrix vim poſsidet, & manus, & humeros, & facies, & totum animal effingendi, ac ideo indefinitè, & in potentia factrici hæc omnia nominantur. & cùm ſecundum formam patris & principalis agentis affigiat, ſibi ſimile facit & gignit; inde filij ſimiles parentibus naſcuntur. ſic & procreatrix ſeminis virtus Petridominici genitoris mei dilectiſsimi me & ipſi in animæ moribus, & in corporis effigie ſimilem fecit: & vt externorum, ita & internorum bonorum me hæredem reliquit; & ſicut à patre formam, ſic & à Liuia matre corpus ſui cõſequutus. Deprecor igitur te Ieſum ſeruatorem vt vtriuſque chariſsimi parentis animas intra Beatorum Choros Beatas ſerues. Iuſta itaque ratione filius patri hæres ſuccedit; nam vt animam, & ſpeciem, ſic & reliqua cuncta bona iure ab ipſo nanciſcitur. ideo nanque aſsimilatrix actiua ſeminis virtus potentiam ſibi ſimile procreandi cõtinet; quòd ſi forte fortuna geniti fœtus parentibus non aſsimilantur, huiuſmodi à Philoſopho lib. 4. cap. 3. de generatione animaliũ monſtra nuncupantur, dum inquit; Qui enim ſuis parentibus ſimilis nõ eſt, monſtrum quodammodo eſt; diſceſsit enim in eo quodammodo natura ex proprio genere, cœpitq; degenerari. Cõcludimus igitur ex Philoſophi ſententia, quòd genitales formatiui ſpiritus, verius formam inducunt, quàm educunt. ſi enim virtus ex paſsiua menſtrui potentia formam educeret, nec illam induceret, effigiaretque; tunc dubia, & anceps admodum eſſet ratio ſimilitudinis inter generans & genitum, cùm paſsiua materiei potentia interminationis, infinitatis, confuſionisque ſit prima cauſa, & radix. Sed de his ſatis, & ad reliqua accedamus. Cùm autem agens, & patiens correlatiua ſint, nec vnum abſque altero facilè dignoſcatur, vtile duximus, poſtquàm de agente generante ſermonem fecimus, hic curſim naturale patiens explicare.

Naturale patiens corporeum eſt ex materia, & forma compoſitum, aptum natum ab altero pati; quod ſuo contrario inſtrumentali agenti debitè appoſitum ab ipſo patitur, permutatur, ac tandem ei ſimile ſit. pati nanque eſt ad paſsionem duci, & permutari, & agenti tranſmutãti aſsimilari. Id verò quod patitur, & aſsimilatur, compoſitum corpus eſt: at principium quod ineſt ſibi ratio patiendi, & permutandi; eſt materia informis ad omnes formas tranſmutari apta, & nata. Hæc quidem in ordine paſsionum, mutationumque omnium per ſe primum paſsiuum principium eſt. Quamobrem ſicut in cuiuſcunque actiuæ potentiæ diffinitione primi agentis rationem ſumendam eſſe docuit Auerrhoes, tanquàm id, quod ſit præcipua cuiuſcunque particularis actionis cauſa: Ita cuiuſlibet potentiæ paſsiuæ ratione primæ materiæ potentiæ rationem ſumendam fore admonet, tanquàm per ſe primam cauſam paſsionũ, mutationumque omnium. Ac ideo bene inquiunt, quòd vt motus, motionesque omnes ad primum referuntur motorem: ſic pati, paſsionesque omnes ad primam referuntur materiam. Mutari itaque & pati paſsiui proprium principij eſt: paſsiua nanque potentia ſecundũ Philoſophum eſt id, quod tranſmutationem in ſe eſt nata, aptaque recipere ſecundum quod eſt aliud; cum ſit manifeſtum nihil à ſe ipſo pati. In hominis autem effectione ſanguis menſtruus eſt paſsiuum principium, in cæterorum verò viuentium procreatione, quid ei ſimile, & proportionale erit, quod à ſuo contrario agente (ſpiritu ſcilicet formatiuo) naturaliter ad illius ſpeciei formam, quam virtute ſpiritus continet, tranſmutatur, ac ei ſimilis fit? ſi tranſmutandi conditiones omnes affuerint. neque enim omnis cauſa agens, quæ paſsiuo adiungitur corpori, in ipſum idonea eſt agere, ſed quatuor requiruntur, vt bene Galenus ſcriptum reliquit: agentis ſcilicet fortitudò, & patientis habilitas, & aptitudo; vltra hęc, debita approximatio, & congruum tempus, quo actionem efficere poſsit, deſiderantur. Philoſophus verò ſecundo de generatione animalium, cap. iiij. vltra congreſſum, & contactum tres etiam deſiderat rationes, cùm ait; quoniam & agens & patiens cùm ſe inuicem tetigerunt quendam in modum, alterum agens, alterum patiens eſt, vt ſic, & vbi, & quando, protinus alterum agat, & alterum patiatur, ibi Philoſophus addit locum, qui à Galeno prætermittitur. Sed præter has conditiones, addit Auerroes in frugi, & vtili actione, iuſtam proportionem inter agentis & patientis virtutem tum in robore, tum in debilitate eorundem requiri. Inquit enim, tandem generatio in animalibus ſit de neceſsitate ſeruata quadam determinata proportione in quantitate & qualitate, inter virtutem agentis, & patientis; nam ſi calor agentis eſt fortior quàm debet, efficit aduſtionẽ in materia, & non concoctionem; neque ex hoc fiet fœtus: & ſi eſt minor, quàm debet, operatur cruditatem in materia, & inconcoctionem; ex quibus etiam nequaquàm fieret Embrio. Hæc hactenus Auerroes de proficua naturali actione ad generationem, ſermonem faciens. Patietur itaque, & tranſmutabitur ſemper paſsiuum principium, à ſuo contrario agente, (ſeruata inuicem debita agentis, & patientis proportione, & penes reliquas ſuperius poſitas conditiones) ac ipſi agenti quantum poterit ſecundum formam aſsimilabitur. Id nempe, per quod patiens agenti aſsimilatur, eſt ipſa forma.

Et hæc

Et hæc eadem est causa, per quam agens sibi assimilat passum. æqualiter igitur & in actiua, & in passiua potentia producenda forma inesse asseueratur: pro eo autem quod in passiua inest, è materiei potentia educi dicitur; & hac de causa 12. Met. Auer. agens apud Arist. non est congregans inter duo in rei veritate, sed extrahens illud, quod est in potentia ad actum; extrahit nanque formam sibi conuenientem ex potentia ad actum, & non est agens, qui adducit in illam materiam aliquid extrinsecum. Pro eo nanque quod in actiua potentia forma existit, induci, & non educi ipsa affirmatur. Et hac ratione, idem Auer. scripsit, idem est agens disponens materiam, & inducens formam: & eodem lib. omne extrahens aliquid de potentia ad actum, necesse est, vt in eo sit aliquo modo illud, quod extrahit, & non quod sit ipsum, secundum omnes modos. istud autem agens formam inducit, & non educit; nam quod aliquis continet, & ex se illud expromit, alterisque communicat, verius dare, quàm extrahere dicitur. Præterea assimilare passum, quod facit agens, est (vti diximus) consimilem propriæ speciei formam passo impartiri. Forma itaque & extrahi, & induci æqualiter affirmatur; inducitur nanque, quatenus ab agente assimilante prosilit, & emanat; extrahitur verò, quatenus à passo assimilato exurgit, & emergit. Hoc quippe Diuus Tho. voluit, dum dixit. Vnum enim, & idem est, quod agens intendit imprimere, & quod patiens intendit recipere. rectè vtique sentiunt, qui genitam formam, & ex materiei patientis potentia, & ex agentis formæ vigore æqualiter ortam asseuerant, sicut aperto exemplo declaratur, ex semine enim masculi, & fœminæ menstruo, forma cuiuscunque animantis sanguinem possidentis proficiscitur. semen autem genitali spiritu informatum agendi potentiam nanciscitur, quæ est potentia transmutandi, & informandi mestruum. semen nanque vbi congruo loco, & tempore menstruam humiditatem adiuerit, illam permutat, & in congruum aptat organum ad animatæ formæ susceptionem: mox idipsum informat, & speciem elargitur. Menstruus autem sanguis, quoniam sibi deest spiritus genitalis, & vis agendi, solum superest ei materiei potentia, quæ est potentia transmutandi, & informandi à semine informante, & transmutante. ac ideò rectè vbique locorum in lib. de generatione animaliũ, recenset Philosophus, quòd fœmina in fœtus procreatione materiam præbet, & corpus: mas verò principium motionis, & animam exhibet. Sanguis etenim menstruus à semine masculi prius in congruum propriæ formæ permutatur organum, mox ab eodem perficitur, & informatur. ista nanque actiua, & passiua seminis, & sanguinis menstrui potentia ita sunt comparatæ, & factæ à natura, vt congruo tempore simul in proprio vase naturaliter iungantur, & vniantur; ac vna permutandi, & formãdi vim habeat; altera vt permutetur, & formetur virtutem possideat. Actiua nanque passiuam actuat & format; & sic forma ibidem imprimitur, atque inducitur. passiua ab actiua actuatur & formatur. & ita forma inde extrahi, & educi dicitur. producta autem forma, sicut & genitũ corpus, hinc & inde suæ productionis esse refert acceptum. sic quippe patet, qualiter producta forma & ex materiei patientis potentia, & ex agentis vigore æqualiter proficiscatur. Materiei verò potentia ad formas satis seruatur, quatenus ex assimilato passo, atque præparata materia vi agentis vltrò exeunt formæ, & esse nanciscuntur: nam formam extrahi de potentia materiæ nihil aliud esse dicimus, quàm aliquod fieri actu, quod prius erat in potentia. Hactenus de tertio in ordine efficiente.

CONNATVM VIVENTIS *calidum proximum alterans est in animantium corporum factura.*



PROXIMO Capite ostendimus, quemadmodum efficiens causa, vnde est principium motus, & actionis, materialis est forma, immobilis, inseparabilisque à corpore, cuius est forma. hæc quidem cum incorporea sit, & per motum, & transmutationem agere debeat, nunquàm suam actionem assequi poterit, nisi corporeum ei instrumentum adiungatur. forma enim apud Peripateticos agendi formale principium dicitur, & quo exoritur actio. at id quod agit, & operatur, ac rem perficit, est ipsa essentia substantiæ compositæ: etenim omnia, quæcunque aut natura, aut arte efficiuntur (inquit Philosophus) ab eo quod actu est, fiunt ex eo, quod potentia tale est. hoc idem Diuus Thomas affirmat, dum dicit: omne corpus agit secundum quod est actu in aliud corpus, secundum quod est potentia. à forma nanque est propensio, vnde naturaliter actio exoritur: quod verò actu mouet, & agit, est ex materia &, forma compositum. Et hac ratione asseuerant formas substantiales materiales, neque

actiuas

actiuas, neque passiuas essentialiter esse. Quamobrem bene ait Auer. necesse est autem agens generans habere organum; quoniam vna ex conditionibus agentis est, quod contingat: aliter non fieret actio, & passio: est quoque ex conditionibus contingentis esse corpus. ea nanque dicuntur inuicem tangere: quorum extrema sunt simul. Oporter igitur ipsum agens generans esse aut corpus, aut generans per organũ corporeum: sed falsum est, quòd sit corpus; relinquitur igitur quòd sit de necessitate generans per instrumentũ corporeum. Secundo enim de generatione animalium Cap. 4. refert Philosophus, quòd agens duplicem recipit differentiam, alterum enim est principale, vnde motus actionis exoritur. alterum instrumentarium dicitur, quo ipsum principale vtitur ad actionem explendam. Quod quidem instrumentum adhuc duplex existit, vnum, cuius munus est præparare, & disponere res ad actus, & perfectiones, & præparans instrumentum dicitur. Quòd si contingat rem ipsam seruare, ac fouere, conseruans etiam nominatur. Alterum est, quod cuiuscunque animæ potentiæ actus explet, & singulam quamque rem in animante perficit, & perficiens appellatur organum: & hac ratione dixit Alexander. Instrumentum est, per quod vel solum aliquid, vel optimum fit. Et hoc inspexit Philosopus, dum ait, Instrumentum omne est alicuius gratia factum. Naturæ igitur nos ordinem insequentes, primum de alterante instrumento dicemus, mox de perficiente, & generationem absoluente sermonem habebimus. Dicimus itaque, quòd in viuentium corporum factura præparans organum est generatricis potentiæ connatum calidum, quod tum propria, tum à Sole acquisita virtute alterandi, & disponendi patiens vim habet ad actum principalis agentis consequendum: istud etenim & ad actus expromendos, & ad formas excipiendas semper disponit. Insitum quippe generatricis virtutis calidum disponens, ac conseruans organum, in qualibet procreatricis virtutis opera constituimus, dum salubre, & secundum naturam extiterit: ipsum nanque naturale id instrumentum est, quod suum debitè propinquum passum intus, & extra tangit, & vndique illud alterat, & præparat ad fines, & actus, ac ad nouam substantiam suscipiendam, eamque ipsam susceptam seruat etiam & fouet. Vt autem rem ipsam ordine exponamus, prius explicabimus, quid sit calidũ innatum. Secundò quidnam eius proprium dicatur officium in animãte corpore; & quid elementaris calor operetur in factione corporum inanimatorum. Tertiò, quomodo Medici, & Philosophi vtplurimum innato calido abutantur, & cum spiritus munere confundant. Postremum narrabimus, vt insitus calor à primo alterante Sole alterandi vim acceptam referat. Sed quidnam ipse sit, prius exponere aggredimur.

Hunc quidem innatum calorem præstantiores Medici, & Philosophi temperiem, & crasim viuentis corporis nominarunt; neque enim aliud quicquàm est connatum calidum apud Hippocratem (inquit Galenus) quàm temperatura corporis animati. Hæc autem animatorum corporum temperies duplex à Medicis recensetur, vna partium corporis tam similarium, quàm dissimilarium; quę quidem in prima viuentis effectione ex seminis & menstrui sanguinis commixtione à virtute formatrici conficitur. Altera est, quæ in prima etiam animantis fabrica, iam ortis principibus membris, præcipuè corde, & iecinore, efficitur ex perfecta mixtione massæ sanguineę intra venam cauam, & arteriosam cordis persistente. quæ deinceps per venas, & arterias singulis communicatur membris: vbi musculorum totius corporis altera constituitur crasis, quæ totius temperies dicitur. Et hæc temporis successione, & variatione variatur, & mutatur iuxta sanguinis in prima radice mutationem, aut ad calidum, aut ad frigidum, seu ad humidum, siue ad siccum. at partium crasis in sua natura immutabilis permanet vsque ad extremum senium. harum verò vtriusque temperierum effectionem libro primo de natura humana clarè nos docuit Hippocrates, vbi ait; corpus humanum continet sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem, & hæc illi sunt natura corporis, & propter hæc ægrotat, & sanum est. Sanum quidem est, vbi temperamentum hæc inter se habuerint moderatum tum facultate, tum copia, & vbi maximè fuerint permixta. vbi nempe humores ipsi in sua iusta & debita quantitate, & qualitate moderati, ait Hippocrates, (tam hi qui in semine, & sanguine menstruo, quàm hi qui in vena caua, & arteriosa persistunt) fuerint inuicem optimè commixti, & temperati, naturalis inde emanat temperies, tam partium, quàm totius. Et iam carneorum, quàm spermaticorum membrorum, quæ & innatus dicitur calor, quatenus ipse in amicitia hos simul iunctos naturaliter continet. huius quippe innati calidi officium & munus est nutu animæ & generatricis facultatis alterare & disponere semper; idcirco & earundem alterans nominatur instrumentum. Omne nanque instrumentum (inquit Alexander Aphrodiseus) proportionale cum eo, cuius est instrumentum, esse necesse est: quod si secus fuerit, frustra assignatur instrumentum; idcirco addit: Oportet igitur connatum calorem esse simplicem, indissolubilemque complexionem, ad hoc vt sit animæ instrumentum. ipsa nanque vndique moderata & temperata crasis, & ad animæ potentias comparata, & ad earundem opera relata, semper est proportionalis, & quodammodo

dammodo

dammodo similis. Hæc profectò temperies & naturalis, & insita caliditas æqualiter nuncupatur; naturalis & insita dicitur, quoniam ex primis insitis naturæ principijs est exorta: calida verò nominatur, quoniam calor in ipsarum qualitatum temperie cæteras qualitates superat: idque iure euenit, quando omnium qualitatum caliditas est efficacissima. Hactenus Alexander in lib. de Febribus; quem nos in tractatu nostro de natura humana insecuti, idem confirmauimus; vbi scripsimus, quòd animantium natura, & temperies, & calor innatus indifferenter ab Hippocrate nominatur; temperies nanque dicitur, quoniam primæ ipsæ qualitates temperatæ & moderatæ sunt: calor verò innatus, quia calor in natiua prima animantis mixtione omnibus præfertur humoribus; ipse nanque cęteris collatus se habet vt agens, & vt forma; reliqui vt materia & patiens. Hoc idem Galenus pluribus in locis confirmat; in libro enim de tremore & rigore ait; Calidum innatum esse naturam, & substantiam animantis corporis, quæ ipsum regit & gubernat. Postea ibidem subiungit, hoc siquidem calidum mixtum est, & ex calore & frigore ortum habet. In primo autem libro de vsu partium scribit hanc ipsam natutam corpus nostrum regentem (quam & calidum aliàs nuncupat) esse temperiem ex primis quatuor elementis moderatam. idem secundo Aphorismorum, & libro secundo de natura humana repetit; naturam consistere in elementorum commoderatione, eiusdemque essentiam in eorundem quatuor temperatione positam esse: nam singuli id esse quod sunt, ob quatuor qualitatũ primarum certam quandam temperiem contingit. hoc idem alibi millies confirmat, & aliàs centies eam ipsam temperiem connatum calidum nuncupat. secundo autem libro ad Glauconem ita scriptum reliquit. Calor natiuus vel est virtutum substantia, (vt summi tum Philosophi tum Medici existimarunt) vel si non hoc, saltem primum, & maxime necessarium ipsarum instrumentum. Ex ijs omnibus & Alexandri, & Galeni dictis colligimus, connatum calidum (quod idem cum temperie & natura prisci fecerunt) opportunum ac idoneum animæ instrumentum ab eisdem fuisse nominatum, per quod ipsa in suas omnes functiones commodè descendit. At cum instrumentum (vti supra retulimus) duarum sit specierum, vnum quod præparans, & disponens dicitur; alterum, quod res perficit; & perficiens, atque absolutum nominatur. Innatum autem calidum propriè acceptum prout est essentia à spirituum substantia distincta, verè disponens organum facimus, & minimè perficiens: ipsum nanque verè præparans animæ instrumentum est, pro quacunque perfectione, & fine in animante corpore consequendo: id quod persuadere facile erit, si innati calidi natutam & proprium munus in singulis principibus membris declarabimus.

Primum itaque argumentabimur à natura insiti calidi, Secundò ab alterandi munere, quod habet quatenus est animæ instrumentum. calidum enim ex propria natura naturaliter calefacit, & cùm innatus, & temperatus sit pro animantiũ vita, moderatè etiam secundũ insitam eorundem naturam id molitur; & cũ primum è temperie excesserit, innaturalis euadit. Eius autem munus, quod in animante corpore possidet, varium est, ad loci & partis varietatem, in quo calor ipse retinetur. Qui nanque in corde existit calor, continuè calefacit, & debitam materiam præparat vitali faculiari ad vitalium spirituum productionem, (qui vitæ actus functionesque omnes explent) eosdemque productos conseruat, & fouet. qui nanq; in cerebro est connatus calor, & hic vltra calefaciendi vim, vitales quoque spiritus præparat animanti virtuti ad animales procreandos spiritus, qui deinceps principium facultatum ordinata organa sunt ad principes obeundas functiones. At qui in hepate est calor, & hic secundum loci naturam calefacit, idoneamque etiam materiam præparat altrici virtuti pro naturalium spirituum formatione; quos ponere cogimur, cùm altrix anima, sicut & reliquæ cunctæ, incorporea sit, & per motum & transmutationem suam expleat actionem, Quare & ipsi corporeum instrumentum, sicut & alijs iniungi est necesse. Hic igitur naturalis spiritus iure altrici animæ, vt congruum instrumentum adiungitur ad naturales suas perficiendas operationes. Et hic à multis tanquàm materia existimatur esse, tum vitalis, tum animalis spiritus. calor verò qui in seminalibus vasis inest, materiam generatrici facultati disponit, pro formantium spirituum productione, qui ibidem producuntur: quos quidem formantes spiritus, alij inter naturales, alij inter vitales recensent, nos vtriusque naturam sapere dicimus. At quod in fœcundo semine est connatum calidum, ad intra vterum generationis vas ordinatum, iniectum, & menstruo sanguini suo debito passo commixtum, ipsum intus & extra alterat, ac vndique disponit ad nouam substantiam, & formam recipiendam.

Et hac fortasse ratione Galenus in libro contra Lycum, semen, sanguinemque menstruum calidum innatum nuncupauit, quatenus eorundem naturalis caliditas primæ nostræ fabricæ conducit. Idem dicendum de innato calore ventriculi, Lienis, Renum, Septi transuersi; quorum quilibet præter naturalem calefaciendi vim, præparando deseruit proprijs facultatibus, &

spiriti-

spiritibus ad suas obeundas functiones: Hæ quippe septem in corpore particulæ sunt, quæ septem in orbe planetis correspondent. Vt enim illi alterando, & præparando, totum mundum custodiunt primo mobili; sic & partes istæ alterando, & præparando, corpus totum conseruant cordi. Quæ verò in singulis membris naturalis est caliditas, hæc naturali suo fauorabili tepore per singulas corporis partes vndique insitos complantatosq; naturales, vitales, animalesque spiritus fouet, & conseruat. In generatione verò cunctorum vegetantium, atque in animalium (quæ ex putri oriuntur materia) procreatione, erit in aquis, & terris suum proportionale innatum calidum, quod & calefaciet, & in eisdem corporibus debitas materias præparabit ad suos actus & formas explendas. Sic quippe inductione per singula membra verum munus innati calidi declarauimus; ostendimusq; quòd proprium eius officium est alterare, disponere, & conseruare, & non rem ipsam perficere. Quare propriè alterans, disponens, & conseruans dicetur instrumentum, & minimè absolutè perficiens. & si sæpius legatur temperamentum animæ perfectum instrumentum esse, quod animantis actus & res perficiat, hoc quippe intelligitur, quatenus est suis debitis, & iustis spiritibus tum insitis, tum influentibus, ornatum, & prædituм; & quatenus semper simul sunt, & calor, & spiritus ad agendum. hæc profectò primo Aphorismorum voluit Galenus dum ait. Verum ipsius primæ nostræ naturæ, seu temperamenti tria sunt quæ substantiam complent, spiritus scilicet, sanguis, & seminalis humiditas. & lib. xj. Methodi medendi confirmat, naturam ex tribus partibus constare, ex spiritu videlicet, ex solidarū partium substantia, quæ partes ex genitali semine conditæ sunt: & tertiò ex carnosa substantia, quæ ex sanguine gignitur. Sic vtique Galenus tam partium natiuam temperiem, quàm musculorum totius corporis suis debitis spiritibus præditam, perfectam dicit esse animantis naturam, & absolutum animæ organum ad omnia eius munera absoluenda. Hoc quidem dicendū de sua vniuscuiusque solidarum partium vnitate, in qua virtutis tonus conseruatur: quòd nec ipsa debita vnio partium simpliciter natura, aut animæ organum dici meretur, nisi suis debitis, & complantatis & influentibus spiritibus fuerit prædita.

In mixtorum autem, perfectorum, atque inanimatorum corporum procreatione suū peculiare & proprium alterans, elementare ipsum calidum constituimus. hoc quidem ipsum est, quod elementa perfectè vnit, componit, & ad mixtorum compositorumque formas recipiendas disponit, & præparat. quum enim quatuor prima elementa, calidum scilicet, frigidum, humidum, & siccum, mixtorum, compositorumque omnium prima semina sint, ex quibus mixtæ compositæque res cunctæ procreantur: ad harum autem effectionem, & compositionem calidum, & frigidum, vt actiua, humidum, & siccum, vt passiua concurrunt principia; hæc quippe rationem subiecti & materiæ habent, illa verò rationem formæ & agentis obtinent, in ipsa scilicet mixti & compositi factione: nam in mutua ipsarum transmutatione æqualiter omnia actiua, & passiua nominantur. dicimus itaque quòd in simplicium corporum mixtione, humidum & siccum ex propria eorum natura miscentur. Nam siccum in mixtione ex se connecti, & vniri non potest, cùm facile dissipetur; idcirco indiget humido aqueo coniungente ipsum, veluti humidum sicco, quod eum terminet. hæc quidem ad inuicem mixta semutuo continent, non tamen compositionem exactam ipsa per se possunt operari; sed indigent calido, & frigido hæc coniungente, & permiscente: sicuti manifesto exemplo declaramus. Etenim in fictilium opificio humidum, & siccum congressam materiam fictilium operantur; frigidum verò hanc compingit, & calidum mutat maximè, & facit fictile. Sic pariter in naturalibus compositis res se habet. in huiusmodi autem rei mixtæ effectione frigidum calido cedit, & secundas semper tenet. Nam frigidi effectio in humidi & sicci concretione & mixtione vltra quòd minus efficax sit, quàm ipsius calidi, est prorsus etiam confusa & inordinata: nam cum ea sit frigidi natura, vt homogenea, & etherogenea æqualiter cōgreget: tunc ex propria ratione omnia in vnum aceruum cogit, & indiscretè constipat. contrarium frigori calor operatur, hic nempe ad rerum generationem, & conseruationem aliena separat & expellit, homogenea tantum congregans, & continens, & ad esse, & subsistentiam illa disponit; quare vt animatæ ita & inanimatæ formæ instrumentum, calidum dicunt. Ipse quidem calor ad agendum omnium efficacissimus existit: vnde & ipsi primò mixtorum corporum generationem Prisci attribuere. quando componere per se ei primò conueniat; calidi nempe natura est homogenea congregare, aliena verò extollere, & separare: cùm autem per compositionem mixta cuncta gignantur, necessariò eorundem compositio per se primò calori inerit: Nam si debet fieri mixtio accommoda naturę cuiuspiam corporis, necesse est, vt ea inuicem componantur omnia, quæ conueniant naturæ illius corporis; at hoc caloris proprium est, quòd homogenea congregat; & frigori omnino non conuenit, cuius est dissimilia iungere simul. Quum igitur calor recta certaque via ad rei mixtæ & compositæ factionem progrediatur, consimilium (inquam) rerum concretione, & dissimi-

lium separatione. frigus verò inordinatim ad id se habeat, similia dissimiliaque æqualiter congregans, & in aceruum congerens, nimirum si & in frigidorum etiam mixtorum corporum productione frigus ipsi calori cedat, & primas concedat partes. nec inconueniens est, vt mixtum frigidum à prædominanti qualitate tale sit, taleq; dicatur, & quòd à calido (vt producentis formæ instrumento) in sui factione adiumentu suscipiat; instrumentum enim nō fit pars rei secundum Auer. sed post rem factā dissoluitur. Nec nos interim latet à frigido coagulari multa, quæ à calido dissoluūtur: ac multa pariter à calido, & frigido simul concrescere, vt Metheoror. iiij. refert Arist. nam hæc omnia asserimus perpetuò à suo congruo calido prius ad horum præparari commixtionem; mox à frigido, vltimam tandem concretionem pro formarum susceptione assumere; in solubilibus quidem remissius, in insolubilibus verò intensius. hoc idem 2. col. voluit Auerroes, quòd compositum mixtū omne generatur per medium concoctionis, & caloris. quòd verò Philosophus 2. de generat. animal. ait, quòd natura & frigido & calido vtitur veluti instrumentis commodis ad dissimilium animantis partium structuram conficiendam. dicimus, quòd non simpliciter frigidum sed remissum, diminutumq; calorem ibi intelligit, sicut ibidem ipse refert, frigus priuatio caloris est; & alibi idem repetens dixit, indigentiam caloris frigidum nuncupo. Sed de his satis.

Superest modo, vt vnde diuertimus, reuertamur, & decernamus quæ fuerit causa vt prisci, & recentiores Medici, & Philosophi omnes vbique indifferenter alterans simul, & perficiens animæ instrumentum, innatum calidum prædicent: nec vllibi sicut nos fecimus illud distinguunt: vt facile videre possimus apud omnes. In lib. nanque de iuuentute & senectute di-
„ xit Philosophus. Omnes autem partes & vniuersum animalium corpus connatam habent cali
„ ditatem, quapropter dum viuunt quidem apparent calida; omnia nanq; conficiunt, & alimentū
„ concoquunt naturali calido, idque in primis, quòd præcipuum est cor, vel quòd illi proportio
„ ne respondet. idem in lib. de respiratione affirmat, quoniam autem dictum est prius, quòd viue
„ re, & ipsius animę habitus non nisi cum quadam est caliditate, concoctio nanque per quam ali-
„ mentum animalibus præparatur, sine anima, & calore non conficitur: igne nanque omnia ope-
„ rantur. Idipsum Alexander asseruit, dum ait, neque enim possibile est animam citra huiusce-
„ modi calorem in aliquod agendi munus descendere. idem in plurimis locis Galenum confir-
„ mare legimus; primo enim Aphorismorum inquit; hic nanque calor solus animal ab initio af-
„ formauit, postea auxit, & vsque ad mortem enutriuit, & vt paucis finiam, hic calor est causa
„ omnium operum naturalium, nec aliud quicquam est natura animalium, quàm hoc calidum
„ innatum secundum Hippocratis opinionem. Secundò verò libro ad Glauc. dicit natiuus ca-
„ lor fortassis substantia virtutum existit, & si non hoc, saltem primum, & maximè necessarium
„ ipsarum instrumentum. libro verò octauo de placitis Hippocratis, & Platonis, scribit; Hippo-
„ crates verò semper innatum calidum omnium naturalium operum esse authorem testatur. at in
„ lib. de tremore, & rigore ita prodit; calidum innatum, quod & naturale, & primarium, insitum-
„ que vocamus, & præter ipsum natura atque anima nihil est, vt essentiam seipsam mouentem,
„ semperque mobilem existimans, nihil erres. Hęc & alia multa eiusdem sensus passim apud Galenum leguntur: quæ superius datam distinctionem dubiam suspectamque reddunt. Pro horum igitur omnium clara dilucidatione primum dicimus; quòd calor, & spiritus ferè semper simul insunt; nec vnquàm inuicem disiunguntur, quando perpetuò mutuò se fouent & seruant: quod tum ipsorum instrumenta attestantur, arteriæ (inquam) & venæ, quibus ipsi reconduntur, (quæ per animantium corpora quasi semper simul incedunt, & rarò inuicem separantur) tum etiam eorundem functiones fidem faciunt; quæ naturali quodam ordine se consequuntur. Nam quantum calor naturaliter alterando præparat, tantundem spiritus rem absoluendo perficie. & hac profectò ratione quòd mutuò se alunt; & vnà semper sunt calor & spiritus ad opus perficiendum, effectum est; vt ambo vno communi nomine vt plurimum à Medicis, & à Philosophis sint nuncupati. Quare modò sub calidi, modò sub naturæ, modò sub temperiei nuncupatione significentur: & vt nomine isti abutuntur, ita & eorundem operationes confundunt. Nam sæpissimè quæ spiritus, aut quæ vtriusque sunt functiones, soli calori attribuūt, aliquando & spiritui, nullo habito ipsorum discrimine. Quamobrem concludimus, quòd ob prædictas rationes isti sub nomine innati calidi; & temperiei, quasi semper calidum & spiritum simul intelligunt: Simulque etiam eorundem diuersas actiones vnam faciunt; & dicunt. Et sub hac significatione quinto de Simp. medic. facul. Galenus calorem insitum explicanit, dum dixit; Verum nihil prohibet sanguineam substantiam, simulque aeream vnà cum spiritu calidum inaudire innatum. Nos verò rei naturam insequentes, dicimus quòd hæc naturaliter differunt: quoniam innatus calor; & spiritus, & vasibus quibus reconduntur, & nominibus quibus denominantur, & substantia, & operatione, & effectibus distinguuntur.

Quòd

Quòd diuersis nominibus nuncupentur, & quòd hic arterijs, ille venis conseruetur, non expedit vt longo probemus sermone; cùm vnicuiq; rei medicæ perito sit manifestum: quòd & substantia differant, persuadere conabimur, quoniã spiritus, & qui ex æthereo tepore, & qui ex inspirato, purgatoque aere, atque ex sanguinis pura exhalatione apud cordis viscera est cõfectus, ex omni parte est absolutus, & à contrarietate remotus. Tepor enim æthereus ex ignis sphæra mitis est substantia, vndique à motu diuino elaborata, & perfecta; vt vnicuique congrua, proficuaq; existat. Aereus verò spiritus, qui apud viuentium corda, aut cordis proportionales partes gignitur; & si ex inspirato purgatoq; aere, & ex sanguinis attenuatione, & halitu apud medicos insurgat, nihilominus pro maiori sui parte ex aere constat. Quare & aerationem Galenus eum sæpius nuncupat; qui quidem aer in cordis ventriculis inspiratus, & calefactus, & sua fuligine expurgatus, ad teporis cœlestis substantiam accedit, ac eidem simillimus fit. quamobrem vterque ipsorum æqualiter perfecta dicitur substantia, remota ab omni contrario. quæ à Gal. lucidum, æthereumque corpus, substantia seipsam mouens, semperque mobilis, nuncupatur: ab Hippocrate impetum faciens appellata: ab Alexandro animæ, & corporis vinculum dictum est: ab Aristotele malleus animæ ad omnia peragenda munera commodus: à Platonicis verò quasi non corpus, & quasi iam anima, item quasi non anima, & quasi iam corpus. & si in dies dissolui, & corrumpi visuntur, innati calidi corruptione & dissolutione deficiunt, quo fouentur, & aluntur; & non à proprio corrumpente contrario id patiuntur. Similiter qui in febre, & melancholia spiritus incenduntur, & alterantur, hæc compatiuntur cognati sanguinis incensione, & alteratione. Calor autem innatus, qui & temperies aliàs dicitur, quamuis temperatus nominetur, tamen ab efficacissima, quæ in eo præualet qualitate, calidus est, & actu talis reperitur, nec omnino à contrarietate immunis existit; proinde nec eius perfectionis asseritur, cuius spiritus substantiam esse asseruimus. Propterea inquiunt, quod in agendo à suo contrario repatitur, & si imbecillius fuerit, tandem deuincitur, & corrumpitur. Idcirco tum alterando, tum disponendo cum tempore, & resistentia semper agere affirmatur. quum enim contrarietatis sit particeps, non potest, nisi cum sui contrarij repugnantia agere, quæ suam retardat operationem, & successiuam reddit. Spiritus verò siue æthereus, qui apud ætera fit; siue aereus, qui apud viuentium corda, aut cordis proportionales partes formatur; cùm ambo æqualiter sint perfectæ substantiæ, & seiunctæ à quocunque contrario, in instanti ac subito absque vlla resistentia operantur, & rem perficiunt. Ipsi etenim sunt qui amplæ materiei possibilitatis particulares potentias implent, & informant.

Hanc verò calidi, & spiritus distinctionem secundo de symptomatum causis Galenus annuit, vbi scribit, quòd verò ad animi essentiam pertinet, quæcunque illa fuerit, è duobus alterum fateri oportet; aut quòd omnes functiones, vt primis instrumentis vtatur, & spiritu, & sanguine, ac vel alterius, vel vtriusque calore; aut quòd in his ipsis consistat. Idipsum quoque lib. Aphoris. quinto confirmat, dum ait; hæc enim est quædam ratio communis; in quibus natura aliquid violenter excernit, eò sanguinem ac spiritum tendere; quibus duobus veluti instrumentis natura vtens, ea quæ infestant, per vim expellit. sed melius Philosophus secundo de generatione animalium; istam calidi præparantis, & spiritus informantis diuisionem vidit, dũ dixit. & quemadmodum non securim, neque aliud instrumentum, diceт vtique quispiam factum esse ab igne solo, sic non pedem, non manũ, eodemq; modo neque carnẽ, nam eius quoq; aliud officium est: dura igitur, mollia, lenta, rigida, & quicunq; alij effectus partibus insunt animatis, à caliditate, frigiditateue effici possunt: at ratio qua aut caro, aut os est, non potest: sed a motu efficitur, qui à generante est, quòd actu est id, quòd potentia est id, ex quo gignitur. quemadmodo in ijs quoque agitur, quæ arte efficiuntur: ferrum enim durum, aut molle efficitur calore, vel frigore; ensis verò à motu instrumentorum, qui artis obtinet rationem. Ars enim principium, formaque eius quod efficitur, est, sed in alio: motus autem naturalis in ipso est, ab altera profectus natura; quæ actu formam habet. hæc eadem circa finem quarti Methcor. scripta leguntur in hunc modum, tales igitur partes caliditate, & frigiditate, & harum motibus contingit fieri coagulatus calido, & frigido: dico autem quæcunque homeomeræ vt carnem, neruos, os, pilos, & quæcunque talia: omnes enim differunt prius dictis differentijs, tensione, tractione, comminutione, duritie, mollitie, & alijs talibus: hæ autem à calido, & frigido, & motibus fiunt mixtis. Constitutæ autẽ ex his Anomeomeræ aut vtique videbuntur, vt caput, aut manus, aut pes: sed vt & faciendi æs quidem, aut argentum causa frigiditas, & caliditas est, & motus eius: quod autem serra, vel fyala, vel capsula non etiam; sed hæc quidem ars; ibi autem natura, vel aliqua alia causa. Hac quippe sententia Philosophus per similitudinem argenti, & æris quæ arte conficiuntur, declarat, quemadmodum primæ similaresque animantis corporis partes potentia, & vi primarum & secundarum qualitatum conformantur, eisdemque distinguuntur. dissimilares

verò, & organicæ non ab his; sed aut à natura, aut ab alia præstantiori causa, (quales sunt opifices virtutes, & formatores spiritus) efficiuntur: hi vtique longè nobiliores efficacioresque causæ sunt, quam hæ, quæ naturales dicuntur. Has quidem duas totius generationis virtutes conditrices, Gal. cognouit, primam scilicet, quæ per qualitates primas, & secundas operatur, quæ alteratiua virtus, seu immutatiua prima nominatur: alteram etiã quæ formatiua, seu ars optima, siue virtus agens præcepto sui Creatoris dicitur; sicut primo de naturalibus facultatibus cap. quinto testatur his verbis; veeum generatio simplex quædam actio naturæ non est, sed ex alteratione formationeque composita: vt enim os fiat, item neruus, vena, & reliquarum quælibet, alteratã esse oportet subiectam, vnde animal fiat, substantiam: vt verò congruentem figuram, & posituram, & cauitates quasdam, atque propagines, cohalitusque, & alia id genus habeat, effingi eam oportet, quæ alteratur materia; quam vtique animalis materiam appellans, veluti nauis ligna, & imaginis ceram, minima errabis. in subsequenti capite hoc idem declarans subdit. cæterum alteratrices naturæ facultates, quæ particulares sunt, omnes & tunicarũ ventriculi, & intestinorum, & vteri substantiam, qualis est, effecerunt. compagem verò formamque ipsarũ formatrix quædam virtus effinxit, quæ ars optima existens tam consulto, & artificiosè compingit singula, vt nõ possint aliter se habere melius. Nec desunt qui his duabus virtutibus, immutatrici scilicet, & formatrici tertiã addunt seminatricem virtutem, quæ semen procreat & gignit: nos verò hanc cum formatiua vnam facimus; eadẽ nanque specie est, quæ in testibus semen procreat, & quæ in vterũ iniecta corpus formandi vim habet. Quòd & effectoribus spiritus, & calor distinguantur, clarè ostendimus. Nam hic primò alteranti Soli & esse, & operari refert acceptum. Ille verò à primo formante Deo suam omnẽ obtinet perfectionem. Qui verò in vegetabilibus, & in rebus inanimantibus inest calor, & hic eodem modo à suis complantatis spiritibus differt; sicut de animantium sanguineorum calore retulimus. Quomodo autem à primo alterante Sole vim alterandi innatum calidum consequatur; quomodoque hæc sibi sit propria, ac connaturalis potentia, perscrutandum superest.

Dicimus itaque, quòd quamuis connatus animantis corporis calor siue cordis, siue cerebri, aut iecinoris, aut seminis, aut cuiusuis alterius corporis partis ille fuerit, quamuis (inquam) proximè ex primis viuentis principijs sit complantatus, proximèque ab eisdem & procreatrici animæ facultate suum esse, & operari habeat: nihilominus à Solis, & cæterorum syderum cursu, & luminibus id nobilius, fœliciusque consequitur: & si fortasse longinquius inde, atque communiter habeat. Sol nanque, & cæteri planetæ suis motibus & luminibus prima origo, & fons asseritur in mundo hoc corruptibili cuiuscunque geniti calidi alterandi, præparandiq; vim habentis. illud nanque est maximè calefaciens, quod est principium alijs calefaciendi: & illud est primũ alterans, quod est ratio alijs alterandi: atque illud vberius, ac fœlicius præparat, quod est alijs regula, & forma præparandi. Hoc quippe doctissimè Author de causis expressit, dum ait, omnis causa primaria plus est influens super causatum suum, quàm causa secunda propria: idemque & causa primaria adiuuat causam secundã super operationem suam. Causa enim prima (inquit Author) adiuuat causam proximam ad agendum, & plus in effectu imprimit, quàm ipsa. Hoc idem octauo Physico. Philosophus comprobat, dum ait; quòd omnis motus hic inferior, ad primum & superiorem reducitur. Nec propterea quòd insitus calor alterandi, præparandique vim participatam à supernis retineat, sequitur quin illa sit ei semper propria, & naturalis: quando à supernis dependere sit mortali vnicuique propriam & secundum naturam. Vt igitur Sol & planetæ multis, varijsque suis motionibus, multiplici quoque, & varia suorum radiorum reflexione multipliciter, varijsque modis informem materiam præparant, & disponunt ad rerum actus & formarum susceptionem: Ita naturalium rerum calor ipse innatus Solis, ac cæterorum syderum alumnus multipliciter, varijsque modis idoneas viuentium corporũ materias alterat, & disponit ad suos actus, & viuidas excipiendas formas. Rem itaque colligentes dicimus, quòd quemadmodũ formator spiritus singulas particulares materiei potentias perficiens, formamq; ipsam exprimens primi formantis Dei, vt organum est (sicut in subsequenti capite dicetur). Ita connatum testium, ac fœcundi seminis calidum inexistente, atque animante corpore materias alterans, & disponens ad actus & formas recipiendas primi alterantis Veneris, & Solis particulare disponens organum facimus. Vt igitur particulares determinatarum specierũ virtutes formaliter actus suos elicientes, & rem quamlibet perficientes ad diuinum referuntur principium, & huius perficientis organa fiunt: Ita singulares quæque earundem specierũ alterantes virtutes, quæ suis multis varijsque motibus debitas præparant materias, ad suos actus, & perfectiones, ad errantia reducuntur sydera & horum particularia disponentia euadunt instrumenta. Hoc quippe eruditissimus Diuus Thomas vidit, dũ dixit. Quicquid in istis inferioribus generat, & mouet ad species, est sicut instrumentum cœlestis corporis. Et magnus Auerr. ait;

homo

homo non dat in generatione hominis nisi illud, quod est quasi instrumentum, & corpora cœlestia quasi artifex. Secundo verò de generatione idem Philosophus affirmat, dum ait, quòd corpora cœlestia sunt velut ars, hæc autem quæ sunt hic tanquàm instrumenta artis. hoc idem confirmat cum ait, quòd rerum aliæ sunt sempiternæ summeque diuinæ, aliæ quæ possunt esse, & non esse: Quòd autem bonum & diuinum est, ex sua ipsius propria natura melioris semper causa est in his, quæ contingentem naturam sortita sunt. Alibique etiam protulit, quòd superius & nobilius inferioris, ignobiliorisque est causa: & æternum, & immortale caduci mortalisque principium semper existit. Hactenus de particulari corporeo alterante, & disponente sit dictum.

FORMATOR SPIRITVS EST naturalium rerum omnium perficiens instrumentum.



OSTQVAM alterans, ac disponens instrumentum exposuimus; superest id, quod actus, & perfectiones explet, atque formam in generatione exhibet, manifestare: hoc nanque instrumentum, quod actus elicit, & rem absoluit in naturalium rerum omnium factura, tam viuentium, quàm vita expertium, est formatiuus spiritus diuina factrici virtute præditus: ipse etenim verum est organum in animatis corporibus, quod per se cuiuslibet virtutis animæ actus, finesque omnes perficit: per ipsum nanque viuifica anima vt per commune instrumentum sua omnia absoluit munera. De hoc quidem locutus est Philosophus quinto de generatione animalium, cùm dixit; Nam spiritu magna ex parte agere consentaneum vt instrumento, est: vt enim nonnulla artium instrumenta vtilia sunt ad plura, verbi gratia in fabrili malleus, & incus; sic in rebus à natura institutis spiritus varium exhibet vsum. In libro autem de motu animalium ait, omnia quidem animalia videntur & habere spiritum connatum, & ab illo robur accipere: at in libro de somno, & vigilia addit: quoniam autem mouere quidem aliquid, aut facere sine robore non est possibile, robur verò facit spiritus detentio, & vnio. ibi nanque Philosophus asseuerat viuificam animam per robur à spirituum vnione effectum, vt per congruum instrumentum, motiones, passionesque corporis omnes perficere. Spiritus nanque iuxta corporis proportionem per singula membra distributi, aut validè, aut infirmè molem corporis sustentant; infirmè quidem, si labore seu media vigiliaue consumuntur, corpus substinent, idipsumque flaccescit; validè verò, si potu, comestione, vel somno, aut quiete fouentur, ipsamet corpora seruant agiliora, vegetioraque interim fiunt. Galenus autem septimo de Hippocratis, & Platonis decretis ita scriptum reliquit. At si de substantia animæ aliquid pronuntiare oporteat, alterutrum necessariò dicemus, aut hanc esse veluti lucidum æthereumque corpus, aut prorsus incorpoream substantiam, vti tamen hoc corpore tanquàm principali vehiculo & instrumento, quo vtique medio aliorum corporum postea commercium habeat. In tertio autem libro de locis affectis ita inquit; Animam in cerebri corpore sedem obtinere, atque in ipso, & rationis vim, & sensibilium imaginum memoriam residere, ac primum ipsius instrumentum, tum in sensibilibus actionibus omnibus, tum in his quæ à consilio & voluntate prodeunt, spiritum esse, qui in ipsius ventriculis maximè postremò continetur. Idem septimo de placitis Hippocratis, & Platonis, vbi ait, dicendum est in ipsius quidem cerebri corpore animam habitare, primum autem eius organum tum ad vniuersos animantis sensus, tum ad motus voluntarios, esse animalem spiritum. Quinto verò libro de simpl. medic. facult. sic inquit: At Stoici quidem nunc ipsum spiritum animæ esse substantiam autumant. nos sanè de animæ substantia non admodum pronuntiare quippiam audemus; quanquàm nos iam ante spiritum innatum, etiam si non sit animæ essentia, saltem primum eius esse instrumentum in commentarijs de plac. Hippocratis, & Platonis demonstrauimus. hoc idem de genitali spiritu affirmandum est, quòd instrumentum generatricis facultatis animæ, ad fœtum conformandum, dicatur. At doctissimus Trismegistus ita de anima, & spiritu scripsit; Anima hominis in hunc vehitur modum, mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore, spiritus per venas, arterias, sanguinemque diffusus animal vndique ciet, molemq; corporis suspensam sustinet, atque circumfert. Ex horum itaq; probatissimorum virorum sententia colligimus, quemadmodum spiritus in animante corpore est primum, ac commune animæ organum ad omnia sua peragenda munera, & absolu-

tum etiam ac perficiens inſtrumentum, quod cuiuſque animatæ potentiæ actus & perfectiones explet. Et hoc quidem in præſenti capite explicare decreuimus: ſed præcipuè de informante ſpiritu, qui in ipſa rerum generatione rem perficit, & format, ſermonem habebimus; reliquos alibi declarandos prætermittimus. Dicemus igitur primum, quòd ſpiritus iſti procreantes ſtabile procreandi vim à generatrice animæ potentia nanciſcuntur; vtque à primo formante Deo illam etiam poſsident, qua quidem firma virtute particulariter cuncta complent. Deinceps narrabimus, qualiter corpuſcula lucida iſta pura ſint mortaliũ, immortaliumq; corporum nexus; & qualiter ſurſum genita, ab vniformi primi mobilis motu viuẽtibus hic cõmunicentur. Vltimò generationis auream catenam explicabimus.

Dicimus itaque quòd ſpiritus æthereum corpus eſt, effectricibus virtutibus informatum, quibus viuentis functiones abſoluit, & complet; quam nempe effectricem operandi virtutem ſpiritus continet, illam firmam, ſtabilemq́ue poſsidet, tanquàm inhærentem formam, qua & animæ arbitrio, & proprio nutu perpetuo, operatur. ſpiritus etenim apud Medicos huius naturæ dicuntur, vt quum in iuſta ac debita agendi copia in animante reperiantur, & vigiles extiterint, præſto vbique adſunt ad operandum, & abſque vlla mora, & reſiſtentia ſuos actus, & fines ſemper attingunt. At ſeminalis fœcundus ſpiritus, vnde procreationis motus exoritur, principium dicitur. refert enim Gal. xiiij. de vſu part. cap. iij. quòd genitalis ſpiritus, vt motus principium ad fœtuum generationem, ſe habet. poſtea ſubdit, cæterea autem ſpiritus vndique ad vnguem retentus, non elabitur, motusq́ue naturales primus orditur. at lib. primo de ſemine cap. vij. ita ſcriptum reliquit; cùm enim in commixtione fœminei ſeminis multæ ampullæ eius rumpantur, ſpiritus interius atque in profundum, vt ſeipſum conſeruet, ſubit; non enim eſt ſicut vapor, ſed per ſe mobile animalis principiũ. Hic igitur ſeminalis ipſe ſpiritus, præterquàm quòd ſimpliciter generationis initium ſit, ſtabile quoque ac firmum procreandi principium obtinere dicimus. Sicut ſecundo de generatione animalium cap. primo Philoſophus apertè declarat, vbi quærit cauſam efficientem membrorum animalis.

Præponit autem quæſtionem hoc modo; ſed hoc loco non ex quo quæritur, ſed à quo par-
„ tes corporis oriantur: aut enim extrinſecus aliquid, aut in genituræ ſemine inſitum agit: idq́ue
„ aut pars aliqua animæ, aut ipſa anima, aut habens animam eſt, & poſtquàm ad vtranque partem fuit argumentatus, quæſitum ſoluens, declarat quomodo ſcilicet externus agens, pater videlicet, & ſeminis effector animam, formamq́ue procreet in animantium plantarumq́ue generatione: & qualiter ſemen, aut virtus ſemini inſita idipſum agat, atque operetur. inquit, hæc igi-
„ tur ſoluere conandum eſt, fortaſſe enim aliquid ex iis, quæ diximus, non ſimplex eſt; vt quo-
„ modo ab extero non aliquando effici poteſt. nam & eſt, vt poſsit; & eſt, vt non poſsit. ſed ſe-
„ men, an id à quo ſemen dicamus, nihilo differt, quòd motum in ſeipſo habeat, quo illud moue-
„ bat. fieri etiam poteſt, vt hoc moueat hoc, & hoc hoc; ſitq́ue perinde quaſi miracula automata:
„ partes enim habent vim modo quodam, etiam cum quieſcunt; quarum primam vbi extrinſe-
„ cus aliquid mouerit, ſtatim proxima actu efficitur. vt igitur in automatis quodammodo aliquid
„ mouet, quod nihil nunc tangit, ſed ante tetigit; ſic id à quo ſemen, aut quod ſemen efficit, mo-
„ uet, cùm aliquid tetigerit, licet non adhuc tangat: & motus qui ineſt, efficit modo quodam vt
„ ædificatur ædes; quod igitur aliquid ſit, quod efficiat, ſed non ita, vt hoc quicquam, nec perfectum ineſſe primum agens, apertum iam eſt. ex hac quippe Philoſophi ſententia habemus, quòd ſemen ratum firmumq́ue procreandi principium obtinet à procreatrici parentum facultate, quo principio motus actusq́ue omnes generationis complet. id quod pulcherrimo exemplo automatarum rerum oſtendit. ſunt autem miracula automata ſimilia horologiis, & molendinis, quæ vbi ab artifice primo mouente firmum, ratumq́ue mouendi principium receperint, mox ipſa per ſe ſuas omnes agitationes ritè firmeq́ue vſque in finem perficiunt: quamuis opifex primus mouens ab opere ceſſat. ſic & in naturali rerum generatione res ſe habet; vbi enim generatrix parentum facultas ſemini ſtabile permanentq́ue generandi principium impartiuerit; tunc ſemen tali principio præditum generationis actus motionesq́ue omnes per ſe vſque ad finem complet, omni ſecluſa atque etiam extincta productrici parentum virtute. Ex hac igitur ſententia elicimus, quòd procreatrix genitorum facultas primò elargitur ſemini principium procreandi; & vnde motus generationis exoritur, principium initians eſt, & non perficiens. ſemen verò ex conceſſo atque impartito principio firmam, ſtabilemq́ue generandi vim poſsidet; & perficiens generationis principium nominatur. hanc eandem Philoſophi ſententiam clarè
„ ibidem in Paraphraſi exponit Auer. his verbis. Id quod gignit membra, eaq́ue procreat, eſt
„ maris ſemen, idq́ue operatur virtute acquiſita à datore ſeminis: dator enim ſeminis præſtat ſe-
„ mini virtutem, quam habet, adeo quòd fungitur ſemen hac virtute, officio ipſius ſeminifican-
„ tis, quod quidem iam eſt ſeparatum, deſinitque eſſe; & hoc eſt ſimile rebus admirabilibus, in

quibus datur mouens, quod mouet aliquid, mox quiescit, remanetque secundum, quod de se mouetur, & mouet huiusmodi motu, quem acquisiuit à primo; sic etiam in natura, nam cum id a quo semen efficitur, præstiterit virtutem naturalem semini, qua mouet materiam ad perfectionem, & ad procreationem, qua quiescente remanet semen mouens, eadem virtute ob eam rem non est necesse, vt primum mouens tangat id, quod mouetur ab ipso vsque in finem generationis; sed tantum in principio rei primum tangit secundum, deinde restat secundum tangens materiam vsq; in finem generationis. Hæc omnia Auer. qui ex Philosophi mente edocet quomodo principale agens externum, pater scilicet, & quomodo semen instrumentale agens internum generationem efficiat, & res pocreet: & dicit, quòd dator seminis inhærentem fixamque virtutem semini elargitur, qua virtute semen vtitur officio ipsius seminificantis; nam procreat membra, eaque format, etiam quòd ipse seminis dator sit absens, & separatus ab opere. Pro huius clariori intelligentia dicimus, quòd instrumenta quæ in virtute agentis operantur, dupliciter virtutẽ consequuntur, aut in esse stabili, & permanenti, sicut automata, molendina, horologia, & similia, quæ vim artis impressam diu seruantia, tũ illa rectè agunt, & operantur absentibus artificibus: aut in successiuo, & fluxili esse illã assequuntur; quæ præsentem artificẽ actionem dirigentem semper exposcunt, qualia sunt securis, & serra in factione dolabræ, & scanni. Seminalis autem spiritus generatricis animæ organum in esse stabili, & permanenti ab anima generante virtutem habet, & possidet; qua iustè itaq; semper procreando operatur: atque hoc perfectum internum nominatur generans; dator autem seminis, siue eius generatrix virtus vnde motus generationis exoritur, principium dicitur. hoc autem permanens procreandi principium, quod pater, & seminis genitor semini communicat, & impartitur, Philosopus inferius cap. ij. & spiritum, & calidum tepori cœlesti similem nuncupat, dum dicit.

Inest enim in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina; videlicer quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est; sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur; & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum. quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam de vstis, vel humidis, vel siccis videtur. Solis verò calor, animaliumque, non modo qui semine continetur, verũ etiam si quid excrementi fit, quanquàm diuersum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, nec ab igne originem ducere, apertum ex ijs est. hac quippe sententia Philosopbus declarat, quòd solus æthereus tepor, & spiritus, qui in semine seruatur, viuentia cuncta in mundo hoc corruptibili procreat, illæ quæ ex putredine fiunt, hic quæ ex propagatione nascuntur. Hunc eundem formatricem spiritum, vidie ibidem in paraphrasi Auer. vbi ait, Arist. verò putat, quòd illa pars, quæ est in semine, prompta ad hoc vt fiat fœtus, est pars aerea tantũ. & quòd iste spiritus ingreditur sanguinem menstruum, cũ quo admiscetur admixtione generante in eo animati corporis particulas omnes. Per hunc autem spiritum fit formatio membrorum, eorumq; figura, atque discretio; & datur vnicuique membro forma sua complexionalis sibi propria. hęc quippe virtus, quæ hæc omnia præstat, potentia animata dicitur, quoniam potestatem dandi animam habet, & figuram efficit, & procreationem. hoc idem clarius in xij. Methap. ipse explicat, vbi habet, & dicit Arist. in lib. de animalibus, quòd iste calor non est ignis, neque igneus; ignis enim non generat, sed corrumpit animalia. iste autem calor generat, & ideo videtur similis calori artificiali, quem ars mensurat ad aliquam operationẽ: & iste calor habet formam, qua conseruatur in sua mensura, & ista forma non est anima in actu, sed in potentia, & est quam Arist. assimilat arti, & intellectui, & ideo vocat calorem istum calorem animæ, & non animatum, & iste calor est in seminibus, & fit ab habente semen, & à Sole. Hactenus Auer. Hoc idem quod Auer. retulit quòd procreator calor, & gignitiuus spiritus fœtum, eiusque partes procreet, membraque distinguat, cap. primo, primi libri de generatione animalium Philosophus docuit. vbi inquit. Quemadmodũ autem vnumquodque fiat, accipiendum hinc est, hoc initio, omnia quæcunque aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo quod actu est, fiunt ex eo, quod potentia tale est. semen igitur tale est, motumque habet, & principium tale, vt motu desinente, pars quæque fit effecta, atque animata. simul autem partes similares, & instrumentales, siue officiales efficiuntur. Huiusque Philosophus, ex cuius verbis apertè elicimus, quòd genitalis spiritus & membra efficiendi, & animam dandi potestatem possidet; qui & si non sit formaliter animatus, potentiam tamen & virtutem habet animatam, vt refert Auer. & eius actio virtualis, & non formalis dicitur. neque enim oportet quòd formator spiritus talis sit actu vniuocè, quale est animal, quod ab ipso producitur: satis enim est, quòd ipse tum actu æquiuoco talis, tum eius agentis sit instrumẽtum, qui talis est actu absolutè, quale est id quod generatur. Hic igitur procreator spiritus vbi menstruum, suum congruum proportionaleque passum, debito loco, ac tempore adiuerit, tunc ipsum permutat, & animam,

ac for-

ac formam eidem elargitur, & illico membra simul generantur, & animantur. atque hæc est animalis generatio, & non creatio, quoniam creatio virtutem exigit infinitam, & generantis conditiones spernit; neque enim locum, & tempus creans, neque materiei aptitudinem proportionemúe aliquam exposcit, sed suo arbitrio infinitoque vigore seorsum ab omni materia rem ex nihilo creat. Vt enim coagulum 2. de gener. animal. cap. 4. inquit Philos. principium spissandi, cogendiq; obtinet, & lactis similares partes in vnū ducit, atque constituit; ita genitura se habet ad menstruorum naturam; nam illam & in simplices, & similares, & in organicas etiā, & officiales deducit partes. sed magis distinctè & propriè inferius eodem cap. ipsius genitalis spiritus formandi, procreandique modum Philosophus explicat. ibidem nanque formatorem spiritum modò naturæ, modò caloris nomine nuncupat, eumque ipsum & architecto, & pictori, & patrifamilias assimilat, dum ait.

Hic autem calor nec ex qualibet, carnem aut os facit, nec quolibet modo & tempore, sed ex materia acta, & vbi acta, & quando acta fuerit: neq; enim quod effici potest, efficeretur à mouente, quod actu careat. neque quod actum obtinet efficere ex quolibet poterit. sicut nec faber arcam nisi ex ligno facere potest, nec arca effici ex lignis potest sine suo artifice. inest autem hic calor in excremento seminali tantam, talemque habens motionem atque actionem, quanta commensuratè ad quamuis partem accommodatur: quod si defecerit, vel excesserit, rem, quæ fit, aut superfluam, aut deteriorem, aut mancam efficiet. similiter ijs, quę foris concoctione constituuntur, ad cibi vsum, aut ad aliam quandam actionem; verū in his, caloris mensuram ad motum nos paramus; in illis verò natura gignentis. Hæc omnia ibidem recenset Philosophus, qui pauló inferius hunc eundem formatorem calorem pictori similem facit; dicens. Primum igitur moles superior per generationem distinguitur, inferior verò procedente tempore recipit incrementum in sanguineo genere; omnia enim lineamentis primò describuntur, deinde colores recipiunt, & mollitiem, & duritiem; quasi pictoris officio fungatur natura, cùm condit, & creat. Pictor enim vbi lineis primum descripserit animantem, mox vario illinit colore, & perficit. Differentiam inter formantem spiritum, & pictorē describit Galen. lib. secundo de naturalibus facultatibus, vbi ait. quippe natura illa, quæ particulas effingit, & sensim adauget omnino per eas totas est extensa; vt quæ totas eas, per totas non tantum extrinsecus fingat, nutriat, atque augeat. Praxiteles nanque, aut Phydias, aut alius quispiam statuarius foris tantum materiam ornabat: qua scilicet parte licebat eam attingere, internam eius partem illaboratam, otiosam, artisque immunem, ac neglectam reliquerunt: vt quibus in eam descendere, ingredique, ac omnes materiæ partes tangere minime licuerit. Natura non ita; sed ossis partem quamlibet, os efficit, & carnis carnem, & adipis adipem, & in aliorum singulis ad portionem facit. nulla enim pars est, quæ ab ipsa non tangatur, aut operam eius, cultumúe effugiat. Immò Phydias ex cera efficere ebur, aurumúe non potuit, sed nec ex auro ceram, siquidem horum quodque manens, id quod à primo erat, foris tantum speciem figuramque artis adeptum, perfectè fit statua. Natura nullius materiæ veterem formam seruat, quippe ita sanguis essent cunctæ animalis particulæ, is scilicet, qui à matre confluit ad maris semen, vna vniusque formæ materia ceræ vice artifici subiecta. Nulla verò animalis partium pro ea ratione ex hac rubra humidaúe efficitur: si quidem os, cartilago, arteria, vena, neruus, adeps, glandula, membrana, medulla, exanguia quidem sunt ex sanguine tamen facta. Hæc omnia ibidem Galen. Vltimò patrifamilias in formantem spiritum (quem naturæ nomine nuncupat) Philosophus comparat, dum ait; cæterorum autem partium vnaquæque ex alimento gignitur; nobilissima quæque & potissimi principij particeps ex concocto, syncerissimo, primoque alimento: reliquæ necessariæ ac illarum gratia instituendæ ex deteriore, & reliquijs excrementisque: perinde enim natura, atque paterfamilias prudens nihil amittere Solet, ex quo facere aliquid commodi possit; dispensatur autem in cura rei familiaris ita, vt cibus optimus detur liberis, deterior seruis, vilissimus socijs animalibus. vt igitur in ipso iam addito incremento mens aduena facit hæc, sic in ortu ipso natura ex materia syncerissima carnem, cæterorū sensoriorum corpora conficit; ex recrementis vero ossa, neruos, pilos, vngues, vngulas, ac reliqua generis eiusdem constituit. quamobrem hæc efficiuntur cùm iam suppetit excrementum naturæ. Hactenus Philosophus. Ex ijs omnibus dictis apertū est, ex Philosophi mente quemadmodum formatores spiritus, qui architecto, pictori, & patrifamilias assimilantur, stabilem firmamque procreandi vim à generatrici parentum virtute consequuntur; hacque firma virtute præditi instar artificis & pictoris, & membra, & vniuersum corpus prius lineamentis signisque proprijs describunt, mox sua determinata specie, & forma illam perficiunt, & complent. quod verò gignitiuus spiritus, qui artificis atque architecti vicē gerit, in generatione fœtus singula membra effigiat, conformetque, in lib. de natura fœtus Hippocrates nos clarè docuit his verbis. Cæterum caro augescens à spiritu articulatur, & abit in hac simile ad

mile ad simile . paulò etiam inferius membrorum conformationem edocens subdit , & viscera coarticulantur, & iam etiam supernis partibus spirationem facit, tum ore, tum naribus; & venter inflatur , & intestina inflata superne per vmbilicum spiritum assumunt, ac disperdunt: & in podice via fit à ventre, ac intestinu foras, & in vesica via forar; atque hæc omnia a spiritu coarticulantur. Hæc illa. huic quoque nos subnectimus, informantem spiritum idem operari in vegetabilibus, & mineralibus rebus, quòd singulus & proprius cuiusque rei, singulam, & propriam quamque rem format, & effigiat. herbarum quanque, fructicum, arborum , atque cuiusque alterius vegetabilis plantæ propagatione editæ, formatores spiritur (qui in eorundem omnium seminibus seruantur) omnes inquam à traducibus , & propagantibus suis firmam possident vim suum organizandi corpus, ac propriam expromendi formam . at qui in vegetantibus ex putri materia ortis , & qui in mineralibus rebus formantes spiritus insunt; ij è cœlis omnem conformandi virtutem habent; qui vbi particularem materiei potentiam adiuerint, eamque explenerint, illico formam impertiunt, & eius subiectũ, & organum perficere innituntur; ibidem nanque sedem figunt, mox hinc & inde materiam distendunt, & vndique ad terminum trahunt, & ad propriam suæ speciei figuram conducunt , atque tandem congruum aptant organum ad vsus, & functiones explendas; sicut vbique per singulas res sponte ortas , & formatas conspicere licet . quo pacto autem ad corporum eorundemq; partium formationem ij spiritus agunt & operantur. 7. metaph. exponit Auer . vbi dicit, quòd sunt virtutes naturales diuinæ generantes sibi similia secundum quòd artes generant sua artificiata , tamen non agunt nisi per calorem, qui est in semine , non ita quòd sit forma in eo, sicut anima in calore naturali , sed ita quòd sit suclusa in eo, sicut anima est inclusa in corporibus cœlestibus: & ideo Arist. magnificat hanc virtutem & attribuit illam principijs diuinis, & non naturalibus. & hac fortasse ratione in vltimo quarti lib . Meteororum de hac ipsa virtute sermonem habens , dubitat illam nominare naturam, sed sub distinctione protulit, aut natura dissimilares organicasq; partes conficit, aut alia altera causa nobilior ac præstãtior quàm natura, formatrix scilicet virtus ipsa, de qua Galenus in lib. de formatione fœtus ita scripsit . Hoc igitur vnum de causa animalia formante reor posse pronunciari, quòd sit ars atque sapientia summa: hæc enim (vt refert Auer.) non per determinatum membrum, & organum vt cæteræ naturales virtutes agunt, sed proprio calore, & actione intellectus practici , & operatiui dicitur agere . Propter hunc igitur modum agendi , & propter summum eius artificium in rerum factura cœleste verius quàm naturale nomen meretur.

Postquàm declarauimus quomodo seminalis spiritus rer procreat, & format, & qualiter à genitorum procreatrici potestate procreandi vim participatam habet; superest vt dicamus, quẽadmodum à prima etiam Dei forma omnia formante , eandem possidet ; cùm ab omniformi Dei essentia, vti à formarum promptuario species rerum omnium emanent. vnde & sapientissimus Ecclesiaster probè admodum scripsit; quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione compinguntur ossa in ventre matris, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium . Summus enim procreator ille mundi Deus , suppremus cunctarum rerum formator asseritur ; qui vt Summus est: ita etiam vberius, ac plenius quàm particularia & proxima informantia ipsam formãdi vim singulis elargitur. etenim vnde est alijs ratio formandi nobilissimum illud, atque fœlicissimum existimandum est informans . Author verò de causis propositiona vigesima declarat quonam pacto prima causa . & esse , & operari cunctis impartiatur , dum inquit . Causa prima est fixa, stans cum virtute sua pura semper, & ipsa regit res creatas omnes, & influit super eas virtutem vitæ , & bonitates secundum modum virtutis earum receptibilium , & possibilitatem earum; quædam enim harum recipiunt plus , & quædam minus : & hoc quidem est propter magnitudinem suæ largitatis. à prima nanque immobili causa mouente (refert hic Author) propter amplitudinem suæ liberalitatis , & forma , & vis agendi omnibus impartitur; his quidem vberius, his verò angustius, secundum propriam cuiusque dispositionem , & præparationem à vagantibus stellis elargitam. neque enim vna est dispositio , & præparatio cuiuslibet rei , sed multæ & diuersæ; penès igitur varias ac multiplices harum præparationes, variæ, ac multiplices in nobilitate, ignobilitateue elarguntur formæ, & vires operandi . Formatores autem spiritus, qui particulatim, & proximè res cunctas formant, & effigiant: singulis iuxta propriam cuiusque à planetis concessam conditionem , propriam etiam à prima immobili informante causa vim formandi nanciscuntur: & huius maximè perficientia organa dicuntur. quamobrem bene scripsit Auicenna, quòd præcepto sui creatoris omnia agunt, & operantur: hoc quidem etiam Auer. 8. phy si. docuit: vbi ait, & modus generationis istorum, quæ mouẽt se ad inuicem, per accidens est, quia sunt quasi instrumenta, per quæ mouent corpora cœlestia, scilicet quòd homo non dat in generatione hominis nisi illud, quod est quasi instrumentum; & corpora cœlestia sunt quasi artifex, & virtutes informatiuæ, quas vocat Arist. virtutes animæ in lib. de animalibus; fiunt etiam

à corpo-

à corporibus cœliſtibus.huic conſimile xij. Methaph. ſcripſit, quòd uatura facit aliquid peefectè & ordinatè,quamuis nõ intelligat;quaſi eſſet rememorata ex virtutibus agentibus nobilioribus,hæ quæ dicuntur intelligentiæ. hoc profectò in lib. de formatione fœtus inſpiciebat Galenus,licet remotius,dum ait.equidem fateor,me de cauſa,qnæ format fœtum,dubitare;nam cùm videam ſummã in hac formatione ſapientiam,ac facultatem;neque illam,quę ſemini ineſt,animam,quam Ariſtotelis ſectatores vegetabilem vocant, Platouici autem concupiſcibilem,Stoici verò nec omnino animam, ſed naturam appellant, fœtum formare exiſtimo; cùm nullius ſit ſapieutiæ particeps, ſed omnino irrationalis.ibidem nanque Galen.dubitat,qualiter naturales virtutes cognitionis penitus expertes, tantum formandi fœtum artificium per ſe aggrediantur. nam ſi quis(addit ipſe)fiues vniuſcuiuſque fabricæ uumerare velit,numerus omnium ſummam perfectionem̃ aſſecutorum in myriadas,nõ chyliadas,hoc eſt non in milia,ſed in dena milia redigatur.quos ego nequaquam, vt dixi,niſi à ſapientiſsimo,ac potentiſsimo opifice factos eſſe crediderim. iuſta quippe ratione dubitat Galen. qnaliter formatrix uatura nullius ſapientiæ particeps tanti operis fabricam moliatur. & rectè iufert ſummam ſapientiam opificis rationẽ ſubire;principaliter ſcilicet, & eminenter.natura verò iu virtute ipſius, & inſtrumentaliter. Nobis verò qui conditricem naturam Summi opificis orgauum,inſtrumentumq́ue facimus,nulla contiugit eatio dubitandi; nam ſcimus, vt ille per ſe primò, & emineuter, hæc inſtrumentaliter,ſecnndo loco, & in vigore primi operatur. ac ideo dicimus, quòd natura à Summo opifice docta,omnia pulchrè, omnia finitè, & perfectè omnia operatur.concludimus tandẽ,quòd conditrices naturæ, & formatiui ſpiritus à prima immobili motrici cauſa principaliter, & propria virtute vim corpora organizaudi obtinent;à productrice verò animæ poteutia ſecundariò,& in virtute primæ illam habent; quare & vtriuſque verè dicentur organa,illius priucipaliter, huius verò ſecundo loco, & quaſi per accidens. At formator ſpiritus inanimatorum corporum,atque imperfectorum viucntium abſque ordine in vita prodeuntium, à primi mobilis tantum motione firmam virtutẽ poſsident huiuſcemodi animata,atque inanimata procreaudi,& ita eius tanenm perficiens inſtrumentũ nominatur; & cum innumeræ ſint ſpecies quæ ex putredine fiunt, item & ſine numero eruut earundem producentia organa. ait nanque 8. Phyſic. Auer. & non de neceſsitate inſtrumeutum debet eſſe finitum, ſed ſi hic fuerit opifex, qui operatur per iuſtrumentũ generabilia, & corruptibilia, & ſemper operatur, neceſſe eſt vt ſint inſtrumenta infinita. Quæ quidem inſtrumenta Summi opificis nutu, & poteutia, & non elementorum vi materialia hæc diuinitus agunt. Horum certam fidem faciunt calidiſsimæ plantæ, quæ in frigidiſsimis oriuntur locis; & frigidiſsimæ,quæ in calidis uaſcuntur:pariter ſicciſsimæ,quæ iu humidis; & humidiſsimæ,quæ in ſiccis gignuntur terris; & parua minutaq́; ſemina, quæ in magnos & proceras creſcunt arbores.id quod non ex aliqua elementorum facultate, ſed ex cœleſti ſola conceſſa virtute ſunt aſſecntæ.

Quidam verò hunc formatorem ſpiritum non organicum appellarunt, non propterea quòd Summi opificis verum organum non ſit; ſed quoniam iu procreatioue & formatione partium rei genitæ nullum ibidem ſibi determinat ſpeiiale membrum,in cuius virtute agat, & operetur; vt vitales animaleſque ſpiritus ſuas actiones cordis cerebriq́ue virtute efficiunt. ſicut igitur iunatum ſeminis aut excrementi, ſeu rei putris calidum, quod deſtinatas propriaſq́ue rei mixtæ materias ad formas ſuſcipiendas præparat, primi alterantis Solis præparans organum fecimus; ſic formatiuũ ſpiritum particulares eiuſdem materiei poreutias perficientem, ac generatiouis actum formaliter elicientem primi formantis Dei perfectum dicimus inſtrumeutum; quum in eius virtute omnia operetur, & ei couiungatue uon ſecundum locum,ſed ſecundum actum virtutum (vt omnes teferunt ſapieutes.) quod quidem inſtrumentum affirmamus aliquo modo eſſe illi proportionale, & comparabile: vt enim primum mobile eateuus diuinæ motricis potentiæ òrgauum eſſe dicitur, quatenus vndequaque eſt ſibi ſimile, & couforme coutrarietatis omnis expers; ſic & de ſeminali ſpiritu contiugit dicere, quòd cùm ab omni coutrarietate ipſe ſit remotus,vndique æqualiter temperatus,ac cęlo (quantum fieri poteſt) proportione reſpondeus; eatenus diuinæ facultatis vehiculum, & orgauum dici meretur: quare & ſubitò & perfectè conſpicimus ſemper operari, ſicuti uobiliſsimum omnium octauæ ſpheræ cœleſte corpus. ſubito nanque ipſe agit,cum uulla adſit ibi contrarietas, quæ coutra agendo eius retardet actionem;perfectè verò operatur cùm ex omni parte ſit æqualiter tẽperata ſubſtautia perfectè ſemper operans; nec enim obſtat, quòd æthereus ſpiritus corporeus ſit, & ſecundum corporis naturam agat; & quòd cœleſtis nuncupetur; ac cœlitus ac perfectè operetur. uam cùm ipſe corporis naturam & conditionem participet,inde particularis corporeus exiſtit, & particulariter ſecundũ corporis conditionem operatur. cœleſtis verò dicitur, quoniam Summo artificio vires naturæ trauſcendente,res agit; & cum tenui admodum & uon figurato inſtrumento intellectus

ſepara-

separatos ęmulando, operatur: & quatenus etiam ex cœlesti facultate & elaborata, perfectaq́ue materia æthereis corporibus quodamodo comparabili, est compositus. Horum profectò substantia intermedia est, & cœlestium, & terrestrium materierum, & vicina ambarum, vtrinsque naturæ, & diuinæ & caducæ particeps, quæ pro viribus perfectè semper operãdo supernas substantias æmulatur. Hic nempe formator spiritus vnus ac solus motor est, qui vltimas materierum potentias ad suos permutat actus, & res perficit, & complet. Et hæc est ipsa materialis forma, quæ actu materialem generat formã: atque hæc corporea est natura, quæ corporeas naturas effingit. & hæc fortasse est Auerrois intelligentia non errans, & Galeni formatrix virtus, seu Anaxagoræ mens, aut anima mundi Platonicorum, quæ res cunctas, & viuentes, & non viuentes in mundo hoc corruptibili procreat & gignit. hinc alia Peripatetica theoremata vera redduntur, quòd causa scilicet, & causatum sint proportionata: quòd effectuum videlicet vniuersalium, & æternorum vniuersales, ac æternæ sint causæ: particularium & caducarum, particulares, & caducæ: & quòd effectus in actu, causæ sunt in actu: & effectum per se, causæ sunt per se: & materiale compositum, à materiali composito fieri, & ab ipso tantum transmutari: & quorum principiorum actio est corporea, hæc sine corpore esse non potest: & id genus reliqua, quæ possunt ad hoc propositum.

Quòd verò æthereí spiritus substantia ex cœlesti, ac terrestri natura sit temperata, & vtriusque particeps, præstantiores Medici, ac Philosophi id testãtur; nam vinculum quoddam eam nuncuparunt, & veluti nexum, quo supremæ, & intellectuales substantiæ inferioribus connectuntur. est etenim spiritus iste, vti nexus mundanarum, diuinarumq́ue rerum. hoc quidem ipso spiritu immortalis, & diuina anima (inquit Alexander) mortali, ac terrestri corpori vnitur, & nectitur; refert nanque 2. lib. probl. ipse; quonam modo animus coniungatur corpori, nondum expositum est; nullus enim ex prædictis modis conuenit animo; sed per habilitatem potius censendum iungi cum copore animum, medio quodam interueniente; quod aliqua ex parte naturam continens vtrinsque, atque familiare vtrique se exhibens, atque vtrunque ingeuuè simulans, miscet naturam incorpoream cum natura corporea, immortalem cum mortali, puram cum impura, diuinam cum terrena, videlicet hunc in modum. Oritur spiritus quidam vaporis prope speciem gerens in iecore per calorem, humoremq́ue, qui in ea parte modicè habentur: qui cum per venam cauam cognominatam, ad sedem cordis ascandat cum sanguine, atque amplius recaleat, & attenuetur, in speciem prope aeris transit; rursusq́ue per arterias carotides, ab aggrauatione cognominatas, ad basim, idest partem subditam cerebro effertur, qua in parte frigiditate cerebri moderatur, naturaliq́ue quadam proprietate afficitur, transformaturq́ue in spiritum æthera plane imitantem; quo animus instrumento aptissimo vtitur ad suas explendas actiones. quin etiam aer, qui naribus trahitur, attenuatus in corde ascendit ad cerebrum per arterias, alimentumq́ue offert sese spiritui æthereo illi, & animali. Hic igitur spiritus vt non incorporeus, accõmodari corpori potest, vt tenuior, syncerior, atque clarior, quàm natura vulgaris corporis patiatur, iungi cum animo potest; denique vinculum perquàm idoneum corporis, atque animi hic accedit: naturasq́ue oppositas copulat, & suo familiari interuentu conciliat, atque continet. Hæc tanta Alex. probl. 63. de animali spiritu scripsit, quæ nos ferè eadem de vitali, naturali, atque præcipuè de seminali spiritu affirmamus. Id quod Ioannes Picus apertè explicauit lib. tertio aduersus Astrologos, vbi declarat, quo pacto spiritus cœlesti virtute præditus quasi extrema copulat inuicem corpori scilicet vitam, & vitæ corpus; cum ait. quapropter in omnibus etiam viuentibus inter hoc quod videtur crassius habitaculum, & animæ vitæ fontem, medius est (quem spiritum appellamus) tenuissimum corpus & inuisibile luci, calorique illi sydereo maximè cognatum, cui vita præcipuè adest; perq́ue eum anima suas in hoc visibile atque terrosum corpus vires explicat, atque diffundit. sic in materia seminali latet hoc genere spiritus, cuius in primis vtitur mynisterio vis illa diuinior, artifexq́ue vitalium operum, vice animæ fungens, à qua defluxit, & speciẽ generationis propagans in materiam, quam occupauit. Non sunt autem vel gignendis corporibus, vel seruandis, vel muneribus sensuum obeundis vtiles isti spiritus, si cœlestis spiritus ope destituãtur, qui mollior, purior, efficacior, propterea proximior vitæ roborat infirmitatem spiritus inferioris; & suo commertio reddit animæ cognatiorem. huc vsque Picus. Hoc idem secundo de generatione animal. tradidit Aristot. vbi animæ vnionem cum corruptibili corpore fieri intercedente alio corpore ipsis elementis longè præstantiori demonstrat, his verbis. omnis igitur animæ virtus corpus aliud participare videtur, idq́ue magis diuinum quàm ea, quæ elementa participat. atque vt animæ inter se nobilitate, vel ignobilitate differunt, sic talis natura corporis differt. vt enim virtus animalis præstantior est quàm vitalis, & hæc quàm naturalis, ita & corpus animalis virtutis præstantius est quàm vitalis, & huius corpus præstantius quàm naturalis: vt igitur animales virtutes claritate obscuritateq́;

inter

inter se differunt; sic earundem corpora & subiecta eisdem differentijs distinguuntur. & paulò post id ipsum corpus excellens in generatricis facultate animæ deprehendens Philos. quid esset aperuit. idque (inquit) non ignis est, nec vlla talis potentia, sed spiritus, qui in semine illo genitali spumeoque concipitur, & natura quæ in ipso spiritu analoga est elemento stellarum. Hanc quoque corporis, atque animi communionem confirmans Ficinus Platonicus in lib. de vita cœlitus comparanda ait. talis nanque spiritus necessariò requiritur tanquàm medium, quo anima diuina & adsit corpori crassiori, & vitam eidem penitus largiatur. Corpus autem omne facile tibi sensibile, tanquàm sensibus tuis accommodatum, crassius est, & ab anima diuinissima longè degenerans. Opus est igitur excellentioris corporis adminiculo, quasi non corpori. tale autem erit spiritus corpus tenuissimum, quasi non corpus, & quasi iam anima, item quasi non anima, & quasi iam corpus. Hactenus ipse. Ex his omnibus dictis clarè patet, qualiter formator spiritus, qui & hominem & mundanas res cunctas effigiat, & format, suæ substantiæ tenuitate, claritate, atque pręstantia diuinis æternis substantijs quodammodo comparabilis, proportionabilisque existit, & qualiter vtriusque naturæ, caducæ scilicet & immortalis nexus, & vinculum dicatur. De hoc quippe Poeta sub quadam dubitatione ita scripsit.

Natus homo est; siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo;
Siue recens tellus, seductaque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat semina cœli.

Superest modò, vt explicemus quomodo informantes spiritus, qui ab vniformi diurna fiunt motione, mortalibus cunctis communicentur, vniantur que, ac intimi & naturales cuiusque euadant. superius nanque narrauimus, quemadmodum spiritus apud æthera geniti, & summi conditoris prouidentia, & velocissimi motus impulsu, & propria propensione ex ignis sphęra ad terras prosiliunt, per omniaque permeant elementa, eaque pariter vitalis aura implent. Cùm itaque frigidum circumambientem aerem respirantia animalia, & per os, & per nares, & per peruios cutis meatus ad innati calidi temperiem inspirant, & æthereum similiter spiritum per aeris corpus vndique diffusum simul hauriunt, vsque ad intimam principum partium substantiam, ad earundem perfectionem. semper enim & vbique ambiens aer diuinitus his cœlestibus spiritibus repletur, & ornatur. moderati itaque frigidi aeris inspiratione innatus cordis calor pro vita degenda tēperatur, ætherei verò spiritus inhærentia, & vnione cordis & genitaliū partiū spiritus generatiui euadunt, & procreandi vim adipiscūtur. Quamobrem bene dixit Poeta.

Est Deus in nobis, sunt & commertia Cœli:
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Quòd verò horū corpusculorū ad nos progressus minimè percipiatur, causa est, quòd corpora hęc exilia, tenuiaq; sunt, & ita dum mouētur, tenuem, exilemq; motionē excitant, quæ sensum effugit: vt similium exiguorum corporum similes insensiles motiones licet inspicere: è cępa nanque manibus contrita, atque allio corpuscula oculos ferientia emanant, quæ lachrymas nobis vel è longinquo eliciunt; consimiles ex pipere, & iride contuso particulæ minimę exhalant, nares petentes, & sternutamentum commouent. hæc quippe vt tenuia exiguaque sunt corpora, ita exiguas tenuesque motiones concitant, sensum effugientes. Huius profectò spiritus vsum, & necessitatem Hippocrates in lib. de flatibus ita describit; tantaque omnibus corporibus spiritus necessitas extat, vt si quidem omnibus alijs abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos, vel tres & plures ducere. Si cui verò spiritus viæ in corpus intercipiantur, breui parte vnius diei intereat: vt vel hinc quanto vsui spiritus corpori sit, liceat existimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines, multæ enim sunt mutationes in vita. Verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cessent spiritum adducere, ac rursum exhalare. Hæc Hippocrates. Hunc verò spiritalem halitum, quem attrahendo animalia viuunt, & procreādi potentiam assequuntur, non tantum in aere inesse asserimus, sed in aqua, terraque etiam ipsa spissiore naturæ elemento: cui rei testimonio esse possunt animalia, quæ semper defossa viuunt, vt Talpæ, Vermiumque complura genera; omnia nempe peculiari suo naturæ modo hac ipsa vitali fruuntur aura. Quæ super terram degunt animantia cum aere vitalem illum attrahunt spiritum. Aquatilia verò cum aqua intra viscera terræ viuentia per ipsam terram illum assequuntur. Sic vnumquodque cum ea elementi natura, in qua degit, illum nanciscitur. hoc quippe doctissimus Trismegistus vidit, dum ait; spiritu autem administrantur omnia, & vegetantur in mundo, & spiritus implet omnia; & cuiuscunque naturæ qualitas est. Et cum vndique perfacta huiusmodi corpuscula sint, non mira res est, si dum per aerem, aquam, & terram feruntur, minimè alterantur. Sin verò respirationis & vitæ corpora sint experti a, cum huiuscemodi corpora per vniuersam substan-

tiam ferè omni ex parte conspirabilia, confluxibiliaque sint, idest aperta, multisque foraminibus perforata; aer æthereo spiritu vndequaque refertus, per eorundem corporum peruios meatus ob sui tenuitatem, & qualitatis similitudinem facile ingreditur ad intima penetralia corporis, solarijs etiam radijs cooperantibus: nam radiorum Solis, & caloris proprium est propter teneritatem, & acumen ad interiora penetrare, & vt illud foueat, adaugeat, & conseruet, & si propagatione seruetur, eidem propagandi vim elargiatur: quamuis corpora vita destituta, vt lapides, metalla, & huius generis reliqua, tum propter calidi innati defectionem, tum propter materiei crassitiem, cuius præsentia hebetes, & illius inopia impotentes ad gignendũ spiritus fiunt, nullã omnino propagandi vim retinent. Qualiter verò hi spiritus ingrediantur corpora declaremus, ingrediuntur autem è paruis poris in maiores, & ab his in alios vsq; ad intimam eorundem substantiam, vtpote in appositam sedem, ac proprium suarum functionum locum; minores enim, & angustiores sunt pori, qui circa summa sunt; maiores verò continuè, quibus versus penetralia itur. parui tamen & angusti corporum meatus, & si aut aere, aut vapore, aut simili leni substantia pleni sunt, spiritibus tamen aduenientibus, ac impetũ facientibus cędunt, & peruiam viam præstant, velut aer, & aqua progredientibus, ac natantibus corporibus dant locum, & cædunt semper. Si quis autem Hippocratis poros & foramina non admiserit, is cum Platone in Timæo dicere poterit, quòd sicut ignis corpus est tenuissimum ex minutioribus partibus constatum, & sui natura omnia continet, omniaque penetrat, & transit; sic & spiritus vegetior caloris pars ignis naturam sapiens omnia comprehendit, pariterque omnia permeat, & tranat: Et si illa durissima, atque densissima sint, qualia & gemmæ sunt, atque aurum, hæc siquidem vt ex inferiori materia coalescunt, ita radiosi cœlestis caloris vi digeruntur, atque tandem spiritus potentia informantur. Et quoniam gemmæ, aurum, aromata, & huius generis reliqua plus cœlestis concoquentis caloris desiderant, ad Orientem, Austrumq; magis producuntur; vbi præparans virtus Solis efficacior viget. pariter Leones, Tigrides, Elephantes ijsdẽ terris feruntur: & si quæ alia calorem exigunt potentẽ, vt generentur, vt viuant, & in suo vigore permaneant. Solus homo vbiq; terrarũ nascitur, & seruatur, ob amplam naturæ suæ sub multiformi habitu latitudinem: reliqua autem alibi magis alibi minus, iuxta maiorem minoremq; Solis alterantis vim, producta cernuntur. Omnia tamen vbiq; locorũ ab aura formatrice vbiq; ęqualiter inspirante, formam æqualiter suscipiunt. hæc profectò vitalis est omniũ rerum aura, de qua dixit Poeta.

Quisquis es haud credo inuisus cœlestibus Auras vitales carpis.

Quòd verò in quacunq; re genita hi spiritus insint, & reperiantur, Alchimistarũ profusiones clare ostendunt: quæ ex qualibet producta re illos extrahunt, & visibiles oculis reddunt. At informantes, quales naturaliter sunt, quos summo studio assequi student, & suis multis, varijsque distillationibus potiri præponunt, raro assequuntur. At si fortè vsquam consequantur, & spiritus talis, qualis est, secundum naturam ritè sublimatione secernatur, secretusque conseruetur, tanquàm seminaria virtus (inquit Marsilius) poterit sibi simile generare: Si modò materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem. Ex ijs omnibus declaratis facile erit inspicere auream generationis cœlitus demissam catenam.

Primus nanq; motor primum mobile continuo motu mouet ad formatrices naturalium rerum omnium virtutes procreandas: quæ adiunctæ vapori æthereo, vt apto & congruo subiecto (qui obuiam semper est) conformantes effingunt spiritus, hac eadẽ diuina effectrici virtute ornatos. Planetarum varius cursus, & multiplex radiorum Solis, & cæterorum syderum reflexio multiplicem, & varium (iuxta multiplicem, & varium rerum naturam) prægignit calidum, primum alterans ad simplicium compositorumque corporum formarum productionem. Deinceps spiritus formatiuus primas quatuor formas informis materia solum motus, luminisque propinquitate, & distantia ad actus deducit, deductasque seruat. His finitima quatuor humores ipsu quatuor elementa referentes, ac mixta perfecta, & imperfecta corpora, vbi à suo ipsorum calido fuerint parata, informans spiritus format. Post hæc formator spiritus, & calor innatus hic præparans, ille perficiens, viuentium, atque animantiũ corporum perfectas expromunt formas; quæ quidem productæ formæ consimili calore & spiritu decoratæ, vt per se immobilia principia effectrices causæ sunt, vnde iterum & calor innatus, & factores spiritus procreantur. Qui calor & spiritus geniti denuò materiales nouas effingunt formas suo debito calore, & spiritu ornatas, potentiam habentes alios rursus consimiles formatores calores, & spiritus generandi. At quæ ex putri gignuntur materia animantia, atque viuentia, horum generationis fluxus continuatur ex informantibus spiritibus à primi mobilis motu quotidie ortis, atque ab innato calido, ex errantium lationibus in singulos dies fabricato. Consimili ortu nascuntur, & seruantur inanimatæ res cunctæ, quæ solum cœlum patrem cognoscunt: rei nanque minoris (ait Philosophus) motus quoque principiũ esse conuenit. est nanque calor innatus conformantiũ spirituum

assiduus comes, & affixum fomentum, quo ipsi seruantur, & quo mediante mixtorum corporum materias alterant ad suas recipiendas formas. Sic igitur perenni circulariq; motu calor innatus, procreãs spiritus, atque ipse perficientes formæ suo calore, spirituque præditæ, in ijs quæ ordinatè semper nascuntur, mutuo se se effingunt, & conformant, & corruptibilis huius mundi perfectiones, actusque omnes continuata generatione conseruant. Abstractæ autem à materia formæ, vt simul totæ à Deo procreantur, ita & simul totæ paratis humanis corporibus vniuntur, vt suam postremam hominibus impartiant perfectionem. Et hæc satis de quinto in ordine efficiente, & rem ipsam absoluente.

PRIMVS MOTOR, PLANETAE, generatrix facultas, calor innatus, & formator spiritus, omnes simul iuncti, vnus est perfectus efficiens.



SINGVLIS proprijs capitibus superius primum motorem, Planetas, Generatricem vim, connatum calidum, ac formatorem spiritum, singulatim effectrices naturalium rerum causas constituimus. In præsenti verò has quinque simul vnitas, & coniunctas vnam perfectam mortalium omnium faciemus causam, quæ rem ipsam absoluat, & perficiat. Primum itaque discutiemus, quemadmodum nulla ex supradictis causis per se sola effingere rem aliquam valet. Secundò dicemus vt vnitæ, & simul iunctæ absolutam vnam efficientem causam constituunt: quæ rem ipsam vndique absoluere potest. Tertiò Alexandri, & Auerrois de elementorum effectione sententiam explicabimus. Atque tandem operis extrema prosequemur.

Rem igitur aggredientes dicimus, quòd primus motor primum mobile mouet ad naturalium corporum formatrices virtutes procreandas. Errantium verò syderum latores suis varijs, multiplicibusque motibus, & luminibus ad calidum primum alterans cuiuscunque rei generandæ efficiendum laborant. Et quamuis æterni motores vniuersaliter perpetuò moueant ad rerum alterationes, & permutationes, particulariter tamen minimè alterant, & permutant. ipsi etenim cœlestium corporum latores, vt communes vniuersalesque cunctis existunt, ita communes vniuersalesque cunctorum causæ asseruntur. Causa nanque vniuersalis, effectus non distinguit, neque cur hoc fiat, aut aliud, quæritur ab ea, sed à proximis causis, quæ variæ & differentes sunt pro effectuũ differentia, & varietate; & cùm ex ijs alia aliud faciat, vniuersalis causa cum omnibus omnia facit. Communis igitur, & vniuersalis à materia abstracta causa nequaquam particulare corporeum per se efficere, & gignere poterit: quoniam mixtum cum materia à materiali composito producitur. particularium enim & corruptibilium effectuum particulares, & corruptibiles proximæ inhærentes assignantur causæ. quod nanque materiã mouet, necessariò est corpus, habens qualitatem actiuam, aut potentia, quæ agat per corpus eandem habens facultatem. Cum igitur primus motor, & vagantiũ orbium latores omnino à materia abstracti, separatiq; vniuersales agẽtes sint, neutiquam poterũt particulare compositũ corpus immediatè per se attingere, id ipsumque alterare, & permutare; quando est necessarium causam & causatum esse proportionata: materiale quidem à materiali per se tantum transmutatur, & minimè ab immateriali, nisi communiter & longinquè. et si enim æternorum corporum lumen, & motus hic veloci cursu, illud radiorum reflexione maria, terrasque calefaciant, & ex putri etiam materia animantia generent, non tamen vt communia, vniuersaliaque agentia per se id particulariter operantur; sed quatenus ex metipsis, particulares emanant spiritus, & calores particulatim hæc ipsa per se alterantes, & perficientes. Et hæc de primis motoribus dicta sufficiant. Ad productrices facultates, quas tertium efficiens fecimus, progrediamur. Generatrices virtutes, cum materiales sint formæ, aut potentiæ, & facultates eiusdem formæ, quoniam immobiles, inseparabilesq; à corpore sunt: cùmque incorporea sint, & per motum, & transmutationem agere debeant, nunquam actionem suam consequi poterunt, nisi corporeum eius instrumentũ adiungatur. forma enim apud Peripateticos agendi formale principiũ dicitur, & vnde motus initium exoritur: at id quod agit, & operatur, est ipsa substantia composita, suis debitis quantitatibus terminata; nam actus & generationes omnes (aiunt Peripatetici) sunt suppositorum. Formæ igitur & potentia istæ factrices nullam vnquã rerum generationem assequentur, nisi materiale organũ prius asciscant. At ad calorem accedamus, superius nanque ex Arist.

Auer-

Auerroisque sententia explicauimus, quòd calidi officium est alterare, disponere, & concoquere miscibilia ad mixtorum, compositorumq; corporum concoctionem, perfectionemque. cum verò innatum calidum secundum propriam eius naturam tantum alterans, præparansque sit instrumentũ; alterare igitur, & præparare solũ huius erit munus, & minime formã dare, ac generationem perficere. Superest idem de informante spiritu ostendere. Formatiui spiritus, quos verè efficientes constituimus, etsi corporei, particularesq; sint, ac innatam operandi virtutem habeant cum eorundem iusta quantitate ad agendũ: nihilominus cùm perfectum sit agens vti diximus, quòd subitò, ac perfectè semper operatur in instanti; nisi cõnato calido iungantur, quòd alterando, & disponendo debitũ illis patiens præparet, & disponat, ne quicquam agere, & perficere poterunt: necesse est enim vt hæc duo ad agendum semper coniungantur, & calor, & spiritus, cũ eorundẽ actiones naturaliter se consequantur: quantũ enim passum naturaliter calidum præparat, tantundẽ spiritus ipse perficit, & format secundũ naturam operans, nec inuicem vnquam, nisi ratione, disiunguntur: Et quãuis spiritus & calor innatus ex propria natura, & quidditate materialia patibilia composita debitè approximata, & alterandi, & permutandi vim habeant; nihilominus sine præsentia, & opera superiorum motuum & confluentium spirituum (à quibus ad agendum principaliter excitantur, & fouentur) nihil agere, & permutare poterunt. Nam cùm suam naturalem & alterandi, & permutandi virtutem participatam obtineant, & à generatricibus animæ virtutibus, & à supernis motionibus; ab his per se & propria virtute, ab illis secundario, & quasi instrumentaliter; quando & generatrices ipsæ virtutes à superis etiam dependent lationibus: quum itaque formator spiritus simul cum insito calido, & generatrice virture à primis motoribus, ac spiritibus suam omnem & alterandi, & perficiendi virtutem participatam contineat, nequaquàm poterit propria virtute illam alteri cõmunicare, quando eius propriè & verè non sit, sed mutuatam illam tantum possideat. Quare sine præsentia, & opera primorum motuum, & confluentium spirituum, à quibus principaliter suam omnem agendi facultatem retinet, nihil agere, nihilque moliri potest. Id quod auctoritate primò, mox ratione, & exemplis comprobabimus. Authoritas est in commento vigesimæsecundæ propositionis Authoris de causis, vbi ait: Agens apud nos aut est diminutum, aut completum; quod est diminutum, & non completum, non potest efficere operationem completam; quoniam est diminutum. Completum verò quamuis sit sufficiens per se ipsum, non potest tamen causare aliquid, nec influere aliud à se ipso omnino. Appellat autem Author, diminutũ agens, alterans, disponensque efficiens, accidens inquam ipsum; nam cùm non per se subsistat, dicitur habere esse diminutum. & quoniam res sicut se habet ad esse, sic se habet ad agere; cùm igitur accidentia non habeant per se esse; nec poterunt etiam per se agere, neque operationem completam efficere. Completum autem agens nuncupat id, quod per se ipsum subsistit; sicut sunt supposita, & indiuidua cuncta per se ipsa existẽtia, in seipsisque perfectionẽ recipientia. de ipso tamen agente cõpleto Author inquit, quòd quamuis sit sufficiens per se ipsum existere, non agit tamen à se ipso, nec influit à se ipso; quoniam (vti supra retulimus) causæ propinquę, & singulares, & in esse, & in operari à primis superioribus dependent. iam enim exposuimus quomodo causa prima propinquis, & secundis causis infundat virtutes, vt agant; ac ideo causa prima dicta est virtus virtutum; nec sufficit, quòd agens propinquum habeat virtutem ab agente primo, vt agat; sed oportet vt actio sua innitatur actioni primi agentis, atq; illa continuè fulciatur, vt suam actionem continuet. Quamobrem bene supra retulimus, quòd neq; ignis calefaceret, neque aqua humectaret, neque aliud alterum particulare agens ageret, si primi mobilis motus cessaret, qui motuum, mutationumq; omnium inferiorũ vita subsistentiaq; existit: cunctæ enim res vt cœli motu factæ sunt; ita eiusdem agitatione conseruantur. cùm igitur & esse, & operari, atque etiam conseruari mortalia cuncta, tam perfecta, quàm imperfecta à superis obtineant causis, iure igitur ipse Auctor infert, quòd agens mundo hoc corruptibili, siue imminutum, siue completum sit, non potest per se, & propria virtute completum aliquid efficere. Ratione autem sic ostendimus; nam omne agens particulare, cuius natura est secundum participationem, non potest eandem naturam alteri impartiri, nisi foueatur à superiori agente, in quo eadẽ natura complerè, & secundum se totam consistit; cùm non liceat, quod alterius est domini, cuipiam elargiri absque domini potestate. nihil enim iustè cuipiã impartitur, quod suo iure non possidetur. Nemo potest, ait Lex, plus iuris in alium transferre, quàm ipse habeat. Cùm igitur generatrix facultas vnà cum spiritu, & calido innato, & essendi, & operandi naturam à superis participatam possideat: si hanc ipsam alteri communicare voluerit, nequaquam id assequetur sine superiorum assensu, & auxilio, qui eandẽ plenè, ac liberè obtinent, & suo arbitrio distribuere possunt, sicut aperto, & claro exemplo cernere possumus in Microcosmo de complantatis in singulis membris spiritibus, qui virtutem possident viuificandi eas omnes, quibus insident par-

tes. nihilominus cùm eam à cordis motu,& in prima generationis fabrica,ab influentibus etiam ſpiritibus commodatam retineant, qui primum ac plenum vitæ dominium habent; neceſſe eſt enim,vt ab eodem cordis motu,& influentibus ſpiritibus foueantur,vt illam membris communicent,& impartiant; tanquàm ab his,qui ſummam vitæ poteſtatem obtinent,& qui eam dandi, ac tollendi imperium habent; quandiu enim cordis motus, & emanantium ſpirituum progreſſus adſunt, tandiu inſiti ſpiritus vitam præſtant, & animal viuificant: quàmprimum verò abſunt,& deficiunt,ſtatim etiam inſiti vitam dare deſiſtunt,& animal conceſſa vita priuatur. Suo itaque iure ab iſtorum opera connati ſpiritus viuificandi membra virtutem ſeruant, & ſine his nihil proficere valent. Sic complantati,& in mundo congeniti informantes,vitaleſque ſpiritus, informandi viuificandique ſingulas mundi partes vim habentes, quum hanc ipſam poteſtatem communicatam retineant à primis ſupernis motibus, ac influentibus ſpiritus, qui mortalis cuiuſlibet, & vitæ, & formæ plenum imperium habent; non poterunt vtique ipſam cuipiam dare ſine ope,& auxilio ſupradictorum, quibus totam referunt acceptam: ab his nanque duobus & eſſe, & viuere naturalium rerum primùm dependent. meritò igitur ab eiſdē eſt prima horum participatio entibus. quandiu enim cœli motus adeſt, & confluentium ſpirituum effluxus, tandiu eſſe & vita entium ſubſiſtit; at ſi magni conditoris iudicio hos deſinere contingat,& eſſe & vitam mortalium ſimul deficere neceſſum eſt. Quum enim mortalia entia cuncta cœlorum motu,& ſpirituum agitatione fiant, eorundem etiam motione, & agitatione conſeruantur: pariter ad eorundem diſperditionem diſperduntur. nam vt bene in lib. de legibus refert Plato, genita ex motu,motu quoq; ſeruantur; atq; motus deſtructione deſtruuntur. Præterea alia ratione arguimus, dicentes, quòd omnis effectus, qui alicuius cauſæ naturam participat, nec plenè ac firmè eam aſſequi valet, continuo eius fomento eget; quòd ſi deſierit, eodem momento effectus pariter perit. Cùm igitur generatrix virtus, & ſpiritus cum innato calido à ſuperis motricibus cauſis, & eſſe & operandi vim participent, nec firmiter, ac perfectè eam aſſequi poſſint,ſed continuè ab illis dependendo illam obtineant: neceſſe eſt etiam,vt continuo quodam effluxu,ac efficientia ab his primis motoribus emanante conſeruentur,& regantur;nam ſi ſecus, caderent, & perirent. quòd autem generatrix facultas, & ſpiritus, & calor innatus à ſupernis cauſis & eſſe,& operari obtineant; Author de cauſis ſuperius nos docuit; vbi dicebat, quòd cauſa prima plus eſt influens ſuper cauſatum, quàm ſecunda & propinqua; & quod cauſa prima adiuuat ſecundam ſuper operationem ſuam. ibidem nanque prænominatus Author argumentatur ex modo agendi primæ cauſæ,quòd propria ſcilicet virtute, & perſeuerantia,atque excellentia ſuæ actionis,prima cauſa plus adeſſe, & operari entium naturaliū conducit,quàm proximæ & ſecundæ. quòd verò generatrix facultas vnà cum ſpiritu,& innato calido perfectū eſſe à ſuperis non aſſequatur,ſed continua cœlitus dependentia opus habeat; & vt ſeruetur,& vt operetur,facile demonſtratur. cùm enim particularis,& caduca ſit, & continua agitetur tranſmutatione,& vt ſubſiſtat,ſuo ambiente loco conſeruante,perpetuò indigeat, verum teſtimonium facit, à perfectione multum cadere, & defectuoſam eſſe; quod continua etiam cœli dependentia indigeat ad ſuam peragendam functionem. Eodem quoque medio comprobamus; nam omne agens, agendi operandique participatam virtutem habens, eamque ipſam non completè aſſequens,continuo ſomento eget ad agendum,& operandum. At generatrix facultas ſimul cum ſpiritu,& calido innato agendi,ac operandi à cœlo participatam virtutem poſſidet, nec plenè eam aſſequitur abſoluteque; meritò igitur continuo cœli fomento indigebit ad operandum,& agendum. huius verò certum ſignum eſt,quòd nullū vſquàm in mundo eſt reperiri ſemen, quod prægignendi facultatem obtineat, quin quantumuis congruè proprio ſeratur ſolo,propriæq; applicetur materiæ,ſuo certo,aſſignatoq; tēpore,ſuis certis, aſſignatiſq; cœli ſtatibus rem prægignat: quòd ſi liberam producēdi poteſtatem haberet, illico ſuæ materiei congruenter adiunctum; rem produceret, nec nouum cœli ſtatum ad procreandum expectaret. idq; ipſum etiam manifeſtis microcoſmi exemplis declaramus: atq; id prius in facultate videndi oſtendimus. virtus nanq; viſiua in cryſtalloide reſidens,impertitam videndi virtutem habet, ab animali facultate in cerebro cunctarum animaliū virtutum dominium obtinente,& continuo inde eget effluxu ad ſuum abſoluendum munus. hæc quippe viſiua virtus cum mutuatam inde videndi vim retineat, nequaquàm inſpicere, intueriq; aliquid poterit ſine nutu, & opera principis facultatis; quæ illi præeſt, & fomentum præſtat. quòd ſi caſu & fortuna deficiat,illico & eius etiam opus deficit. Idem & de quatuor alijs externis ſenſiterijs dicendū, quod nullū per ſe ſentire,ac proprium obiectum percipere poterit abſq; lumine, & nutu primi ſenſorij cerebri. ipſa nanq; communi ſentiendi luce quieſcente, & cuncta inde dependētia pariter quieſcunt,& ipſa vigilante æqualiter vigilant, & ſuo arbitrio,& fauore perpetuò operantur. hoc ipſum etiam licet conſpicere in hominis ſenſibilibus, & motricibus partibus à capite

diſtanti-

distantibus, quæ & sentiendi, & mouendi omnem facultatem ab ipso capite communicatam semper tenent, nec plenè illam assequuntur. quare & ab eodē continuo indigent animalis virtutis effluxu, vt eædem ipsæ vires partium seruentur; at si momento aliquo huius influxus intercipiatur, & harum partium sensum, & motum intercipi est necesse. hoc idem profectò cōtingit dicere de formatricibus naturalium rerum virtutibus. Generatrices nanq; virtutes, & conformantes spiritus vt à superis cœlestibus suam omnem agendi virtutem continent, ita etiā ab eisdem illam retinent, & seruant; & sine eorundem opera (quæ est æternorum motuum continuatio, & perseuerantia cum spirituum effluxu) nihil agere, nihilque moliri valent. hæc quippe æternorum motuum continuatio cùm sit ratio, & causa, vnde est omnibus principium motus, ipsa perseuerante omnia subsistunt; deficiente verò & cessante, cessare & deficere omnia necessarium est. Nec quòd cœlitus generatrices virtutes, & spiritus hoc consequantur; obstat quin sit cuiusque proprium, & naturale agere, & operari, ac sibi simile gignere; quando hęc est propria cuiuslibet formantis, & generantis natura, atque lex cœlitus dependere, (vti supra retulimus) vimque suam omnem inde habere. hæc quippe peculiaris cuiusq; natura, & propria lex est, vt tota obediens, atq; subiecta vniuersæ naturæ, & summæ legis sit, vtq; omnia vna quasi consensione, & sympathia iussis supremę legis obtemperent: Atq; hæc fatalis lex est, qua optimo Deo optimi Principes viuentes continuantur, & qua totius orbis sanctè custodiunt homines diuino numine editos. Quum itaq; vniuersalia æterna agentia sine particularium munere nihil hic moliri, & agere possint; & particularia caduca agentia sine vniuersalium æternorum opera nihil facere, & præstare valeant: operæpretium est in corruptibilium rerum omnium factura hæc ipsa omnia & vniuersalia, & particularia agentia simul iungere, & vnum ex omnibus perfectum efficiens constituere, quod completam possideat potestatem perficiendi particulariter, & distinctè mundana hæc omnia caduca. Abstractè verò à materia formæ, & si à Deo immediatè simul totæ procreantur; nihilominus & ipsæ particulares hic exposcunt conficientes causas; nam & si perfectè fiant, subiectis tamen, quæ informent, & quibus subsistant, semper indigent: quare nisi parata corpora præsto adsint, quibus vniantur, & assistāt, inutilis fortasse hic erit eorundem procreatio. Quamobrem nec forsitan Deus illas produceret, ni cooperantes hic particulares causæ sua simul congrua præparauerint subiecta. parit autē magnus Conditor quotidie animas, quia corporeæ producentes causæ quotidie parturiunt corpora. Cùm itaque errantium syderum lationes, vt communia, vniuersaliaque primi efficientis Dei alterantia, & disponentia instrumenta sint ad caducas, & materiales formas effigiandas: cùmq; pariter generatrices altricis animæ virtutes simul cum innato calido, & conformantibus spiritibus, qui tum in seminibus, tum in elementis existunt, eiusdem primi agentis, & informantis Dei vt particularia, propriaque organa sint ad illas formas perficiendas, animataq; singula, ac singulatim absoluenda. Hæc vtique ipsa instrumenta sunt, quæ virtuti suæ causæ adæquantur, & principalis agentis potestatem attingunt. Manifestum, clarumque fit ex horum omnium & vniuersaliū, & particularium agentium prænarrata ordinatione, hæc quinque simul naturaliter vniri ad animatas materiales formas omnes explendas, & naturales res cunctas prorsus perficiēdas. omne nanque agens, quod per disponentia, perficientiaque instrumenta suæ operationis finem attingit, communiter perfectum agens vnum cum suis omnibus instrumentis appellatur; quoniam vnita omnia sunt ad functionem illam explendam. At primus agens Deus cum vniuersalibus, particularibusque agentibus omnibus huiusmodi se habet, vt ad naturales functiones complendas cum his omnibus vniatur: vnum igitur ipsa omnia erunt, ac vnum iustè dicentur. Hunc igitur primarum vniuersalium, & secundarum particularium causarum nexum, ratumq; ordinem si intimius Gal. in lib. de formatione fœtus inspexisset, nūquàm profectò tantopere de formatrice virtute dubitasset. Nemo enim est (ait ipse) tam rudi, atq; hebeti ingenio, qui nesciat causam esse aliquam conceptus generationis; quam naturam vocamus omnes, eius tamen ignorantes substantiam. ego verò sicut ostendi, nostri corporis opificium summam præferre sui conditoris sapientiam, simul ac potestatem, ita opto, vt mihi Philosophi ostendant, vtrum is opifex Deus aliquis sit, & sapiens, & potens, qui & intellexerit prius, quale vniuscuiusque animalis corpus esset fabricandum, & deinde quod proposuerat potentia fuerit assequutus? an anima aliqua à Deo diuersa? neq; enim illam, quam naturam vocant, siue corporea, siue incorporea sit secundum substantiam, ad tantum dicent sapientiæ fastigium peruenire, cuius esse illam penitus expertem asseuerant, vnde non fit verisimile, tanto hanc vsam fuisse in fœtu formando artificio. Hactenus Gal. qui formatricis virtutis substantiam ignorare profitetur, & anceps, dubiusq; conspicitur, quomodo Summus opifex, erraticæ stellæ, conditricesq; naturales virtutes in vnū completum efficiens iungantur ad naturalium rerum facturam explendam. decimoseptimo autem de vsu partium nō dubius, sed certus videtur Deum cunctorum viuentiū artificem cognouisse,

vbi ait. quis igitur adeo est demens, aut operum naturæ inimicus, qui non ex cute statim, & ijs quæ primum occurrunt, artem opificis intelligat? quis non statim animo concipit mentem quandam esse, quæ vim habeat admirabilem, quæque terras omnes peruadens, in omnes eius partes extendatur? vbique certè animalia procreari videas, quæ constructionem habent admirabilem.

Sed ad alia eius quæsita longè difficiliora properamus, eaque soluere conamur; quærit namque quonam pacto princeps animæ facultas membrum aliquod rectè itéque semper moueat, & tamen musculum, quo illud ad motum excitat, ignorat? & quonam modo etiam particulares motrices membrorum virtutes, principes imperantes facultates non agnoscant, & tamen earum nutu, & imperio suas efficiunt motiones? ait enim, cur vbi membrum aliquod mouere voluerimus qualibet motione, id statim moueatur, licet mouentem musculum non agnoscamus? illud enim omnium difficillimũ est. vix enim ex dissectione à peritis Medicis propria vniuscuiusque musculi inueniri functio potuit. postea subdit, nam cum puerulos videamus exprimere quæcunque eis iusserimus, verbi causa, smyrnam, smylem, smenga, nec tamen musculos, qui linguam accommodatè ad hanc vocem exprimendam mouent, multò minus etiã neruos agnoscere; maximè probabile existimo esse, tum qui linguam nostram finxit, quicunq; ille fuerit, vel ipsum adhuc in formatis membris permanere; vel membra ipsa animantia constituisse, quæ voluntatẽ principalis partis animæ nostræ cognoscerent. Sed cum postea inuenio aliam esse principatus nostri animam; aliam, quæ in singulis membris est; vel prorsus vnam esse communem, quæ omnia administrat; in eam ambiguitatem venio, vt putem me ne probabili quidem cõmentatione, ne dum certa cognitione aliquid de artifice, qui nos finxit, percepisse. Hæc Gal. His quantum in nobis est, pro ingenij viribus satisfacere enitemur, & primum dicimus, quòd formatrix virtus non propria vi, sed in vigore Summi opificis, cuius est instrumentum, virtutes animati corporis omnes, tam principatum obtinentes, & imperantes, quàm famulatum gerentes, ac subseruientes ita effinxit, & formauit, vt principes facultates suarum actionum dominæ sint, & suo arbitrio alijs imperent. deseruientes verò virtutes, quæ primis parent, & famulantur, ita etiam edoctè sunt formatæ ab eadem facultate, vt iussu, & imperio principum facultatum suas omnes actiones, & motiones efficiant. Quamobrem & bene ipse Gal. libro primo de naturalibus facultatibus aliter quàm hic de his virtutibus scripsit, vbi ait; Hippocrates quidem omnium, quos nouimus Medicorum Philosophorumq; primus, vt qui primus naturæ opera nouit, hanc semper tum admiratur, tum prædicat; quam & iustam nominat, & solam animalibus ad omnia sufficere dicit, ipsam per se sine doctore, quæ opus sunt, agere. talis autem cùm sit, statim eã facultates habere proposuit; vnam, qua sibi conueniens attrahat; alteram, qua alienum à se segreget; ipsam præterea tum nutrire animalia, tum augere, iam morbos quoque finire, iudicareque eisdem facultatibus existimauit. ideoque in animantium corporibus vnum conspiratum, confluxumque esse, ac omnia inter se mutuò affici enuntiauit. Hucusque Gal. qui ex Hippocr. mente iustam, & eruditam naturam nuncupat, & si nunquàm ipsa didicerit, & ũne præceptore omnia, quæ ad animalis procreationem, nutritionem, auctionemq; spectant, per se facere affirmat; ipsamque virtutes animal gubernantes habere fatetur; quæ mutuò consensu scitè, & iustè animatum corpus per vniuersam vitam iutantur, & regunt sola cognitione congenita, & naturaliter insita. vt lib. 9. de Hippocrat. & Plat. decretis clarè attestatur, vbi dicit. ijs iudicijs vsus Hippocrates hæc verba scripsit. erudita natura est. licet rectè facere non didicerit. & alibi naturæ (inquit) morborum Medici sunt. eodem modo se habet & illud; natura sufficiet prorsus: vocat autem ipsam iustam; interdum medicum, ministrum, imitatoremque eius esse ait; & semper in peculiaribus tractatibus vim eius celebrat, atque admiratur; quæ tamen substantia sit naturæ, quæ nos effinxit, & gubernat, non ausus est pronuntiare; sed nostræ creationis authorem, vt omnibus hominibus mos est, naturam appellat. & lib. 6. de morbis vulgaribus com. quinto ita scriptum reliquit: natura autem ita erudita est, vt maxima, & præcipua sine disciplina nouerit: qualem fuisse Themistoclem, Thucidides memoriæ prodidit, ita inquiens. propria nanque intelligentia, neq; prius ad ipsam quicquam, neque posterius edoctus, & eorum, quæ de improuiso incidebant, celerrimo consilio, iudex optimus; & eorum, quæ longè posterius ventura essent, perspicacissimus coniectator. & decimoseptimo libr. de vsu partium rationalem naturam nuncupat, cùm inquit; natura rationalis perspici potest, si Platonem, Aristotelem, Hipparchum, Archimedem, ac complures alios contempleris. hoc quippe quòd natura sit ratio quædam, lib. secundo de generatione contra Empedoclem Arist. disputans, apertè concedit. & lib. de causis morborum Gal. ait; rationem enim quandam, atq; mentem naturæ tribuemus, si ita simpliciter ipsam, quicquid inutile est, deponere affirmemus ex nobilibus partibus ad ignobiliorem, at superfluum iudicamus locos omnes recensere, vbi Galenus

lenus sermonem facit de naturæ connata scientia, studio, prouidentia, solertia, atque iustitia: cùm non auctoritate sed ex ipsa rei naturæ hoc demonstrare contendimus. ac ideo dicimus, quòd forma apud Peripateticos vnitur materiæ non propter materiam, sed propter se ipsam: est enim forma finis, & perfectio materię. vnitur autem forma materię propter complementum suæ operationis: vnde talem materiam forma requirit, per quam operationem suam consequi possit, sicut forma serræ materiam ferream requirit, ad perficiendum opus secandi: coniungitur ergo anima tali corpori ad complementum suę operationis. ex naturæ itaque ordine, opus fuit, vt corpus & organum aptum, accõmodatumque viribus animæ, formaretur, eidemque sociaretur, vt per se prouida, solersque anima in suos motus, functionesque (quę factrici potestate continet) commodè descendere possit. At ad eius quæsita soluenda properamus, & prius ad ea, quæ in solutione argumenti facti dubitanter proponit; an scilicet formator partium corporis membrorum post completam fabricam remaneat in corpore? dicimus, quòd effector spiritus, qui particularis, proximusque est agens, & linguam, & cætera indiuidua membra fabricat; expleto formationis tempore corrumpitur, & non persistit in corpore; nam vt bene refert Philosophus secundo de generatione animalium, hoc inquam genituræ semen dissoluitur, versumque in spiritum euanescit, cùm naturam humidam, aquosamque habeat. At vniuersalis, primusque agens Deus perpetuò, & vbique generat, perpetuò & vbique adest, & genitis cunctis rebus perpetuò fouet. Ad alterum, quòd dubiè etiam proponit ad eiusdem argumenti solutionem, quòd membra ipsa animata ita facta, constitutaque sunt, vt cognoscant voluntatem principalis partis animæ: ad hæc dicimus, quòd formator spiritus, vt magni Conditoris instrumentum, animantis membra suis virtutibus omnibus ornata, & imperantibus, & subseruientibus, innata quadam cognitione prædita produxit, vt mutua inuicem cognitione se percipiant, ac mutuò etiam omnium consensu animal gubernent. quæ quidem cognitio, & assensus, nec est ex præceptore, nec ex inuentione habetur, sed est animæ, & eius virtutibus e magno opifice per formatorẽ spiritum insita. Ac propterea supra asseruimus, quòd forma, & anima materiei coniungitur propter se ipsam, vt suas functiones consequatur; & eius solertiæ, & prouidentiæ, congruum, debitumque aptetur organum ad suas debitas operationes exercendas. Quæ quidem verè indicant, eidem occultam quandam innatam rerum agendarum inesse cognitionem.

Vt res igitur clarius innotescat, simul cum Philosopho dicimus, quòd anima postquàm suæ debitæ præparatæque materiæ fuit cõiuncta, tunc corporis organici Physici inseparabilis actus euadit; estque principium vegetandi, sentiendi, appetendi, & intelligendi, & quo animal subsistit, & à quocunque altero distinguitur. Sic anima considerata perfecta, & sciens nominatur. Cùm enim ipsa sit actus è supremo, & primo actu formatus; qui æqualiter & perfectus, & sciens est; penès huius principij naturam & perfecta, & sciens æqualiter anima erit, tum actu, tum potentia, iuxta sui capacitatem. perfecta nanq; actu anima est, quoniam imperfectum subiectum, & informe organum actu perficit, & format. Sciens autem & ipsa est actu, quoniam familiare, & domesticum obiectum (suamet scilicet essentia) & propriæ virtutes, ac organicum corpus, & singulæ partes, ac ipsis conuenientia, & molesta præsens semper adest, vt innata cognitione cognoscat: obiectum nanque propinquũ est, & cognoscibile; & Anima est actus cognoscens; actus enim est ratio cognoscendi, & intelligendi; cognoscet igitur ipsum cognitione intima. nam ex obiecto, & cognoscente oritur cognitio: quæ cognitio soli animæ, & suo opifici est nota, nobis autem abscondita, & abstrusa; ac ideo à multis abdita nuncupata. nec inter sensitiuam, aut intellectiuam simpliciter numeratur: sed si ad harum vnam est redigenda, ad intellectiuam redigimus; tanquam ab ipsa facta, & ordinata. actu itaque anima & perfecta, & sciens est; quoniam suum corpus, & singulas eius partes simul perficit, & cognoscit: sunt etenim & perfectio, & cognitio cum anima simul genitæ, & ipsius primæ facultates, & vires. quòd verò anima naturali cognitione suum perpetuò præsens, & cognatum obiectum cognoscat, essentiam (videlicet) propriam, & virtutes, & organum, & eius partes, & præter hæc salubre, & nocuum, siue conueniens, & molestum, fidem facit functio, & operatio eius; quoniam scitè iustèq; semper operatur, nunquàm suæ perfectionis limites excedens: quæ enim recta certaque ratione perpetuò agit, id cum cognitione; & peritia agere dicitur, præterea conueniens, & salubre semper insequitur, molestum, & noxium effugit, & vt hostem & inimicum impugnat. Et quoniam vnumquodque sanè hoc agit, secundum quod est; modus enim operandi vniuscuiusque rei sequitur modum essendi ipsius; ac ideo dicimus, quòd forma, & anima, prout principium vnde motus, & quo corpus perficitur; alium essendi modum habet à modo coniuncti, & subsistentiæ; atque alium etiam à modo essendi animæ à corpore separatæ; sic & eius operari ab vtriusque horum operatione seiunctum, separatumque facimus. penès igitur istum essendi modum, vnde scilicet oritur actio, & quo corpus perficitur; suum etiam operandi modum anima habet diuersum ab

operari

operari coniuncti, & subsistentis, atque etiam ab operatione animæ à corpore disiunctæ, & sic anima cõsiderata magni effectoris Dei species, & imago dici meretur. & hæc ipsa est, quam. 12. Metaph. Auer. ab intelligentia non errante, rememoratam dicit esse. Potentia verò perfecta, & sciens anima nominatur, quatenus externorum corporum species per suos sensus inscipit, ad vltimam eius perfectionem, & cognitionem. Ac ideo alio modo consideratur anima, quatenus ex ipsa, & suo subiecto fit hoc aliquid vnum, scilicet homo, & animatum corpus, & membrum animatum. hoc autem modo anima considerata, non est neque sciens, neque perfecta actu; quoniam materia informis, quæ animæ primum subiectum asseritur, & confusionis, & ignorantiæ, & cuiuscunq; imperfectionis causa existit. & quantumuis hęc pręparetur, apteturque, cum omni tamen præparatione, & aptitudine, connata, propria obscuritate animæ vires adumbrat, obscuratque suo longo consortio. Quamobrem dicimus, quòd cùm animatum hominis corpus in tres diuersi inter se generis dissecetur partes, vegetatiuam scilicet, sensilem, & appetitiuam, tertiam rationalem, quam intellectualem vocant; nullam autem harum partium doctam, & perfectam asserimus. sed in potentia vt edocetur, & perficiatur à proprijs, & determinatis obiectis: vegetalia enim membra ab alimentis, sensibilia verò, & apperibilia à sensibilibus, & apperibilibus obiectis suam recipiunt perfectionem; sicut & intellectus potentia à suis speciebus intelligibilibus ad actum redigitur, & perficitur; siue obiectiuè, siue subiectiuè, qualitercunque dixeris. Hunc autem intellectum potentia, ad formas excipiendas tabellæ nondum inscriptæ persimilem Philosophus facit: cùm nihil ex his quæ sunt actu, sit materialis intellectus, sed omnia potestate. & huius doctrina, & cognitio est ipsius coniuncti, scilicet hominis, & non solius intellectus. & hæc non est congenita, sed nouiter acquisita; nec abstrusa, sed & voce, & literis manifesta. & de hoc intelligendi, & addiscendi modo, lib. primo de anima scripsit Philosophus, vbi ait; melius enim fortassis est non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem anima. & de hoc eodem cognoscendi genere, secundo Posteriorum allocutus fuit Philosophus, cùm inquit; absurdum esse, nos scientiæ habitus connatos habere, ac illos ignorare. His declaratis, ad prima Galeni argumenta reuertamur; argumentabatur nanque, cur homo membrum aliquod mouet ad quamque loci differentiam, nec tamen musculum, quod illud ad motum trahit, cognoscit; & cur pueri lingua quamcumque difficilem vocem exprimunt, attamen musculum, qui linguam ad expresionem accommodant, ignorant. Ad hæc nos dicimus, quòd & homo & puer cognitione coniuncti scilicet hominis, quæ per species abstractas à phantasmatibus habetur; (quæ & ore, & scriptura acquiritur, & docetur) minime talia cognoscunt, nec cognoscere possunt; neque enim intra corporis intimam substantiam illucusque sensus visus se extendet, vt musculi speciem offendere posit, quæ fæcunditate medij educta, perquam oculos ad sensum communem, phantasticamque virtutem protracta, ibidemque lumine intellectus agentis illustrata, & intelligibilis facta, eius cuius est similitudo, & imaginis cognitionem pariat. hac quippe cognitione nulla hactenus, & homo, & puer musculum, quo linguam, aut aliud membrum ad motionem excitant, agnoscent. Sed cognitione animæ innata, & insita, quam abditam alij nominant, tum puer, tum homo, seu mauis pueri, hominisque anima & musculum, & neruũ, & tendonem, & quamcunque aliam abstrusiorem partem certè cognoscunt, & mouent. At dices, cur hæc abdita cognosendi virtus nunquàm in corpore splendet, vt reliquæ animæ virtutes? nullibi nanque inspicitur corpus ab anima eruditum siue opera sensuum, & phantasmatum: breuiter respondemus, quòd hæc cognitio est soli animæ, & eius virtutibus propria; & compositum corpus nullam ad ipsam propensionem, & aptitudinem habet, sicut ad alias virtutes. Hac quippe insita cognitione, anima & propriam essentiam, virtutesque, & subiectum, quod perficit, ac organum, quo vtitur ad functiones explendas, atque sibi conueniens, & molestum præcipuè cognoscit. an verò aliquid alterum agnoscat vltra essentiam, virtutes, subiectum, & organum, atque salubre, & nocuum; nihil decernere audemus, pariter nihil asserimus, an per species à rebus abstractas, siue per easdam in memoria conseruatas; seu potius per species naturaliter insitas, aut à superis numinibus elargitas, hæc ipsa animæ cognoscant: siue enim per id cognitionis genus, siue per aliud alterum agnoscant, nihil profectò decernimus; satis nobis sit, quòd est facultas cognoscens, & obiectum cognoscibile præsans semper adsit, & quòd omnis eius actus, & functio cognitionem attestatur; & more periti agentis continuè operatur; atque etiam Hippocrates, & antiquiores eruditam, & doctam illam nuncuparunt; sicut apertè magnus Plotinus attestatur, vbi scriptum reliquit; quòd ars quælibet per sapientiam quandam agit, quæ dependet à sapientia nobis innata; naturæque sapientiam imitatur. Id ipsum Propheta notum fecit, dum cecinit; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* & lucidissimus Themistius in paraphrasi primi Posteriorum fortasse de hac intima animæ cognitione intelligere voluit, dum inquit; quicunque ad aliquam intellectualem doctrinam, aut

discipli-

disciplinam accedunt, necesse est, vt principia quædam naturalia teneant, vnde aliquid de ijs quorum amplexuri scientiam sunt, prænoscant; nō enim omnia accipere possumus à docente, sed aliqua sunt, quæ quasi suppetias ad addiscendum domo afferre oportet, sine quibus frustra aditum ad scholas ferimus. & hoc fortasse annuit Philosophus primo Physicorum dū dixit; Innata autem est ex notioribus nobis via, & certioribus ad incertiora naturæ, & notiora. & ad hanc insitam, innatamque cognitionem, quæ à Galeno in libro de formatione fœtus scribuntur, redigi possunt; vbi habet: vnumquodque enim animal cernimus, ea præcipua parte, qua alijs præstat, se defendere: Vitulum cornupetere, prius etiam quàm cornua produxerit: Pullum equinum calcitrare, nondum solidis vngulis: Catulum quoque licet dentes nondum validos habeat, ad mordendum incitari: simili modo volucres anteaquàm idoneæ sint, volare conantur; quæ omnia videntur significare animam, quæ partibus his vtitur, ipsarum vsum optimè callere. Neque enim refert siue vnam, siue plures animas Galenus fecerit, & loco & subiecto seiunctas; nam hanc innatam, abditamque cognitionem animabus omnibus, earundemque singulis virtutibus à Summo opifice per informantem spiritum datam, impartitamque esse asserimus. de essentia autem animæ nihil opus est cum Galeno alloqui; nam de omni eius substantia semper anceps, & dubius fuit; vt clarè sexto Epidimiarum com. quinto attestatur, vbi dicit: illud præterea persuasum habeo, spiritum in cerebri cauis positum primarium esse animæ instrumentum; quem vt animæ substantiam esse dicerem, mihi temerè inclinabat animus. siue autem tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperatione ad eam substantiam, vel proprietatem redacta sit, per quam sensus motusque voluntarij in animali primus auctor habeatur, & memoriæ scilicet, & intelligentiæ: siue quædam alia vis incorporea à nostro conditore cerebro indita fuerit, & morientibus animalibus recedat, nullam hac de re firmam rationem habeo. quin & eos qui de hoc quicquam affirmarunt, audacia magis, quàm sapiētia nobis antecedere existimamus. Sed de his satis superque cum Galeno sit dictum, & ad conclusionem principaliter illatam firmandam reuertamur, iam longa digressione prętermissam: quomodo scilicet factrices mundanæ virtutes superis potestatibus vniantur, qualiterque etiam ab eisdem regantur, ordinenturque. hoc quippe ex Philosophi mente quarto Metheororum explicare nitemur ex vulgata sententia, quam scipsit.

Necesse est totum hunc, qui terram ambit, mundum cum superis lationibus sic continuatum esse, vt omnis eius virtus inde gubernetur. Est autem sublunaris inferior mundus, qui terram circumambit, primorum quatuor elementorū congeries, & virtutū, specierumq; omnium quæ in illa continentur, firma, ordinataq; constitutio. huiusce verò mundi virtutes appellantur procreantes spiritus, insitus singularum sensibiliū rerum calor, & primæ quatuor elementorū qualitates, quibus mixta cuncta temperantur. hæ vtique mundanæ virtutes à primorum mobilium motu, continuato cursu progrediuntur, nec horum defluxus desinit vnquàm, nec desinere potest, quando à sempiterna effluit potentia. hæ quippe facultates ipsæ sunt, quibus cœlestia proxima accedunt ad terrestria, simulque sunt, ac mutuo se tangunt. Ratione igitur huius continui cœlestis defluxus mundanarum virtutum, Aristoteles dixit, Mundum hunc inferiorem superioribus lationibus continuum esse, & non ratione subiectorum, quando hæc toto genera diuersa sunt; nam corpora hæc caduca, cœlestia verò æterna dicuntur: horum profectò causa contigua dici merentur: Nam disparata subiecta neutiquam continuantur: Nec enim diuersorum disparatorumque corporum vltima simul esse possunt. At prænominatæ facultates cùm vtrinsque naturam sapiant, vtranque etiam oppositam naturam suo familiari interuentu conciliant, & nectunt; quare & meritò vtriusque nexus dictæ sunt: sic vtique mundanæ virtutes superis lationibus vniuntur, & continuantur. Qualiter verò ab eisdem illæ regantur, ex superius dictis satis superq; est demonstratum: nam vnde motus principium est omnibus, illam causam putandum est esse primam, & efficientem, & gubernantem, vnum profectò idemque principium res producens gubernat, & gubernans producit; quod quidem principium non lationes primò, sed motores ipsos constituimus, quando hi per se, & propria virtute inferiora hæc regunt, & gubernant: lationes verò instrumentaliter tantum; quum motorum instrumenta sint, & horum nutu in gyrum feruntur, & lumen cum calore adducunt, & abducunt; quum enim gubernare actus sit intellectus, rationi consentaneum est, non lationes, neque lumen, & calorem hunc gubernare mundum, sed motores cœlorum medijs lationibus, & luminibus, & caloribus. Quid, quòd Motus potestatem, Lux sapientiam, Calor amorem figurat? quibus primus ille motor mouet, illustrat, creat, perficit, seruatque vniuersa.


Superest vt Alexandri & Auerrois sententiam de primorum quatuor simplicium corporum productione à sydcrum cursu effecta explanemus. secundo enim libro quæstionum naturalium scribit Alexander, quòd varius planetarum sub Zodiaco motus, atque eorundem certa quædam

ad infor-

ad informem materiam habitudo primas quatuor elementorum formas cõficiunt. Solis etenim latio & cæterorum errantium sub Zodiaco, huic quidem parti materiei, cui vel magis, vel propinquius accedit, caliditatis, siccitatisque fit causa, quæ ignis forma asseritur. illi autem caliditatis, humiditatisque, quæ est aeris natura: alteri verò frigiditatis, & humiditatis, quæ est aquæ essentia. Vltimæ nanque parti frigiditas, & siccitas conceduntur, quæ terræ naturam constituunt, & huiuscemodi quidem sunt à diuina potentia formæ in materia simplices, & primæ formæ, quæ factæ sunt substantiæ corporum simplicium, & naturæ. Hucusq; Alexander, quem Auer. in Paraphrasi primi Metheororum imitatus est, dum ait, Declaratum est etiam in lib. cœli, & mundi, qualiter causa in hoc, quòd Sol calefacit, & reliquæ stellæ duobus modis inueniuntur; vnus eorum est motus; alius reflexio luminis. sed caliditas quæ à motu fit, exigua admodum, & vix sensibilis est: quæ verò à lumine & reflexione, maxima, & potens existit. hæc profectò vario ac diuerso modo se habens, variam, ac diuersam primorũ simplicium corporum naturam in informi materia construit. Hæc Auerroes, qui simul cum Alexandro sentire videtur, inæqualem Solis motum, atque vagantes syderum cursus informi subiecto primas elementorum formas elargiri, ac quatuor ipsa elementa conficere. Nos verò horum sententias interpretantes dicimus, Solis, errantiumque stellarum varium sub Zodiaco progressum informem tantum materiam ad simplicium corporum ortum alterare, & disponere, & propterea primus alterans nuncupatur. Vniformem verò ac ordinatam cœli diurnam motionem vltimas perfectiones adijcere, & corpora prima formare: illi autem primas alterantes causas (pro ipsarum fortasse actionum euidenti notitia) constituentes dixere: & præuiam dispositionem, & viam ad formam, pro termino formæ sumpserunt. Quod verò vniformis cœli diurna motio suo producto tepore & connatam aquæ frigiditatem, ac insitam aeris humiditatem procreet, conseruetque, eorundem putredo, & corruptio facile ostendit. nam quia primum aer, & aqua hoc cœlesti conseruante tepore destituuntur, illico putrescunt & corrumpuntur. Dicamus igitur, quòd sicut vniformis, & regularis Systoles, Dyastolesque cordis motus in microcosmo quatuor primos humores informat, eosdemque inuicem repugnantes componit, vnit, & seruat ad hominis vitam: sic in vniuerso terrarum orbe regularis, vniformisque primi mobilis motus prima quatuor conformat elementa, eaque inuicem contraria vnit, fouet, regitque ad orbis perfectionem: & sicut hæc ne minimo quidem tempore consisterent sinè reliquorum consortio; (nam si vnum aliquod deficeret, inquit Hippocrates, omnia simul abolerentur) ita homo siquid illorum ipsi deficiat, quæ cognata sunt, viuere non posset, siquidem æqualiter omnia ex eadem sunt constituta necessitate.

Rem igitur ad finem perducentes concludimus, quòd prima, summaque bonitas motu, lumine, & calore implet omnia secula bonitatibus. Planetæ verò summum bonum æmulando suomet lumine, motu, & calore vniuersaliter ad illas disponunt: & præcipuè Solis lumen omnibus euidens; quòd & se ipsum, & alia secum omnia demonstrat, atque illustrat. ipsum etenim de moto corpore profluens, vibransque calorem mortalia cuncta ad esse, & vitam præparat. Generatrix verò facultas primi informantis opificis, atque primi etiam alterantis Solis exemplar, & imago, & vnde alterationis, & vnde perfectionis motus nascitur, equaliter principiũ dicitur. innatus verò calor, & formator spiritus, superioribus causis fouentibus, ille alterãdo, & disponendo; hic perficiendo, & formando naturalia entia omnia singulariter complet, & absoluunt. Prænarratæ itaque causæ omnes, & vniuersales, & particulares à primo summoque rerum omnium ordine ad informem materiam formandam, & res cunctas perficiendas vnitæ, ordinatæque sunt. Res verò formatæ, & genitæ pro cuiusque captu boni participes, bonum ipsum appetunt, & prosequuntur, vt vnde profecta sunt, inde perfectionem suscipiant. Hæc sunt, quæ à nobis pro temporis breuitate, summisque occupationibus legendi, ac medendi de Primi Motoris efficientia in naturalium rerum factura dici, atque excogitari potuerunt. Verum qualis ac cuiusmodi ipse in se sit, nulli profectò compertum est, vtpote qui omnem intellectum exuperet. Cum igitur verba, & cogitationes deficiant, nec rationibus vllis attingi possit, eum piè silentio venerabimur.

F I N I S.



16f

DE CALIDO
LIBRI III.

Nuper recogniti, atq; aucti.

AD FRANCISCVM MEDICEVM MAGNVM, ATQVE SERENISSIMVM HETRVRIAE PRINCIPEM.

AVCTORE SEBASTIANO PAPARELLA à Monte Sancto, Medico, & Philosopho in Almo Perusino Gymnasio Medicinam profitente.





MACERATAE,
Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. LXXXII.

FRANCISCO MEDICEO MAGNO ATQVE SERENISSIMO HETRVRIAE PRINCIPI.

SEBASTIANVS PAPARELLA FELICITATEM.



Go quidem iandiu debebam ſolum; tametſi debebam plurimum, prudentiſsimo, omnique virtutum genere ornatiſsimo Magno Coſmo Patri tuo. Vt enim alia innumerabilia ipſius in me collata beneficia taceam; nullis meis meritis, naturali ſua tantum bonitate, ſummaque in omnes homines iuuandos propenſione me inter multos accerſiuerat, qui in celeberrimo Piſano Gymnaſio Medicinam honeſtiſsima conditione profiterer. At ſuperioribus temporibus cœpi quoque, Magne Princeps, ſummopere debere tibi. Nanque cùm Florentiam inter omnes Hetruriæ Vrbes & pulcherrimam, & nobiliſsimam veniſſem, non tam negotia quædam expediturus, quàm vt te honoris cauſa viſerem; præter incredibilem, qua exceptus ſum, humanitatem, ita me prudens, atque comis ſermo tuus vel cœpit, vel incendit, nihil vt mihi gratius, iucundius, optabilius accidere potuerit. Quare ſuſpicabitur fortaſſe quiſpiam, huius tuæ humanitatis, ac Patris etiam beneficentiæ minimè ignarus, qui me magis ingrati animi vitio laboret, eſſe neminem: aliquot enim iam annis præteritis, non ſolum gratiam nullã retuli; quod tamen propter fortunæ meæ tenuitatẽ difficile, quin impoſsibile mihi fuiſſet: ſed, quod licuiſſet, ne ſigno quidẽ vllo aliquam ſaltem veſtrorũ meritorum memoriam ſeruare me oſtẽdi: is autem inter omnes eſt admodũ ingratus; vt maximus ille morũ magiſter Seneca tradit, qui acceptorũ beneficiorũ facillimè obliuiſcitur. Hinc igitur factum eſt, vt cùm paruũ de calido opuſculũ ſucceſsiuis horis lucubratũ, ſim hoc tempore vulgaturus, mulia cum ratione cõſtituerim, vt illud in tuo nomine appareat. Ita enim fortè omnes perſpicient apertiſsimè, quantopere deciperẽtur, qui me neq; memorẽ, neq; gratum virũ exiſtimabãt. Huc etiã accedit, quòd non parũ ex hoc ipſum opus cõſequetur auctoritatis, id quod, vt idẽ tibi dicarẽ, potuit me quoque vel vehemẽter impellere. Itaque (Optime Princeps) hilari animo perexiguũ hoc munus accipies, nõ tanquàm tuæ magnitudini conſentaneũ, ſed tanquàm ſingularis meæ in te obſeruantiæ argumentũ: atq; ita exiſtimabis ab ijs, qui aliter iuuandi facultate deſtituti ſunt, perinde accipiendã eſſe voluntatẽ, ac ſi maxime iuuerint. Vale, & diuturnam, atque felicem vitam viue.

AD LECTOREM.




ALORIS vis, atque natura cùm magna est, & admirabilis; tum quàm latissimè etiam patet. Primum enim nulla est inferioris huius mundi pars, ne quid nunc de superiore dicam; quæ quidem calore quodam fulta non sustineatur. Nanque siue terram spectes, quæque in ea sunt, lapides, stirpes, bruta, homines, siue aquam, & puteorum, & fontium, & fluminum, & maris, siue aerem, qui, vt nonnulli existimauerunt, vi sua maximè frigidus est, in omnibus naturæ huius aliquid inclusum comperies; supremam autem illam partem, quę Lunæ orbem attingit, nihil est, quòd referam; cùm ea tota feruida sit, ac cæteris reb. omnibus calorem aliquem impartiat. Deinde verò ipsa parès natura sine caloris vi quid quæso moliri, aut efficere vnquam posset? Calore concoctiones, mixtiones, generationes, nutritiones, auctiones, ipsæ denique corruptiones fiunt; id quod optimè summus Medicus Gal. intellexit, qui neque aliud quidquam animal initio conformare, sic vti neque rursus augere, aut ad mortem vsque alere dixit, præter vnum hunc, de quo nos loquimur, calorem. Sed nec etiam Auic. idem latuit; quandoquidem is tantū calori tribuit, vt nullū naturæ opus frigus ingredi tradiderit. De huiusmodi calore credendū quidem est, & Philosophos, & Medicos veteres multos multa scripsisse. cùm enim aliis de reb. quę neq; de vtilitate, neq; de nobilitate possunt cum calore cōtendere, tot volumina conscripserint, haud verisimile est, eos argumentum hoc aut neglexisse, aut consulto relinquere voluisse. Verum vel propterea quòd nihil de eo scripserint, vel quòd scripserint quidē, eorum tamen libri minimè peruenerint ad nos; desiderabatur adhuc aliquis, qui hunc laborem sumeret, de caloris natura, attributis, atque effectibus disserendi. Ego igitur, nō quòd ingenioli mei viribus admodū confiderem, quas perexiguas esse optimè noui; sed vt illud temporis, quod ab interpretandi publico munere, medendique labore mihi relinquebatur, honestè, atque in literis consumerē, quibus me sexagesimum iam agentem annum nihil magis nec delectat, nec delectare aut debet, aut potest, vniuersum hoc negotium suscepi; ac quid de omni calore senserim, diligenter singula considerans, tribus voluminibus explicaui, quæ cùm hoc tempore amicorum meorum monitis, & hortatu editurus sim, faciendum esse putaui, vt quod meum consilium esset paucis verbis declararem. Breui igitur (amice Lector) sic habeto, me hoc animo esse, vt si quæ excogitaui, tibi probabuntur, præclarè mecum actum esse putem; sin minus, illud me consoletur, quod alios longè ingeniosiores, atque eruditiores, vt eadem de re scribere velint, fortasse excitauerim. Vale.

AD LECTOREM, ANNIBALIS ANCILLOTTI ASCVLANI EPIGRAMMA.



VAE prius innati calidi natura fuisset,
Quodque opus, & nobis commoda quanta ferat;
Quidque calor nostræ naturæ infestus, & humor
Quo pacto putris corpora nostra grauet;
Olim cùm nullus clarè conscripserit, omne
Perfectè explicuit nunc PAPARELLA *tibi.*
Dic agè, quis melius, vel quisnam doctius vnquam
Magna hæc nos docuit, quæ latuere diu?
Vt rapido primum spectatur in igne metallum,
Sic sua sunt doctis scripta probata viris.
Desine mirari nunc Gallia scripta tuorum,
Hic quoniam nobis Delius alter inest.

DE CA-



DE CALIDO

LIBER PRIMVS.

AD FRANCISCVM MEDICEVM Magnum atque Sereniſsimum Hetruriæ Principem.



PRAEFATIO.



VM de calido corpore diſputationem inſtituerimus, ſummoperc nobis ſtudendum eſſe videtur, vt ſingula explicentur, quàm poſſunt diligentiſsimè, atque accuratiſsimè. Eſt enim, ni fallor, argumentum & propter nobilitatem non contemnendum, & propter difficultatem minimè oſcitanter tractandum; atque idcirco dignum labore, induſtriaque non mea ſolum, ſed cuiuſuis etiam alterius grauiſsimi, eruditiſsimique viri. Quoniam autem inter ea, quæ ad eximiam alicuius rei tractationem requiruntur, primum ſibi locum ordo vendicat; quandoquidem abſque ordine omnia temere tradita eſſe videntur; ne is ab aliquo in hoc opere deſiderari iure poſsit, omnibus ingenij mei viribus enitar, ac pro virili parte efficiam. Quamobrem vniuerſam hanc tractationem tripartito diſtribuemus. Ac primum quidem de calido igneo verba faciemus, quod ſanè eſt cæterorum veluti elementum quoddam. Deinde verò de naturali calore diſſeretur. Poſtremo tandem loco de eo, qui præter naturam eſt, agetur; atque hic propterea poſt naturalem explicabitur, quod niſi eo cognito, haud intelligi poſſe videtur. Nunc, ne nimium longa ſumatur oratio, de ipſa re dicere incipiamus.

DE IGNIS LEVITATE, RARITATE, & motu naturali ſurſum, atque deorſum. Cap. I.



GNIS quatuor elementorum non iniuria primum, à quo leuia, calidaque omnia originem trahunt, corpus eſt leuiſsimum, rariſsimum, & calidiſsimum, quoniam leuiſsimum exiſtit, facillimè ad ſuperas euolat auras; ob ſui velocitatem motus dixere Antiqui figuram habere pyramidalem: & cùm rariſsimum ſit, non poteſt diutius conſtare, cito enim in ipſo aſcenſu euaneſcit, ac diſsipatur, & totũ demum ſe exponit viribus agentis extranei, à quibus facile vincitur, & corrumpitur; & vt facili leuique occaſione corrumpitur, ita quoq; faciliter à pluribus cauſis regeneratur; vt vnà cum reliquis elementis ſuperſtes ſemper ſit, quas quidẽ cauſas clarioris doctrinæ gratia iuuat recenſere. Ignis enim primũ ab igne generatur, deinceps aeris diſgregatione ac rarefactione gignitur, hanc enim ſequitur caliditas, quę intenſior facta ignẽ parit; ſeſe enim vicisſim comitantur, raritas, & caliditas, quare ſicut caliditatẽ ſequitur rarefactio, ita contra rarefactionẽ ſequitur caliditas, à qua poſtea pullulat ignis: præterea ignis procreatur ex mutua corporum ſolidorũ colliſione, attritioneque, ſicut in dies à chaly-

be, & silice, ignem fieri conspicimus. Sed præter aeris disgregationem solidorumque corporum collisionem, à radijs etiam solaribus coeuntibus ignem procreari cernimus, vt conspicitur in speculis concauis, à quibus radij reflexi in vnum punctum coeuntes ignem generant: quod quidem fieri nonnulli autumant ob propinquitatem affinitatemque qualitatis cœlestis ad calorem; lumen etenim qualitas est cœlestis calori proxima & affinis, ideo iure affinitatis, & propinquitatis caliditatem gignit, caliditatem verò intensiorem sequitur forma ignis, vt propinquissimam dispositionem. Alij verò non ob qualitatis affinitatem Solis radios ignem facere opinati sunt, sed ob aeris disgregationem ipsum procreari tradidere, quoniam radij cadentes in concauum speculi, si orthogonaliter cadunt, orthogonaliter ibidem reflectuntur, qui cadentes & reflexi super eandem viam sursum, & deorsum intenduntur, augentur, & fit ibidem maxima aeris disgregatio, ex qua immediatè calor, & ignis subinde existit. Generatur vltimò ignis à prohibita transpiratione, ac putredine, vt infimorum cumulis Solis ardore putredine correptis ignem vrentem fieri quotidie conspicimus. Idem quoque licet cernere in magnis Principum armentarijs, vbi vstibilia cuiuscunque generis seruantur, quæ in obturatis vasis, sicut bombardarum pulueres custodiuntur, ob prohibitam transpirationem occlusæ particulæ plurimo agitantur labore, & inuicem colliduntur atteruntúrque; ac tandem putredine correptæ igniuntur: sic vtique quatuor, vel quinque modis igni permissum est restaurari repararique vt eius integra apud nos conseruetur natura. Sed vbi genitus renatusque ipse fuerit, statim perit, nisi habeat nutrimentum, ex quo nouus semper ignis emergat, & propterea continuo indiges alimento, ex quo possit continuato tenore reparari, & fluere, veluti ex quodam fonte: & quoniam perenniter nutritur, propterea Alex. in lib. quæstionum naturalium dicit, verius
» mixtum quàm simplex corpus esse iuxta Philosophi decretum secundo de generatione, &
» corruptione, vbi ait; non est autem ignis, & aer vnumquodque prædictorum simplex, sed mix-
» tum; etsi enim mixtum sit corpus elementare, tamen adhuc in scholis nomen seruat. Hic itaque noster ignis ex supposito alimento in sublime perpetuò fertur, mox intercidit ob sui raritatem ambientis frigiditate. ac propterea bene prouidit natura, quòd ipsa genita flamma illico deorsum moueatur ad pabulum vt se nutriat, & foueat, & inde iterum sursum, & deorsum
» agitata se conseruat, & viuit; proinde bene Philosophus in lib. de mor. & vi. scripsit. Semper
» autem ignis perseuerat fiens, & fluens, quasi fluuius, sed ob velocitatem latet. Hæc profectò ignis motio sursum, & deorsum, sursum ob leuitatem, deorsum ob raritatem eius leuem raramque naturam manifestat. Idcirco leuitatem, & raritatem ignis substantialem formam Antiqui fecerunt; quæ quidem raritas, & leuitas, & si duplici proferantur nomine ob vocum propriarum penuriam, vnicam tamen ac simplicem dicunt quidditatem, & actum; qui quidem actus coniunctus est potentiæ, & est in fieri & successione, atque ex illorum entium numero existit, quæ secundum quid, & successiua, & permanentia dicuntur: est etenim ignis ens permanens, quia ex sua natura permanet, tamen quoniam est in continuo fieri, nunquàm est sine sui generatione, ob id successiuum ens nuncupatur. Cùm itaque ignis semper aliquid sui factum habeat, proinde actus permanens dicitur, cùm postea sit in continuo fieri, & motu, ideo in potentia, & successiuo esse denominatur. & propterea bene diximus, quòd ignis actus est potentiæ coniunctus, seu potentia actui coniuncta. Nec propterea quia dicit Philosophus. quòd ignis perseuerat fiens, & fluens, sequitur quòd idem sit generans, & genitum, & quòd efficiens idem sit cum materia; quoniam flamma ignisque genitus ad nouæ flammæ, ignisque procreationem illico corrumpitur; & vt succedans ignis, & flamma est in continuo generari, ita præcedens flamma, & ignis est in continuo corrumpi, & sic nunquàm flamma generans, & genita sunt simul, nec efficiens, & materia coincidunt. Quòd verò ignis sursum, & deorsum naturaliter moueatur, & quòd hac ipsa motione ignis subsistat, & vigeat, in lib. de vsu respir. cap. 5. Gal.
» prius exemplo, mox ratione apertè manifestat, vbi ait; quòd omnes flammæ duplici motu mo-
» ueri videntur, altero à materia, ex qua accenduntur, per quẽ maxime sursum feruntur, & vnde-
» quaq; disperguntur, altero verò huic cõtrario ad sui ipsarũ principium, ac velut radices vergen-
» te, per quem considunt, & contrahuntur. Etenim si quàm maxime facis supernã extremitatem
» accenderis, confestim ad infernam perueniet ignis, & si postquàm lucernæ flammam extinxeris
» ad extremum fuliginosæ fauillæ sursum tendenti alium ignem admoueris, iam rursus arden-
» tem lucernæ funiculum videbis, cùm nihil tale fieri possit, si ignis motum sursum tantummodo
» haberet. Quæ quidem omnia quamuis euidenter appareant, ea tamen hac ratione confirma-
» bimus. Omnis flamma velocissimã habet corruptionem, semper enim in aerem ambientem di-
» spergitur, & ideo necessum est, etiã generationem eius velocissimam esse, aliàs enim neque mi-
» nimo momẽto duraret. At generatio vniuscuiusq; flammæ est ex subiecta materia accendi, me-
» ritò igitur non solum extra à proprio principio, sed & contrariũ ipsi in propriũ principium ver-

gentem

gentem motum sibi à natura insitum habet. His quippe verbis Gal. vltra sensus testimonium, clarè demonstrauit, quòd ignis flamma, cùm suapte natura velocissimè interimatur, nisi velocissimè quoque regeneretur, illico desiueret esse, & proinde hinc inferius ad pabulum, vt reficiatur, inde superius ad suum locum, vt perficiatur, velociter mouetur; & ita hinc & inde continuè ignis agitatus viuit, & subsistit; sic enim contrarijs motibus naturaliter præditum esse illum facit. Quibusquidem motibus præditus ignis & alteri, & sibi inseruit; suo enim motu sursum, præter hoc, quòd suum supernum attestatur locum, suo splendore medium illuminans viuentibus vtilis fit, aspectabilia spectra illustrans, visibilia faciens, idipsumque calefaciendo, idoneum reddit ad circumstantia frigida calefacienda; suo autem motu deorsum ad pabulum sibi ipsi proficuus existit, congregando similia pro sui nutritione, extranea, & inutilia abijciendo. Hactenus de nostri terrenis ignis quidditate eiusdemque naturali motione sursum, & deorsum. Superest vt quæ ab alijs obijciuntur soluere tentemus.

Argumentorum quorundam contra superius dicta solutiones.
Cap. II.

EX iunioribus quidam contra ea quæ superius à nobis definita sunt, quòd duplex secundum naturam motus ignis flammæ, sursum scilicet, & deorsum sit condonatus, pluribus medijs ratiocinatur. Primum, quia (vt docet Philosophus in primo de cœlo) corporis simplicis, quale est, elementum, non est nisi vnus motus simplex naturalis. Idipsum probatur ratione, motus enim (auctore Auerroe) non minus dependet à mobili, quàm à motore, ergo si flamma mouetur deorsum naturaliter, oporteret esse eius motus principium aliquod naturale, at principium motus deorsum est grauitas; esset igitur flamma grauis. Nec dicere possumus quòd ab appetitu elementi proficiscatur motus ille, nam ab eodem appetitu naturali fieri non potest, vt prodeant actiones motusque contrarij. Præterea cùm motus flammæ (vt aiunt) sit continuus, & vniformis, nullam ergo habet oppositionem, nullam diuersitatem, interceptionemque, ergo semper ascendet. Vltimò argumentatur, cùm noua semper gignatur flamma, & visus illam semper sursum ferri cernat sine deceptione, quomodo igitur dices, vt eadem, quæ ascendit flamma descendat? Hæc sunt huius viri rationes, quibus suadere conatur, nequaquam motum sursum, & deorsum flammæ naturaliter competere. Ad hæc nos dicimus, quòd cum ignis flamma de numero entium non omnino successiuorum sit, vti retulimus, est etenim secundum quid successiuum, & permanens; est quippe permanens, quia ex sua natura permanet, cùm aliquid semper sui factum habeat, est rursus successiuum, quia est in continuo fieri, ideo in potentia & successiuo esse denominatur: ignis itaque ex propria natura, hæc duo opposita dicit actum, & potentiam; & eius quidditas est actus potentiæ coniunctus; vt igitur duplici natura est præditus, ita duplicem appetitum habere illum fatemur; ignea itaque flamma, quatenus genita est, actuque subsistit, sua leuitate naturaliter sursum fertur, quantum ei est à natura permissum; at non magis quàm par sit; sibi conceditur sursum ferri; nam illico prorsus periret ambientis violentia, si vltra quàm sibi debetur, efferretur. eatenus enim genitæ flammæ motus sursum conceditur, quatenus absque offensa licet ad pabulum deorsum descendere, nouamque excitare flammam pro sui conseruatione. Flamma itaque genita, actuque vigens, perfectionis appetitu plurimum, pro maiori; sui parte sursum mouetur, suumque supernum locum petit. Atque istud Philosophus inspiciens, vnicum eidem sursum motum naturaliter conuenire affirmauit, & vnicum tantum supernum locum appetere (quanquam & hoc naturale est, vt nõ detur vacuum, descendant ignis, & aer, & ascendant aqua, & terra.) Cùm deinceps ignis ex altera suæ quidditatis parte successionem potentiamque dicat, ex hac quidem potentia alter insurgit appetitus naturalis ad esse eiusque essentiam continuandam. Vnde hoc appetitu, quem superius per raritatem connotauimus, & non grauitate aliqua excitatur ad pabulum, & ad propriam descendit materiam, congruum suæ conseruationis locum. Et quoniam ratio dantis esse prior est, quàm ratio mouentis ad suum locum, prior quoque erit appetitus suæ generationis, quàm appetitus motus sursum ad perfectionem. Et similiter prior erit motio deorsum ad suum esse assequendum, quàm sursum ad suum perfectum esse obtinendum. Iure itaque vt duplici appetitu, ita duplici motu ignem præditum facimus. Et sic eadem flamma non secundum se totam, sed tantum per infernas supernasque eius particulas, hac superius, illa inferius trahente, duplici appetitu excitata, duplici sursum, deorsumque naturaliter motu agitatur, at motui deorsum auxilium præstat circum-

ambientis frigiditas, flammæ motum sursum (vlterius quàm par sit inhibens) deorsum illam ad pabulum retrudit. Hoc quippe Philoso. 7. Phys. t. x. secundum sectionem Simplicij voluisse videtur, dum scripsit, lignum attrahere ignem. Ignis namque lignum, combustibileque omne vt pabulum deorsum insequitur, sicut rem amatam, & desideratam, pro sui conseruatione. Si autē dicas: Motus ignis non differt à sui generatione; ergo dū sursum mouetur, sursum quoque se generat. Respondemus motum sursum ignis ad suam perfectionem à motu suæ regenerationis deorsum plurimum distare realiterque differre, cùm vtriusque termini multum distent, realiterque differant; sed eatenus ignis motum a sui generatione non differre aiunt; quoniam ignis existentia perpetuo vtroque indiget motu vt subsistat & vigeat: semper nanque ignis (ait Philosophus) perseuerat fiens & fluens; dum enim fit fluit, & dum fluit, iterum fit; & sic suam continuat subsistentiam. Cùm igitur vnà semper progrediantur, non est mirum, quòd motum ignis & generationem idem esse dicant. Ad alterum, vbi inquit: Cùm ignis motus continuus vniformisque sit, nullam igitur oppositionem diuersitatemque habebit, semper igitur sursum ascendet; Dicimus quòd ignis motus continuus est per continuam flammarum renouationem, at vniformis reuera minimè existit, sed inæqualis & difformis. Ignis nanque partem sui factam mox interituram, partemque futuram fieri semper ostendit, proinde eius essentiam explicantes, dixere esse potentiam actui coniunctam, quæ rei inæqualitatem manifestat; quamuis igitur primo aspectu motus ignis vniformis videatur, inæqualis tamen difformisque existit, semper enim cùm inæqualitate actus & potentiæ, & motus sursum & deorsum reperitur. Ad vltimum argumentum, cùm noua semper generetur flamma, & visus illam sursum petere, rectè discernat, qua igitur ratione euenit, quis dicet, vt illa eadem, quæ ascendit flamma, etiam descendat? Dicimus quòd si quis diligenter nascentem flammam conspexerit, sine dubio obseruabit, quòd illa secundum eius verticem supernasque partes sursum fertur, secundum verò infernas iuxta basim, deorsum ad pabulum conseruationisque locum descendit, & sic eadem flamma iam exorta illa eadem, at non vndique tota, sed secundum supernas inferasque eius partes duplici appetitu excitata sursum deorsumque naturaliter mouetur. Bene itaque supra retulimus quòd ignis deorsum naturaliter descendit propter raritatem, quam cum leuitate iunctam ignis naturam actumque primum explicare diximus. Concludimus tandem igni vt corpori etiam simplici duplicem naturalem inesse motum; vnum extra seipsum ad loci differentiam sursum, alterum intra seipsum inferius, non ad loci differentiam, sed ad pabulum, nihilominus ille fieri iure asseritur, qui & regenerationis quoque motus dici meretur.

De motu ignis violento, ac præter naturam. Cap. III.

AT præter sursum deorsumq; naturalem motum, possidet & ignis alios præternaturales violentos motus secundū plures loci differentias. & deorsum & ad latus, & secundum gyrum penès varios impetus motoris extrinseci motum violenter excitantis, necnon penes defectum medij motum sursum ignis intercipientis. Sermo verò noster est de terreno hoc nostrate igne, quem isti arsionem, ardorem, feruoremque communiter dicunt: ignem itaque hunc nostrum, qui partem sui factam, partemque futuram fieri dicis; non omnino simplex, sed mixtum corpus esse supra retulimus: de hoc inquam igne pro sui parte facta sermonem faciens Auer. 8. Physic. dixit, quòd quamprimum genita est flamma, statim habet proprium vbi, ad quod particulariter erat in potentia antequam fieret; postquàm verò est procreata, illico suum proprium particulare assequitur vbi & minsiua supremum illud propriæ sphæræ sub lunæ concauo consequitur, vice consequi potest: nam quamprimum genita flamma suum peculiare vbi adempta fuerit, illico ambientis frigiditate perit, mox altera ibidem succedit, & sic per continuam nouæ flammæ regenerationem proprium vbi naturaliter semper assequentis suum esse, suamque pyramidalem formam vniformiter conseruat: quare & bene 4. coel. scripsit Phylos. quòd elementum ad proprium locum vt ad propriam formam tendit. Si autem contingat, quòd genita flamma à motu sursum sit detenta ab aliquo intermedio prohibente, tunc exagitata, per eam (quæ ei conceditur) viam aut ad latus, aut deorsum violenter mouetur; sic enim isti ignem in fornace & furno violenter circulariter mouent, aucto a tecto furni fornacisque tegmine motum sursum intercipiente, ac in gyrum illum deorsum trudente. Consimilem violentum motum cernimus in flamma accensa intra bombardam, & similia bellica tormenta, vbi ob supernam ferream bombardæ bellicorumque tormentorum duram su-

ram superficiem flammam sursum ascendere omnino prohibetur; quare in latus conuersa secundum rectam, vel obliquam lineam (iuxta nutum artificis motum dirigentis, & penès compositionẽ organi ordinati ad hunc vel illũ motum causandum) & huc, & illuc ad ferream plumbeamque pilam trudendam magno cum impetu violenter mouetur. Aliter in flamma accensa violentus motus cernitur, non ob aliquod externum eius sursum motum prohibens, sed propter extraneum principium contra mobilis inclinationem, violentum motum excitans, cumque præter naturam omnino efficiens; qualem fulminis cœli repentinum motum deorsum esse cernimus, quem numinis nutu, ac nubium frigiditate, vt ait Philosophus lib. tertio methe. deorsum detrusum omnino violentum contra ignis propensionem à principio externo factum communiter omnes affirmant. Idem profectò dicendum de cometis, reliquisque ignitis meteorologicis impressionibus, quæ in dies visuntur, sub cœlo circumferri, & deorsum descendere, quæ aut ab alterius motu, aut aeris nubiumque frigiditate, seu ventorum impulsu, vti ab extero principio huc, illucque violenter trahuntur præter earundem igneam naturam. consimilem & violentum motum à principio externo excitatum conspicimus in facibus ardentibus ignitisque radijs (sic vulgò dictis) per Ciuitates solennitatis tempore proiectis, qui quidem deorsum contra ardentis flammæ impetum violenter à proijciente ex alto iaciuntur; quamuis secundum rei combustibilis grauitatem deorsum ferri secundum naturam etiam dici possint. Sed hactenus de motibus violentis ac præternaturalibus ignis.

De prima ignis potestate. Cap. IIII.



EST ignis non solum leuissimus atque rarissimus, sed etiam calidissimus, qua caliditate maximè efficax est ad agendum, & extra ipsum efficaciter operandum: ignis nanque reliqua naturalia corpora calefacit, & calefaciendo efficaciter congregat ea, quæ homogenea sunt, per contractionem, & disgregat heterogenea per dissolutionem: proprium quidem munus caloris est calefacere, & congregare similia, & separare dissimilia: & ex hac caloris actione volunt Philosophi, quòd calor mixta corpora naturaliter commisceat, & efficiat, atque etiam ea ipsa naturaliter dissoluat, & dirimat; quæ quidem actio, & ipsa quandam motus naturam redolet similia colligens, dissimilia abijciens; atque hæc nascitur à secunda ignis natura, & potestate, quam alij primam qualitatem, & facultatẽ, atque primam virtutem dixere, motus nempe sursum, & deorsum ignis substantiam, & essentiam attestitur, calefacere autem, & similia colligere, & dissimilia separare eius naturalem virtutem, & potentiam manifestat, eiusmodi quippe functiones sunt natiuæ facultatis, potentiæque ignis primæ actiones, & operationes, quibus extra se in aliud, quatenus aliud agit, & operatur, atque max etiam alterat & permutat in aliud à se ipso: Atq; hæc ignis calefactiua virtus in secunda qualitatis specie à Peripateticis reponitur, quæ naturalis potentia impotentiaque nominatur. Ad istud fortasse inspiciens Auer. in canticis dixit, quòd calor est res accidens huic igni sensibili. Motio autem ignis sursum, & deorsum, quoniam hæc ad pabulum vergit, illa ad proprium tendit locum, naturalis essentialisque actio nominatur, quando intra ignis essentiam fiunt illamque declarant: Motio nanque ignis deorsum ad pabulum naturalis dicitur, quoniam proportio, quam ignis seruat cũ suo alimento, in scholis naturalitas conseruationis nominatur, quia primò per hanc seruatur & custoditur. Sursum autẽ ascendere, item igni conuenit naturaliter, quando ad superna naturaliter euolat, naturaliterque ibidem persistit. Proinde benè secundo Physicorum scripsit Philosophus ignem ferri sursum, non ex natura, nec vt habet naturam, sed secundum naturam. Quòd autem secundo de anima idem dixit, quòd ignis augmentum in infinitum abeat, quousque fuerit combustibile; hoc ideo dixit, quoniam ignis non est verè de numero entium permanentium, sed secundum quid permanens est, & secundum quid successiuus, vti retulimus; nam & si ignis semper aliquid sui factum seruet, & ita permanens dicatur, semper tamen est in motu, & fieri, & esse successiuo, & non est certæ determinatæque consistentiæ permanentis, & per consequens non terminatæ certæque quantitatis; & quamuis eius consistentia sit in huiusmodi esse successiuo, est autem efficacissimus, ad agendum & combutendum inquiam combustibile in propriam substantiam, & quousque aderit combustibile, eousque etiam aderit facultas comburendi, cùm potentissimæ sit actionis, ac ideo in infinitum cresceret; quoniam cùm sit incertæ indeterminatæque existentiæ, & quantitatis cum potentia agendi, & presto præsensque semper sit combustibile, in certam profectò & in determinatam existentiam, & quantitatem ipse perpetuò abibit, quam infinitum Philosophus nuncupauit.

Quòd

Quòd ventilatio, transpiratioque igni conseruando sint necessaria. Cap. V.

IGNIS autem per suam superius inferiusque lationem magnam consequitur vtilitatem, per superius quidem fuliginosam fumosamque materiam à clara perlucidaque sua substantia excernit, per inferius verò ob ambientis moderata frigiditate sui ardoris, exarsionisque, refrigerationem moderationemque obtinet: motu autem deorsum præter nutritionis vsum indiget ignis, & propter alteram eius vtilitatem, pro sui inquam ardoris moderatione, quam ab aeris moderata frigiditate consequitur, sicut clarè Gal. nos docuit in lib. de vsu respirationis, vbi ait. At verò & corrumpi omnem flammam necessarium est, si aut materia, aut altero motu sit priuata; vt enim in vniuersum dicam, flamma ignis ex motibus contrarijs subsistit & viuit: quorum alterum alter mutuo excipit, & consequitur, alterum sine altero conseruari non potest: ob id igitur moderatè frigido ambiente aere omnis flamma opus habet; qui enim excellenter calidus est, motum alterum ipsius modice extra extendendo, frigidus verò alterum immoderatè intra pertundendo extinguit, vterque sanè modice ventilatus flammam ad materiam reprimit, velut etiam frigidus facit, supra modum verò moueri flammam dispergit, velut etiam calidus ambiens facit, commoderatio verò motuum est flammarum conseruatrix. Hactenus Gal. qui apertè in literæ contextu nos admonet, quemadmodum ignis motus deorsum præter nutritionis vsum ad alteram quoque ordinetur vtilitatem, ad eiusdem scilicet seruoris refrigerium assequendum, idque à temperata, vt ipse retulit, aeris frigiditate consequitur. Flamma quidem minimè ab ambiente aere nutritur, sed (vti retulimus) ab eius frigiditate temperata moderatur. Hæc quippe aeris moderata frigiditas ignis motui sursum adhibet modum, ne vltra quàm par sit, superius feratur, & pereat, relicto inferius pabulo alente, oleo scilicet, aut cera, siue alia re simili: si nanque flamma aere vt nutrimento frueretur, vt isti inquiunt, etiam inferiori relicto pabulo ignis superstes foret; quando aliqua aeris portio, ob sui in medio copiam presto semper sit, vt illam alere, seruareque possit: at istud falsum esse omnino experimur. Indiget insuper ignis motu sursum, vltra eius naturalem appetitum ad propriam sphæram, vt suam perlucidam substantiam à fuliginosa fumosaq; excretione, vt initio huius capitis dictum est, purget; qua purgatione sese ab interitu vindicet, quando non minus multitudo fuliginosæ excretionis illum interimat, quàm superflua aquæ frigiditas eũ ipsum extinguat. Igni itaque & transpirandi & ventilandi data est facultas: transpirat quidem vt fuliginosa excernantur excrementa, per quorum excretionem eius caliditas ad commensuratam proportionis reducitur mediocritatem; euentilatur verò vt frigidioris aeris ingressus eidem concedatur, à quo sanè illius temperatur caliditas; & propterea euentatione & transpiratione vigere dicitur, & cùm vtrisque his priuatur, illico perit & interimitur, vt in lib. de vsu respira. cap. 3. testatur Gal. vbi ait: Flammas nanq; manifestè videmus cito perire, cùm aere priuatæ fuerint, quemadmodum indicant medicinales cucurbitæ, quæ si perforatæ fuerint, flammam intra se extinguere non poterunt per foramina respirantem; quæ verò contra conclusæ sunt, euestigio suffocando illam extinguunt: ego verò etiam cum fornacem viderem, ob id quod per spirationem non habere extingui, & postea ipsam aperiri, atque tum multam fuliginem expirare, tum multum purum aerem externum inspirare; atque vtroque facto flammam splendorem recipere per fumi fuliginisq; expurgationem: fauilla enim, fumus, & fuligo, & omnis huiusmodi vstæ materiæ superfluitas nihilominus quàm aqua ignem extinguere consueuit. Hucusque Gal. Aristoteles verò in libro de morte & vita hoc idem confirmare videtur, vbi ait: Huius etiam rei exemplum sumere licet ex eo quòd præfocatis accidit carbonibus; si enim obstructi continuo eo quod præfocatorium vocant, quàmprimum extinguuntur; si autem per vices quispiam & crebro modò operiat, modò aperiat, diu ignescentes præstant. Hæc Philosopus, quibus apertè docet, quòd si vasa in quibus succensi continentur carbones, benè sufficienterque carbonarij obstruxerint, operculumque id quod præfocatorium Arist. vocat, optimè clauserint, cito profectò extinguuntur, atque ita carbones, qui rursus igniri queant, rectè conficiuntur. Cùm enim succensus in carbonibus illis respirare nequeat ignis, neque extrinsecus vsquam recipere aeris possit halitum, validior sanè efficitur, & præparatam sibi statim absumit escam, & quàmprimum extinguitur. Si autem per peruiam, apertamque viam quandam transpirauerit, diutius seruatur, sicut licet conspicere in prunis cinere contectis, quæ quoniam cinis rarus est, adeo vt per intermedios cineres efflari queat, vapor fumusque igneus prunarum (& ita per debitam transpirationem calor temperatur) diu subsistunt, ac viuunt. vt igitur debita refrigeratio & ventilatio vitam igni dat, & seruat, ita & intemperies & prohibita transpiratio

spiratio

ſpiratio eidem necem molitur. Hactenus de ignis ventilatione, tranſpirationeque dictum ſit.

De modis quibus ignis extinguitur & ſeruatur. Cap. VI.



GALENVS in lib. de vſu reſpir. modos omnes recenſet, quibus ignis extinguitur, & ſeruatur, vbi ſcribit: At modos omnes percurremus per quos flammæ videntur extingui, & augeri: non ſolum enim ſi cauum quiddam quis ipſis circumponat, ſed & balneis & Solis ardoribus, & excellentibus frigoribus, & vehementer ventilatæ, & multitudine materiæ ſuper ipſas congeſtæ, & contra inopia alimenti videntur extingui. Augentur ac roborantur a moderato frigore, & ſi moderatè ventilos, & commoderato vtantur alimento, pariterque eatundem motu ſurſum & deorſum commoderato ſeruantur. Hoc idem in lib. de palpitatione & tremore confirmauit, vbi dicit: Aduerte rogo & conſidera flammã extrinſecus, interim materiæ vnde accendebatur defectu interire: interim in Sole ſplendido contabeſcere ac emori: rurſus ab aqua multa extingui, aut lignorum ſuper eam cumulatim iniectorum copia ſuffocari; quatuor hæ differẽtes cauſę non eodem modo omnes flammã extinguunt. Eius enim quæ in Sole contabeſcit, robur diſsipatur, aeris ambientis violentia diſcuſſum; nam radiorum Solis robur igne fortius eſt, & durabilius. Cùm verò materiæ defectu non amplius accenditur, ſubſtantia deperdita interit. Quod enim accenſum eſt, ſemper in motu ad externa diſcutitur diſsipaturque: intro autem inclinans alimenti accipiendi gratia deinde eo deſtituta, imbecilliter ideo ſecunda vice porrigitur. materiæ autem copia grauata, & reſpiratione deſtituta, ſtrangulatur. De noxa autem, quæ ab aqua prouenit, manifeſtius eſt, quàm vt verbis indigeat. Pugna enim valida flammæ eſt aduerſus omnem & ſynceram & multam humiditatem, vt ſi & oleum ipſi cumulatim exhibeas, neceſſum eſt ſtrepitum, & concuſsionem quandam oboriri, igne propemodum voce violentiam fatente. Et vt quatuor modis flamma ignis extinguitur, ita quatuor modis contrarijs conſeruatur. Primum quidam condecenti materia, congruaque pabuli copia flamma ſuo ſtatuto tempore ſeruatur. Secundò concedenti tranſpiratione longiorem vitam trahit: Tertiò moderata refrigeratione euentilationeque diutius ſubſiſtit, & viuit. Quartò, & vltimò flamma diu cuſtoditur per ſui contrarij vniuerſam remotionẽ. Hi autem modi omnes, & conſeruationis, & extinctionis flammæ ad duas præcipuè rediguntur ſpecies; quæ in flammæ interitu recenſentur, proprij ſcilicet pabuli defectus vna, præſentia immoderati contrarij flammam interrecantis altera aſſeueratur. In eius autem præſeruatione duæ pariter numerantur ſpecies, debiti ſcilicet pabuli præſentia, atq; abſentia immoderati contrarij flammam interimere potentis. Hanc quidem flammæ ignis duplicem contemplationem, reparationem ſcilicet, & extinctionem in lib. de vſu. reſpir. cap. 3. vidit Gal. dum ſcripſit. Nam & lucernæ flammam tolles ſuffocando (per ſuffocationem violentam omnem extinctionem intelligens) aut omnino oleo priuando. Illud idem ſed clarius Philoſophus in lib. de morte & vita animaduertit, & explicauit, dum ſcriptum reliquit. Atqui duplices ignis animaduertimus interitus exſiccationem & extinctionem, appellamus autem id quidẽ, quod à ſemetipſo illi accidit exſiccationem; quod verò à contrarijs extinctionem; & illud quidem naturalem quendam corruptionis modum, quando ab interno fit principio; hoc verò violentiam, quoniam ab extranea proficiſcitur cauſa: ſic etiam & duobus modis flamma conſeruabitur, vti modò retulimus, & per debiti præparati pabuli præſentiam, & per immoderati contrarij flammam extinguentis abſentiam. Et de his ſatis.

De ignis nutrimento, eiusque alendi modo. Cap. VII.



IGNIS autem nutrimentum, quo ipſe alitur, & fouetur, longinquum & remotum eſt aqua, ſecundo de anima 43. dixit Philoſophus, aqua quidem igni alimentum eſt, hæc quippe eſt igni contraria, & ipſum alere, augereque potens, humidum quippe propria ignis materia dicitur, qua nutritur, & viuit; & familiare, & conueniens eſt eius alimentum: quod enim alit, in eo quod alit, oportet quod ſit actu humidum, ſuſceptibile formæ & ſpeciei eius quod alitur, nihil profectò aliud alit, niſi quod recipit formam eius quod alit ab ipſo; humidum autem inter omnia promptè & facile recipit formas ac ſpecies aliorum corporum, quæ ei imprimuntur: ac ideo antiqui dixerunt, humidum ſolum igni eſſe alimentum, & pariter dixere, quòd ſolus ignis inter alia elementa nutritur; quoniam omne quod nutritur, ſpeciem & formam ſuam imprimit ei, quod alit ipſum, nihil autem adeo formam ſuam imprimit, atque ignis, qui calidus & ſiccus eſt, vnde ſua caliditate penetrans, ſpeciem ſuam

facile

facile impertit, & sua siccitate figit & firmat eam, & hac ratione solum ignem nutriri dixere. Qua etiam de causa asseruerunt, quòd calor vim habeat attrahendi ad se humidum; at verò humidum vim habeat, non trahendi, sed consequendi calidum; inter se nanque se habent, calidum & humidum, vt perfectio & perfectibile. oppositum videtur habere Philosophus septimo Physicorum penès sectionem commentariorum Simplicij, dum scripsit, quòd lignum quod humidi rationem habet, attrahit ignem. Ad hoc dicimus conformia superius dictis, ignem & lignum, combustibileque omne sub duplici considerari respectu, vno modo vt agens & passum simpliciter; Altero modo vt amans & desiderans, & amatum & desideratum: si primo modo consideretur, tunc ignis lignum & quodcunqua combustibile trahit, & hæc vt patientia illum consequuntur. Si secundo modo, tunc lignum attrahit ignem amantem, ignisque illud consequitur, vt pabulum amatum & desideratum. Et quoniam aqua est frigida, qua frigiditate plurimum igni repugnat, nisi prius præparetur, ignem potius extinguet, quàm nutriet: & propterea à sicco ignis calore per modum cuiusdam assationis prius concoquitur, præparaturque; mox concocta & præparata idoneum fit ignis pabulum, quo ignis commodè nutritur, vnde bene etiam asserunt, quòd ignis proximum alimentum sit vapor humidus, præsertim si mixtus fuerit terrestri siccitati: nam vt in succensis lignis conspicitur, vi ignis à combustibili corpore resoluitur vapor, qui statim correptus ab igne flamma efficitur. quarto autem lib. metheo. scripsit Philosophus, quòd reliqua etiam elementa, terra scilicet, aqua, & aer sint ignis materia. Quę quidem singula per se sumpta igni contraria cùm sint, atque eum ipsum alere potētia possint; non poterunt tamen ipsum immediatè nutrire, & augere, nisi prius à sicco ignis calore debitè concoquantur, & disponantur, sicut de aquæ elemento modò retulimus. At si prædicta elementa simul commisceantur, & temperentur, proxima propinquaque ignis euadunt alimenta; nam quum ipse ignis fomento indigeat accommodato vti diximus, terra autem & aqua sint maxime frigida, proculdubio igni contraria existunt; quamobrem nisi prius temperentur, ignem potius extinguent, quàm nutrient; indigent ergo alterius corporis ope, vt igni præstare fomentum possint, id verò Aer commodissimè præstat, vtriusque illorum frigiditatem temperans. Adeo vt terra, aquaque aeri immixta, compositaque pabulum idoneum igni suppeditent, quo foueatur & conseruetur; tenuitate enim caliditateque aeris massa aquæ & terræ compacta fermentatur, adeo vt commodè fiat ignis alimentum. Ad hæc Aer, & Aqua simul permixta absque terra cùm sint maxime humida (præterquàm quòd corpus ex ijs compactum sine terra nequeat per se constare) minimo quoque præstant igni alimentum, quo ali possit. sicut ergo caliditas moderatur terræ & aquæ frigiditate, ita siccitate terræ, aquæ, & aeris humor temperatur, hoc quidem pacto paratur fomentum igni, quo subsistit, & viuit. Mixta itaque corpora ex humido, tum aqueo, tum aereo, atque ex sicco terrestri, siue illa actu humida sint, vt oleum, & bitumen, siue sicca terrestria, vt sulfur, salnitrū; hæc inquā mixta corpora propinqua ignis alimēta sunt, vnde facile comburuntur, & aptissima sunt vstioni, vt experiētia attestatur. Aer enim & si rarefactione radiorumque Solis reflexione, seu caliditatis igneæ violentia sæpius in ignem vertatur, non tamen ignis nutrimentum, sicut vstilia corpora, quæ verè nutriunt, & diutius apud nos ignem alendo seruant, dici meretur; & si sua moderata frigiditate (vt supra retulimus) illum conseruare sit potens. Qui autem inquiunt quòd nutritio non per alterationem alimenti (vt Medici putant) neque per assimilationem eius fit ad id, quod nutritur, sed per attractionem partium nutrimenti similium ei, quod nutritur; id enim à quo nutritur ignis, necesse est vt in se habeat igneas partes; hi profectò ignorates alimenti assimilationem, rei nutrientis esse substantiam in nutriti substantiam attractam, & conuersam, rem nouam à Medicisque diuersam dicere arbitrantur; at iudicio nostro parum inuicem distant, quando idem ferè sentiant & concludant.

Quòd quæuis ignis flamma luminosa sit. Cap. VIII.



NTER quatuor ignis species, quæ apud nos visuntur, flamma scilicet, ignitus carbo, scyntilla, atque ignis mortuus, flamma primas obtinet partes; hæc quippe vbique luminosa colorataque inspicitur; est vtique flamma, ignis in vaporoso corpore succensus, luminosus, coloratusue ad pyramidis formam sursum & deorsum agitatus, licet impurus ignis nominetur, cùm alienis qualitatibus sit affectus, ignis tamen est, quia habet formam & naturam ignis; hic igitur suapte natura est lucidus, & ipse solus inter cætera elementa hac lucida qualitate participat; quoniam (vt inquiunt isti) valde diaphanus est, & quatenus diaphanitatis participat, eatenus luminis participat; flamma etenim ignis diaphanitatis plus

quàm

quàm cætera elementa participat; quoniam eius materia (aiunt iſti) longè magis eſt depurata & depurgata, quàm reliquorum elementorum materia, & proinde & diaphanus, & luminoſus conſpicitur, quoniam lumen inſequitur diaphanum, vt forma materiã. & perfectio perfectibile; eſt itaque ignis flamma ſuapte natura luminoſa, quia opacitatem obſcuritatemque ambientis aeris depellit, eum ipſum colluſtrat, & in cauſa eſt, vt quibus commiſceatur illa apparere poſsint. Flamma itaque noſtratis ignis elementaris maximam inter res mortales omnes obtinet raritatem, vnde minimum materiei habet, vtpote quæ præcipuè accedat ad naturam formæ, ac veluti abſoluta à craſsitie materiei; ſuapte itaque natura, & non aliunde lucet, lumenque naturale habet, non aliunde mutuatur, & licet ignis videatur habere colorem luteum, tamen ex ſua natura illum non habet; videtur quidem luteus calor propter fumi, fuliginiſque commixtionem; id autem eſt, quia commiſcetur perſpicuum cum nigro, videlicet cum fumo, ratione cuius mixturæ in flamma & ignitis carbonibus fit luteus color. Ignis autem flamma propriè ſua natura eſt clarus, lucidus magis tamen, & minus, ſecundum quòd magis & minus nutritur & fouetur à materia opaca, & à materia magis, ac minus depurata & depurgata: ex obſcuriori nanque, & nigriori materia, & pabulo, obſcurior & atrior emicat flamma; ſicut Puteolis & in monte Aetneo licet videre, vbi exurgentes flammæ atræ, obſcuræque cernuntur propter bitumen & ſulfur intra viſcera terræ incluſa viridi atroque perfuſa colore, exurentis flammæ præparatam materiam & pabulum. At de flammæ ignis lumine, & colore ſatis ſit dictum.

Quo pacto igneæ flammæ & ſimiles & diſsimiles ſint. Cap. IX.

SINGVLAE autem ignis flammæ ratione formæ, & ſpeciei ſimiles ſunt; materiei verò & nutrimenti cauſa, quo vigent, & ſubſiſtunt, diſsimiles dicuntur. Cunctæ enim flammæ æquè participes ſunt eiuſdem rationis formalis ignis: conſimili nanque motu ſurſum & deorſum ſingulæ agitantur, conſimiliq; illuſtratæ ſplendore viſuntur: conſimiliterque omnes calefaciunt, & calefaciendo homogenea congregant, & heterogenea diſgregant. pariterque flammæ omnes, vt ſubſiſtant, ventilatione, & moderata indigent refrigeratione, & propterea eiuſdem quidditatis ſingulæ aſſeruntur; hac quidem de cauſa 1. cæli. t. 77. ſcripſit Philoſophus, ignis quilibet eiuſdem ſpeciei eſt cum alio igne; & ſecundo de generatione & corruptione. t. 50. ſolus ignis ad formam pertinere maxime videtur. Diſsimiles deinceps flammæ eſſe dicuntur, ratione proprij nutrimenti per quod viuunt & ſubſiſtunt; ex diſsimili nanque & difformi rerum combuſtibilium mixtura, diſsimiles & virtute, & operatione genitæ flammæ cernuntur: hæc nempe mitius, illa vehementius calefaciendo ſe habet, hæc tardius, illa citius conſimile combuſtibile abſumit; hæc lumine clarior, illa obſcurior; hæc ventu accenditur, illa vento extinguitur: hinc fit, (addunt iſti) quòd flamma ex hac mixtura accenſa oleo, & non aqua interimitur, & altera alia mixtione confecta aceto, & non oleo deperditur; & hæc contingunt non formæ, ſed materiei diuerſitatis gratia. Diſsimilis nanque & contraria eſt olei mixtura, mixturę fomentoque alterius ignis aduerſabitur tunc, cùm ei oleum ſuperinfunditur, ſua contrarietate eius mixturam efficit, pabulumque corrumpit, inutileque reddit ad alendum, vnde defectu pabuli ignem extingui neceſſum eſt; ſimiliter & acetum quando alteri ignis pabulo contrarium extiterit, eidem ſuperinfuſum, illud ſua cōtrarietate afficit, & corrumpit, & in cauſa eſt, vt ignis extinguatur: & ſic de ſimilibus eſt dicendum. Hoc itaque ideo euenit, quando alia & alia eſt proportio humidi cum ſicco, in hoc, quàm in illo combuſtibili, atque in hoc quàm in illo agente, & permutante: & ideo hoc agens, & permutans magis huic quàm illi combuſtibili repugnat, & magis hoc quàm illud interimere poteſt, quoniam huic, magis quàm illi contrariam in primarum qualitatum permixtione proportionem habet; quæ contraria proportio in cauſa eſt, vt inuicem opponantur, & corrumpantur. ſic enim iſti aſſeuerant vt ignitæ flammæ ſpecies tum ſimiles, tum diſsimiles indifferenter dicantur. Hæc profectò pabuli, materieique ignis inæqualitas ipſum non ſimplex, ſed mixtum corpus eſſe clarè atteſtatur.

De ſcintilla, ignitiſque carbonibus, atque æthereo igne. Cap. X.

POST Flammam, primam ignis ſpeciem, ſequuntur ſcintilla, ignitæque prunæ. Eſt etenim ſcintilla igneum corpuſculum lucidum, tenue, rarum, actu calidum & ſiccum, exurens combuſtibile obiectum tota ſua pauca materia conſtans; ac ideo in ambiente cito deficit: & differt à flamma ſicut paruum à magno, & ſicut lucidius calidiuſque à minus lucido & calido, ſic vt minimum ignis dici poſsit. Prunæ ignitique carbones

boues exustæ flammæ teliquiæ sunt; consumpto enim à combustibili corpore, atque euaporato alimentitio humido, quo sursum repens flamma seruabatur, vbi amplius humidi defectu supra euolare nequit, in quod super est, crassius densiusque corpus adhuc pauco quodam humido præditum, sui speciem imaginemque imprimit, & sic igniti fiunt carbones, prunæque vrentes. Quæ crassa, densa, ignea, vrentia corpora sunt, atque lucida, licet remissè, & obscurè, ob atri opacique admixtionem. Hæc profectò ardentis flammæ vestigia seruant; nam quodam exiguo motu sensum latente instar flammæ sursum & deorsum perpetuò agitantur. Quod facilè conspicitur, vbi igniti carbones vehementi flatu flabellantur, sic quippe flabellati tenuem admodum & exiguam edunt flammulam infra & supra agitatam, quæ sensu percipitur: euentatione insuper prunæ ad sui custodiam semper indigent, qua priuatæ, sicut & flammæ illico intereunt propterea inquiunt, quòd prunæ cinere tectæ conseruantur, quoniam cinis rarus est, adeo vt per intermedios cineres efflare queat vapor, fumusque igneus prunarum: vbi verò crasso, densoque operculo tectæ fuerint, ob prohibitam transpirationem statim extinguuntur; ac ideo bene tertio col. cap. 3. scripsit Auerroes, ignis quando non habet euentationem, debilitatur, citoque perimitur, propterea carbonarij tegunt carbones cum terra, vt ignis non transeat per omnes partes carbonum, & faciat cinerem. Quòd autem Philosophus quinto topicorum cap. 2. de locis proprijs, lumen inter ignis species recenseat, vbi ait, non enim est vna species ignis, nam diuersum est carbo, & flamma, & lux, specie, cùm vnumquodq; horum sit ignis; dicimus Philosophum ibidem per lumen intellexisse aut corruscationem, fulgura, & tonitrua concomitantem, quam alij cœlestem calorem dixere, alium ab elementari; aut secundum opinionem vulgi locutum fuisse; nam lumen ignem communiter homines dicunt; aut quia est ignis effectus immediatè illum ostendens; aut quia vim habet illum procreandi. Quòd verò Philosophus 2. lib. de partibus animalium cap. 2. scripsit, carbonem frigidum esse, non de accenso, sed de extincto carbone, qui iam fuit ignis, sermonem habuit, vt contextus literæ attestatur; vbi ait, carbo autem extinctus frigidus est: quod dictum est de flamma, quòd & similis & dissimilis æquè dicitur, hoc idem de ignitis prunis asseritur; nam speciei & formæ ratione similes omnes sunt; materiæ verò & proprij nutrimẽti caussa dissimiles censentur, aspectu, virtute, & operatione. Quòd verò inquiunt ignem in propria sphæra non lucere, nec calefacere, nec sursum & deorsum moueri; cùm illucusque sensus non attingat, fortasse id ratio suadet: nam cùm ibi ignis sua tota sit comprehensus materia, syncerus propterea est, (inquit Alexander) purus, non mixtus, per se subsistens; non igitur est necesse, vt is ad nouum pabulum nouamque materiam deorsum moueatur, vt noster ignis, qui cùm ex contrario alimento semper alatur, verius mixtum quàm simplex corpus eum esse scripsit Alexander lib. secundo quæstionum naturalium cap. 17. vbi ait, idcirco & rationabilius posset quis dicere, ignem huiuscemodi mixtum
„ esse contrario: nutrimento enim indiget hic, & seruatur, quousque hoc habuerit: contrarium
„ autem est nutrimentum ei quod nutritur. Hactenus ille: & ad ignem in propria sphęra reuertamur, qui vt non deorsum, sic nec sursum moueri potest, cùm obstet cœlum; nam ibidem suum seruat locum, ibidemque naturaliter permanet; res etenim ordine naturæ suis proprijs locis consistunt: à suo itaque motu sursum ignis ibidem quiescit; sed cùm cœlum, vt dominum insequatur, cum ipso circulariter mouetur. Pariter quoque suadent, ignem in propria sphæra non calefacere, tum ob sui raritatem, materieique exiguitatem, in qua actionis nixus minimè inest, aut exiguus reperitur; tum ob combustibilis corporis defectum, cùm nullum ibi adsit obiectum calefactibile; & si vicinum aerem perpetuò alterat, & permutat. Istud enim in confinio, & non in propria operatur sphæra; nec ibidem ignem splendere lumenque mittere aiunt, ob maximam etiam sui raritatem, & si splendet exiguè admodum & exiliter.

De igne mortuo. Cap. XI.

IGNIS mortuus dicitur comparatione viui ignis, qui viuus nominatur, quoniam formaliter ignis speciem seruat, cui quidem speciei actu igneæ actiones omnes iunguntur; moueri scilicet, lucere, atque calefacere; ignis etenim viui forma est actus, cui potentia agendi semper est coniuncta, quæ suos actus perpetuò exercet, & actiua appellatur potentia, hæcque cum ipso actu coincidit, quia nihil agit nisi per actum, & quatenus est in actu; nihil enim potest suam actionem seruare, nisi per potentiam agendi; ac ideo omnis actus coniunctus potentiæ, est actus agens, atque potens suam actionem seruare: ignis itaque viuus viuit, & per primum & per secundum actum, per speciem inquam, & suum operari. E contra ignis mortuus sę habet, qui neque speciem, neque actionem vllam viuentis ignis

possidet,

posſidet, ſed vi & poteſtate calefaciendi comburendíque tantum pollet: atque huiuſcemodi facultas non ſimpliciter & abſolutè ad quodcunque obiectum refertur, ſed ad animatum tantũ corpus, præcipuè humanum. Hic quippe mortuus ignis animata, corpora, & præſertim humana, vrendi, excalefaciendique potentiam habet; licet etiam quædam huic igni ſpecies ſimilis reperiatur, quæ conſimilem ex calefaciendi exurendique facultatem poſsidet, qualis eſt illa, quæ in lapide ſacrophago cernitur, & in terra ſancta Romæ, & Piſis; quæ mortua corpora abſumendi in pulueremque redigendi vim habet: propter hanc igitur vrendi, calefaciendique poteſtatem ignis mortuus, latè nimirum ignis nomine ſumpto nominatur. Quæ quidem poteſtas in aliquibus ignis mortui ſpeciebus materiam, in aliquibus formam concomitatur; & proinde modò actiua, modò paſsiua potentia hæc à Medicis nuncupatur; quæ enim potentia formam inſequitur actiuam, quæ materia paſsiua nominatur; hæc enim ſuo calefactibili obiecto calorem mutuatur, & actu calida effecta, calefacit: de hac nimirum videtur ſermonem habere Philoſophus ſecundo de part. an. cap 2. vbi ait, ſed & quid vis pingue alio modo calidum eſt, videlicet quòd celeriter in actum ignis mutari poteſt. Actiua autem potentia eſt, quæ ſuo præſentato obiecto, debitèque approximato apta nata eſt ipſum calefacere, atque adurere; hæcque ſub duplici reperitur differentia, quædam enim (cùm in mixto ſemper reperiatur corpore) ratione contrarietatum commiſcibilium partium, aliquo obſtaculo in ſua actione detinetur, vnde obſcura infirmaque redditur ad agendum; quo poſtea remoto, ſiue id per diminutionem partium, earundemque euaporationem, aut vnionem remoueatur, quocunque modo contingat, ipſo ſecluſo obſtaculo, illico ignea actiua potentia mortui ignis debitè diſpoſita & præparata exit ad actum, atque calefacit & adurit. Alia eſt ignis mortui actiua potentia, quæ virtute ſuæ formæ, actione ſcilicet nobis ignota & æquiuoca (vt ita dicam) calefactione, ſuum obiectum excalefacit & adurit; quæ enim mixti compoſitique corporis virtutes virtualiter agunt, vt plurimum ignota nobis actione agunt & operantur. De hoc quippe mortuo igne fortaſſe ſermonem habuit Philoſophus lib. 3. de gen. anim. cap. 10. vbi ſcribit. Verum ignis ſemper formam non propriam ſeruare videtur, ſed in alio corpore, aut enim aer, aut fumus, aut terra eſſe videtur, quod ignitum eſt: huiuſmodi verò mortui ignis ſpecies quæ calefaciendi vrendique propria determinataque obiecta vim ſeruant, plures numero recenſentur, quæ tum arte, tum natura contingunt fieri; arte autem conficiuntur capitellum, ſublimatum, oleum de calcanto, de ſulfure; & calx viua inter potiores huius ignis ſpecies recenſetur. Huiuſmodi enim cuncta refert Philoſophus lib. ſecundo de part. ani. capite 2. Actiuã obtinent potentiam calefaciendi, vbi agit. Aduſta enim ferè omnia aliquid habent caliditatis vt calx, cinis, ſedimenta animalium, & intra excrementa, fel, eo quòd feruore nimio exaruerint, relictumque ſibi continent aliquid caliditatis. Hactenus Philoſophus. Quæ autem à natura calefaciendi adurendique vim ſortita ſunt, multa numerantur, ſicut Thapſia, vitis alba, euphorbium, ſynapis, cantarides, & conſimilia multa; in quorum quidem plurimas ſimilares partes, plus elementi ignis, quàm cæterorũ eſt conuerſum, dum ad illorum mixtorum corporum fabricam ſimul concurrebant elementa; vnde illas calidiores vrentioreſque reddidit, & inde calefaciendi vrendiqúe vim ſortitæ ſunt. ſic vtique concludimus, quòd ignis mortuus cuiuſcunque conditionis extiterit, ſiue à natura, ſiue ab arte paratus fuerit, calefaciendi vrendique ſuum determinatum obiectum habet potentiam, tum actiuam, tum paſsiuam: idipſum obiectum calefacit, aut ad actum ab eiuſdem obiecti caliditate redactus, aut præparatus & diſpoſitus calefacere omni remoto obſtaculo, aut æquiuota actione, nobisque ignota.

Qomodo ætheres materialisque ignis inuicem diſsideant, & conueniant. Cap. XII.



AMBIGVNT recentiores, quomodo ignea noſtra flamma, lucidaque exurens, ſurſum deorſumque naturaliter agitata, cum igne elementari in propria ſphæra ſub Lunæ concauo ſit conferenda? quando ille minimè, aut parum calefaciat, minimeque luceat, & cum cœlo circulariter tantum moueatur, naturaliter ſeu ſupra naturam. Et quærunt diligenter, æquiuocè ne, an analogicè ignis de ipſis prædicetur? Reſpondent igitur breuiter, materialem hunc & ad noſtrum vſum deſtinatum ad tenebras ſcilicet illuminandas, aliaque neceſſaria peragenda, & elementarem illum cœlo proximum ad totius vniuerſi decorem conſtitutum, intra ſpeciei ignis latitudinem contineri, & ſecundum maiorem minoremque materiei puritatem, tantum differre. Hic æthereus ſimplex, puruſque exiſtit, ex

Philoſophi mente, ſummeque diaphanus, aptus natus lucere, & calefacere, etſi ibidem minime vel parum calefaciat, & luceat; hic tamen ſuapte natura calidus, ſuapteque natura luminoſus dicitur. Eſt quippe ignis ex horum perſpicuorum corporum numero, quæ cum perſpicuitate coniunctum lumen habēt, tamen ob multam ſui interminatam perſpicuitatem minimé lucet, ſicut quoque ob ſummam eius tenuitatem raritatemque parum, aut nihil calefacit: nam ex Philoſophi mente ſecundo de generatione animalium, illud fortius agit, fortiusq; in ſenſum imprimit, quod eſt in ſubiecto denſiori: ſi igitur aer, inquiunt iſti, decuplo denſior quàm ignis, non lucet, nec viſum noſtrum terminare poteſt, quanto minus æthereus ignis magis perſpicuus, & tranſparentior aere, in proportione decupla, poterit lucere, viſumque noſtrum terminare? ſimiliter ob tenuitatem, & raritatem minimè calefacit; nam vt inquit Philoponus, propter tenuitatem, poros corporis noſtri non replet, nec propter raritatem illis inhæret, ſed hinc & inde dilabitur, & diffluit more ambientis aeris, & decuplo magis; concludunt itaque iuniores quòd æthereus ignis per ſe, ſuapteque natura & calidus, & luminoſus exiſtit, tamen ob ſui raritatem & perſpicuitatem minimè patet ad ſenſum; & propterea inquiunt, Alexandrum aſſeruiſſe, eum minimè per ſe calidum eſſe, terrenus autem hic ignis noſter ob materiei denſitatem maxime excalefacit, maximeque ſenſum afficit, quoniam actio (vti diximus) ſequitur formam in materia denſa exiſtentem: & ad hunc ſenſum aiunt Alex. iterum ſcripſiſſe noſtratē ignem ſummum calorē poſsidere. Cùm deinceps æthereus ignis ſua tota conſtet materia, nec aliena extraneaque fruatur, non opus eſt, vt ad illam elaborandam pro ſuo congruo pabulo deorſum deſcendat; & cùm ſuum vbi ſurſum, ſuumque ſupremum locum obtineat, non eſt neceſſe (eo iam acquiſito) vt ad illū amplius deferatur. ſi autem contingat ſicut perenniter euenit, quòd in confinio ſphæræ violentia motus diurni, eiuſdem ignis portiones plurimæ per aeris ambitū detrudantur, tunc Aeris humiditate alterantur, incraſſeſcunt, denſioreſque euadunt; per id temporis quoque igneæ particulę à propria materia ſeiunctæ, à ſuoq; loco diſtantes, vrgente neceſsitate vt ſe alant, ac aliena fruantur materia, deorſum ad illā potiendam mouentur; & cùm extra ſuum locum ſint, ſurſum ad illum naturaliter feruntur; & cùm in denſiori craſsiorique ſubſiſtant materia, inde ſplendorem emittunt, manifeſteque calefaciunt. Forma etenim ignis, ſicut & cæterorum elementorum formæ, magnam ſuorum terminorum latitudidem habet, ita quòd cum pura, cum minus pura, atque cum impura & confuſa materia, ad certū quendam terminū ſubſiſtere poteſt: iuſta itaque de cauſa primo cœli tradidit Philoſophus, quòd ignis quilibet eiuſdem ſpeciei eſt cum alio igne, & nos ex eius mente ſupra retulimus, quòd igneæ flammæ omnes ratione ſpeciei conſimiles ſunt, ratione verò materiei & ſubiecti diſsimiles dicuntur: & quoniam actio materiæ ſubiectique diſpoſitionē inſequitur; proinde eadem ſpecifica forma cū hac materia & ſubiecto ſplendet, calefacit, & mouetur; cum altera verò nihil horum operatur: iſti profectò inuicem differentes ſunt, quoniam æthereus, vt ſimplex corpus eſt, ita ſimpliciter per ſui contrarij aduentū corrumpitur, noſter verò hic terrenus vt ex multis cōpoſitus corpus exiſtit, ita multipliciter corrumpi contingit. Differunt inſuper æthereus ille, terrenusq; ignis iſte, intra propriæ ſpeciei latitudinem, penès puritatem, impuritatemque propriæ materiei, vnde ille purus & ſimplex, hic impurus & commixtus nominatur; & cum Alex hos ignes diuerſarum rationum eſſe protulit, non formaliter, ſed accidentaliter, materiei ſcilicet gratia, tales ipſos dici tradidit. De æthereo igne ſermonem faciens Auic. prima ſen. primi ſic dicit. Ignis eſt corpus ſimplex, cuius naturalis ſedes eſt ſupra corpora elementorum omnium, locus autem eius naturalis eſt ſuperficies caua orbis Lunæ, & hoc ob ſuam abſolutam leuitatem.


Quomodo æthereus terreusque ignis ad rerum procreationem veniant, & in intimas corporis partes recipiantur. Cap. XIII.


VAERVNT itidem iuniores, quidnam horum prędictorum ignium vitę generationique animantium magis conducat? an cęleſtis ille purus, an materialis hic noſter permixtus: Auerroes 4. cœli. t. com. 32. ex Alex. ſententia apertè reſtatur, æthereum vitæ datorem, conſeruatoremque eſſe; terrenum verò, qui feruorem caloriſque ſuperabundantiam dicit; vitæ deſtructorem facit. At calor viuentium, animantiumque corporum ignis naturam prę ſe ferens, huius oppoſitum teſtificari videtur; quoniam hic motu, calore, ſplendore, reliquiſque actionibus longè magis noſtro, quàm cæleſti aſsimilatur igui. Præterea contra vtrunque ratiocinantur, quòd nec ille, nec iſte animantium procreationi & vitæ conducat; quoniam nullum ſimplex & purum, nec exceſſus, exuberantiaque aliqua ad vitam re-

rumque

rumque generationem facit; quoniam omne excedens est naturæ inimicum, & nullum simplex, & purū elementū seorsum, mixtum aliquod corpus generat; sed mixtū & temperatū apud Hippo. & Aristo. mixtū & temperatum semper efficit, & conseruat, siue vitæ sit particeps, siue expers. Ad hæc dicimus, & si vtrunque horum extremorum & simplex elementare corpus, & mixtum efferuescentia, & excessu positum, rerum factioni & conseruationi minimè conducat; tamen multò magis vitæ & generationi est obnoxiū mixtū corpus exurens & feruens, actu res corrumpens, & destruens; quàm simplex & purum elementum; nam istud, & si sic simpliciter sumptum ad rerum generationem, & conseruationem minimè faciat, nihil tamen mali actu machinatur; sed suapte natura pronū est, vt debitè temperetur, & permisceatur ad mixtorū corporum facturam, & vitam animantium seruandam; & vbi permixtum temperatumque fuerit, illico nostratis materialis elementi functiones omnes assequitur. Proinde generationis, & vitæ auctorem, æthereum illum purum ignem Antiquiores fecerunt, nostratem verò hunc materialem vrentem, destructorem dixere. Quomodo verò noster hic exurens materialis ignis, intra animantis viscera feratur, ad sui conseruationem, nouæque prolis effectionem; quomodoque itidem elementaris purus ille sub Lunæ concauo residens, deorsum ad terram, generationis locum descendat, nostraque ingrediatur corpora, ad earundem salutem explicare accingimur. Quòd verò materialis noster ignis, quotidie singulisque horis vnà cum reliquis elementis, intro ad nostra corpora suscipiatur; clarè Gal. lib. 1. de elementis nos docet; vbi ait, quòd plurimum hoc euenit; quòd syncetis mundi elementis sæpissimè vtimur, Aqua quidem quotidie, & in potu, & in balneis, quouis alio modo; Aere verò nobis vndique adiacente, & per inspirationem attracto, & nonnunquàm algentes, indigemus igne: ego enim illum, qui in gelu ab igne calefit, dico ignem in corpus resumere; & qui aquā bibit, aquam; & qui respirat eadem ratione Aerem. Equidem quæcunque animalia vel arenam, vel terram, vel lapides, vel cœnum comedunt, hæc omnia liquido intra corpus terram assumunt; quæ quidē assumpta, mox ab innato calore concocta, in massamque sanguineam conuersa, deinde per corpus digesta, & distributa ad animantium nutritionem salutemque agunt: quod verò ex sanguine vltra corporis nutrimentum superstes est, hoc in semen menstruumque sanguinem versum futuræ procreandæ prolis: tum efficiens, tum materia euadit: quòd verò hic noster exurens ignis actu vrens salubriter corporibus nostris adiungatur; frigidæ putridæque animantium corporum ægritudines quæ candenti ferro, vrentique medicamine medicantur, clarum testimonium faciunt. Elementaris autem ignis sub Lunæ concauo in propria sphæra vigentis, plurimæ in dies particulæ ad nos deorsum, primi mobilis motus violentia detruduntur, seu (vt alij inquiunt) virtute Solis specialem vim habentis ignem deorsum ferendi. Hic inquam ignis, vbi ad nos per aeris ambitum descenderit, tunc naturalia cuncta corpora vnà cum aere circumambit, pariterq; simul cum aere singulis horis, & per inspirationem, & per extimos corporis poros, intra eius penetralia suscipitur, susceptusque nostræ materiæ adhæsu, huius nostratis materialis ignis naturam assequitur, & calefaciendi, & mouendi, splendoremque impartiendi; & tandem ad animantis substantiam conuersus, corpus alit, & fouet, ac procreandi prolem vim consequitur. Alio etiam modo, quàm per detrusionem sparsionemq; per aeris ambitum, 7. methe. tradidit Philo. hic vbi degimus, elementaris ignis cernitur, & persentitur. Circumambiens nanque aer ob cognationem maximam, quam in caliditate habet cum igne, Solis radiorum reflexione, humiditate sua absumpta, aut ad siccitatem magnopere alterata, æthereus elementalis, aut ei persimilis euadit ignis: hic igitur ignitus aer nos circundans, vt in dies contingit, & per occultos corporis meatus, & per inspirationē intra corporis intima recipitur, qui si naturæ limites transcendit, corpus lædit, & continuè alterando demum illud corrumpit: si verò illos non excesserit, salubriter recipitur, & in spirituum naturam, mox in bilem, tenuioremque sanguinem tandem vertitur pro animantium salute, vigoremque præstando ad nouam progignendam prolem. Iuuamentum autem quod ignis rebus genitis præstat, (prima sen. primi ait Auicenna) est, vt earum partes maturet, & tenuiores, ac bene temperabiles faciat, tum etiam frigiditatem duorum elementorum, grauium & frigidiorum, frangat, & retundat. Quòd à Gal. secundo lib. de semine habuit, vbi dixit: Instrumentis vtitur natura, aere, & igne; nam & ampliare & distendere, & producere, & exsiccare, & corroborare horum partes necesse est. At de igneo calido satis.

Libri Primi De calido igneo, Finis.



DE CALIDO NATVRALI
LIBER SECVNDVS.

DE CALIDO, CALIDIQVE differentijs. Cap. I.



CALIDI nomen apud antiquos (vt primo Aph. recenset Gal.) & substantiam, & accidēs æquè significat. Vt igitur à nominis explicatione exordium ducamus, primum dicemus, quæ corporeæ substantiæ hoc caloris nomine significentur; mox docebimus quomodo accidentalis qualitas hoc eodem verius denotetur nomine; deinceps vim caloris explicabimus, ipsumque vnum simpliciter esse ostendemus. Calidum igitur primò simplicia prima corpora, ignem scilicet, atque aerem, quæ essentialiter sunt calida, notat; sed principaliter ignem, qui primò calidus à Philosopho asseueratur: secundo loco humores & succi calidi dicuntur, qui à Gal. secunda vocantur elementa; in quæ prima ipsa degenerant, dum ad effectionem mixtorum corporum ordinantur: bilis enim & sanguis, & succi reliqui calidi, in quos primò ignis & aer commutantur, dum ad mixtorum, & animatorum, & inanimatorum corporum similares partes construendas adhibentur, hæc omnia calida ab antiquis vocitantur. Similares deinceps partes ipsæ calidę vocantur, quoniam à succis calidis pędominantibus constitutæ sunt. Vltimò membra, organicæque partes, quæ à similaribus calidis vincentibus particulis sunt constitutæ, calida nuncupantur. Elementa itaque primum, similares deinceps dissimilaresque partes, & organicum denique totum corpus, cum ex calidis composita fuerint particulis, calida nominabimus: neque hæc eiusmodi dicemus, quòd prorsus à calidis, sed quòd à vincentibus sint effecta partibus: atque hæc cuncta substantialiter calida dicuntur, cùm à principio internotalia sint, ideo per se calida à Philosopho secundo de partibus animaliū cap. 2. nominantur. Thermarū autem aquæ, quæ calidę persentiuntur, calefaciendiq; vim habent, non propria natura, sed aut virtute ignis subterranei inclusi intra viscera terrę, aut radiorū Solis illucusq; accedentiū, caliditatemque efficientium, necnon sulfuris, aliorumq; mineralium igneæ naturæ participantium in hæsione, calidæ existunt, calidæque deprehenduntur. Item quæcunque terræ portio, sub quouis cœli situ reposita, quæ calefaciendi vrendique vi prædita reperitur, non per se propriaque virtute, sed ignis igneæque particulæ permixtione talis existit; neque enim ipsa elementa hic vbi degimus, pura reperiuntur, sed inuicem permixta, & confusa sunt, quatenus viuentium animantiumque vsui deseruiunt. Per accidens quoque calida nuncupantur, quæ à principio externo caliditatem sunt adepta, vt calx, & sublimatum, & capitellū, & huius generis reliqua. Hæc tam substantialiter, quàm accidentaliter calida penès eorundem maiorē, minoremque corpoream molem, multū parumque calida denominantur, quæ etiam omnia & actu, & potentia tum actiua, tum passiua calida esse contingit. Calidum præterea, seu verius caliditas accidentalem sonat qualitatem; hæc quippe accidentalis est forma magis & minus suscipiens gradus scilicet suæ terminationis, & perfectionis per quos agit & operatur. Caliditas enim, sicut reliquę accidentales qualitates gradu terminatur tum perfectionis, tum operationis: & vt caliditas maior, minorquę existit, ita magis minusque calefacit. sicut & Philosophus secun-
„ do de partibus animaliū cap. 2. testatur, vbi ait: primo igitur modo calidius dicitur id, quod am-
„ pliorem inuehit sensum, cū tangitur. Ad hæc calidius, quòd rei liquabilis liquantius, & rei cre-
„ mabilis, cremantius. Item si alterum plus, alterū minus sit, id quod plus est, hoc altero quod mi-
„ nus est, calidius est; prætetea quod de duobus non cito, sed lente frigesit, id calidius est; & quod
„ citius calefit eo, quod lentius, natura esse calidiori censemus; perinde quasi alterū sit aduersum,
„ vt remotius, alterum simile, vt propinquius. Alterū igitur altero calidius esse, & si non pluribus,
„ tamen tot modis dicitur. Hactenus Philosophus, qui cùm calidum alterum altero calidius esse pluribus modis docuerit, clarè manifestat caliditatē accidentalem formā esse magis, & minus suscipientem secundum gradū suę perfectionis, & operationis; quamuis verò vnū sit iudicium; ad-

dit ibidem Philoſo. quòd alterum altero calidius ſit, tamen fieri poteſt vt vnum hac, alterum illa ratione calidius dicatur: de tertio autem propoſitorum, in capitulo ſubſequenti habebimus ſermonem.

Quomodo caliditas ſe habeat ad agendum, & reſiſtendum, quomodoq; in omnibus ſit vna & eadem. Cap. II.

GASPAR Contarenus lib. 3. de elementis, de caliditate ſermonem habens ſic ait, caliditas omnium primarum qualitatum præſtantiſsima quodammodo æmulatur excellentiam cœleſtis caloris, nam & maximè actiua eſt, omnium quoque mixtorum generatrix: huius profectò caliditatis natura ad agendum omnium, & efficaciſſima, & potentiſsima exiſtit; è contra ad reſiſtendum omnium maximè infirma, & imbecillis. Hactenus ipſe. Cùm igitur reſiſtentia ſit ex forma, quatenus eſt in materia; materiei enim eſt pati, & eſt principium cuiuſque paſsionis; forma nanque materialis omnis materiei ratione, à qua ſuſtinetur, patibilis eſt, indèque paſsionis, corruptioniſque initium habet; & cùm in corpore dimenſiones habente ſubſiſtat, cum eodem quoque patitur, & corrumpitur; & quoniam nulla dimenſio cōfeſtim acquiritur, depeeditur ve, ſed cum tempore ſemper; quò enim facilius, citiusque, ſeu difficilius, & ſerius materialis forma à ſuo contrario agente patitur, & vincitur, eò facilius, difficiliuſque corrumpenti reſiſtere dicitur: at huius facilitatis difficultatiſque cauſam eſſe materiei raritatem, denſitatemque Philoſophi fecerunt; necnon eiuſdem multitudinem paucitatemque. Caliditatis itaque materia, vtpote pauca & rara, ob raritatem ſuam diſperſa eſt, ob exiguitatem tota ſe exponit viribus agentis, quare facilè patitur, & vincitur, minimè corrumpenti reſiſtens. Quod non contingeret, ſi eius materia denſa, & in ſeſe collecta, conſtipataque foret; nam ſic impetum agentis ſuſtineret, & reſiſtendo difficulter pateretur. E contrario res ſe habet in caliditatis actione, nam cùm formæ ſit agere, quò forma, magis à materia abſoluta, magiſque præſtans extiterit, eò efficacius nobiliusque aget; quare à materia ſeparatæ formæ ſummopere feliciſsimèque agere exiſtimantur: cùm itaque caliditas cæterarum qualitatum præſtantiſsima plurimum formæ, minimumque materiei poſsideat, non mirum ſi in agendo efficaciſsima exiſtit, in reſiſtendo verò impotens, & imbecillis. Sed quis ambiget hoc loco? nam vt denſitas ad fortiter reſiſtendum, ita quoq; ad fortiter agendum valere videtur; propterea quòd (vt ſupra retulimus) hic materialis noſter ignis ob ſuæ materiei denſitatem fortius calefacit, quàm elementaris in propria ſphæra ob eius raritatem. Reſpondemus, denſitatē materiei non per ſe, ſed per accidens ad actionis efficaciam ſe habere: eatenus enim materiei denſitas ad agendum conducit, quatenus formæ multitudinem includit; plurimum nanque formæ eſt id, quod per ſe efficacius agit, & non denſitas mateeiæ; quoniā quidem vbiq; & ſemper ratio, & regula actionis eſt forma. Huius teſtimonium facit ignis terræq; elementi forma. Terreæ nanque forma cùm ſit infima, & à ſuprema forma elongata, & ſi in denſa ſubſiſtit materia, ſegniter tamen agit, & operatur: eleuata autē à materia ignis forma, & ſupremæ formę magis propinqua, quātumuis in tenui, & rara reperiatur materia, nihilominus efficaciter agit. Adhuc quia obijciet, quòd forma ignis cùm ſimplex ſimilariſque ſit, vt per ſe tota agit, ſic per ſe tota reſiſtit, & vt naturaliter reſiſtit, ita naturaliter agit; cùm igitur per idem naturaliter agat, & reſiſtat, ergo æqualiter agit, & æqualiter reſiſtit, ſiue tantum agit, quantum reſiſtit. Reſpondent aliqui, & rectè, negando conſequentiam, & inquiunt; quòd non eſt æqualis ratio actionis, & reſiſtentiæ; vnde & ſi idem ſit agens & reſiſtens, aliud tamen eſt agere, aliud reſiſtere in ſua ratione formali, & aliud connotant: agere nempe dicit actionem, reſiſtere verò paſsionem. Quare etſi vnū & idem ſit agens, quòd duo diuerſa promoueat, quorum vnum ſuapte natura facilius, alterum difficilius promoueatur; non abſque ratione eſt, quòd idem agens inæqualiter illa promoueat. præterea nos dicemus, quòd ignis quantumuis ſit ſimplex & ſimilaris, nihilominus vtriuſq; ſui principij, materiæ ſcilicet & formæ vim retinens, & agendi, & patiendi quoque perpetuò facultatem conſeruat, quæ oppoſitæ naturæ oppoſitas functiones, oppoſitumq; cauſandi modum habet. Caloris inſuper eſt componere, & congregare homogenea per concretionem, aliena verò ſeparare per diſſolutionem: hoc autem pacto neceſſe eſt, vt fiat mixtorum corporum generatio; vt ſcilicet vi caloris ea in vnum componantur, quæ naturæ mixti conueniunt, aliena verò abijciantur, & ſecludantur: ſicut igitur generatio mixtorum fit per partium compoſitionem quandam; ita eorundem mixtorum corruptio, fit per earundem partium compoſitarum ſegregationem, vtrumq; autem iſtud calor operatur. Hic nempe ad mixtorum compoſitionem homogenea congregat, illa eademque per accidens diſſoluit, & ſegregat, dum ad alterius mixti compo-

sirionem ipsa congerit, similia nanque congesta, & vnita ad huius mixti corporis compositionē, alius calor huic contrarius potentiorq́; in agendo dissoluit, & ad alterius mixti corporis compositionem contrahit. Vltimò animaduertimus calorem elementalem, cœlestem, & naturalem, qui tres à multis asseruntur calores, non essentialiter differre, sed vnum & idem esse, & penès tantum operandi modum, quatenus diuersorum agentium instrumenta fiunt, distingui. Dicimus nanque quòd calor ignis aliquando est naturalis, quando scilicet dirigitur à forma vtente ipso per se pro instrumento ad generationem mixti, verbi gratia calor, qui est in spiritu genitiuo, est idem specie cum calore ignis, & iste idem est naturalis, quia agit directus à virtute formatrice seminis patris ad generationem fœtus, sicut testatur Auerr. 4. col. & 4. methe. vbi dicit, quòd digestio fit à solo calore naturali, & postea asserit, quòd digestio, & generatio mixtorum, quæ fit per digestionem, efficitur ab elemento ignis: & Auicen. ad hunc sensum scripsit prima primi cap. de elementis, quòd ignis ducit qualitatem elementorum de proprietate elementari ad complexionalitatem, quod non est nisi per digestionem: ac ideo calor ignis digerit instar naturalis, & similiter calor actualis, qui est in seminibus animalium dicitur cœlestis, quatenus agit virtute cœlestium, vt secundo de generatione animalium refert Philosophus, & tamen est naturalis, & elementaris. Calor igitur quilibet, qui est qualitas prima; prout operatur principaliter, dirigitur à forma ignis, & etiam quatenus operatur virtute ignis, eatenus ignis igneusúe dicitur: quatenus verò dirigitur à forma mixti, ad mixti procreationem, naturalis nominatur; & prout à supercœlesti virtute hoc modo dirigitur, cœlestis appellatur. Hoc idem perspexit Plato in Timęo dum ait; omne animal in sanguine, & venis calorem quasi ignis quendam fontem habere: & eodem lib. quòd igitur ex ignis excessu præcipuè ægrotat corpus, manifestum est. Calefactionis autem causas omnes sub quinque generibus comprehendit Gal. secundo de causis morborum cap. 4. vel enim ex motu quodam caliditas augetur, vel ex angustione, vel ex putredine, vel ex vicinio alterius corporis feruidioris, vel ex alimento ad calefaciendum accommodato. Sed de his satis.

Quid sit naturalis calor. Cap. III.

IGNAVS æthereusque calor in animatorum corporum mixtione, frigidorum elementorum frigiditate temperatus, eorundē naturalis calor euadit, si aereū aquenmq́ue humidum igneo, terrestrique sicco permixtum obtinuerit; ita vt simul vniantur & in temperiem calidam concrescant; quæ naturam sensilemq́; animam sustineat, ac idoneum earundem euadit instrumentum ad suas obeundas functiones, cuius esse est in fieri, & esse successiuo. Subiectum planè idem vsurpant anima, & natura, quod subiectum vtrique deseruit pro instrumento; iure itaque fit, tum subiectum, tum instrumentum calorem naturalem appellari. Subiectum autem prout temperiei est pars, quæ naturam animamúe sustinet; instrumentum verò existit, quatenus temperiei efficacior est pars promptissima ad agendum. Aristoteles enim ponens discrimen in suo libro de spiritu inter artem, & naturam; asseuerat artem tanquàm instrumento vti calore, naturam verò vt instrumento, & materia. Hic enim viuidus calor naturalis, insitusq́ue dicitur, inquit Alex. quia à mixtorum animatorum corporū ortu proficiscitur, ac primis generationis principijs est insitus, atque complantatus primis partibus animantia constituentibus; humoribus scilicet spiritibus, similaribusq́ue partibus. Vnde in lib. de mor. & vita bene dixit Philosophus, omnes autem partes, & vniuersum animalium corpus connatum habet quandam naturalem caliditatem. quapropter dum viuunt calida quidem apparent, vitæ autem vsu orbata, contrario se habent modo. Hic quippe calor temperatus, humidus, siccusq́ue communiter nominatur. Temperatus quidem dicitur, quia sua contraria frigiditate est temperatus, & factus simplex indissolubilisq́ue complexio, animæ proportionatum subiectum, & eius potentiæ congruum instrumentum. Nec enim est possibile ait Alex. animā citra huiusmodi temperiem, & calorem in aliquod agendi munus descendere. Hic igitur viuidus calor cùm ab eius contraria frigiditate sit temperatus, temperies appellatur; & quoniam caliditas efficacissima est qualitas, & in temperatura reliquis præpollet qualitatibus, at non vltra limites; cùm in animantium ortu vnà cum natura exoriatur, naturalis, innataq́ue appellatur caliditas. Hic ipse idem naturalis calor cum naturali humido perpetuò coniungitur, quoniā ipse vim habet attrahendi ad se humidum, & istud naturaliter illum consequitur: inter se nanq; se habent vt perfectio & perfectibile. Naturale autem humidum dicitur aereum, aqueumque humidum sicco terrestri commensuratum, suoq́ue connato calido proportionatum. Istud quippe circa animantium generationis principia plurimum semper conspicitur pro fœtus, pusilli-

que nati

que nati corporis nutritione, incremento, debitæque magnitudinis perfectione assequenda; tunc temporis præcipuè calor humidus appellatur. Hanc enim humiditatem naturalem per vniuersam vitam calor seruare, custodireque studet; quando in ea ipsa subsistat, & vigeat, & huius custodia, sic vtriusque salus. Vlterius autem progrediente infantis ætate, auctoque corpore ad debitam magnitudinem, humidum siccescit, aridumque fit, & simul etiam innatus calor siccior euadit, & eo siccior, quò vlterius semper vsque ad senectam, & senium progreditur: atque hic acquisititius aliàs à Gal. calor nominatur; sic enim innatum calorem & temperatum, & humidum, (indeque radicale humidum dictum) atq; siccum, necnon acquisititium antiqui vocarunt. Hic calor, vt inquit Philosophus, vt flamma, & fluuius semper perseuerat fiens, & fluens, eiusque existentia omnis est in continuo fieri, & esse successiuo. Hunc eundem & substantiam, & accidens æqualiter fecerunt. Substantiam verò dum corporeæ, elementares, humoralesque substantiæ in se ipsis mutuo transeuntes, miscentur: totæque per totum temperantur, & substantiale mixtum corpus faciant. Corporeas autem substantias naturales, & Physicas intelligimus, ex materia & forma compositas, & non mathematica, & trium dimensionum corpora: hæe enim tantum simul inuicem continuantur, & ad corporis permixti continuationem, & incrementum solum accedunt, & non ad ipsam permixtionem. Accidens autem naturalem calorem esse dicunt, dum supradictarum substantiarum qualitates per sematipsas inuicê transeuntes, & omnino permixtæ simul contemperantur, & crasis fit, vnde caliditas calefaciens emicat. Hunc ipsum calorem & innatum, & influentem, & actuatum ex innato & influente dicunt; quanquam naturalis quisque calor, vnà cum animante connoscatur, innatum tamen præcipuè solidarum partium, insitum calorem appellant; hic humilis, exiguusque existit & veluti in potentia. Influentem verò vocant spiritum, massæque sanguineæ vegetiorem calorem à corde & iecore per venas, & arterias influentem per solidas vniuersi corporis partes: ex quorum quidem humili tepidoque calore, & influente viuidiori tertius, qui actuatus est nominatus calor, constituitur: qui quidem viuentis corporis actiones exercet. Quidam verò dixerunt, quòd mensura gradualis caloris naturalis est secundus gradus; & præter naturalis febrilis, est tertius gradus; & innaturalis non febrilis est citra tertium gradum versus secundum, vtputa in secunda, vel tertia mansione secundi gradus. Et de his satis.

Quanta sit caloris naturalis latitudo. Cap. IIII.



PROXIMO Capite exposuimus, quemadmodum calor naturalis sit igneus, æthereusque calor suo contrario frigido temperatus, atque humido, ritè sicco terestri secundum naturam permixto, commensuratus: naturalis enim calor, & cum suo temperanse frigido, & cum humido suo natiuo commensurationem, symetriamque habet, qua naturaliter conseruatur. Hanc autem symetriam, quam calor cum frigido, à quo temperatur, habet, latitudinem plurimũ graduum obtinere aiunt, intra quam semper est naturalis. Primus nanque gradus huius latitudinis circa animantium generationis ortum in recenter natis conspicitur; vbi calor à minimo frigore, à quo ipse temperari potest, temperatur; sic vt summus caloris terminus cum minimo frigiditatis termino sit coniunctus; vnde & tunc temporis multus semper viget calor, exiguumque frigus. Extremus verò latitudinis natiui calori gradus in senectute, & senio conspicitur; vbi seniorum corporum caliditas à summa frigiditate, quæ calorem temperare potens est, temperatur; hic quidem calor in extremo sui termino, cum supremo frigoris termino iunctus, in causa est, vt plurimum frigoris, minimumque caloris corpora illa obtineant; vnde frigida eorundê præualet temperatura. Qui verò inter hos terminos extremos constitutus est natiuus calor, horum extremorum participatione medio modo se habet. Commensuratio autem caloris cum natiuo suo humido, quam ipsum habere opus esse diximus, vt eius naturalitas conseruetur, nouam commensurationem exposcit, quæ intra passiua corpora, humidum scilicet, & siccum, desideratur: cum hac enim humidi & sicci inuicem commensurata proportione in viuentium corporum mixtura, calor naturalis naturaliter se habet. Humida igitur siccaque corpora inuicem naturaliter permixta ad animantis temperiei effectionem: & ipsa quoque intra constitutos à natura terminos traduntur suos habere gradus, quibus naturaliter terminantur, naturaliterque in temperatura persistunt. Quorum primus dicitur esse, circa natiuitatis animantium exordia, vbi nuper genita corpora humida cernuntur; & summa humiditas tunc intra latitudinis terminos à minima siccitate, quæ terminari temperarique potest, terminatur, & temperatur; sic quòd in termino primo humiditatis genitum corpus, à sicci extremo termino longissimè distante, sit constitutum; atque humidũ istud, primum,

legiti-

legitimum, naturaleque: caloris pabulum, & subiectum faciunt; vnde & per id temporis omnia genita corpora calidæ & humidæ temperaturæ statuuntur esse. Extremum autem gradum latitudinis passiuarum qualitatum, in seniorum corporum temperatura fore animaduertunt, dum videlicet natiua eorundem humiditas à suprema siccitate, cui illam temperare, & terminare est à natura concessum, terminatur, & temperatur: hæc quidem ipsa in extremo ferè suæ latitudinis gradu posita, extremæ siccitati propinquo, in causa est, quòd eorundem seniorum corpora frigida & sicca, affirmantur esse. Quæ verò inter hos terminos extremos passiuarũ qualitatum terminatio, moderatioque constituta est, hinc & inde vtriusque extremi naturam participans, medium tenet locum. Calor itaque naturalis vniuscuiusque viuentis cum suo proportionato humido, siue virtutes cœli, motorumque cælestium, siue virtute formæ compositi corporis, vniuscuiusque viuentis vitam constituit, præscribitque proinde insitum calidum, & humidum constituta vitæ principia dicuntur: nam eousque viuentium vita durat, quousque hæc prædicta vnà subsistunt, subsistereque possunt. Gal. verò dum conatus est calidum innatum describere, priorem semper latitudinis gradum inspexit, vtpote nobiliorem, feliciorémque quò ad vitæ longitudinem, & salubritatem: ipsum nanque recens, nouumque humidum viuidiorem longioremque semper constituit calorem: aereum itaque aqueumque humidum tantum quantum par sit exiguo sicco temperatum, proprium caloris innati subiectũ facit Gal. à quo vita vitalisque motio omnis dependet: nam vt benè Peripatetici inquiunt, modus actionis omnis à subiecto, & à potestate patibili est, quoniam omne agens agit secundum passi dispositionem. Dum verò progrediente ætate, humidum istud siccius, terrestriusque euadit, & vnà cum ipso calor siccior acriorque redditur, acquisititius tunc efficitur calor, ab antiquioribus sic nuncupatus, quòd temporis progressu sit ademptus: qui quidẽ si quò ad vitę longitudinem inferior est priori, quò ad plures alias viuentis operationes longè præstantior existit.

Quid calidum innatum sit, & quotuplex de sententia Galeni.
Cap. V.


GAL. Lib. 1. aph. com. 14. & in lib. contra Licum calidum innatum docens, calidam humidamque solidarum partium temperiem, spirituum, massæque sanguineæ puerorum recenter natorum, ex menstruo sanguine, & semine fabricatam, verum calidum nuncupauit innatum: vtpote ab his calidis principijs constitutum, quæ à parentibus sunt insita, tanquàm primis internis principijs, quæ primitus generandis adsunt, & à quibus genita primam sortiuntur generationem; quæ quidem principia cùm plus habeant caloris, quàm frigoris, calida sunt dicta; & cùm pariter plus humidi possideant, quàm siccitatis,
» humida dicuntur. Nam vt bene primo de sanitat. tuenda cap. secundo dicebat ipse: Origo
» enim animantibus vtrinque humida substantia proficiscitur; & comen. 14. primo apho. humi-
» dum siquidem est maximè innati caloris affine, quia ex humido est nostra generatio. Calida itaque & humida sunt nostri ortus insita, complantataque principia, atque in primo latitudinis gradu, tum naturalis caloris, tum humoris; hic ab extremo siccitatis termino distans maximè; vtpote tunc temporis humor summopere necessarius, pro corporis accretione, & suæ magnitudinis adeptione; ille pariter ab vltimo frigiditatis termino longissimus. Vnde bene dixit
» Hippo. Homo primo die quo nascitur, calidissimus, vltimo quo moritur frigidissimus existit. Et quoniam menstruus sanguis, & semen acreæ, aqueæque substantiæ plurimum in se continent; & aerea substantia sanguinem, aquea verò pituitam attestantur; non mirum si Gal. aliquando calidum innatum aeream, aqueamque vocet substantiam; & aliquando sanguinem pituita perfusum, calorem frigoreque contemperatum: sicut lib. 8. de placitis cap. quinto, & primo apho. 14 licet videre. Ad hæc nos addimus, quòd præterquàm quòd calidum, & humidum sint vitæ nostræ principia: vita quoque vniuersa, & omnis nostra nutritio ex his duobus perpetuò consistunt, quoniam calido viuimus, & humido nutrimur. Secundo loco Gal. calidum naturale nominat temperiem calidam, & siccam solidarum partium animati corporis, genitam ex acriori, sicciorique sanguine ex alimento in dies generato, penès secundum gradum latitudinis naturalis caloris; qui medius est inter primum humiditatis, & extremum siccitatis terminum. Dum verò animatum corpus adolescit; & ad summum properat incrementum, humida natiua animantis temperatura ex plurima aerea, aqueaque substantia fabricata ætatis minatione continuè siccior, terrestriorque euadit, vt primo apho. 14. bene docuit ipse, dum ait.
» Cùm igitur magis terrestre efficiatur animalis corpus, tale autem quotidie efficitur, cùm auge-
» tur: & eodem com. repetit, cùm quatuor sint elementa, ex quibus omnia sunt corpora tempe-

rata; pue-

rata; puerile quidem corpus multũ in se ipso continet aereæ, atque aqueæ substantiæ, minimum terrestris; contra verò eorum, qui in ætatis vigore cõsistunt, à terrestri siccitate obtinentur, deficit autem aquosa, & aerea substantia. Protracta itaque animantium ætate, & ad consistentiæ tempus progrediente, & solidæ animantium particulæ vnà cum massa sanguinea, & spiritibus magis terrestres, sicciores que fiunt; quæ quidem siccitas efficitur ab ambientis calore humiditatem perenniter dissoluente, atque ab animæ & corporis continuis motionibus, necnon ab ipsomet calore se ipsum per accidens exsiccante. Hancquè non proximè ex semine, sanguineque mẽnstruo factam esse dicit Gal. sed ex spiritibus, & sanguine, qui in dies fiunt ex alimẽto intra corpus assumpto: ex sanguine itaque & spiritibus, qui in nobis à victu cõtinuè gignuntur, & à suis fontibus per arterias & venas in omnes partes sparguntur, vt ex proxima materia Iuuenum, atque Adultorum calida, & sicca temperies proficiscitur. Hoc quidem & ipse vidit quinto de simplicibus, vbi scriptum reliquit; calidum innatum ab Hippo. vocari spiritum, posse tamen sanguinem cum spiritu intelligi, & sexto de morb. vulg. sect. 4. commen. xxv. vbi ait; naturalis caloris essentia in spiritu vnà cum sanguine sanguineisq; visceribus reposita est. Hunc verò iuuenum virorumque calorem, & temperiem non primò genitam, sed generatione secundam, acquisititiamq; ibidem com. 14. lib. 1. aph. nuncupat Gal. quasi ætatis progressu alteratis causis illa acquiratur. Tertiò ac vltimò calorem naturalem nuncupat Gal. similarium partium corporum senescentium temperiem siccam, modiceque calidam, sic vt eam frigidam dicere possimus; penès tertium latitudinis caloris naturalis gradum; qui est in caloris humiditatisque confinio cum multa siccitate, & frigiditate coniunctus: cùm enim corpus ad summum incrementum peruenerit, crescereque destitit; in eo quod sequitur tempore, omnibus iam partibus supra iustum siccescentibus, frigidioribusque redditis, tunc corpus ipsum frigidius, macilentius, graciliusque quàm ante redditur. Sicut & bene in lib. de Marasmo scripsit Gal. vbi ait; à principio nanque ortus ad finem vsque, vllo non tempore siccius corpus reddere ignea caliditas definit, quoad vltra siccatum, non macilentius modò, sed etiam rugosum efficitur; quæ affectio senium appellatur. Huius itaque senij temperiem frigidam, & siccam facimus: sicca quidem est, quoniam longo temporis cursu humor est consumptus; frigida verò, quoniam imminutus est naturalis calor ad imminutionem humidi subiecti. præterea auctrix naturalis facultas, quæ calore vigebat, deperdita est; vnde tepidior factus est calor, ab vltimo potentiorique frigiditatis gradu, quo temperari potest, tẽperatus; & sic ex accidenti frigida senum denominatur temperies. Proinde bene dixit Hippo. Homo vltimo die quo moritur, est frigidissimus; declinante igitur ætate, senescenteque corpore, frigida & sicca animantium temperies euadit, ita in vniuersum tres tantum naturalis caloris animati corporis differentias animaduertimus. Natiuam primam infantium, & adolescentium calidam, & humidam temperiem; iuuenum ac ætate vigentium alteram, calidam & siccam. Tertiam senum, frigidam & siccam.

Quid sit calidum innatum apud Albertum Magnum.
Cap. VI.



AGNVS Albertus in libro paruorum naturalium, tractatu 20. de causis longitudinis breuitatisq; vitæ cap. sexto duplex scribit esse in animante corpore connatum calidum, quorum vtrunque habet in se triplicem virtutem. Vnde quoddam est calidum originale, quod est in ipso semine, & cùm membra fiunt ex semine, est per omnia membra transfusum. Alterum autem est quod iam formato, & consistente corpore transfunditur à corde principaliter, & per consequens ab epate, & tertiò à testibus in totum corpus; & illud quid quod à corde est, influentiam habet ad formandum omne aliud calidum, siue sit originale, siue sit à cæteris membris. Quodlibet autem istorum calidorum triplicem habet virtutem. Habet enim principaliter virtutem sui motoris, qui est anima, sicut alibi explanatum est, & quoad hoc operatur ad operationem vitæ. In quantum autem est calidum complexionale, coaccedit ad aliquam cœli conformationẽ, & sic habet in se (vt dicit Aristoteles) virtutem cœlestem, & sic agit ad consistentiam, & continentiam substantiæ, sicut omnis virtus cœlestis facit constitui, & inesse contineri substantias mixtas, & generatas, quæ remotæ sunt ab excellentia contrarietatis, quæ est in simplicibus elementis: In quantum autem est calidum assimilans, ex contraiacentibus passionibus nutrimentum dissimile conuertens, digerens, & complens, sic est calidum ignis, sicut clarè demonstratur in principio quarti libri meteo. tract. 1. cap. 1. Hij ergo sunt calores viuifici animatorum, & per dictas virtutes operantur; de eo quippe connato calore quidam scripsere, quòd nullatenus sit igneum, quia si esset calidum ignis, consumeret

meret substantiam, & destrueret alia cõtraria, & sic induceretur mors omnino: Ad hęc dicimus, quòd huiusmodi homines omnino ignorant quid dicere debeant. Est enim hoc secundũ Auer. & Auic. & alios Peripateticos calidum ignis, aliter non congregaret homogenea, & separaret heterogenea, sicut ostensum est 2. meteororum; si habet calidum ignis non est excellens, sicut in elemento simplici, sed est proportionatum humido, & complexionali, & est animæ instrumentum; & habet in se virtutem cœlestem. Et licet continuè consumat, & desiccet de humido, & tandem in toto finiat ipsum: tandẽ non statim consumit, sed paulatim, sicut infra dicetur.

Quidnam sit calidum naturale apud Nicolum Florentinum. Cap. VII.

NICOLVS Florentinus sermone 4. tractatu 3. cap. 4. de calore naturali, qui substantia est, verba faciens ait, quòd calor naturalis compositus est ex elementari cœlestique calore, & virtutis vtriusque particeps est: nam & calefacere, dissoluere, corrumpereque vim habet, sicut & ignis pariter, vt cœlestis procreare, vitamque dare, ac seruare facultatem possidet. Hic quippe in mixtis perfectisque ipsorum virtutibus in operando deseruit tanquàm principale ipsarum instrumentum, & est instrumentalis radix operationum omnium, quæ in eis fiunt: præterea nec anima in corporibus animalium perfectorum alligatur, neque in eis conseruatur absque hoc naturali calore: ac ideo in libro de morte, & vita bene scripsit Philosophus, quòd viuentia cuncta per calorem naturalem, tanquàm per principale organum viuunt, & suas exercent functiones; cuius quidem naturalitas non consistit in intensione gradus caloris, sed attenditur in debita proportione sui ad virtutem cui deseruit, tanquàm principale organum in agendo; secundum quam debitam proportionem, vel improportionem causatur. & attenditur fortitudo, vel debilitas virtutis in agendo: illa enim virtus dicitur fortis pro omnibus exercendis, quę habet organum, idest calorem naturalem sibi congruè proportionatum, & è conuerso debilis, cùm habet ipsum improportionatum; habet ergo calor naturalis duas conditiones, quarum vna est mensura gradus, secundum quam tantus esse debet, & nec maior, nec minor, siue intensior, & remissior; & hunc gradum quidam dicunt esse secundum, & penès hanc conditionem, calor naturalis est sicut calor ignis; alia conditio est naturalitas, siue proprietas, siue proportio, quam habet ad suum subiectum, siue formam, & penès hanc conditionem est, & dicitur calor naturalis. Hunc calorem naturalem Auerroes secundo colliget, dixit esse duplicem, quorum vnus est innatus, & alius influens; & innatus quidem est illę qui à principijs generationis membris est datus, principalius tamen in corde repertus quem dixit Auerroes esse calorẽ complexionis in omnibus diffusum membris. Alij dixerunt hunc calorem dari primò omnibus membris à generante, & quidã dari primò soli cordi; sed postea cor generans alia membra simul disponendo materiam reliquit in istis calorem quem prius habuit in se ipso disponendo, vt illis fiat modificatus, & proportionatus, ita quòd simul membrum habet esse, & calor naturalis habet innatum esse; & hic calor naturalis innatus est ille sine quo anima corpori non alligatur, nec in eo persistit; calor verò influens est ille, qui in corde ab anima mediante virtute vitali generatus, calore innato ei in hoc deseruiente. Et per dictam virtutem in omnia corporis membra diffunditur mediantibus arterijs, & per ea discurrit mediatè, vel immediatè sensibiliter, vel insensibiliter; & hic calor cũ calore reperto in membris innato se commiscet, & actuat, & secundũ quosdam in ipsum etiam se conuertit, & resolutũ restaurat. Cõmixtione autẽ prædicta, & adaptatione calor viuidus ex illis compositus in vnoquoq; membro resultat, qui est proprium instrumentũ animæ ad opera membri vniuscuiusque; ipso enim mediante anima transit in actũ secundum. Postea addit, quòd calor naturalis dicitur de innato, & de influente, & tam innatus, quàm influens est in viuentibus calor actualis, & nõ potentialis; & de hoc quidẽ innato calore paulò inferius verba faciens subdit, sed ego puto hanc esse naturalẽ complexionẽ corporis nostri, quæ calida est, & humida, quæ quidẽ non dicitur calida & humida, quia eius caliditas fit vnius elementi tantũ, & consimiliter sit humiditas vnius elementi tantum. Nam in quocunque mixto saltem perfectò oportet concurrere quatuor elementa, duo sicut principium actiuum, vt calidum, & frigidum; & duo, vt passiuum, vt humidum, & siccum; ita vt mediante calore agente, temperato tamen per frigiditatem, fiat bona commixtio humidi cum sicco; sicque enim per qualitates elementorum refractas mixtum & eius complexio resultat cum proportione, & mensura ipsarum qualitatum; per quam proportionem, & mensuram complexio illa dicitur esse naturalis illi mixto; quam mensuram, & proportionem assumunt, dum agunt, & patiuntur à calore generato à motu, & lumine, & vt quidam dicunt à virtute cor-

porum

porum cœlestium, qui calor vt diximus est temperatus, & proportionatus rei, supra quam infunditur. Complexio autem mixti mensurata, & proportionata dicto calori cœlesti, est calor naturalis, primum instrumentum formæ mixti ad agendum; & dicitur naturalis, quia mediante dicta proportione, & mensura agit actionem terminatam. Deinceps addit, muenitur autem ab Authoribus dictum, calorem naturalem nutriri, & pabulari frigido, & etiam calido à corde transmisso, & quòd nutritur humido. per nutriri autem frigido intellexit contemperari, quoniam calor innatus contemperatus diutius in viuente seruatur, quàm non temperatus; & ad hunc sensum dixit Gal. 3. acutorum, aquam frigidam contemperare vitam; hoc enim modo nutritur calor naturalis cordis aere frigido per anhelitum attracto; & quòd nutriatur calore transmisso à corde, intelligitur, idest conseruatur in alijs membris, vnde Gal. in libro de vsu pulsus hanc nutritionem insinuans dixit calor cordis conseruatur respiratione, & qui in reliquis partibus est conseruatur transpiratione, & respiratione caloris à corde ad membra ipsa. Quòd verò calor naturalis pabuletur, scilicet pingui, & vnctuoso, docuit Philosophus in libro de morte, & vita. Hactenus.

Quòd naturalis calor sicut ætatum ordinibus, ita & corporum particulis tribuatur. Cap. VIII.



HVCVSQVE caloris naturalis rationem explicauimus, eiusdemque tres species fecimus, penès tres ætatis ordines, Infantiæ, Iuuentutis, & Senij. Infantiæ primam ordine constituimus temperiem calidam, & humidam. Iuuentutis, ætatisque vigentis alteram calidam, & siccam. Tertiam senectutis, siccam, modiceq; calidam, seu frigidam temperiem diximus esse. Et harum vnamquanque singulis tribus partibus animatum corpus constituentibus, insitam esse exposuimus; membris scilicet solidis, spiritibus, ac massæ sanguineæ; quando sine his tribus integris partibus nullibi, nulloque tempore dari animatum corpus potest: singulæ autem hæ partes, penès vnumquenque ætatis ordinem, ac penès omnem caloris naturalis latitudinem, iuxta propriam cuiusque conditionis exigentiã sunt, denominanturque calidæ, & humidæ; calidæ, & siccæ; ac frigidæ, & siccæ. Quæcunque etiam solidæ partes ornatæ erunt temperatura, consimili, & ferè eadem & spiritus, & sanguinea massa prædite erunt, quoniam hæ animantium partes mutuo semper se fouent, & gignunt. Hippocr. autem hoc nomen naturalis caloris solidarum partium temperiei præcipuè condonauit: Gal. verò & sanguini menstruo, & semini genitali generationis nostræ primordijs, atque ex his constitutis partibus, hoc quidem caloris nomen tribuit, necnon & sanguini, & spiritibus, qui ex aere inspirato, & alimento omni vitæ tempore in animantibus gignuntur. Hunc profectò sanguinem & spiritum, qui in nobis in dies ex victu efficiuntur, & per venas, & per arterias à suis fontibus in vniuersum influunt corpus, influentem calorem in lib. de format. fœtus, Gal. nuncupat, vbi ait; duplicem esse calorem innatum, vnum insitum singulis partibus tepidum, & aeri in aliquo cubiculo clauso similem; alterum verò à corde proficiscentem in singulas partes, earundem calorem perficientem. Calor nanque natiuus, qui singulis partibus ex primis principijs est insitus, tepidus quidam calor est, & potentia potius quam actu. Et cùm eius essentia sit in continuo fieri, promptè citoque dissoluta periret, nisi alia ei similis, maiore tamen calore prædita afflueret, quæ insitam ipsam restitueret, & conseruaret, illiusque calorem excitaret. Spiritu enim admodum calido à corde proficiscente, deductoque per arterias ac singulis partibus distributo, connatus singulorum membrorum calor excitatur, & confirmatur, & idoneus fit ad proprias actiones obeundas: sanguine autem potissimum ab epate manente, dissoluta natiui caloris solidorum membrorum substantia reponitur, restauraturque & efficax ad functiones redditur. Hic autem à sanguine, & spiritu nutritus restauratusque solidorum membrorum calor actuatus, trito in scholis vocabulo à recentioribus medicis est nuncupatus; vtpote qui actu exerceat viuentis operationes. Hic enim similarium partium actuatus calor, qui aliàs viuus, vegetusque dicitur, & si in singulis animatis corporis similaribus partibus vigeat, in corde tamen, quod primarium est membrum, in primis viget, ibi nanque continuè, vberrimeque vegetat, & actuatus instar flammæ ignis semper reperitur; ac inde commodè corpus vniuersum, & singulas eius partes viuifico calore calefacit. De hoc quidem vitali calore sermonem habuit Philosophus tertio de part. animalium cap. 7. vbi ait. Sed cor, & iecur omnibus animalibus necessaria sunt; alterum propter caloris originem, locum enim adesse aliquem quasi lares, focumque oportet, quò naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur, & seruentur, eundemque tutum esse veluti arcem corporis necesse est. Alterum iecur dico vbi conquoquendi gratia adest, &

quidem

quidem nullum sanguine præditum animal his duobus carere potest. Hæc ferè eadem lib. de format. fœtus à Gal. habentur, vbi dicit. Cor verò quasi ignis quendam focum animalia sortita sunt; sine corde enim sanguineorum animalium calor persimilis caliditati est, quæ in domibus æstatis tempore sentitur. Sed quemadmodum domus incenso in ipsa igne, calidior redditur; ita animalium corpus ex corde caliditatem maiorem acquirit, quàm ea sit, quæ in venis & iecore insita est, & sanguine etiam, qui in venis, & iecore continetur. Hic enim viuidus cordis calor, hæcque vegeta cordis temperies, quæ actu viua in viuēte semper reperitur, & instar ignis flammæ, vti diximus, vniuersum corpus & singulas partes viuido calore calefacit, & viuum vegetumque seruat; hic inquam ipse est, quem Gal. præcipuè in lib. de tremore, & rigore, & palpitatione, ex antiquorum Philosophorum sententia explicare contendit, dum ait. Calorem autem non acquisitum, neque animalia generatione posteriorem, verum ipsum primum, primò genitum & insitum, ac natura sanè, & anima nihil aliud, quàm hic, existit; quare si substantiam per se mobilem, & semper mobilem, ipsum intelligas, haud errabis.

Innatus calor per complantatum spiritum ab antiquioribus explicatus. Cap. IX.

HVNC quippe supradictum in præcedenti capite substantialem calorem æmulantur, qui complantatum spiritum, in mixtis cunctis perfectis, & præcipuè viuentibus exquirunt, & nomine spiritus complantati substantiam innati caloris seipsam mouentem explicant, dum aiunt, quòd spiritus complantatus vocatur calor innatus, qui non comparatur humido radicali, sicut qualitas in subiecto, sed sicut vnum corpus perficiens alterum corpus quod ab eo perficitur, & ipse quidem perficit, gubernat, & regit humidum radicale; quod patet, quia amoto hoc calore innato à membro, membrum corrumpitur; & aiunt, quòd humidum radicale habet se sicut materia, & perfectibile, & gubernabile ab ipso calore innato, neque viuum sine illo potest permanere; & addunt, quòd hic spiritus complantatus dicitur esse in humido radicali, sicut flamma in candela; & insuper aiunt, quòd hic spiritus est formaliter animatus. Hæc sententia Auerrois quinto metaphysicæ com. 3. vbi dicit, quòd anima non est in spiritu gignitiuo, sicut in calore naturali. Et declarās se ipsum dixit, quòd in spiritu gignitiuo est solum in potentia, & est in eo virtus; sed in calore naturali non est sic, quia in calore naturali simul cum membro est anima; & iterum primo Cantieæ com. 53. Anima est forma in calido naturali, & noluit quòd animal sit forma in solo calido naturali, sed in eo simul cum membro. Attribuitur tamen calori naturali, quia illud corpus cui applicatur calor innatus, est pars formalior quàm sit membrum. Et de spiritu isto intellexit Gal. 5. lib. de simplici. fac. cùm scripsit, spiritus est subiectum animæ, & est animatus, scilicet simul cum membro, & dixerunt, quòd spiritus iste agit in humidum radicale, cùm sit ab eo distinctus, & sibi sufficienter approximatus, & actio eius est velut caloris ignei, à cuius igneitate quantumcunque sit commensuratus, & proportionatus non absoluitur, & dicunt quòd spiritus ritè est determinatum instrumentum animæ pro operationibus particularibus membri, cuius est spiritus; quo mediante membrum exercet operationes sibi proprias, vt verbi gratia, os eo mediante ita cōuertit suum nutrimentum in os, quòd non in aliam rem; anima enim existens vna non plus faceret vnam operationem, quàm aliam, nisi haberet determinatum instrumentum; & de hoc intellexit Philosophus in libro de motione animalium, vbi scripsit; omnia autem videntur animalia, tum spiritum habere connatum, tum ab illo robur capere; & dicunt, quòd hic spiritus permanet vnus numero tota vita, sicut homo manet idē numero tota vita, & sicut anima vna permanet. Arist. nanque dicto libro hoc inquirens vtrum hic spiritus manet idem numero, an non, dixit, quòd sermo de ipso idem est, & de alijs particulis, sed aliæ particulæ manent eædem numero, ergo & spiritus iste. Et Auicenna de viribus cordis scripsit, quòd spiritus complantatus est vnus numero, & generatione primus, generabiles verò plures; sic vnum est membrum generatione primum, scilicet cor, generabilia autem membra plura sunt, & sic aiunt, quòd hic spiritus principalius est in corde, secundariò in alijs membris. dicunt igitur quòd spiritus complantatus est verè pars membri, & informans humidum radicale, & non est vt res extrinseca sibi nec membro, sed ex ipso, & humido radicali componitur membrum, ita quòd ista duo corpora, scilicet calidum naturale, & humidum radicale componunt membrum, scilicet vnum vt formale, scilicet calor innatus spiritusúe complantatus; & aliud vt materiale, scilicet humidum radicale; & ita ex Auerrois sententia aiunt, quòd in nobis sint duæ partes, vna materialis, & ista est ex humiditatibus; & alia formalis, & ista est ex spiritu, & refert quòd tanta est cōmunitas spiritus ad

essentiam

essentiam nostri corporis, quòd quidem ipsum animā existimarunt: sunt autē quidam ex prædictis dicētes quòd ex spiritu, & humido radicali efficitur vnū per essentiam; nam spiritus iste deuenit ad tantam permixtionē cum partibus humidi, quòd facit vnū per essentiam, nec est vnum in loco distincto a loco alterius. Est enim simile de mixtione loci, sicut est de mixtione partium grossarum cum subtilibus humidis, quæ perueniunt ad tantam permixtionem, quòd non potest designari diuersitas, neque distantia loci; non ergo est iste spiritus in membro in loco distincto ab alijs partibus mixti, neque in poris particularibus. Et Hippocrates dum scripsit quòd in his qui crescunt, calor innatus est multus: per calidum innatum intellexit spiritum complantatum, sic quòd idem intelligit per calorem innatum, & spiritum complantatum. Quamobrem rem ad calcem perducentes dicimus, quòd ferè vbique locorum calor naturalis & ab Hippocrate, & à Philosopho, & nomine caloris innati, & nomine spiritus complantati vocitatur; nam vbi contingit disquirere quidnam sit primus author motus in animato corpore, nomine spiritus Philo. vtitur, vt in libro de motione animæ. dixit: omnia autem videntur animalia, tum spiritum habere connatum, tum ab illo robur capere; vbi verò de vitæ nutritionisq; principio agitur, caloris innati nomen vsurpat, vt refert in libro de morte, & vita. Omnes autem partes, & vniuersum animalium corpus connatam habent quandam naturalem caliditatem; quapropter dum viuunt quidem, apparet calida; vitæ autem vsu orbata, contrario se habet modo; & vt à Philosopho naturalis calor ob duas primarias eius actiones, modum scilicet ac vitam præstare, sub duplici explicatur nomine, spiritus scilicet, & caloris innati; pariter & ab Hipp. & à Gal. & Auic. reliquisque cunctis modus iste calorem naturalem dinominandi vsurparunt, nomine scilicet spiritus, & caloris innati.

Quis calor naturalis sit substantia, & quis accidens. Cap. X.



CALOR naturalis prima sui diuisione, sicut & ignis à quo suam obtinet essentiam, in substantiam & accidens dimiditur; hæc quippe naturalis caloris diuisio communis est cunctis natiui caloris speciebus: in omni nanque ordine specierum caloris naturalis superius exposito, substantialis, accidentalisq; semper reperitur calor; vt enim quale non potest esse absque qualitate, nec qualitas absque subiecto quali, nisi quatenus vnum ab altero mente seiungitur, sic nec caliditas absque subiecto calido, nec subiectum calidum absque caliditate vsquam erit: vbique enim & semper simul sunt, & non nisi mente separantur; substantialis itaque natiuus animantium calor est (vti supra retulimus) ex corporeis elementorum, humorumue substantijs penitus innicem permixtis, temperatus à superis lationibus, vt à communi & primo efficiente; & à natura, formaque mixti, vt à particulari agente, illum moderante, commodumque reddente ad suas moliendas functiones factus, & institutus. Hæc quidem naturalis caloris temperata substantia æquè primò (vt in scholis loquimur) in tres innati calidi substantias dimiditur; in spiritus, massam sanguineam, solidasq; partes, & carniformes, & spermaticas; has ex semine genitali, menstruoq; sanguine confectas; illas ex influente & sanguine, & spiritu, atque serosa humiditate completas: solidæ nanq; corporis particulæ spiritus, qui fluitantes impetumq; facientes aliàs dicuntur; necnon sanguinea humorum massa deorsum fluens, corpusque irrigans: hæc vtique triā animatum corpus constituunt, quæ ab Hipp. continentia, continta, impetumq; facientia sunt dicta. Primas itaque naturalis caloris temperatas substantias dicemus solidas eiusdem particulas, cùm seminales, tum carniformes: secundò fluitantes spiritus, tertiò massam sanguineam corpus irrigantem. Hæ autem partes animal cōmuniter constituentes, singulæ in minutiores adhuc distecantur substantias, nam solidæ seminales partes in tres iterum diuiduntur substantias, primas scilicet, secundas, ac tertias humiditates; carniformes verò in primas, ex quibus factæ sunt, substantias resoluuntur. Item & spiritus in tres similiter dissecantur species, in vitales, animales, atq; naturales. Massa verò sanguinea in quatuor primò distribuitur substantias, sanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem; quidam & quintam addunt, humorem videlicet serosum; atque hæ omnes partes substantiales caloris sunt substantialiter animatum corpus constituentes. Hactenus de naturalis caloris substantia. Accidentalis autem animati corporis innata caliditas est temperies calida, procreata ex primis quatuor qualitatibus, quæ fluunt ex substantia solidarum partium, spirituū, & massæ sanguineæ. Hæ quippe substātiales primæ nostri corporis partes, accidentalibus quatuor qualitatibus semper sunt præditæ, quando (vti retulimus) nec accidens sine substantia, nec substantia absq; accidente vsquā reperitur: sunt etenim prænominatæ primę nostri corporis partes, cum suis subdiuisionibus omnibus, quatuor primis qualitatibus ornatę. Dum itaq; prędictarum partium primę qualitates inuicem agunt, & patiūtur, & inuicem prorsus miscentur, tunc vniuntur, & vnā omnium fit temperies,

peries, quæ calida nominatur, à caliditate vincente; hæcque etiã naturalis caliditas dicitur, quæ & in prima, & in secunda, & in tertia qualitatis specie reponitur, penès varios respectus, & considerationes. Temperies quidem dicitur, quoniam primæ ipsæ quatuor qualitates temperatæ sunt; calida appellatur, quia caliditas in crasis factione, vt opifex, & domina reliquas ibidẽ obtinet, easdemque moderat, & seruat: naturalis verò animati corporis facultas dicitur, prout est principium aptum ad agendum, & operandum, & prout est accommodatum instrumentum virtutis animæ ad eius functiones faciliter explendas. Ex his vtique dictis claram reddimus Philosophi sententiam in lib. de spiritu, vbi discrimen ponit inter artem, & naturam; dicentis artem vti calore, tanquàm instrumento; naturam verò vt instrumento & materia: naturalis quidem calor, quatenus corporea substantia est, naturæ subiectum materiaque dicitur; quatenus verò qualitas est, eius instrumentum efficitur. Hanc autem ex qualitatis generatione, naturalem caliditatem, quam calidam nominamus temperiem, sub triplici discrimine distinguimus, penès triplicem calidorum corporum distinctionem, spirituum inquam, sanguineæ massę, & membrorum solidorum; vt enim vnaquæque harum partium sua temperata propria constat substantia; ita sua propria temperata est prædita qualitate; quare vt massæ sanguineæ naturalis complexio, naturalisque caliditas dicitur, similiter & spirituum, & membrorum solidorum dicetur: proinde naturalis hæc caliditas, & complexio à suis principijs nomen vsurpans, & insita, & influens, & actuata ex insita & influente, in scholis nominatur: insita caliditas seu complexio est similarium partium atque suarum trium humiditatum naturalis caliditas; hæc fixa, habituataque est, & tepida imbecillisque cernitur. Influens verò caliditas est, tum massæ sanguineæ, idest quatuor omnium humorum, tum spirituum omnium, & vitalium, & animalium, atque naturalium; quæ quidem calidior est, quam illa tepida; & per venas, & arterias defluit ad singulas corporis partes: & sic tot insitæ, & influentes complexiones erunt, quot insitæ, influentesque substantiæ sunt; tertia actuata nuncupata caliditas, quæ est ipsamet insita solidarum partium, ab influente tum spirituum, tum massæ sanguineæ caliditate vegetata, & confirmata. Hæc enim actuata caliditas si subiectum actuante caliditate formatum connotat, substantia dicetur: si verò puram simplicemque actuantem caliditatem denotat, accidens denominabitur, atque hęc vt accidentalis est qualitas subdiuiditur, & tot particulatim erunt, quot insitę ipsæ ex influentibus particularibus caliditatibus actuatæ fuerint. Quæ nanque actuata caliditas particularium membrorum erit, hæc particulare erit instrumentum ad particulares illius membri obeundas functiones; quæ verò in principibus membris, & maximè in corde actuata extiterit caliditas, hæc eius membri, quod sedes est animæ, & quod virtute vniuersas animati functiones continet, vniuersale communeque est instrumentum ad illas explendas, & exercendas: hæc profectò actuata caliditas, alia est entitas ab entitate influentis, & insitæ caliditatis, tertiam nanque entitatem caloris dicit, distinctam à suis constituentibus partibus. Hæ quidem naturales caliditates prædictarum partium omnium & insitæ, & influentes, & actuatæ duplici nomine naturales dicuntur, primum ratione æqualitatis, & moderationis iuxta gradus caloris; ita quòd intra sanitatis latitudinem, talis ac tantus sit caloris gradus, quantum par sit meritis suæ formæ, nec plus, nec minus: est & alia caloris naturalitas, quæ & proprietatis naturalitas nominatur, per quam euadit proportionatum animæ instrumentum & virtus; hæc quippe naturalitas proprietatis, accommodatum fit & naturæ, & animæ potentiæ instrumentum: omne nempe instrumentum proportionale cum eo, cuius est instrumentum, est necesse; secus verò frustra erit instrumentum, inquit Alex. hancque proprietatis naturalitatem multi longè nobiliorem, efficaciorem que faciunt, quàm sit naturalitas gradus caloris. Caloris autem proprietatem inquiunt isti, nil aliud esse, quàm caloris differentiam, & formam quandam, seu vt alij dicunt, propensionem, ac impetum ad agendum. Hæc nanque naturalitas & gradus, & proprietatis similibus forma, & gradu formæ seruatur, atque fouetur; dissimilibus verò alteratur, & permutatur, secundum horum vtrunque dissimilitudinem, vnde alteratio, & permutatio, & penès formam, & penes gradum formæ nominatur.

Quomodo calor naturalis sit substantia seipsam mouens, semperque mobilis. *Cap. XI.*



VIVIDVS actuatusque cordis calor intus, & extra perpetuò motu agitatus, substantia est, inquit Galen seipsam mouens, semperque mobilis; seu (vt alia translatio habet) substantia per se mobilis, semperque mobilis. Si nanque calor medium quid sit inter corpus & animam, vtriusque naturæ particeps, vt ex Platonicis quidam asseuerant,

uerant, tunc iuxta primam translationem, substantia est, quæ se ipsam mouet, & apta nata est moueri; nam prout est anima, mouet, prout verò corpus, mouetur. Sin autem quod verius est, innatus calor omnino sit corpus, vt Peripatetici affirmant, tunc vt secundo de anima t. 50. & 2. colliget. ca. 18. refert Auerroes, est primũ quod mouatur ab anima, ac ideo est per se mobile; est etenim calidum id corpus, quod per se ab anima mouetur. Estque insuper naturalis calor, vt ait Gal. substantia semper mobilis: quoniam eius essentia est in esse successiuo, & fieri semper; sicut ignis flammã à qua originem habet, eiusdemque substantiam vbique, & semper æmulatur: nam vt ille duplici perenni motu agitatur, intro & foras; per motum intus in semetipsum ad pabulum; & foras extra ad organa fertur, (qui quidem motus sursum, & deorsum motui flammæ correspondent) foras enim & extra seipsum innatus calor mouetur ad sua destinata functionum loca; vbi vitales & animales explentur functiones: mouetur itidem naturalis calor intro, & in semetipsum ad interna viscera, magnas scilicet iecinoris, & cordis venas, & arterias, ad quietem & alimentum, vt foueatur, & nutriatur. Et quoniam motus, qui foras ad organa mouetur, impetu impulsuque naturæ fit; ideo primus dictus est motus à Gal: tertio lib. de causis pulsuum cap. 5. qui verò intro fertur alimenti gratia, secundus ab eodem ibidem nuncupatur motus, vbi ait, Iam etiam primum esse, & natiuum caloris motum, cùm foras & extra se ipsum mouetur: secundum verò cùm intro, & in seipsum; qui propter nutrimentum est comparatus, vterque tamen horum naturalis necessariusque dicitur; qui extra seipsum ad organa mouetur, naturalis est; quia impetu naturæ illucusque fertur, pariter est necessarius, quando hæc motio fit eius existentia, & absque ipsa minimè subsistere possit. Qui verò intro ad quietem & pabulum retrahitur, & ipse quoque est naturalis, & necessarius; quoniam proprium connaturaleq; est ipsius caloris ali, & nutriri, & absque nutrimento nullibi seruari. His verisque duobus oppositis motibus, intro & foras, naturalis calor custoditur, & viuit; & vno vel altero priuatur, illico desinit esse. Neque enim intro solum, neq; extra fertur, sed alterum ipsius motum alter semper excipit, vt in lib. de tremore, & rigore refert Gal. Celeriter enim si situs calor maneret, in immobilitatem cessaret, si foras efferreretur, & hic motus dissiparet ipsum, atque hæc ratione perderet, modicè autem extinctus: & modicè accensus, vt Heraclitus dicebat, semper mobilis, ita perseuerati incenditur ignur, cùm ad ima inclinat alimenti appetens: ab intimis elatus, & vndequaque dispersus extinguitur: verũ ad superiora, exterioraq; lationem, & vt ita dicam, à suo principio explicationem, quòd natura calidius sit, experitur. Intro autẽ fertur, & deorsum hoc est ad proprium principiũ viam init, quoniam frigidi aliquatenus particeps est, quippe ex calido, & frigido temperatus: Prima sane calidi ratione sua sponte mouetur, atque hoc potissimum ad actiones indiget. Magnum tamen & huic motui vsum etiam frigidum exhibet; solet enim calidum in sublime attolli, ac cum eo alimentum adducere; si autem frigidum non obstaret, etiam longissimè procederet: est autem frigidum huiusmodi caloris motui impedimento, ne dispersos aboleatur, quippe periculom est, ne ipse præ leuitate, & impetu sursum à corporibus discedat, sed frigidum retinet, impeditq; & vehementiam nimij huius motus tollit. Hactenus Gal. qui longa nos lectione docuit, quemadmodum substantia natiui caloris ex frigore caloreq; moderata, per se propsiaque virture intus, & extra se mouet, intusque & extra defertur, vnde substantia seipsa mouens, semperq; mobilis est nuncupata. Hæc autem naturalis caloris descriptio, quòd sit substantia per se mobilis interno externoq; motu perenniter agitata; & si congruè influenti calori, sanguini scilicet, & spiritibus competere videatur, qui perpetuò à nutritionis visceribus ad operationum instrumentum deferuntur, & è contrario; & hinc & inde continuè visuntur; nihilominus magis propriæ viuo, actuatoque solidarum partium calori conuenire iudicamus; sed præcipuè principalium membrorum, atque maximè cordis, qui viuam ignis flammam æmulator, & animantis corpus vitali calefacit calore. Hic enim ipse calor est, qui principatum gerit in viuente, & eius functiones vt dominus exercet; atque influentis caloris primus motor est, eiusdemque distributionis per vniuersum corpus, atque ad suum fontem reuocationis auctor existit. Quia igitur influens seruitiom, famularumque præstat, actuatus verò calor principatum gerit, & ille nutrimẽti, & materiæ, hic verò nutriti, & formæ rationem habet; proinde huic solidarum partium actuato calori, quàm spiritui, & sanguini influentibus descriptionem caloris naturalis antiquorum verius competere dicimus. Etsi enim supra actuatum calorem, pro pura, simplicique actuante caliditate (quæ distinctam à suis constituentibus caliditatibus entitatem dicit) sumentes, inter accidentales naturalis caloris species recensuimus; dum animæ instrumentum facultatemque illum fecimus: neque enim aliud est (nisi decipimur) animæ facultas, quæ viuentis actiones exercet, quàm actuata prænominata caliditas, hæcque in corde residens, communis est, singulis autẽ partibus distributa particularis efficitur. In præsentiarũ verò actuatũ calorẽ, pro actuante caliditate, & simul pro actuato calido subiecto capientes, inter substãtiales

naturalis caloris species reponimus. Insita etiam complantataque solidarum partium corporis, sed præcipuè cordis caliditas; quam tepidam exiguamque ac veluti in potentia Antiqui constituere; in potentia inquam, ad actuantem caliditatem; illam fecerunt; atque eidem subordinatam esse dixere, sicut vegetatiuam sensitiuæ, & sensitiuam intellectiuæ animæ subordinatam esse Philo. tradiderunt: insita itaque solidarum partium caliditas ipso iure ab actuante actuari valet, quando ad functiones agendas præordinata sit, & per se illas edere non possit. Dum itaq; pura illa simplex caliditas informans, seiuncta a subiecto contemplatur, accidens de qualitatis genere illam facimus, & in secūda, aut tertia qualitatis specie penes variā eius cōsiderationem reponimus. Dum verò cum exigua substantiæ cordis, totiusq; corporis caliditate illam actuatam contemplamur, in substantiæ prædicamento collocamus: & vt illam primā animæ facultatem, primumque instrumentum esse diximus; sic & actuatum calidum istud, ex vtroque congestum, primum animæ subiectum facimus, de quo fortasse Philosophus secundo de anima intelligere voluit, dum dixit. Anima est actus corporis Physici organici, atque istud etiam certè est naturalis calor, de quo in præsenti Gal. sermonē habet, quòd est substantia seipsam mouens, semperq; mobilis. At hæc ac hos toties caloris repetitos motus clarioris doctrinæ gratia fusius iterum explicare. Dum enim viuus actuatusq; cordis calor ab internis viscerum partibus extra ad functionum loca mouetur, multū inde sui natiui humidi secū trahit, & ob id dissolutas, & siccatas ibidem partes relinquit. Dum verò à vigilijs, & labore defatigatus intro ad stomachū, meseraicas, & magnas iecinoris, cordisq; venas ad pabulum, quietemq; se retrahit; ibi mirando artificio, glutine, cambioq; proximo præsente alimento, illico exsiccatas, resolutasq; reficit partes; deinceps longinquū ibidē congestum alimentū alterat, cōcoquit, & ad propinquum permutat; cambium videlicet, & gluten. Vt hoc ipsum necessitatis tempore (cùm moræ nullus sit locus) præsto sit ad dissolutum restaurandum humidum particulæ viuentis; vt restaurato humido, possit calor continuato progressu iterum ad organa, muniaq; vitæ exercenda se conferre: sic quippe viuidius solidarum partium calor extra ad functionum organa properans, continua vigilia ad sui dissolutionem, & siccationē agit. Contra intra viscera repetens, vbi congestum est alimentum, illud conficit & concoquit, & confectum, & concoctum in humidi deperditi locū reponit ad sui refectionem, dissolutumq; calorem nouo restaurat humore: vt iterata foras motione possit iterum vitæ munia exercere. Sic quidem genitus humor suum reparat calidum genitorem, vt iterum ad nouam se præparet resolutionem, & inde ad noui humoris procreationem; vt denuo reficiatur, ac denuo regeneret refectorem; & sic deinceps reiteratis refectionibus dissolutionibusq; vitam ipsam successiuis contrarijs motionibus continuet, vsque ad concessam peryodum. Sic itaque clarè conspicimus, quòd calor innatus sit substantia semper mobilis; quòd autem semper moueatur, alio etiam comprobant medio: nam cùm primum communeque sit animæ instrumentum, primò communiterq; ab ipsa mouetur, ad omnes eius actiones, passionesq; explendas, & naturales, & sensiles, & animales; & cùm perpetuò animal his viuat functionibus, ijs eisdem etiā perpetuò agitatur, ac ideo internè externeq; in dies semper naturalis calor mouetur ad has animatis corporis functiones assequēdas, tum ab animæ internis, tum à corporeis externis motionibus excitatus. Si quis autē quærat, quomodo innatus calor, qui est substantia se ipsam mouens semperque mobilis, animæ, quæ immobilis stabilisque est actus, sit organum proportionatum, cùm immobilitas, & mobilitas nullam inuicem proportionem obtineant; dicimus quòd si anima stabilis immobilisq; sit, virtute tamē, & potētia est mobilis, aptaq; moueri, cùm sit principiū, & origo motus, & sine ipsa neutiquam quicquā contingit moueri; mobilitas itaq; virtualiter, eminenterq; in immobili cōtinetur anima, & proinde proportionatū eius organū faciunt. Et de his satis.

Quid sit humidum naturale, & quàm latè pateat. Cap. XII.

PRIMIGENIVM humidum natiui caloris pabulum, & subiectum, quod cum viuentis ortu exoritur, est genitalis seminis, menstruique sanguinis aereum, aqueumq; humidū sicco terrestri contemperatum à formatrice virtute, ac connato calido proportionatum, sicut eum seruare per totam peryodum possit. Per suū namq; congruum, conueniensq; humidum, & per subiectum calor innatus subsistit; ac ideo calidi subiectum illud faciunt; proinde inquiunt, quòd prima naturalitas caloris est, qua calor est humido, vti forma; & humidum calori vt materia: & quoniam caloris essentia est in fieri, & esse successiuo, & humido semper fouetur, hinc caloris pabulum humidum est dictum: aiunt enim naturalem proportionem, & conuenientiam, quam tenet calor cum suo humido pabulo, alteram caloris naturalitatem esse; suo nanque conuenienti humido calor conseruatur, & eius conseruatio est ex debita inuicem conuenientia. Cùm igitur naturalem proportionem humidum cum calido habeat, ita

vt commodè ex ipso nutriatur, tunc naturalem inuicem conuenientiam habere dicunt; hæc autem calidi, & humidi naturalis conuenientia, per quam humor calidum seruat, seruareque potest, magnam obtinet latitudinem, quæ humidi naturalis latitudo nominatur. Primus nanque huius latitudinis terminus est, vbi calor cum summo (quem habere potest pro vita seruanda) coniunctus est humore, aptissimo ad vitam perducendam, minimè verò idoneo ad eius ministeria peragenda. Alter extremus terminus est, vbi humor cum summa (quam habere potest intra latitudinis terminum) iunctus est siccitate ineptissima, & ad vitam seruandam, & ad eius munia exercenda. Medius verò horum terminus est, inter vtrunque constitutus, vtriusque naturæ æqualis ferè portionis particeps. Vbi humidum radicale per sui extensionem ad suum magnitudinis terminum peruenit, & cum eo conuenienti sicco est commixtum, quod aptissimum est ad vitæ munera explenda, & mediam sortitur naturam ad vitam producendam.

Primus nanque terminus latitudinis humidi naturalis, qui intra latitudinē summum (quem habere potest) humorem possidet, est primigenium humidum in prima viuentis fabrica à procreatrice virtute elaboratum, pro vitæ peryodo seruanda: in hoc sanè humido, vti in sua arce anima residet; atque ibi à principio vitæ vsque ad eius terminum permanet. Istud insuper humidum cùm illius formæ sit subiectum, cuius essentia est in fieri, & esse successiuo; & ipsum pariter eiusdem naturæ & conditionis erit, quòd eius essentia est in continuo deperdi; & renouari. Eius autem reparator, & demolitor, sicut superius exposuimus, est suamet essentialis forma, quę perenni motu sursum, deorsumque intus, & extra agitata perpetuò quoque suū subiectum humidum deperdit, & reparat. Progrediente verò ætate, corporeq; crescente, idem natiuum humidum Auctrix facultas extendendo, nouum eidem humidum adiungendo, auget, & ad magnitudinis statum perducit, idoneum ad perfectas obeundas functiones. Sic enim nati corporis temperamentum Altrice, Auctriceq; virtutibus cooperantibus humidius, sicciusq; simul adolescit, & ad perfectam viuentis venit constitutionem. Siccius nanque euadit propter sui radicalis humidi extensionē, exsiccationemq;. Humidius propter alimentitiam eidē adiunctam, agglutinatamq; humiditatem: atque status iste medium constituit terminum latitudinis humiditatis naturalis, vbi primigenium humidum per sui continuam exsiccationem, & extensionem ad completum suæ magnitudinis terminum peruenit, comite semper alimento humido, ipsum augente, & ad operationis statū perfectum illud perducente. Inclinante verò ætate senescenteq; corpore, in dies semper corpus siccius, humidiusque humiditate vitæ extranea euadit; siccius ob longam humidi absumptionem, quòd adeo absumptum est, vt minimum quod habere potest corpus, habeat: humidius ob adauctam frigiditatem, tunc temporis vigentē continuè malam humiditatem parientem; & vsque adeo in mala humiditate siccitateque pręualet, quòd & ad vitæ munia peragenda, & ad vitam protrahendam inutile omnino redditur, quæ vitæ conditio latitudinis humidi naturalis terminum claudit.

Connatum humidum quid sit apud Magnum Albertum. Cap. XIII.

HVMOR autem qui est subiectum, & pabulum connati calidi, principaliter quidē est duplex, seminalis scilicet qui cōstituitur ex tribus humoribus, videlicet seminis maris; seminis mulieris, & sanguinis menstrui; sed in his semel masculinum est operatorium & effectiuū, muliebre autē factum, & operatum; & humor sanguinis menstrui est assumptus in suplementum, & augmentum. Ex isto igitur humore sic confecto formantur radicalia membra, in quibus infunditur anima, & diffunditur in eis, vt mediante ipso retineant mollitiam, & cibum, & recipiunt per huiusmodi nutritionem, cum nutrimentali humido. Secundum autem humidum est nutrimentale, & hoc est duplex, plenè assimilatum, & non plenè assimilatum, quod tamen in membris, & ad membra tractū est: hoc autem est restauratiuum, & augmentatiuum humidi radicalis; est insuper vtrunque istorum humidorum aereum, & aliquantulum pingue; non quidem sicut adeps pinguedinis, sed potius sicut humor ex carnibus assis, vel lixis, & sicut bullientia, quæ non ebuliunt ex aqua superflua, sed ex ipso carnis humido; hæc enim sunt albam pinguedinem, non inflammabilem habentia. Horum igitur humorū primum est caloris supradicti subiectum in quo saluatur. Secundum autem, & tertium sunt caloris prædicti pabulum: & primum quidem est pabulum conueniens; & secundū est pabulum aliquantulum inconueniens, & dissimile. Huius autem dat Auicenna validum exemplum, & conueniens in lampade, quæ est plena oleo in qua est licinium ardens. In illa enim lampade triplex est humidum, vnum quidem quod continet flammam cum licinio, & hoc est, quasi ignis materia & subiectum ex licinio continuè eductum in ignem per calorem ignis. Secundum est quod est iam licinio imbibitum, quod quidem est iam efficienter igni præparatum, sed non-

dum ambiguè attractum in ignis materiam. Et hoc est, quod primo humido est assimilatum sufficienter. Tertium autem est id, quod est licinio in tota capacitate lampadis transfusum, quod calor neque adhuc calefacit, neq; attraxit in licinium. Et ideo non est assimilatum adhuc, sed est assimilandum in proximo. Primum autem istorum humidorum est simile illi radicali humido, in quo sicut in subiecto proprio hæret calor naturalis, qui dispersus est in membris radicalibus ex calore seminali procreatus. Secundum autem simile est illi parti nutrimentalis humidi, quod est iam assimilatum in membris ad cibum imbibitum, & attractum. Tertium est simile illi, quod nondum plenè assimilatum est, sed est adhuc transfusum membris in vasis nutrimento deseruientibus: quod tamen per calorem digestiuũ in continuo tempore assimilatur. Est autem ex omnibus his, quæ in alijs libris dicta sunt, planum, quòd cùm calor naturalis agat congregando homogeneũ sibi, & separando etherogeneum; quòd calor continuè humidum, in quo est, depascit: & ideo secundum humidum datum est in succursum primi humidi. In duobus enim sunt auxilium, quorum vnum est quod miscendo se primo humido impedit calorem, ne tantũ agat in primum, quantum faceret, si secundum sibi mixtũ non esset. Secundum autem est, quod mixtum ei restaurat id, quod iam deperditum est ex ipso, propter calorem consumentem. Tertium autem secundo fert auxilium in vno, scilicet in hoc quod attractum assimilatur sibi, & subintrat loco eius in membris, quod vltimum transiuit in restaurationem primi humidi: secundũ autem, & tertium habent auxilium, & iuuamentum speciale in eo, quod de hoc quod sic restaurat deperditum; sed est vltimũ hoc etiam in membris, & de ipso nutriuntur membra, & augmentantur in tempore augmenti, sicut alibi diximus. Oportet autem humidum sicut materiam proportionatum esse calido, sicut formę agenti. Est enim formaliter, & ad formã membrorum agens calidum, propter tres virtutes, quas diximus sibi inesse ex anima, & cęlo, & igne: proportio autem hęc est, vt quidem vincatur, & apprehendatur, & conuertatur humidum a calido, quod vocatur terminatio, & complexio humidi in 4. mete. non autem sic, quòd consumatur, & accendatur; & hanc proportionem corrumpit calidum duobus modis, vno quidem cum materia; alio autem sine materia. cum materia quidem, quando aliqua est in corpore intensa, quę sui calore incendit cor, & cor incensum ęstum efflat super cætera membra, & fit calor immoderatus, qui consumit humidum sicut est in febribus putridis; & tunc oportet Medicos peritos studere, vt aut materia illa educatur, aut aliter consumatur. Sine materia autem corrumpit proportionem, quando non est aliqua materia in corpore mala; sed tantum excedit in qualitate caloris, vel in remissione, & tunc studere oportet non ad educendum, sed ad alterandum solum, vt reducatur ad ęqualitatem, quę complexioni viuentis debetur. Hactenus Albertus.

Humidum radicale quid sit apud Nicolum Florentinum Cap. XIIII.

DVPLEX humidum dicunt reperiri in corpore animalis, vnum naturale, alterum accidentale, & vtrunq; potest esse duplex, vnum acquisitum ex generatione, aliud ex tempore. Et naturale acquisitum ex generatione contrahitur ex ipsis generationis principijs intrinsecis, & naturalibus radicibus, quod humidũ radicale dicitur. Accidentale verò acquisitũ ex generatione non contrahitur ex dictis principijs generationis, sed ratione aliorum extraneorum, & extrinsecorum occurrentium. Humidum verò naturale acquisitum in tempore est humidum nutrimentale sic dictum, quia ex digestionibus acquiritur ciborum, & est aptum humidum radicale restaurare. Humidum verò accidentale in tempore acquisitum est quod ex indigestionibus acquiritur ciborum: & vtrunq; humidum naturale necessarium existit in viuentibus. Dixit enim Arist. 2. de generatione animalium: non est calidum sine humido; ex humido enim naturali radicale pabulatur calidum; & ex nutrimentale restauratur radicale: dicit enim Auerroes 1. de generatione, & cor. cibos habet propriam virtutem siccã, & propensionem, vt conuertatur ad humiditatem, humiditati radicali quæ est in membro consimilem. Quia enim de humido radicali semper fit dissolutio, consumptio, & diminutio, & ipsum non potest se conseruare, necessarium fuit, vt per aliud conseruaretur, & istud aliud est humidum nutrimentale. Humidum ergo radicale est quod dicitur substantiale, vel substantificum, quod nihil aliud est, quàm humidum membrale animatum, in quo verè dicitur esse anima tanquam in subiecto, contractum ex principijs generationis, & in tempore postea ex nutrimentali per operationem virtutis nutritiuæ restaurandum, quę propriè dicitur generatio coniuncta, & à quibusdam vocata est gluten, quia colligit membra quemadmodũ per calcem lapides colliguntur, in quod vltima humiditas de secundis humiditatibus conuertitur. Cùm ergo dicitur, humidum radicale deperditur, vel est deperditum, nihil aliud significatur, vel intelligitur, nisi quòd

substan-

substantia membralis animata consumitur, vel est consumpta; & cùm dicitur humidũ radicale restauratur, nihil aliud indicatur, nisi quòd substantia membralis deperdita reponitur per humidum nutrimentale, quod loco deperditi humidi radicalis apponitur, vnitur, & similatur; quod cùm factum fuerit, dicitur tunc corpus vel membrum esse substantificè humectatum: Vnde substantificè humectare corpus, non est aliud nisi substantiam corporis, vel membri deperditam reapponere vel augere; & dicunt, quòd quamuis humidum radicale in principio generationis sit satis paucæ quantitatis, nihilominus de eo remanet portio vsque in finem vitæ per continuã eius regenerationem, siue restaurationem sequentẽ ad nutrimentalis humidi superadditionem. Exemplum ponitur de licinio facto ex bono coto cũ pauca cera posito in oleo, vt in lampade, & accenso, quo consumetur multum olei, & tamen substantia continuatiua licinij continuè perdurabit, quia ignis licinij conuertit actionem suam ad oleum, & pabulatur, & conseruatur eo: Ita & naturalis calor facit, quia volens conseruare suum humidum, cui est vt perfectio, & forma, agit in humidum nutrimentale, oleum lampadis assimilans. Non ergo est humidum radicale qualitas simplex humida, vt quidam dixerunt, immo est corpus compositum ex materia & forma, & est membralis substantia: humidum verò nutrimentale nihil aliud est, nisi humidũ ex nutrimentis generatum, in secundas humiditates conuersum, & præcipuè in cambium, & gluten, quod cùm factum fuerit pars substantifica membri, dicitur esse factum humidum radicale seu substantificum. Erit ergo humidum radicale duplex, scilicet contractum ex generatione, & contractum ex humido nutrimentali, in tempore in quo tanquàm in subiecto consistit calliditas naturalis. Hactenus Nicolus.

Quomodo sicut humidum radicale continuè absumitur, ita continuè, licet nunquàm integrum, restauretur. Cap. XV.

PRIMIGENIVM humidum cùm naturale sit, finitæ certæque est quantitatis, finitæ certæque potentiæ existit; & vt determinatæ est quantitatis in cremento, ita determinatæ est potentiæ in duratione. Cùm enim radicale humidum circa natiuitatis exordia exiguè sit molis, (ita exigente viuentium ortus natura) cito à suo exsiccante, resoluenteque calore finiretur, nisi vt resarciretur, potentiam nactum esset; hæcque humidi passiua potentia, vt restauretur, actiuæ caloris potentiæ restaurandi correspõdet. Et vt hæc finitæ terminatæq; potentię est reficiendi, ita & illa finitę terminatæq; virtutis est, vt reficiatur: restauratur itaque resolutum humidũ determinatè à suo resoluente calore determinato, quoniam hic vim habet illud restaurandi, & illud potens est restaurari; at nunquàm æqualis vigoris pro vitæ duratione est restauratio deperditioni; nam refectio quantacunque perfecta nusquam siccitatem resolutæ partis adamussim reficit, illique satisfacit; nusquam enim refectio eiusdem vigoris cum deperditione erit, nec esse poterit; quod pluribus suadetur rationibus, connatum namque insitumque humidum, quod innati caloris est pabulum, quodq́ue in dies deperditur, generatricis virtutis munus est, eiusdem autem resoluti humidi refectio alterius virtutis opus est; at actus generationis prævalet actui nutritionis; quando Generatrix præualet Altrici. Præterea & si continua in viuente est radicalis humidi exsiccatio, atque rehumectatio, non tamen vtriusque est par ratio, quoniam longè difficilius siccum humescit (vt ita dicam) quàm humidum siccescat; præterea & siccitas suum vsum habet in ea vitæ pro functionibus explendis, vti humiditas pro vita protrahẽda, nam robur illa partibus addit; meritò igitur à natura expetitur, & suo loco, & tempore humori præfertur; quando longè magis functionum vsus, quàm vitæ longitudo à natura exoptetur: quod facilè ex eius scopo, & progressu percipitur; nam vbique & semper ipsa satagit res perfectas edere, vt perfectas edant actiones, & si pusillum in ortu animal gignitur, id culpa defectuque partus existit, cùm magnum minimè pati possit. Ita namque comparatum est à natura, in hoc corruptibili mundo, vt recens natum adolescat, & adolescens iuuenis fiat, & sic in dies siccescat, donec ad virilitatis, perfectionisq́ue statum perueniat, quæ est optima corporis constitutio; in passiuis ex humido, & sicco, pari ferè portione potestateue comparata, commodissima ad vitæ munera peragenda. Si igitur æqualis vigoris & deperditio, & restauratio humidi foret, tunc infans nunquàm adolesceret, nec adolescens ad iuuentutis virilitatisque statum vnquàm accederet, sed infans adolescensq́ue semper forent, quod naturæ, & dignitati, & excellentiæ derogaret, quando longè magis ad eius specimen, & decus spectat bonas edere temperaturas, ad bonas edendas functiones, quàm illas bonas efficere ad vitæ longitudinem protrahendam, quando iucundius ei semper extiterit, breuissimo tempore bene agere, quàm longissimo segniter operari: naturæ itaq; præcipuus finis sunt ipsæ actiones perfectæ,

quas semper consequi optat, ac studet) & propterea vna cum animati corporis ortu Altrix, Auctrixque connatæ sunt virtutes; illa vt alimento consutum exigui corpusculi humidum, à vigilante rei natæ calore in dies exsiccatum, quatenus est sibi permissum, reficiat. Hæc idipsum natiuum humidum extendendo, nouumque eidem adiungendo, adauget, & est magnitudinis statum perducit. Et quoniam nautiquam defectui satisfacere potest, vt siccum remaneat necessum est; & cùm in dies hoc contingit, in dies siccius humidiusque euadit: humidius, vti diximus, per alimentitiam eidem adiunctam humiditatem; siccius verò per sui natiui humidi ineuitabilem exsiccationem. Sed difficultas occurrit, quomodo idem Iuuenis, Adolescentisque temperamentum humidius, sicciusque simul crescat vsque ad vigoris statum. Nam si continuæ humidi radicalis exsiccationi continua refectio minimè satisfacit, & ad siccitatem continuus est progressus, vti retulimus; quomodo adultum corpus humidius, pinguiusque euadit, & ad naturæ functiones proficuum? Præterea si nutrimenti aglutinatio, vnio, assimilatioque cum radicali resoluto humido, quæ nutritio dicitur, in vnam conueniunt substantiam, & naturam; vna igitur humida, vel sicca erit essentia, & non vtriusque particeps. Ad hęc dicimus; quòd alimentitium simul cum natiuo humido in nutritione permiscentur, & ad vnam veniunt substantiam, quatenus natura miscibilium certo gradu patitur fieri vnum; at natura radicalis humoris cum alimentitio non patitur vndequaque fieri vnum æqualis gradus perfectionis, propter superius dictas rationes. Hæc quippe differentia gradualis temperamenti non dicit naturæ, substantiæque diuersitatem; veluti ossis, cartilaginis, neruorum, venarumque variæ temperaturæ, non dicunt diuersam membrorum naturam, & substantiam; cum hoc enim graduali temperierum discrimine stat substantialis rerum vnio, & essentia, naturaque rerum eadem; non enim dùm alimentum seminali vnitur humori & eidem assimilatur, omnimoda fit assimilatio per omnes perfectionis gradus; sic vt tot humidi æqualis valoris introducti sint gradus, quot iam fuerunt resoluti; sed ad eam humidę substantiæ vnionem, assimilationemque venit, quæ omnimodæ perfectæ æquipollet, & speciem vnam, naturamque vnam præsefert, per equiualentiam quandam aptam, ac commodam ad fines naturæ assequendos. Quòd non omnimoda sit vnio inter vtrunque permixtum, assimilatumque humidum, sed quædam inter ea latens intercidat distinctio, æthicarum febrium species facilè declarant, quæ alimentitij, seminalisque humoris differentias apertè manifestant; vt suis innotescent locis: crescit itaque adolescentium radicale humidum humidius, sicciusque vsque ad vigoris statum: humidius quidem propter plus semper, quàm deperditum sit, alimentitium humorem adiunctum in similaribus partibus: siccius verò adolescit propter progredientem siccitatem irreparabilem, & sic in vnam confusam permixtamque veniunt substantiam, & si non omnimodam vnam, eidem tamen æquiualentem.

Quo pacto motus Solis, ac Planetarum sub circulo Zodiaco rebus corruptibilium connatum calidum procreet, augeat, imminuat, atque corrumpat. Cap. XVI.



NATVRALE autem calidum suum natiuum humidum obtinens, eique vndique permixtum, secundum naturam mixtum corpus nominatur. Ad huius verò mixti corporis naturam constituendam 4. meth. cap. 6. dixit Albertus, non mouet aliquid habens motum rectum, sed id quod habet motum obliqui circuli in cœlo, sicut Sol & Planetæ. Hi quippe Planetæ magni opificis Dei agricolæ sunt pro huius terreni mundi cultura. Ad cuiuscunque itaque naturalis mixti corporis naturam conficiendam, post primum motorem, quantum ex sensu capere possumus, primum mouens, & efficiens est solaris planetarumque motus sub Zodiaco; huic profectò circulari motui cœlesti demandata est facultas ad rerum materialium naturale calidum elaborandum, mortalibusque communicandum pro eorundem constructione. At non simpliciter circulari motui, sed quatenus ipse inferioribus his particularibus virtutibus iungitur, fuit istud ipsi concessum. Motus itaque planetarum sub Zodiaco, atque materialium particularium agentium motus simul iuncti effectrices causæ statuuntur natiui caloris cuiusque rei genitæ, vnde ortus & esse rerum exorditur; nec his simul iunctis sola procreandi largiendiq; esse fuit commissa potestas, sed & rem genitā augendi, & ad benè perfectumque esse protrahendi. Circularis itaque Solis, Planetarumque in circulo obliquo motus, cum formatrice virtute ad esse, cum Auctrice ad benè esse in his inferioribus operatur, & cum Altrice, itidem in horum nutritione. Qualiter etiam Sol cum Planetis Zodiacique signis ad esse, beneque esse naturalium rerum conducat, sic isti opinantur, & inquiunt.

quiunt; quòd Solis, Planetarumque motus sub Zodiaco, necnon eorundem aspectus simul cum signorum cœlestium aspectu super Orizontem ad horoscopum, ascendentisque gradũ in hora conceptionis, vnà cum formatrice virtute res mundanas, viuentiumq; calores procreat, essentialiterque perficit. Hinc profectò mortalium vitæ cælestem originem trahunt; inde postea in lucē edito infante, Sol iterum ab ascendente gradu cum hilech, cæterisq; Planetis per Zodiaci signa proficiscens, ipsius rei natæ incrementum, secundarumque exorditur perfectionem, vnà cum Altrice, Auctriceque virtute; eousque agendo & perficiendo simul progreditur, cum varijs semper & syderum, & signorum aspectibus rem ortam conspicientibus, quod tandem ad gradum descendentem per directionem ascendenti gradui oppositum peruenit, ibidemque cum Auctrice, rei incrementum explet, & vndequaque rem perficit; & cum vlterius proficere non detur, nec in eodem statu permanere sit permissum, vt retro cedat necessum est; & tunc Auctrix facultas vbi animantis corpus ad debitam protraxit magnitudinem; suo munere expleto, ad terminum peruenit, desinitque esse. Hinc profectò à gradu opposito, Nadyr dicto, ritè animantium defectus, imminutioque initium capit; atque Nadyr istud septimam mortis domum Astronomi nominant: propterea quòd Sol inde cum hilech cæterisque Planetis, deterioribus insurgentibus aspectibus, per reliqua sex signa Zodiaci imminuendo, imperficiendoque eo proficiscitur, vt tandem ad principium ascendentis signi, vnde vita initium habuit, per retrogrados gradus perueniens, & cœlestis, & vitalis motionis circuitum complet, vitamque finit, iuxta speciei naturæ terminum. Etsi enim Sol cum reliquis Planetis ab horoscopo per plures, & plures Zodiaci circulationes perficiendo ad septimam demum, perfectionis statum, mortisque initium peruenit, per totidem, & cōtrarias inde discedens imperficiendo, vnde principium habuit, ad id reuertitur suum, vitæque cursum terminans. Atque ad hæc fortasse Manilius lib. 4. Astronomicon inspiciens scripsit.

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege;
Longaque per certos signantur tempora cursus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Quomodo autem Sol, & Planetę, ad Nadyr septimam domũ primæ oppositam perueniant, quotque circuitionibus id assequantur, cum nostræ tractationis metam transcendat, iure omittimus. Benè verò que Magnus Albertus lib. secundo de generatione, & corruptione cap. 7. scriptum reliquit; Et hoc modo verum est, quod æquale est tempus generationis rei tempori corruptionis; quoniam à primo gradu ascendente in hora ortus rei computatur profectus rei ortæ, vsque ad gradum descendentem, septimam scilicet domum eiusdem circuli; & à domo septima vsque ad primam computatur descēsus, & septima domus interfector nominatur, quia inde mors suum machinatur principiũ; & gradus ascendens prima, vitæque domus nuncupatur, quia hinc vita exordiũ sumit, & inde in melius proficiscitur: ac ideo generatio rei vocatur profectus vsque ad statum: & post statum vsque ad mortem defectus appellatur; quæ æqualia sunt secundum naturam, quoniam à primo vsque ad septimum tantum est quantum est à septimo vsque ad primum, per aliam scilicet circuli partem mensurando v.g. Ab Ariete per Taurum, & Geminos, & deinceps vsque ad Libram tantus est progressus, quantus à Libra per Scorpionem, & Sagittarium vsque ad Arietem est iter. Hucusque Albertus, qui iuxta Astronomorum sententiam ritè explicauit, quemadmodum Solis, Planetarumque motus sub Zodiaco simul cum Formatrice Auctriceque virtute iunctus insitum viuentium calidum procreat, adaugetque: mox extincta auctrice virtute, altrice sola superstite, cœlesti destituta fauore illud pedetentim corrumpi extinguiq; permittit. Cœlum nanque (inquiunt Peripatetici) siue motu, siue lumine agat, calorem semper mortalibus corporibus elargitur; qui quidem calor mixta corpora format, & seruat, & à Cœlo vt à longinqua; à formatrice verò virtute, vt à propinqua proficiscitur causa: rectè itaque diximus, quòd Solis Planetarumque sub Zodiaco motiones cum formatrice, auctriceque vi iunctę, connatum viuentium calidum tum procreant, tum adaugent. Ex Magni itaque Alberti, & Diui Thomæ sententia lib. secundo de generatione, & corruptione concludimus, quòd progressus Planetarum sub Zodiaco in generationis puncto per gradum ascendentem à prima vsque ad septimam domum, Auctionem statumque caloris viuentium mensurat; inde postea à sptima domo eorundem Planetarum regressus per descendentem gradum vsque ad horoscopum eiusdem caloris declinationem interitumque perscribit; & sic auctionis, imminutionisque caloris ęquabile est tempus. Et hoc fortasse Philosophus annuit secundo de generatione, & corruptione, dum scripsit, itemque & tempore æquali & generatio, & corruptio secundum naturam mensurabuntur. Vniuersus autem circuitus, qui vitalis caloris ascensum, eiusdemque descensum simul metitur, vitæ peryodus nominatur, quę est repetitio ab eodem ad idem ordine, & circulo quodam facta, de qua mox est dicendum.

De animantis vitæ peryodo. Cap. XVII.



EST etenim Peryodus ſimilis ad idem reditus, & repetitio, vti diximus, ab eodem ad idem circulo, & ordine quodam facta: exempli gratia in animantis vita dicimus, quòd altrix facultas in principio ſui ortus imbecillis ob humoris redundantiam eſt, imbecilliterque ſuum alit corpus, mox auctrici virtuti iuncta validior redditur, & ſic validius corpus alendo in melius ipſum profiriſcitur vſque ad ſtatum; inde auctrice virtute extincta ob multam ſiccitatem declinare Altrix incipit, & debiliter nutrire, & corpus ob diminutam nutritionem pariter declinat; eouſque declinando ſic progreditur, quòd debilitati ſui ortus æquat, licet diſpari ex cauſa; & tandem ad vltimum, quod non poteſt, peruenit; ita vt tandem ipſum cadat, neceſſe eſt. Cùm enim natiuum humidum pedetentim ſemper conteratur, vt prorſus conteratur (cùm finitum exiſtat) neceſſarium eſt. Iſtum virtutis altricis nutritionis progreſſum ab ortu vſque ad interitum, à debili ſcilicet, ad validam nutritionem, & à valida ad debilem alitionem, humidique refectionem, ſic vt amplius nutrire, humidumque refiri minimè poſsit; Circuitum inquam iſtum vitæ animantis peryodum nominant. Huius autem peryodi conſtitutrices cauſæ à diuerſis diuerſæ conſtituuntur; alij nanque materialibus formis, alij ſuparis motoribus illas acceptas referunt. Multi ex Peripateticorum ſchola inquiunt, quòd hoc munus peryodum faciendi ſpectat ad naturalem virtutem; quæ corpus conſeruare habet, conſequendo conuenientia, fugiendoque nocua, atque reſiſtendo contrarijs corrumpentibus cauſis. Hæc quippe virtus, vt ſua materialis forma (quam naturaliter inſequitur) finitæ terminatæque eſt potentiæ, itaque ad iſtum, & non ad vlteriorem terminum peruenire poteſt. Et prætcrea bene lib. ſecundo de anima ſcripſit Philoſophus, quòd omnium natura conſtantium terminus eſt, & ratio magnitudinis & augmenti: & ſecundo lib. de generatione, & corruptione conſimile ſcriptum reliquit, vbi ait. Amplius & tempora, & vitæ ſingulorum numerum habent, quo videlicet conſtitutæ ſunt; nam omnium eſt ordo, & omne tempus, vita circuitu menſuratur, ſed tamen non eodem omnia, ſed hæc quidem minori, hæc autem maiori. Materiales nanque formæ omnes terminatæ finitæque ſunt, & vt ſuo termino materiei infinitatem perficiendo terminant, ita ipſæ eædam communem corporum cœleſtium motionem definiunt, pro ſuis certis finitiſque functionibus obeundis. Particularis nanque formatrix virtus vniuerſalem Solis motum determinat ad ſic mouendum, & ad iſtam, vel illam formam procreandam: conſimiliter Auctrix particularis corporis virtus communem motum Solis definit, vt motu iſto moueat ad hanc, vel illam calidi perfectionem elaborandam, & ad hanc vel illam corporis magnitudinem præſtandam: Et ſic peryodus apud ſuum eſſe, & principium à materialibus, & non à cæleſtibus conſequitur virtutibus; nam vniuerſalis cauſa (vt iſti dicunt) effectus non diſtinguit, ſed cum omnibus omnia facit; at particularis particulariter effectus diſtinguit. Et propterea dicunt, quòd ſi ſub eodem puncto gradus ſigni Homo, Canis, & Leo, naſci contingat, homo pluribus cœli circuitionibus, Leo paucioribus, Canis adhuc paucioribus ad Nadyr, & incrementum, ſtatumque perfectum peruenit; & hoc ideo quoniam Auctrix hominis facultas longè firmior, præſtantiorque temperatura exiſtens, quàm Leonis, & Canis, longè plures perfectiuces cœli lationes ad ſuam perfectionem aſſequendam exoptat, quàm Leonis, Caniſque Auctrix virtus expoſtulet; & ſic de reliquis aſſerendum. Quamobrem inquiunt benè temperata conſtitutaque corpora longæuum ſemper ſuæ durationis terminũ habere, & vnumquenque viuentem in corruptibili hoc mundo tandiu ſupeſtitem fore, quandiu naturalis calor in ſuo natiuo humido ſeruari poterit; & quandiu natiuum humidum ab eodem calore per alimentitium ſuccum refici potuerit: quandiu igitur vtrunque horum mutua opera ſe conſeruauerit, tandiu viuens corpus ſuperſtes erit. Vnumquodque igitur viuens penès iſtorum ſententiam ſecundum ſuam naturalem complexionem præfixum, & determinatum ſibi terminum habere ſuæ durationis eſt ſtatuendum. Et quæ inter animantia meliorem poſsident complexionem, proportionemque calidi, & humidi, longiorem habent ſuæ durationis peryodum. Quæ & naturalis dicitur, quoniam vitalis functionis virtutis altricis terminum claudit, ad quem per altricem ipſam naturalem virtutem peruenit. Aſtronomi verò aliter aiunt; nam apud ipſos, vt infra mox dicemus, idem gradus ſigni, idemque cœli punctus ratione aſpectus, quem in eodem inſtanti habet ad plura, diuerſaque Sydera, ſignaque cœleſtia, pluribus quoque atque diuerſis ſemper virtutibus ornatus exiſtit: quare alia virtute hominem, alia Leonem conſpicit, & ſic de ſingulis rerum ſpeciebus mundanarum eſt dicendum. Et prout alia, & alia virtute, hominem, & Leonem contuetur, ſic alia, atque alia circulatione, vnumquenque horum ad ſummum vigorem, vltimumque ſenium perducit; hinc non male fortaſſe Antiquiores, qui ne arenæ quidem granum eſſe in Maris littore dixerunt, cui proprium in cœlo ſydus non correſpondeat. Ac ideo

Astronomi secus de peryodo sentiunt; nam vt Magnus Albertus, & Diuus Thomas lib. secundo de generatione, & corruptione referunt, Peryodus non à particularibus caducis motoribus, sed ab æternis supercœlestibus sui ortus principium consequitur. Supernæ namque motiones cœlestes, non ab inferioribus motoribus contrahuntur ad agendum apud istos, sed potius è contra superni æterni motores disponunt, & ordinant caducos hos particulares ad agendum; neque hi quicquam boni operantur, ope illorum destituti: & penès horum sententiam scripsit Albertus 4. methe. cap. 6. vbi ait. Ita necesse est, quòd qualitates mixtorum destitutæ virtutibus peryodi solaris, maneant ad corruptionem, & secundum recessum, ab illis virtutibus, erit tempus naturalis corruptionis. Vis itaque agendi, & patiendi, à superis motionibus impartitur mortalibus corporibus, proinde ex horum opinione secundo de generatione peryodum describens cap. 6. ait. Est autē Peryodus mensura perfectionis, imperfectionisúe, quæ circulo cœlesti imprimitur rei causatæ à circulo in istis inferioribus: & superius cap. 4. ipse addit, ideo omne tempus, quod est in re temporali, & omnis vita, quæ viuis, habet numerum in circulo cœlesti, & in ipso cœlesti circulo determinatur, quia ex hoc circulo consideratur, vsque ad quantum se extendit virtus generãtis, secundum quod affert esse rei, antequàm afferat perfectam rei corruptionem, sicut patet ex scientia Astronomica: omnium enim inferiorum rerum est ordo causarum pendens ex superiori ordine; & eodem libro de generatione cap. 5. declarans, quæ sint illa, quæ rerum genitarum peryodum constituunt, inquit. Sed peryodū facit relatio ascendentis signi super Orizontem ad omnia signa circuli cum suis Stellis, & Planetis in hora generationis rei inferioris, quæ causatur à circulo cœlesti; hoc enim modo mensura quorundam est Annus; & quorundam plus, vel minus secundum effectus signorum, & fortitudinem Stellarum, quæ sitæ sunt in signis. In lib. autem de natura locorum eandem tradidit doctrinam, vbi ait: compertum est, quòd Cœlum diffundit virtutes formatrices in omne quod est, maximè autem diffundit eas per radios emissos à luminibus Stellarum, & ideo consequens est, vt quælibet figura radiorum, & angulus diuersas in inferioribus causet virtutes, ac effectus. Hæc omnia Magnus Albertus de Peryodo, iuxta animantiū speciem, & Astronomorum sententiam tradidit. Quæ verò singulorum indiuiduorum est particularis peryodus, alia profectò mensuratur mensura, ex eorundem disciplina, alioque progreditur ordine: nam vltra materiei inæqualitatem, diuersitatemque, quam secundo de generatione, & corruptione recenset Philosophus: multiplices quoque & diuersi boni, malique, & Syderum, & Zodiaci signorū aspectus genituræ domum conspicientes, longiorē breuioremque indiuidui nati vitam determinant; sed hæc aliam tractationem exposcens, & de Peryodo satis. Si quis verò nascatur, aut fortunium aliquod consequatur sub eadem præcisa cœli constitutione, & sub eodem Stellarum aspectu, quo alter moritur, seu infortunium aliquod patitur; quomodo inquiunt, idem Syderum aspectum, eandemque cœli constitutionem huius vitæ, bonæúe fortunæ, illius verò mortis malæúe fortunæ esse opificem, & Auctorem? Respondent, quòd idem Syderum aspectus, eademque cœli constitutio, semper propter plures diuersosque & Syderum, & signorum aspectus vnà inuicem concurrentes pluribus, diuersisque virtutibus ornata conspicitur; quare & si vnum sit numero, potestate tamen plura traduntur esse; & proinde asserimus, quòd cum isto nuper nascente, seu fortunium aliquod cōsequente, & cum altero morituro, aut infortunium aliquod consequuturo, simul vitam, & bonam fortunam; mortem & infortunium eodem puncto, eodemque temporis instanti operatur ratione diuersitatis suarum virtutum, atque ratione etiam diuersitatis subiectorum, patientiumque corporum, quæ ad istud, magis quàm illud assequendum sunt parata.

Quomodo formatrix, altrix, auctrixque virtus viuentium connatum calidum procreent, alant, ad statumque producant, atque etiam tandem imminuant, & corrumpant. Cap. XVIII.



ORMATRIX virtus, siue virtutem motionum cœlestium sibi asciscat, & vendicet; siue illam impartitam suscipiat à Planetis largientibus, hac cœlesti virtute ornata, connatum viuentis calidum in generationis puncto, suo natiuo humido iustè contemperatum, essentialiter perficiendo, corpus viuido calore præditum, vitæ particeps constituit. Essentialem quidem perfectionem viuum animatumque corpus statim in sui ortus principio habet; est etenim essentialis perfectio, forma animaue vnà cum suo subiecto

vnita, per

vnita, per quam vnionem res composita habet proprium esse, & existit: neque enim vsquam materialis forma apud Peripateticos absque suo subiecto contingit reperiri: atque hæc essentialis perfectio, cùm res sit similaris, neque figuram vllam obtineat, protinus ab initio suæ generationis propriam obtinet naturam, & simul tota perficitur: radicale etiam humidum, suo vino conoato calido proportionatum, quod animæ Philosophi subiectum faciunt, & istud pariter cum sua forma eodem simul procreatur ortu; eademque essentiali perfici perfectione denominatur, quæ quidem viuentis perfectio, quam medici temperiem dicunt, circa natiuitatis primordia conditionem ad vitam seruandam, & protrahendam, quam potest, optimam habet. Quomodo verò superi cœlestes motores, atque hi particulares terreni per motum res mortales perficiant, & esse, atque essentiam eisdem elargiantur, sic isti ratiocinantur; & aiunt, quòd motus indifferenter à Peripateticis actio, passio, motus, perfectio, formaque denominatur. Vt enim est in fieri, & agens denominat, dicitur actio, & ipse idem motus, vt est in fieri, & connotat passum dicitur passio, prout verò tendit de imperfecto ad perfectum dicitur motus, vulgataque nuncupatione, & forma fluens etiam nuncupatur; & idem motus, postquàm suum cursum compleuerit, & iam fluxit, & suum esse completum in subiecto obtinet, tum forma, terminus, & perfectio denominatur, hanc & fluxam formam iuniores communiter vocant. Cùm itaque motus his varijs respectibus varium & esse, & nomenclaturam consequatur, facilè est cernere, quomodo Planetarum, formatricisque virtutis motus, postquam suum compleuerit cursum, suumque esse perfectum habuerit in suo debito præparato subiecto, illico perfecto, & essentia rei genitæ euadit. Si insuper quæratur, quisnam horum motorum, an cœlestis vniuersalis, an terrenus particularis, facilius rerum materialium perfectionem moliantur? Auctor de causis cum suis sequacibus respondet, quòd prima causa, est prima in agendo, & vltima ab actione desistit, & cùm efficacior sit, efficacius, nobiliusque actionem suam exercet, motus namque supercœlestium corporum est vnde principium obtinet motus horum inferiorum corporum: ergo præstantior fœliciorque iudicabitur. Secus profectò sentiunt Peripatetici, qui particularium rerum euentus suis vniuocis particularibus causis attribuunt, qui ad vnum determinantur, propterea aiunt, quòd vniuersalium effectuum vniuersales, particularium verò particulares sunt causæ, quæ vniuersalem cœlestem contrahunt, determinantque causam, ad sic agendum, & mouendum; propterea inquiunt, quòd formæ specificè huius corruptibilis mundi per se, propriaque natura perfectæ, completæque sunt; & in propria specie tales necessariò existunt, & non contingenter; si nanque extrinsecus, & aliunde perficerentur, vtputa à cœlestibus formis, tunc quòd tales necessariò perfectæ sunt, contingenter essent tales, quia possent non huiusmodi esse, & sic duo contradictoria, vt refert Auer. xij. meth. essent simul vera. Simul enim idem esset necessarium, & contingens; perfectum, atque imperfectum; quod absonum est dicere. Per se itaque propriaq; natura materiales formæ cùm cōpletæ sunt; ita & completæ esse, & quæ consequuntur ad esse, mortalibus rebus elargiuntur. Forma enim apud Peripateticos vt esse, ita & consequentia esse largitur: sicut igitur rei essentiam materialibus rebus forma impartitur, sic & earundem auctionem, secundariamque perfectionem naturaliter præstat; & cùm vltra perficere non potest, retrocedit, imbecillisque euadit, & sic imbecilliter progrediendo eò venit, quòd cadit desinitque esse; quoniam omnia orta occidunt, & aucta senescunt: quando sicà natura rebus inferioribus sit comparatum. Huic autem Philosophorum sen-
» tentiæ, & Moyses in Genesi assentire videtur, dum ait. Dixit DEVS germinet terra Herbā vi-
» rentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius
» semen in semetipso sit super terram; & factum est ita, & protulit terra Herbam virentē, & affe-
» rentem semen iuxta genus suum; lignumque faciens fructum; & habens vnumquodque semen-
» tem iuxta speciem suam. Et de his satis. At vnde discessimus reuertamur, & dicamus, quòd vbi essentialis perfectio procreata iam fuerit, ex ordine naturæ ob materiei defectum statim ipsa subijcitur augmento innati caloris, magnitudinisque corporis, quæ secundaria, accidentalisque est animantis perfectio, accommodata ad vitæ munera peragenda; atque hæc non rei essentiam, sed quantitatem connati calidi, & humidi, & magnitudinem, organizationemque corporis terminat; siquidem essentialis perfectio alteri accidentali subordinatur perfectioni, quæ non nisi processu temporis acquiritur; hæc materialis quoque nuncupatur perfectio, quoniam materiam admodum humidam permutat, & ad ipsam elaborandam, eiusque peccata emendanda præordinatur, sic vt ad statum commodum ad vitæ actiones obeundas, illa perueniat. Huius autem accidentalis, secundariæ perfectionis animati corporis opifex est Auctrix facultas cœli virtute prædita, aut quòd mutuatam acceperit; aut quòd illam propria auctoritate sibi vendicauerit, quocunque modo obtinuerit; hac virtute ornata Auctrix facultas ad secundariam perfectionem, magnitudinis inquam corporis, calidique innati statum perfectum

(quæ est

(quæ est vltima animantis perfectio) præmouet, & laborat. Cùm enim calidum innatum commune sit animæ, & corporis, eiusque partium omnium instrumentum, necesse perfectò est, illud ita comparatum esse, vt membris iam suam magnitudinem adeptis tale adsit, quale eorundem membrorum functiones exposcunt. Hanc quippe calidi innati elaborationem pro statu animantis perfecto ad vitæ functiones exerceudas, Auctrix animantis facultas modò breuiori, modò longiori tempore consequitur, penès varios genitarum rerum peryodos. Interim autem dum Auctrix Animantis facoltas laborat ad corporis auctionem, perfectionemque assequendam, Altrix facultas, & ipsa quoque virtute cœlesti prædita, non cessat corpus continuato semper tenore alere, idque vberius, copiosiusque semper ager, quàm tunc temporis necessitas exposcat, Auctrici virtuti indulgens pro corporis mugnitudine consequenda. Postquàm viuidũ animantis calidũ augmentatum fuerit; & suũ statum perfectum fit adeptũ, pro vitæ muneribus obeundis, Auctrix tunc animalis facultas ordine naturæ deperditur, & solũ superstes est Altrix; quæ Auctricis societate destituta imbecillisq; facta, cùm in melius proficisci corpus non posit, in deterius, in declinationẽ, & in imperfectionẽ illod trahit, & docit. Et Planetarũ motus, qui iam ad Nadyr, & septimam domũ peruenit, vbi cũ Auctrice virtute non potest amplius corpus augere, simul cum Altrice diminute nutriendo, illud imminuit, & imperfectum reddit; & vt gradatim per tantum temporis, simul cum Aoctrice virtute res ipsas ad materialem perfectionem perduxit; ita illasmet per tantundem temporis gradatim ad materialem imperfectionem, ad seniom inquam, & senectam perducit; & sic tandem imminutè alendo, eò peruenit, quòd corpus ipsum marcescit, & vitam terminat. Nec propterea dicimos, quòd altrix facultas se ipsam interimat, suique interitus causa dicatur, cùm non per se, sed per accidens talis sit: eatenus enim ipsa se interimit, quatenus ob sui infirmitatem suum congruum subiectum seruare non potest, quin in deterius, & in malum semper labatur; & ita proprij subiecti peccato, & non sui ipsius causa perire necessum est. Et de his hactenus.

Quod iuuenum, ac puerorum calor idem sit. Cap. XVIIII.



GAL. lib. primo apho. com. 14. iuuenum puerorumque calorem inter se comparat, quò ad essentiam caloris naturalis, dum ait. Puerorum, & quæ augentur corpora, & si æqualem habent substantiam calidam, atque igneam, cum ijs qui vigore consistunt, aquosæ tamen, atque aereæ substantiæ plus habent, qoæ augentur. Lib. autem secundo de temperaturis cap. secũdo, eorundem calorum comparationẽ faciens in eadem naturalis caloris differentia, nullum, seu parum discrimen inter vtrunque esse ait, idque iudicio tactus, longo vtriusque examine se comperisse testatur: ibidem nanque inquit, si eum reliquis omnibus, quæ extrinsecus adueniunt, eai, qoæ ex sola ætate proueniunt, existimaueris, neuter absolutè loqoenti videbitur tibi calidior, quippe dissident eorum calores qualitate, quæ ex imparitate flatua creator; est qoidem puerorum calor magis halituosus, & copiosus, & tangenti blandior. Iuueuum qoidem calor subacris quid habet, & non suauis: hæc igitur tangenti occursus differentia, plures inducit, vt florentium corpus calidius esse pronuncient, res verò aliter se habet. Qoippe qui in varia materia tactum suum ad calorem, tum valentiorem, tum imbecilliorem, tum parem discernendum exercuerit, huic nõ dubito puerorum calorem florentium calori, vel parem, vel ampliorem visom iri. Hactenus Gal. qui vtrobique locorum calorem adolescentium, atque ætate florentium vel æqualem, vel propemodum æqualem esse apertè fatetur, se testimonio tactus id cognouisse. Noi autem à suis principijs istud explicare nitentes, dicimus, quòd naturalis caloris essentia, quam radicem, fundamentumq; caloris Aoicen. prima sen. primi nuncupauit, est calidi & humidi cum suo frigido, & sicco temperamentum, à virtote formatrice, ope superiorum lationum in prima animantis fabrica fabricatum, vt commodum sit animæ instrumentum ad suas obeundas functiones. Hæc quidẽ caloris essentia, quæ temperies commoniter dicitur, cũ similaris sit res, protinus ab initio suę generationis suã obtinet naturam. Hanc insuper, cùm ea corporea, materialisq; sit, determinateq; quantitatis, & virtutis, propterea latitudinem habere superius retulimus; eamq; in tres distinximus partes. Et primus ac præcipuus intra latitudinis mensuram terminus est, vbi calidũ & humidũ à minori, quàm temperari posit frigido & sicco temperatur, vtputa tres caloris humorisq; gradus ab vno frigiditatis, siccitatisq; gradu contemperati, temperies inqoã trium graduum caloris & humoris cũ vno sicci frigidiq; grado temperata. Hunc quippe primũ ac maximũ natoralis caloris terminũ faciũt, qui & corporis adauctionem molitur, & vbi adauctum est, eiusdem auctas perfectasque functiones

exercet. Hic profectò naturalis caloris primus constitutus terminus, à primo natiuitatis die vsque ad iuuentutis, vigorisque statum, semper idem in radice, & sua constituta latitudine seruatur: nam vt fortis, & validus ad magnitudinem, molemq; corpoream augendã exoptatur; item ipse idem validus, & fortis ad eiusdem debitas exercendas functiones desideratur. Propterea Auicenna, vnà cum Gal. dixit. A pueritia in iuuentutem nihil aduenit de nouo, quod possit calorem naturalem augere, aut minuere; manet ergo semper æqualis: sed quoniam quis dicere posset, siccitas iuuentutis, defectus humiditatis est. Et ad defectum humiditatis, sequitur defectus caloris ob defectũ subiecti; propterea addit Auic. immo calor ille seruatur in minori quantitate, & qualitate humidi simul, donec incipiat decrescere: atque hæc humiditas exigua, non reputatur exigua in comparatione conseruationis, sed in comparatione ad incrementum; veluti si humidum illud fuerit initio tantum, quantum supplere possit vtrique rei: nempe vt calorem custodiat, & pro incremento faciendo adhuc superlit; demum ad id deueniat, vt neutri illorum supplere valeat; idcirco interim res ita se habebit, vt alteri illorum tantũ supplere possit; sed absurdũ est dicere, vt possit incremento satisfacere, & non custodiæ caloris naturalis: nam quo pacto addet alicui rei id, quod non potest custodire rem ipsam principalem? dicendum igitur est, id quidem posse custodire calorem, sed non incrementum facere; hanc autem ætatem esse florentium neminem latet. Hactenus Auicenna, qui eundem supremum caloris gradum & cum maiori connato humido in pueritia, apto nato ad corporis magnitudinem augendam; & cum minori in iuuenili ætate proportionato, ad vitales obeundas functiones æqualiter conseruari affirmauit; nec ei obstat natiui humidi disparitas; nam multum illud, & pro materia auctionis corporis, & pro eiusdem actionibus agendis caloti inseruit; aliud minoris quantitatis eidem satisfacit ad perfectas solum obeundas functiones. per radicem verò Auicennam intelligere iudicamus, primam calidi mansionem, intra propriam latitudinem, summum scilicet caloris gradum à minimo frigoris gradu contemperatum. Hæc quippe prima calida viuenti concessa temperies (quam summum caloris gradum nuncupauimus) & cum tribus humiditatis gradibus in pueritia, & cum duobus, aut vno cum dimidio in adolescentia, & iuuentute incorrupta conseruatur; atque huius rei ratio est; quoniã hæc ipsa temperies cum suo natiuo humido, quo seruatur, naturalem proportionem habet; quæ nec in puncto; nec in indiuisibili consistit, sed latitudinem obtinet, ac illam certam, & finitam; vt igitur vniuersus naturalis calor suam latam latitudinẽ possidet, intra quam naturalis conseruatur, ita & prima huius amplæ latitudinis pars, suam partialem habebit latitudinem, inter quam naturaliter se conseruabit: vt igitur tota caloris latitudo per totam humidi latitudinem seruatur; sic pars latitudinis per partem latitudinis humoris seruabitur. Natiuum itaque humidum, quod naturalis caloris proportionatũ pabulum, & subiectum facimus, quò ad certum quendam humidi latitudinis terminum, vsque à tribus humidi gradibus vsque ad duos, seu ad vnum cum dimidio, huiuscemodi constituimus. Quare & humidum, quod plurimæ est quantitatis, atque id quod minoris est molis, quorum vtrunque eiusdem caloris subiectum Auic. fecit, intra primum latitudinis terminum detineri dicimus. Vlterius verò non fit progressio absque eius imminutione, & corruptione; nam omnium natura constantium terminus, & ratio est, magnitudinis, & decrementi. Et licet per hos omnes latitudinis gradus calor integer seruetur, non tamen vbique, & semper vniformiter vegetus reperitur; cùm tribus nanque humiditatis gradibus in pueritia iunctus, copia humoris obrutus segniter suos actus exercet. cùm duobus verò, aut vno cum dimidio in iuuentute, vigentique ætate coniunctus minori sarcina oppressus expeditior se habet ad vitæ munera: & sic idem calor in dispari subiecto situs, inter tamen primum latitudinis terminum constitutus dispares vitæ exercet functiones. Si verò dixeris, cur intra primum latitudinis terminum humidi subiecti disparitas cernitur, & præsentitur; caloris verò nulla disparitas inesse dicitur? Respondimus, quòd forma est actus à materia abstractus incorporeus, atque immaterialis, ac ideo vniformis similarisq; existit, & nulla in ea inæqualitas cernitur; subiectũ autem eius, quod informari habet, & rarum & densum, ac purum & impurũ contingit esse materiei difformitatis ratione; ac ideo ipso iure inæquale cernitur; at calor formæ, humor verò materiæ rationem habet, suo itaque iure hic difformis, ac ille vniformis cernitur. A congruo etiam & condecenti hoc idipsum, quod æqualis iuuenũ, puerorumq; calor in radice, essentiaq; sit, ratiocinamur. Absurdum nanque existimamus, quòd minoris perfectionis calor nobiliores edat actiones; maioris verò perfectionis obscuriores illas efficiat. Condecens igitur est iudicare, quód non minoris virtutis est calor, qui hominis completas, quàm qui non completas actiones edat: si pueri calor in primo perfectionis gradu, debilia vitæ munia in pueritia exercet; nonne condignum est, vt is idem, eiusdem & non minoris perfectionis, validiora vitæ munera in iuuentute perficiat? præsertim cùm Auctrix facultas huius caloris, fauctrix vigeat, vnà cum circularibus Solis sub Zodiaco motionibus, huic eidem

calori adiumentum præstantibus. Nec aliæ adsunt causæ, inquit Auic. quæ eum imminuere possunt: nec enim gradus, aut gradus cum dimidio humidi absumptus, potens est illũ imminuere, immo contrarium sua siccitate præstat; nam robur addit ad meliores functiones explendas. Nec fortasse absonum erit dicere vnà cum Philosopho primo lib. de generatione animalium cap. 18. per quandam similitudinem, quòd sicut tritici granum, quatenus est semen, & fructus inter se differunt prioris posteriorisque ratione: fructus enim, quod ex alio fit; semen verò, quod ex eo aliud, ambo sunt idem, subiecto ratione solum differentia: sic vtique pueri iuuenisque calores se habent, qui inuicem prioris posteriorisque ratione differunt: Iuuenis nanque calor pueri calorem sequitur; pueri autem calor successu temporis calor iuuenilis euadit, ambo tamen ijdem sunt subiecto.

Aduersariorum obiectionum solutiones. Cap. XX.

CONTRA determinata argumentantur, & aiunt; quòd Hip. primo apho. scripsit, pueri plurimum habent calidi innati, plurimum autem dixit tum senum, tum etiam iuuenum respectu. Si igitur plurimum, non igitur æqualem habet calorem. Præterea dicunt, quomodo calidum in pusillo pueri corpore positum, maius erit calido in magno iuuenis corpore recondito? ratione enim molis corporeæ, istud semper maius iudicabitur: insuper quomodo plurimum calidum in exigua infantis mole seruabitur, cùm multa rei copia in angusto, paruuloque vasculo minimè contineri valeat? præterea Io. Fernel. Amb. lib. 4. de calido innato, decernit calorem iuuenis in radice minorem esse, quàm calor pueri, vbi ait. Ita » enim existimant parem adolescenti atque infanti insidere calorem, quia quantum substantiæ » caloris perpetuus ille fluor ab ineunte ætate dissipauit, tantundem qualitatis, & acrimoniæ ge- » nuit, attulitq; adolescentia, quandoquidem sicciori facta materia, solet calor omnis vires suas ve- » hementiores perferre: hac igitur vicissitudine, quia disperdita substantia, qualitas increuit, pa- » rem calorem sensus existimatio illis fortasse decernit. At verò infantis plurimus est naturalis ca- » lor, isque blandus & halitui similis, vt substantiæ existimatione Hip. hominem prima die cali- » dissimum statuat: iuuenis autem caloris substantia non potest nõ esse ad quandam paucitatem » atque exilitatẽ redacta; quam ob causam, is ea vera minus est calidus, at si qualitas spectetur, ca- » lore est acri, & intenso. Hactenus Fernelius, qui iuuenis puerique calorem æqualem esse dicit » non re vera, sed iuxta Sensus iudicio, & secundum quandã similitudinem caloris sic, quòd vnus substantia, & alter acrimonia polleat; & iuxta hanc doctrinam non longè à veritate quidã scripserunt, quòd eadem ignis portio, quę à natiuitatis principio in humida puerorum complexione fuit complantata, in virilis ætatis calida & sicca complexione seruatur; sed hæc bilis permixtione acrior, mordaciorque existit, illa pituitæ consortio mitior suauiorque sentitur.

Sed ad illatas obiectiones reuertamur, atque ad primum dicimus, quòd radicale humidum in puero maius est, quàm in iuuene, sed in iuuene plurimum alimẽtitij est adiunctum, quod simul permixtum longè maius redditur, & corporis magnitudini satisfacit. Et quamuis istud mole præualet, cùm radicale ætatis decursu siccius sit effectum, vniuersum quoque siccioris temperaturæ efficitur: nam aduentitium natiuo coniungitur cùm ipsius natiui affectione. Ad id autem quod Hipp. primo aphor. scripsit; Respondemus, quòd non de plurimo caloris gradu, quem superius æqualem fecimus, sed de plurimo eiusdem caloris subiecto, id est humido connato loquitur: Antiquiores enim connatum humidum, calidum; & innatum calidũ, humidum indifferenter vocarunt; quasi velit dicere plurimũ habet caloris vitalis. Alij autem dicunt, quòd Hip. ibidem distinxit ætates in duas partes, in iuuentutem, & senectutem; vnde legitimus textus nõ habet pueri; sed qui crescunt, adolescentes inquam, & iuuenes multum habent calidi innati. Ad alterum autem, quod inquiunt, quomodo plus innati humidi est in paruo pueri corpore, quàm in magno iuuenis, & adulti? Ad hæc dicimus; Quòd semen, sanguisq; menstruus in sanguineorum animalium ortu, complantata à parentibus principia sunt, ex quibus solidæ nati pueri partes, & vniuersum corpus fabricantur. Cùm vero principiorum magna sit vis, teste Philosopho: magna itaq; vis, & facultas erit menstrui, & seminis, ex quibus infantium corpora primitus cõstituuntur; quo igitur cõstitutæ particulæ magis suis principijs proximæ sunt, eò magis eorundem integritatem, puritatemq; assequuntur, & participãt: quæ quamuis exiguę sint quantitatis, virtute tamen & potentia magna existunt. Pueri itaque, & recenter nati infantes, & si paruæ pusillæq; sint staturæ, suo tamen ortui propinqui sunt, & suorũ principiorum puritatem seruãt, quæ quantumuis parua sint, magna tamen existunt virtute, & quò ad corporis augmentum, & magnitudinem pręstandam, & quò ad vitæ longitudinẽ continuandam. Quantumcunq; igitur

pueri paruuli sint; plurimum & calidi, & humidi innati habere dicuntur, virtute integritatis principiorum, quæ potestate & vi magna semper existunt, quantumuis exiguæ molis extiterint. Iuuenes è contra ac ætate florentes viri, plurimum & permixti humidi, & caloris connati habere traduntur, non splendoris principiorum causa; quoniam ab illis longinqui sunt, sed perfecti completique termini gratia; qui rei quantitatem, intensionemq; terminat, per quem res habet bene esse, & viuentium secunda, completaq; perfectio dicitur: sic vtique concludimus, quòd in essentia & radice idem est iuuenum puerorumq; calor apud Hippo. & antiquiores; & vtrobique plurimus reperitur, ille seminalis principii vigore, hic corporis adaucti perfectiq; termini ratione: id quod ita confirmamus; nam cùm Auctrix infantis virtus sit eadem semper à natiuo suæ exiguæ molis termino, vsque ad eiusdem completæ magnitudinis terminum; & calor pariter innatus, qui eiusdem virtutis proportionatum est instrumentum ad suas obeundas functiones, vnum numero æqualiter erit ab ortu vsque ad vigentis ætatis statum: quandoquidem res eadem est, quæ mouetur à termino à quo, & ad terminũ ad quem, ex Auer. sententia 5. phy. Eadem igitur portio ignei caloris, quæ Auctrici infantis virtuti insitum fuit instrumentum, eadem numero & in infante, & in iuuene aderit, quando eadem quoque vtrobique sit Auctrix facultas, & idem quoque calidum instrumentum. Ad Fernelium autem reuertentes, pace sua sit dictum, ipse decipitur, cùm asserit, quòd calor ab ineunte ætate vsque ad floridam, per continuum fluorem sit dissipatus, minorq; factus; hoc quippe falsum est. Nam radicale humidum caloris subiectum vsque ad illum statum minimè difflat, sed extenditur, & exsiccatur, & cum hac extẽsione & exsiccatione eundem semper conseruat calorem: vltra verò ad tempus multa adiuncta sicci- tate aliquantisper minui incipit. Alimentitium itaque humidum est, quod difflatur perenniter, & vt in dies difflatur, ita quotidie restauratur; attamen à pueritia ad iuuentutem vsque per id tẽpus, auxilio facultatis Auctricis plus semper in corpus reponitur, quàm dissoluitur; & cum plus semper eidem addatur, quàm subtrahatur; non mirum est, quòd eadem caloris portio toto eo temporis seruetur. Et hæc erat Auicennæ ratio, quòd tunc nihil aderat, quod calorem diminueret; nõ scilicet natiui humidi extenuatio, nec aduentitij imminutio. Fernelius verò vtriusq; humidi prædicti discrimen minus planè perspiciens, in causa fuit, quòd perparam affirmaret, naturalem calorem cum natiuo humido, sicut & aduentitium, quotidie substantialiter difflari: Nam vt rei euentus attestatur, alimentitius solus verè disperditur, & dissoluitur; natiuus verò ab ortu vsq; ad vigoris statum neutiquam id patitur, sed tantummodo extenditur, exsiccatur, extenuaturq;, sicut supra exposuimus, & cum hac humidi extensione, attenuatione, atque exsiccatione eadem caloris portio per id tempus omne omnino conseruatur. Quòd calidissimum primo die Hippo. illum dixerit, calidissimum pro humidissimo vsurpauit, sicut antiquorum peculiaris fuit mos, horum alterum pro altero sæpe vsurpare. Idem profectò calor est apud Antiquos à primo die vsque ad consistentiæ diem. Post tempus illud, calidum vt humidum apertè decrescet, imminuiq; incipit. Ac inde ab vno cum dimidio, mox à duobus, postremo à tribus frigoris gradibus temperatur; & eò deuenit, vt tandem marcescat. At obijciunt, cur vt idẽ calidum sic non idem humidum à pueritia ad iuuentutem seruatur, cùm vtrunq; eandem principij rationem obtineant. Ad illud respondimus, quòd non est par ratio, quoniam vnũ formæ, alterum materiei rationẽ obtinet. Præterea dicimus, quòd vigente Auctrice virtute, fauentibusq; motionibus cœlestibus sub Zodiaco nihil inuenitur, quod ad interna calidum corrumpere possit, nec ad eiusdem insiti humidi extensionem, exsiccationemque, atque paucam deperditionem illud deperditur, quod de humido dicere non contingit; nam cùm caloris ordinatum pabulum sit, in dies pedetentim à suo consumante calore consumitur; & quamuis vterque principij rationem habet, nihilominus hic actiui, ille verò passiui, vti retulimus, rationem obtinet. At de paritate caloris satis superque sit dictum.

Quòd natiuum, alimentitiumq; humidum à vigoris statu vsque ad vltimum diem semper siccius fiat, quòdque idem numero homo sit Puer, & senex. Cap. XXI.



NATIVVS calor sic à summo rerum opifice est comparatus, quòd vt perpetuò natiuum consumit humidum, ita perpetuò illud restaurat. Natiuum verò humidum, quod radicale aliàs dicitur, in sua puritate nusquam idẽ in essentia conseruatur, propter iam dictas rationes: sed quàmprimum extra matris vterum in lucem editum est, illico cum alimentitio confunditur, & permiscetur, & ad vnam essentiam veniunt, & in vnam

naturam; licet inuicem temperamenti quodam leui discrimine distent; veluti ossa, nerui, cartilagines, & venæ, quę licet leui quadam accidentiali differentia inuicem differant, ad vnam tandem animantis essentiam constituendam veniunt. Alimentitium itaque humidum & si nunquàm essentialiter idem sit in temperamento cum radicali, eidem tamen æquipollet, & simul permixta in vnam conueniunt naturam; sic quòd vnum subiectum, vnumque natiui caloris pabulum congruum dicatur, quod animæ, & vsui vitæ satisfacit. Istud igitur permixtum subiectum, confusumque humidum, ex radicali & alimentitio humido, ipsum idem est, quod à natiuo calore in dies consumitur, & restauratur, & iugiter deperditur, & reficitur; at non par ratio est in deperditione & refectione; quoniam à pueritia ad vigoris statum vsque vigente Auctrice virtute, & Solis Planetarumque motu adspirante, & si vtriusque permixti humidi exsiccatio, & attenuatio simul progrediatur, maior tamen est aduentitij, vt imperfectioris resolutio: & vt maior est ipsius deperditio, ita longè maior est restauratio; vtpote ad corporis adauctionem destinata. Resoluitur nempe semper in ætate florente vsque ad virilitatem simul aduentitium, natiuumque humidum, at istud admodum parum, & irreparabiliter, ita eius exigente natura. Alimentitium vt impurius longè magis; & vt magis resoluitur, ita quoquè plurimum reparatur, pro corporis magnitudine assequenda. Elapso verò vigoris statu, declinante ætate, atque ad senium properante, vtriusque simul permixti humoris natiui, & alimentitij validior procedit exsiccatio, & resolutio; & eò fortior, quò Auctrix facultas est extincta; & Altrix virtus cœlesti est destituta potestate: sic quòd connatus calor sua ignea antiqua virtute pollens, minus quàm par sit, naturaliter agat, & fortius vtrunque permixtum humidum dissoluit, & exsiccat, dispari tamen actione. Natiuum nanque, cùm magis tenax compactumque sit, validius resoluenti exsiccantique resistit calori, & proinde pedetentim exsiccatur, & non nisi tractu temporis dissoluitur. Alimentitium verò minus à concoctrice concoctum, & elaboratum, facilius exsiccatur, & dissoluitur; cùm Auctrix sit emortua facultas, & altrix Solis præsidio destituta, non est sibi permissum, vt pleniori refectione, vti in ætate florente, illud reficiat: & proptereà vtrunque validius exsiccatur, & consumitur humidum, istud multum, & facilius; illud parum & difficilius, & vtrunque semper quodammodo reficitur vsque ad vitę terminum, licet ad pristinam neutrum restituatur naturam. Reficitur nanque natiuum humidum, non quòd suam pristinam recuperet naturam, quoniam est impossibile; sed per alimentitij adhæsionem, vnionemque robur inde sibi comparat, ne confestim à dissoluente calore sua dissipetur natura. Aduentitium autem verè reficitur, & deterius & melius secundum corporis, & alimenti conditionem; at in senectute quantumcunque bonum fuerit alimentum, in deterius semper restauratur, ob naturalium virium imbecillitatem. Itaque plus, plusque vtrisque humidis ex naturæ ordine resolutis, atque refectis, exsiccatis, & humectatis; cùm hæc ipsa finitæ sint magnitudinis, & virtutis ad imperfectionem progredientia, eousque se resarciendo ad imperfectionem progrediuntur, quousque ad vltimum imperfectionis terminum perueniunt, sic vt non amplius sit refectioni, humectationique locus; & in extremo latitudinis naturalitatis absque vita frigescunt, & siccescunt; hinc declinante ætate, rugæ, cani, & squalor humido siccescente, calido frigescente in dies magis, atque magis inualescunt, & frigidius, sicciusque factum corpus vitæ expers tandem euadit. At dices quomodo iuuenis, & senis idem sit calidum, idemque humidum, cùm istud siccius, illud frigidius sit effectum; & quomodo iuuenis idem numero sit cum ipsomet sene, quando inuicem plurimum distent? Respondemus, quòd idem sunt numero, calidum & humidum iuuenis, & senis, quoniam in eadem caloris, humorisque essentia, intra naturalitatis latitudinem circumscripta existunt: & quia eiusdem indiuiduæ animæ organum sunt, & quia in eodem vitæ subiecto, in eisdem inquam similaribus partibus totum constituentibus seruatur, seu vt isti loquiunt; idem numero est calor à pueritia ad iuuentutem, ratione materiæ à principio generationis contractæ, quæ non vt alimentitia fluxit, sed extensa exsiccataque integra seruatur, intra naturalitatis latitudinem descripta, & si hæc aliqua commutatione fuerit commutata, hæc non aliud, sed alteratum tantum facit. Quomodo autem puer idem numero sit cum ipsomet sene, cùm tanto inuicem discrimine distent; dicimus idem numero esse, ac nominari, cùm res genita à primo sui ortus die, vsque ad extremum sui obitus suas essentiales constitutrices partes, aut quò ad maximum, quod illæ possent, aut quò ad minimum, quod non possent, integras firmasque seruat. Puer autem cum semetipso sene inter hos duos extremos latitudinis terminos constitutus, suas essentiales constitutrices partes integras seruans, idem numero erit, & dicetur, & puer scilicet cum ipsomet sene, & senex cum ipsomet puero. At de his satis.

Quòd animantis calidum à vigoris statu vsque ad extremum diem frigidius fiat. Cap. XXII.

NATVRALIS animantium calor, cùm corporeus materialisque sit, & si diuinitus sit formatus, determinatæ tamen est quantitatis, & vigoris intra constitutam latitudinem, & quò ad maximum quod potest, & quò ad minimum quod non potest: quoniam naturales res omnes suæ suis actionis, deminutionisq; terminum definitæ. Primus ac præcipuus latitudinis terminus, qui summũ quod potest, agit, (& à pueritia vsque ad virilitatem vniformis semper seruatur, vt aiunt) est vbi supremus caloris gradus intra latitudinis circumferentiam cum minori frigiditatis gradu, quo temperari potest, temperatur; è contrario extremum latitudinis terminum diximus esse, vbi summa frigiditas minorem caloris gradum, quem temperare potest, temperat. Medius autem inter hos terminos, vnusquisque erit particeps. Medici autem ac Philosophi vniuersam naturalis caloris latitudinem in duas secant partes; primam faciunt, à primo die ortus vsque ad vigoris statum, vbi æqualitas graduum caloris ad summum, quod potest, conseruatur: Altera verò pars à vigoris statu, vsque ad extremum obitus diem, vbi calor declinat ad vltimum quod non potest, nec vitam seruare, nec quidquam operari. At dices quomodo calor, cùm de numero entium successiuorum sit, quorum esse est in continuo fieri, & cuius subiectum in dies siccius, impuriusque euadit, quomodo idem à pueritia ad iuuentutem, virilitatemque seruatur? Ad hæc respondimus, quòd ille à particulari, & proximo agente, ab Altrice scilicet Auctriceque virtute, & ab vniuersali, & remoto Solis scilicet Planetarumque motu sub Zodiaco, id consequitur, vt supra retulimus. Subiectum nanque caloris, & si impurius sicciusque euadit; non propterea dixit Auicenna, (quin eundem calorem sustinere possit) Auctrix nanque viuentis facultas, cuius munus est corpus ad suam magnitudinem, operationumque perfectionem adducere, idque non nisi valido, potentique consequitur calido, qualem diximus esse primum naturalitatis latitudinis terminum; ac ideo vigente Auctrice virtute à pueritia ad iuuentutem, viget quoque idem caloris gradus ad prædictum munus explendum, corporis scilicet adauctionẽ, & bonarum functionũ factionem. Conseruatur itaq; æqualitas gradus naturalis caloris à pueritia vsq; ad vigoris statum, particulariter, & proximè ab Auctrice Altriceque virtute; vniuersaliter, & remotius à circulari Solis Planetarumq; motu sub Zodiaco, seu vt magnus refert Albertus, ab Auctrice facultate, Solis aliorumq; astrorum virtute prædita. Quàmprimum autem Sol à gradu descendente ad horoscopum, ortus scilicet principium, per aliam circuli medietatem declinauerit, Auctriceq; virtute extincta, Altrice sola superstite, cœlesti destituta virtute: cùm hæc in eodem statu corpus seruare minimè possit; nec ei vlterius perficiendo permissum sit progredi, vt retrocedat, & ad deterius, ad frigiditatem, corruptionemq; labatur necessum est. Quantum igitur vigoris intra latitudinem temperaturæ viuentis corporis caliditas perdit, declinante ætate; tantundem roboris ibidem suum contrarium frigiditas acquirit; quare declinantis ætatis temperies re, & nomine frigida efficitur; ac ideo eadem die, eadem hora, eodemque puncto, quoad pristinam nati originem iter verti, & Auctrix facultas fuerit extincta, illico & ipsummet corpus gradatim frigidius euadendo, declinandoque progreditur, & in dies frigidius fit, & sic tandem intenditur, quòd nec calidum temperare, nec vitã seruare potest, & in extremo latitudinis termino perueniat, & sic naturaliter viuere desinit.

Quænam sint longitudinis, breuitatisque vitæ causæ. Cap. XXIII.

QVONIAM animantium vita, quam viuum vegetumq; calorem dicimus, tandiu superstes est quandiu suo sustentatur humido; opus est, vt viuentiũ calor, in quo vita consistit, donec in animante permanet, alimentum eidem suppeditetur, quo foueatur, & conseruetur: hoc autem nutrimentum est humidum natiuum ab initio generationis simul cum calore naturali congenitum. Natura enim viuentium corporum, vt per virtutem seminis, sanguinisque menstrui naturalem calorem constituit, ita & per eandem ad eiusdem caloris conseruationem, naturalem disposuit humiditatem, qua calor ipse conseruatur. Humidum autem istud primigenium primigenij caloris pabulum non est omnino aqueum, sed aereum, pingue, & viscosum, quale est oleum, quo flamma in lampade nutritur; & vt natiuũ pingue, & dulce; ita & nutrimentale etiam humidum, quo natiuum ipsum reparatur, oportet esse pingue, dulce, ac vntuosum; Facilè nanque breuique tempore naturale absumeret humidum, si non ipsius fieret continua reparatio; quemadmodum & oleum in lampade positum

tum

tum flammæ nutritionis causa statim deficeret, si non statutis horis nouum infunderetur. Atque ad hoc necessaria sunt continua assumptio cibi, & potus, ex quibus natiua humiditas in dies resarcitur: neque ad istud præstandũ potus per se solus satisfacit, proinde expedit, vt cum solidiore cibo commisceatur; atque ex eorum concoctione inde solidum, pingueque nutrimentale elicatur humidum; & quantò illud pinguius, solidiusque extiterit, tantò minus ex illo calore consumit, & quo minus absumitur, eò magis longæua protrahitur vita. Ex iusta itaque horum duorum proportione, caloris scilicet naturalis & natiui humidi longitudo, breuitasque vitæ attenditur in omnibus viuentibus, vt videlicet temperaturæ illæ, in quibus optima sit horum proportio, longissimæ vitæ iudicentur; hæ verò in quibus minor proportio, vitæ breuioris. Quòd autem Arist. in lib. de long. & breu. vitæ scripsit, calidum & humidum, quæ vitæ cuiusque viuentis fomenta esse traduntur, diuturnioris vitæ causam esse; præcipuè veritatem habet, cum hæc ipsa & quantitate debitè commensurata fuerint, videlicet vt humidum non excedat calidum, suoque excessu eum suffocet; nec vicissim calidũ sic superet humidum, vt ipsum cito absumat. Insuper opus est etiam, quòd humidum istud sit aerea qualitate bene temperatum, sic vt eius temperies magis ad aeream pinguedinem, & lentorem, quàm ad aqueum mucorem vergat: sic nanque repertum in corporibus humidum (ait Philosophus) nec facilè gelu astringi potest, nec paruo negotio exsiccari, tum ob eius lentorem, tum ob eiusdem commensuratam copiam. Duas igitur ad longitudinem vitæ causas concurrere affirmant, humidi scilicet congenitι copiam suo calido proportionatam, atque ipsius humidi pinguedinem, & lentorem; hæc autem natiui humidi æquabilitas, & temperies temperatam verius, quàm calidam & humidam complexionem attestatur; est etenim in hac temperata complexione calor moderatus, quoniam non igneus est, sed aereus; qui non in summo suam possidet caliditatem; præterea & huiusce complexionis humiditas commensurata est, eaque pinguis, & viscosa; quæ nutritioni caloris maximè est accommodata: non videtur itaque ad vitæ prolongationem alia esse conuenientior ex omnibus complexionibus, quàm temperata ista. In hac profectò temperie calor ita à suo contrario frigido temperatur, vt non nimium excedat ipsam humidi (quò habet nutriri) proportionem, ne statim absumpto nutrimento depereat; vtrumque humiditas ita fit per adiunctam siccitatem temperata, vt commoda proficuaque sit ad nutriendum. Et quoniam in hac temperie calidum & humidum præcipuè sunt, maximeque vigent, quibus alia duo frigidum, & siccum solum ad contemperamentum adijciuntur, ad illorum mediocritatem constituendam, excessumque vitæ incongruum prohibendum: idcirco duarum tantum qualitatum expressam faciens mentionem Aristo. dixit calidum & humidum esse principia longioris vitæ. Quæ verò ad calidum, vel frigidum, humidum, vel siccum lapsa fuerit viuentium temperies, hæ omnes breuioris vitæ traduntur esse: quoniam connato calori incommensuratum suum humidum seruant. Seu quoniam quidem plus aqueæ, quàm aereæ humiditatis temperies particeps existit, frigiditas autem, & siccitas mortis principia traduntur, vbi inualuerint; vnde senes quò magis ad terminum tendunt, eò magis siccos, & frigidos effici cernimus; & mortua corpora statim maximè occupant, frigiditas, atque siccitas: propterea quòd complexio illa breuissimæ vitæ est, in qua ista dominantur; aut alterum eorum siue frigiditas, siue siccitas; Nam illa directè caloti aduersatur, in quo est vitæ principium; hæc verò humiditati, quæ est primæ vitalis qualitatis fomentum.

Quod connatum calidum primo die humidißimum sit, vltimo siccißimum. Et quomodo nutriat, atque nutriatur, & incrassam, tenuemque substantiam distribuatur Cap. XXIIII.



PRIMIGENIVM humidum primo die, quo homo oritur, humidissimum est, vltimo die quo moritur, siccissimum; à suo nanque vitali exurenti calore continuè exuritur, sic quòd in dies siccius euadens siccissimum fit in extremo die. Nec qui ei quotidie adiungitur Alimentitius humor, per cibum, potumque assumptum; ad illatum calidi defectum corrigendum, sic illud corrigit, vt ad prædictam bonitatem reducat. Verius enim exsiccationis excessum inhibet, extenuationemque retardat, ac moderat, quàm illud ad pristinum statum restituat. Et si ad tempus Alimentitius humor connatum adaugeat humidum, vtputa à pueritia ad iuuentutem; vbi vniuersum viuentis humidum adauctum conspicitur;

citur;huiusmodi verò humidi incrementum,non ad longiorem vitam,sed ad perfectiores peragendas actiones (quæ talem humidi conditionem exposcunt) comparatur. Alimentitius nanque humor ex ordine naturę,motionumque cœlestium ad statutum tempus,à pueritia inquam ad iuuentutem, vt natiui caloris secundum molem augescit, pro melioribus edendis functionibus;ad statutum quoque tempus ex eorundem ordine, vna cum natiuo continuè dificiente, & ipse quoque deficit,ab vltimo scilicet iuuentutis termino, inclinante iam vigore, vsque ad extremum senium;tunc enim temporis cùm iam ætas declinat,quò plus alimenti corpori adiungitur, eò magis vtrunque humidum impurius, terrestriusque euadunt; & tandè ad id deuenient, vt bonitatis humoris omnino expertia,fimus ciuisque fiant. Consimile exemplum licet inspi-
»cere in optimo vino in dolio pro potu recondito,quod quidem quantum indies pro quotidia-
»no potu exhauritur, tantundem eidem aqua continuà adiungitur, vt diutius pro constituto tempore vini potio frugi seruetur. Si nanque merum potaretur,citius quàm par esset,intra tempus pręfixum finiretur,cum continua tamen debita aquæ additione,ad statutum tempus frugaliter perueniet; hoc quippe dolij vinum tandiu bonum seruatur, gratumque potum præstat, quandiu potens fuerit aquam in sui naturam conuertere,vinique speciem seruare, quum eousque quotidiana aquę additio processerit,sic quòd aqua vinum in sui naturam vertere incipiat, aquosumque euadat,tunc bonum minus efficitur,& eò minus,quo in dies plus aquæ infunditur, & eousque tandem aqua præualet, vt vini speciem omnino extinguat,inutilisque aqua ad potum fiat; per commixtionem enim extranei (secundo de generatione scripsit Philosophus) continuè ipsa virtus speciei minuitur. Est insuper animaduertendum, quòd naturalis calor vegetus, & viuus vtroque humido simul permixto insito, & aduentitio nutritur, sicut flamma candelæ, quæ ex ellychnij substantia, & cera ei vndique circunfusa alitur. Hæcque calidi innati alitio, vt vitam seruet & continuet, primigenium humidum exugendo exsiccat, & attenuat; alimentitium verò absumendo diflat, & dispergit: secus profectò candelæ flamma se habet,quæ vt suum conseruet lumen, vtranque simul absumit substantiam; tum funiculum, tum ceram,seuumúe ei vndique circumfusum. Primigenium autem humidum tum alit, tum alitur; alit quatenus ex eius pinguedine, oleósaque substantia connatum calidum viuificat, & fouet, indeque exugitur, attenuatur, & exsiccatur; nutritue verò cùm & ipsum fouetur alimentitio humore, opera caloris innati, qui ex beneficio assumpto illud recompensat, deperditam eius substantiam alimento reficiendo; & hæc est ipsa alitio, de qua Philosophi loquuntur,quòd est alimenti conuersio in substantiam alii; & in hac ipsa natiui humidi nutritione actus altricis animæ exercentur,agglutinatio scilicet, appositio, vnio, atque assimilatio. Alimentitius nanque humor simpliciter est calidi innati, & primigenij humidi alimentum,& minimè alitur: ipse nanque cum primigenio coniunctus, vnaque substantia factus, viuum natiuum conseruat, fouetque calorem;deinceps primigenij defectum, eiusdem viui caloris artificio resarcit, acreficit;hæ quippe humida corpora natiuum, & aduentitium cùm homogenea sint, facillimè vniuntur, ad vnamque substantiam veniunt; atque hæc vnio aliàs assimilatio, aliàs ceparatio à Medicis nuncupatur. Concludunt itaque isti, quòd vita vegetatioque caloris innati natiuum perpetuò exsiccat attenuatque humidum,alimentitium perpetuò dissoluit & diflat:hic nanque cùm pro radicalis humidi tutela sit adiunctus, dum calorem insitum alit, prorsus in caloris substantiam vertitur, & sic dum aliud nutrit,ipse disperditur. Radicale autem cùm primum à natura animantis subiectum constitutum sit;quod calorem, vt propriam formam continere habet; & calor illud vicissim, vt proprium subiectum seruare vsque ad sui peryodi extremum;proinde secundum partem, ac illam pusillam, & non secundum totum absumitur in caloris nutritione, vnde & senium, attenuationem exsiccationemque tantum patitur. Alimentitius verò cùm non sit eiusdem conditionis, diflationem, ac omnimodam absumptionem iustè patitur: hæ profe-
» ctò primo de sanitata tuenda cap. secundo animaduertit Gal. dum scripsit. Quæ verò inter-
» nè corpus nostrum lædunt, & corrumpunt nobisque congenita, quæ euitare nequimus, quæ-
» que ex ipsius generationis veluti radice oriuntur, sub duplici cernuntur differentia. Vna est
» radicalis humidi à calido innato sensim exsiccatio; quæ gradatim progrediens ariditatem se-
» niumque constituit; vna igitur hæc est omni genito corpori corruptelæ interitusque connata
» necessitas: Altera est, quæ etiam in animalibus præcipuè cernitur, totius substantiæ fluor,
» quem insitus caloe excitat. Hæc itaque incommoda, nullum quod genitum sit corpus, effuge-
» re potest; celiqua, quæ hæc sequuntur, prouidentia, consilioque certè possune. Quòd verò in animante continuè humidum radicale extenuetur exsicceturque, Alimentitium verò prorsus deperdatur; Adolescentiæ Iuuentutisque floridæ carnis deperditio, atque rugæ, & squallor senij clarè testimonium faciunt. Et de his satis. Distinguimus præterea primigenium humidum vnà cum antiquioribus in terrenum crassamentum, vitæ vitalique calori minimè congruum,

& in

& in aereum perpingue, oleosumque humidum perpetuò vitali calori accommodatum; sicut de vino, & oleo contingit dicere, quæ puriorem olei, vinique substantiam, æsui potuique congruam, & fæcem, & amurcam omnino inutilem ostendunt. Consimiliter de alijs noviter genitis succis dicendum, qui cùm ex etherogeneis conflati sint partibus, crassis scilicet, & tenuibus, mirum non est, si in ipsa compositione illas præseferant ac redoleant.

De alimento alimentitioque succo. Cap. XXV.

HIPPO. in lib. de alimento hanc habet sententiam. Nutrimenti verò & id, quod hoc nutrit, nutrimentum est; & quod velut nutrimentum est, & quod futurum, nutrimentum est. Quam sententiam Gal. lib. primo de nat. fac. cap. xi. explicans ait. Postquàm enim succus is, qui omnis animantis particulam nutriturus est, à vasis excidit, in totam eam primum dispergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demum assimilatur. Hactenus ipse, qui apertè docet, quòd vbi sanguis, sanguineaue massa intra venas per concoctionem elaborata fuerit pro corporis nutritione, extra venas transfunditur, & ad singulas corporis partes alendas distribuitur: ibidemque primum resolutæ substantiæ natiui humidi harum partium apponitur, postea aglutinatur, demum assimilatur. Et sic iam dissolutam humidam substantiam reficit, & istud nutrire nominat. Animatum nanque corpus foraminulentum est, vndique prope se positis poris, vt inde effluere, hinc recipi, infigique facilè alimentitius succus possit, pro corporis nutritione. Hic igitur ipse succus, concoctus pro natiui humidi refectione, vbi sub actu assimilationis cum illo extiterit, proprium verumque ab Hippo. & Gal. Nutrimentum appellatur. Huiusce verò operis, & effectus actio, atque effectio à Medicis communiter Nutritio nominatur; quam quidem Nutritionem Gal. aliàs supradicti succi ad radicale dissolutum humidum affixionem, alias assimilationem, & alibi etiam replationem nuncupauit, Lib. n. 1. de nat. fac. c. 3 scripsit. Quod enim in nutrimenti afluit specie, cum id corporis eius, quod nutritur, omni parti affigitur, actio ipsa nutritio est; caussa verò huius ipsa facultas. xi. autem cap. eiusdem libri ita scriptum reliquit. Oratio verò nutritionis nominis est, ad id, quod nutritur, eius quod nutrit assimilatio. At primo apho. xv. dixit. Siquidem nutritio est eius, quod aucuatur repletio. Et vt de altione dissimiliter, sic & de alimento quoque dissimiliter scripsit; primo nanque lib. de simp. med. facul. cap. xi. id nutrimentum esse ait, quod nostri corporis substantiam augere potest. Conforme dictis Philosophi secundo de anima tract. secundo: vbi dixit. Nutrimentum est potentia, simile ei, quod nutritur. Potentia autem simile intelligimus (subdit ibidem Magnus Albertus) quod vnico motore, agente actu assimilari potest. At lib. primo de na. fac. cap. 1 1. ex Hip. mente, non quod potest, sed quod actu nutrit Nutrimentum appellat, vbi inquit. At propriè quidem nutrimentum est, quod nutrit; id quod comprobat argumento à nutritionis nomine sumpto, vbi inquit. Oratio verò eius nominis est, ad id, quod nutritur, eius, quod nutrit, assimilatio, & 5. apho. 39. hoc idem manifestè explicat, vbi dicit: quantum igitur alimenti alterati fuerit, ab altrice virtute nutrito corpori exquisitæ assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam; & hoc est, quod Hippo. ait. Alimentum autem quod nutrit, &c. Auic. verò prima fen. primi ca. de humoribus vbi de secundis humiditatibus sermonem habet; Alimentū pro re assimulata, pro assimilandaq; sumpsisse videtur, vbi inquit. Tertia est humiditas, quæ in tempore proximo fuit coagulata, & est Nutrimentum, quod in substantia membrorum ex parte complexionis conuersum est, sed ex parte essentiæ completæ nondum conuersum fuit. Ibidem nanque Auic. assimilationis actum in secundas videtur secare differentias, in complexionis accidentiumque similitudinem, atque in vnitatem identitatemque substantiæ: sic vtique conspicimus Gal. diuersis in locis diuersimodè nutritionem, nutrimentumque describere, ac nominare. At vt à nutrimento in huius contradictionis solutione exordium capiamus; dicimus, quòd nutrimentum apud Galenum, & Hippocratem communiter dicit, Succum ab animantis calore concoctum, atque eiusdem dissolutæ particulæ appositum, ac aglutinatum. Istudquè aliàs in potentia, aliàs æquiuocè, aliàs futurum nutrimentum nuncupat. Propriè verò dicit eundem succum eidem dissolutæ particulæ exquisitè de recenti substantialiter, accidentaliterque vndequaque assimilatum. Penès verò Aristo. & Auic. Nutrimentum propriè est quod secundum complexionem, & accidentium dispositionem est tantum assimilatum, & in propinquissima existit potentia, vt substantialiter assimiletur, & vna fiat substantia cum re nutrita; nec inuicem isti multum differunt: nam proxima potentia, & actus parum, aut nihil distant. Consimiliter & de varia nutritionis nuncupatione, quæ diuersis locis in Galeni dictis reperitur, dicimus; quòd Nutri-

tio apud

tio apud eum, atque Hippo. communiter dicit Actum appositionis, aglutinationisque succi
alendi ad particulam alitam; propriè verò dicit assimilationis actum completum, tam secun-
dum substantiam, quàm secundum accidens eiusdem alendi succi, ad ipsammet particulam ali-
tam. Ad id autem quod primo apho. xv. de ipsa nutritione scripsit; vbi nutritionem nec ap-
positionem, nec aglutinationem, assimilationemùe nuncupauit, sed repletionem; vbi dixit,
Nutritionem esse repletionem eius, quod euacuatur: Respondimus repletionem æqualiter
dicere & de appositione, aglutinationeque, atque assimilatione; æquè enim repletio inchoa-
tam, & confusam, sicut completam, & perfectam repletionem significat. Vbi enim alendus
succus exinanitæ particulæ appositus fuerit, iam inchoat illam replere, cùm postea firmiter in-
hæserit, in vnamque deuenerit essentiam, tunc adamussim illam replet. Quare & locum, cui
recenter succus apponitur, & aglutinatur, plenum nominamus; & cùm eidem is idem vndiquè
coadæquatur, assimilaturque perfectè, plenum ipso iure nuncupabimus. Non inuitia igitur as-
serimus, antiquiores vbique locorum benè nutritionem & per repletionem, appositionemque,
atque assimilationem descripsisse; pariterque Nutrimentum ipsum scripsisse pro posse assimi-
lari, atque a ssimilato esse: confinia enim extremorum naturam sapiunt, & eiusdem conditionis
traduntur esse. Hactenus de nutritione, veroque nutrimento ad Gal. Hippocratisque mentem
sit dictum. Sed liceat in præsentiarum præpositam vniuersam Hippo. sententiam ex Gal. ver-
„ bis in lib. de nat. fac. cap. xi. explicare, vbi inquit. Ac propriè quidem Nutrimentum est, quod
„ nutrit: Quod apponitur, id propriè nutrimentum non est, sed æquiuocè: Quod autem in ve-
„ nis est, atque hoc etiam magis quod in ventriculo est, id tanquam nutriturum aliquando sit,
„ si probè concoctum fuerit, nutrimentum appellatur. Ad hunc modum edulia quæque nutri-
„ menta vocamus, non vtique quòd iam animal nutriant, nec quòd talia sint, qualia sunt, quæ nu-
„ triunt, sed quòd nutritura sint, si probè sint concocta. Id nanque est, quod ab Hipp. dicitur,
„ Nutrimentum quod nutrit, Nutrimentum, quod veluti nutrimentum est; Nutrimentum,
„ quod nutriturum est. Siquidem quod iam assimilatur nutrimentum appellauit. Quod verò
„ tale est, quale illud, nempe appositumùe genus; veluti nutrimentum: Reliquum omne sine id
„ in venis continetur, seu ventre futurum nutrimentum. Hucusque Gal. qui clara apertaque sen-
tentia docet, quemadmodum id propriè & verè dicitur nutrimentum, quod humido resoluto
actu assimilatur; qui verò apponitur, aglutinaturque succus velut nutrimentum; reliquos ve-
rò succos omnes, qui in venis atque iecinore, ventriculoquè seruantur futurum nutrimentum
appellat. Has autem nutrimenti differentias omnes vnico alimentitij succi nomine nominabi-
mus. Alimentitium itaque succum ex Hip. & Gal. sententia nos nuncupabimus alimenti
species omnes ab Hippo. descriptas, atque à Gal. expositas, alimentum v3 ipsum, veluti alimen-
„ tum, ac futurum alimentum. Esculenta verò poculentaque omnia, quæ per os intra ventricu-
„ lum assumuntur pro animantis corporis nutritione, quotquot verò ea fuerint, alimenti dunta-
„ xat rationem planè habent, ait Gal. primo de alimentorum fac. cap. primo, vbi corpus eius, qui
„ sumpsit, in qualitate non immutauerint; etenim quod refrigeratum est, aut calefactum, hume-
„ ctatum, aut siccatum secundum qualitatem est mutatum. Quod verò ex cibo ad molem dissi-
„ patæ substantiæ farciendam animal cibi assumpsit, ab illo duntaxat, vt alimento iuuatur. Qua-
mobrem quæ medij sunt temperamenti nullaque vincenti qualitate sunt prædita, ea solum
sunt alimenta, & quale animantis, quod nutritur, corpus assumpserat, tale prorsus conseruant.
De hac quippe alimenti specie Magnus Albertus in lib. de nutriment. & nutribili sermonem
„ faciens dixit: Quòd est mixtum corpus habens humidum aereum cum aqueo, ita quòd vtrun-
„ que subtili terreo sit terminatum. Signum autem eius quod dicitur, est (addit ipse) quoniam
„ taliter commixta optimi saporis sunt, & dulcia. Subdit insuper ibidem Albertus: Quòd ea ali-
„ menta plus nutrientia sunt, quæcunque ipsorum habent naturale humidum facile conuerti-
„ bile in naturam eius, quod nutritur; minus verò nutrientia dicuntur, quæcunque habent tale
humidum minus separabile à terreo, quod est in eis. Cibos autem aliquos esse, qui multum
nutriant, alios qui parum; voluit Gal. de tuenda valetudine sexto cap. vi. Qui autem sunt, ex
libris de facultatibus alimentorum, & de cibis boni, & mali succi discere oportet. Cibus autem
ideo dicitur plurimi nutrimenti, quia maior pars ipsius in sanguinem conuertitur: Illi verò
dicuntur pauci nutrimenti, quia minor pars eorum in sanguinem mutatur. Quod autem maior
pars in sanguinē conuertatur, contingit primò ex familiaritate totius substātiæ; quod sola expe-
rientia discernitur, vt ex Gal. colligitur de tuēda valetudine sexto cap. iij. per hæc verba. Quod
„ est tota substantia idoneum maxime est, sola experientia discernitur, & quæ sequuntur. Fa-
miliaritatis igitur substantiæ est caussa prima, quòd maior, aut minor pars alimenti in sangui-
nem vertatur. Pro maiori itaque vel minori familiaritate contingit plus vel minus sanguinis
generari. Secundo autem contingit, ex familiaritate qualitatis; quoniam quæ sunt magis fami-

liaria, ta-

liaria ratione qualitatis, sunt magis nutritiua; cùm nutritio fiat à conuenienti & simili. Proinde calida & humida, cæteris paribus sunt magis apta nutritioni. tertiò ex modo substantiæ; nam quæ facilioris sunt alterationis, cæteris paribus sunt magis apta nutritioni & conuersioni in sanguinem, quum modica indigeant alteratione: quò fit vt vinum ratione familiaritatis, & ratione substantiæ, & ratione qualitatis inter alia maxime nutriat, ac celerrime, vt testis est Gal. de temperamentis tertio cap. secundo his verbis. Vinum vt assimiletur, opus desiderat minimum; quò fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrimè. Inter familiaria & domestica hominis alimenta panis, & caro recensetur; panis nanque esum vtilissimum inter omnia alimenta esse secundo de alimentorum facultatibus scripsit Galenus; ex pane quidem optimè præparato laudatissimus fit sanguis, vt alibi ipse docuit. atque is solus comestus simplicissimum præstat alimentum. Caro autem cocta est cibus homini familiaris, plurimumque nutrit; & primo de naturalibus fac. ipse addit, quòd ex carne facilè fit sanguis, & ex eius esu densa & firma euadit caro. Sed de his satis sit dictum.

Quid vitale Acquisititiumque calidum dicatur. Cap. XXVI.

VITALE calidum Medici nominant, salubris insalubrisque caloris proximum subiectum, totam inquam graduum caloris latitudinem, intra quam salubris insalubrisque calor vicissim resident, mutuo inde se expellentes; vitalem igitur calorē affirmant, qua vita siue salubris siue morbosa seruatur, & qua vitæ actiones cunctæ aguntur. Tota hæc igitur graduum caloris latitudo, siue fuerit massæ sanguineæ, siue spirituū, siue solidarum partium animal constituentium, vniuersa hæc inquam dicta latitudo nomine vitalis caloris nuncupatur. Hæc & naturalis quoque dicatur, sub latiori nimirum naturalitatis significatu naturale sumendo, quam Medici sumunt, dum salubre secundum naturam, naturaleque appellant; nam istud insalubri calori opponitur, nec simul inesse possunt; illud verò de salubri insalubrique indifferenter prædicatur, & cum vtroque stat, & reperitur. Acquisititium autem calidum non noua, alteraque connati calidi species existit, sed ipsummet natiuum calidum, ipsamet natiui calidi portio, qualiscunque ipsa fuerit, aut massæ sanguineæ, aut spirituum, seu similarium partium; temporis progressu, ætatisque mutatione calidior sicciorque effecta; ab euentu sic nuncupata. Sicut colligi licet ex Galeni sententia primo lib. apho. xiiij. vbi ait. Quò fit, vt quemadmodū innati caloris substantia est aerea, & aquea (vt antea diximus) ita ea, quæ Acquisititij est, Terrea & Aquea existit. Hoc idem inferius comprobat, dum scripsit. Bene enim temperata, est caloris innati substantia, ignea autem alimentarij. Hoc ipsum quoque lib. primo de sanitate tuenda cap. primo affirmauit, dum dixit. Quinimo quantum de aquosa & aerea deperditur, tantum de terrea & ignea acquiritur. Acquisitium quidem calidum dicitur, quoniam Terrea Igneaque substantia in eo præpollet; multi asserunt, quòd hoc calidum ab innato substantia differt: quoniam in innato plurima est aerea, & aquea, minimè terrea & ignea; in acquisititio è contra minimum est aereæ & aqueæ substantiæ, multum verò terrenæ & igneæ. Alij verò hanc differentiam accidentalem faciunt, quando ipsæmet eædem substantiæ ætatis mutatione mutantur, vnde hæ modo, modo illæ dispositiones præualent, quæ permutatio alteratum potius, quam aliud facit; accidentali itaque dispositione hi calores inuicem differunt; qua quidem secundum tempus, vt puta in Iuuentute meliores edunt actiones; secundum tempus verò in senectute scilicet deteriores; proinde & aduentitium quoque, & animalis generationi secundum appellant, relatione ad primum; quasi illud primogenitum, hoc etiam genuinum, illud verò spurium, multoties est dictum. Acquisititium autem calidum, quod aliena maleque acquiritur caliditate, & in via est ad præter naturam, seu iam præter naturam euasit, quod adurendi corrumpendique vim habet, formaliter ab innato calore differt, quoniam iste naturalis est, & secundum naturam operatur: licet naturalis Acquisititius ingrauescente ætate debilius id agat, minusque feliciter quàm dum in florida vigebat ætate; Acquisititius verò in via ad præter naturam, aut iam præter naturalis effectus, sic & in via ad naturam lædendam est, aut omnino illam lædit. Et si naturalis calor (vt antea exposuimus) secunda sua actione elementaliter agens, corpus lædit, & absumit; sue tamen prima actione naturaliter agens illū reficit, & iuuat. Naturalis enim calor quamuis corrumpere, reficereq; habet, per prius tamen, ac felicius reficit, quàm corrumpit; è contra Acquisititius præter naturam agit, nam nihil ad animantis vsum, sed ad eius corruptionem operatur; & si vterque animalis tandem corpus corrumpat. Vnus tamen vt extraneus, & inimicus intra peryodum violenter illud efficit: Alter ex accidenti pedetentim ex ordine naturæ illud molitur in termino peryodi. At liceat

in præ-

in præsentiarum ab animantis calore ad vini calorem humano generi tantopere familiarem, aliquantisper digredi. Sed prius de musti bullientis calore consimiliumque recentium succorum dicemus: Mox ipsius vini calidam & humidam, calidam & siccam temperaturam indicabimus.

Qualis sit caliditas musti bullientis, & qualis vini temperatura dicatur. Cap. XXVII.

Caliditas musti bullientis, consimiliumque recentium succorum à pomis, fructibus, & acinis, nuper expressorum tum naturalis, tum à Solis calore acquisita, vegeta caliditas est, ad homogenea, hethetogenea colligenda segregandaque. Hæc sua continua per plures dies ebullitione intus & extra, continuè se agitans similia colligendo, dissimiliaque abijciendo syncceram putamq; vini, cæterorumque succorum substantiam ab omni immunditia expurgatam reddit. Hæc profectò & musti, & consimilium recentium succorum naturalis caliditas solari calore adiuta, vt antea in fructibus, pomis, atque acinis integris, & non contusis inerat, eos sospites, salutaresque seruabat: hæc eadem ipsa caliditas in eorundem succosa substantia nuper expressa remanens, confusione similarium, dissimilariumque partium simul permixtarum occlusa efferuescit, & ebullit, ac intro & foras fortiter agitatur, homogenea intus colligendo, hetherogenea extra propulsando, nunquam cessat, donec vini, atque succorum vniuersam substantiam claram, nitidamque restituat. Vbi verò deferuerit, ebulliréque desierit, quæ à Sole aderat caliditas adiuuans euanescit, & sola naturalis superstes est, quæ incolumen frugemque vini, succorumque substantiam retinet, & seruat. Hæc vtique vini naturalis caliditas ortui suo propinqua, dum recens nouaque existit, multo humore perfusa, cum calore humiditate iuncta, calida & humida vini temperatura euadit. Quamobrem antiquitas bene illam humidam depinxit, dum ait.

A Ioue sam genitus, lymphis nutritus vtrinque.
Humidus tuasi, perq; patrem calidus.

Dum verò temporis progressu insita vini caliditas pedetentim suum absumit humidum, ad antiquam ignis originem tendens, sicca igneaque euadit, vnde calida & sicca vini efficitur temperatura: quare & ipsa eadem sapiens vetustas hoc ipsum vinum calidum & siccum depinxit, dum cecinit.

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodijt, inuentum sub cinere abluerant;
Ex illo, Nymphis cum Baccho gratia multa est;
Seiunctas, quòd sit igneis, & vrat adhuc.

Quænam sit caliditas fermenti azimam massam fermentantis. Cap. XXVIII.

Fermenti caliditas, quæ duram, densam, compressam, crudamq; massam azimam dictam emollit, rarefacit, extollit, concoquit, fermentatamque reddit, est caliditas animæ vegetatiuæ granorum frumenti, quæ alendi, accrescendi, procreandiq; vim habet, & cum alitione, vires etiam trahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi possidet. Hic quippe vegetans calor, in granis frumenti fractis, in farinamque versis adhuc seruatur, atque etiam in massa ex farina, & aqua confecta perseuerat, ibique caloris semina per massam dispersa temporis spatio vniuntur, vigorantur, & cùm ad pristinam formam regressus non detur, in fermentitiam caliditatem mutatur, quæ azimam massam fermentat, panemque fermentatum efficit rarum, tumidum, spongosamque reddens: huius verò rei testimonium facit modus reparandi fermentum apud Pistores, vbi deperditum fuerit, qui farinam cum aqua calida permiscentes massam conficiunt, eamque pannis calidis inuoluunt, calidamque per tempus calidis tabulis conseruant, ibidemque vegetantis caloris semina dispersa concrescunt, & simul concreta fouentur, vigorantur, atque in fermentitiam caliditatem degenerant, cùm pristinam formam recuperare minime valeant.



Coaguli caliditas lac coagulans quanam sit. Cap. XXVIIII.



COAGVLVM est agni, hœdiúe, seu consimilis generis exigui corporis animalis in ventriculo coagulatum lac, stringendi, glutinandique vim habens: huius verò caliditas liquidum lac coagulans, caloris retentricis virtutis ventriculi opificium est; ab ipso nanque ad constringentem qualitatem permotatur; lac enim suctum, & deglutitum in ventriculum quàmprimum descendit, ibidemque moram trahit, dum ad animantis nutritionem concoquitur, & dum concoquitur simul à ventriculi virtute nutrici, in quo plurimum viget, & pollet, ad astringentem qualitatem alteratur, & permutatur, ob eius substantiam facile alterabilem, indeque astringendi vim adipiscitur; interfecto deinceps animali, ventriculus inde auulsus, fumoque suspensus, ibi maiorem constringendi vim consequitur, coagulumque euadit, glutinandi, coagulandique vim possidens. Hæ quippe fermenti, coagulique virtutes calidæ potentesque sunt, quia virtutis animæ propagines existunt.

Quomodo natiuum humidum reficiatur, & quid Altrix facultas ei præstet, quidque præstaret, si infinita esset. Cap. XXX.



IN fabrica hominis ita à natura est comparatum, vt primigenium hominum (generatricis virtutis opus) sit viuidi caloris subiectum, certæ finitæq; potentiæ, quod statuto tempore calorem sustinere potest. Istod idem cũ alimentitio humido coniunctũ, idoneum fit eiusdem caloris nutrimentum, quod tanto tempore, & non plus illum alere potest: natiuum itaque humidum cum alimentitio permixtum commodum est viuidi caloris pabulũ, quod condecenter alendo vitam ad destinatum tempus protrahit. Istud autem cum finitæ certæq; sit potentiæ, atque e visui adurentis caloris in dies pedetentim exsiccetur, idque inseparabiliter; (quocunq; etiam Altricis virtutis munere adiuncto) nam Altrix virtus longè inferior est generatrice virtute, quare eius actus nullatenus generatricis actum attingere, æquareque poterit, & si adiumentum ei aliquod præstare sit potens; quod quidem est, vt radicale humidum ad suum concessum perdurationis tempus deferatur, ne intempestiuè violenter deperdatur; meritò igitur eidem à primo ortus die vsque ad extremum, comes inseparabilis Altrix facultas fuit adiuncta; hæcque continuè alimentitium præparat humidum, eidemque natiuo coniungit; vt sicut continua est exsiccatio, ita continua (vt condecens est) fit reparatio: sic quippe coniunctim consideratum natiuum humidum quotidie restaurari, & refici à Medicis asseueratur; quatenus scilicet eius vnita, associataque pars pro sua tutela, ne ante tempus disperdatur, assiduè reponitur; non vt illud adamussim in pristinum esse reficiat; quoniam (vti retulimus) est impossibile, sed vt eidem aliqua ex parte satisfaciat, sic vt retardet, & moderet eius siccitatem & extenuationem; eatenus igitur primigenium reficitur humidum, quatenus eidem coniunctum alimentitium cum quo feliciter nutrit, & absque eo minime potest, in dies reficitur, & si ambo reficiantur, dispari tamen fortuna; natiuum nanque cùm densæ firmæque sit substantiæ, ob sui fortitudinem, difficilius longèque minus quàm alimentitium absumitur, istud verò cùm rariori mollorique compactum sit substantia, ob sui tenuitatem facilius longèque plus consumitur; atque vt magis faciliusque absumitur, ita magis faciliusque reficitur, cùm præsto adsit eius refectiua Altrix facultas ad opus istud præstandum. Natiuum verò humidum, sicut sui minimum idque difficilius absumitur; ita nusquam reficitur, cùm sua iam procreatrix facultas sit deiuncta; quæ cùm absit, minime illud renouare poterit; & coadiutrices iam motiones cœlestes sint elapsæ. Quod verò prædicant, quòd primigenium humidum alimentitij vnione quotidie restauratur, & vnum essentiale fit calidi subiectum, quod alendo vsque ad supremum sui diem, illud sustinet; dicimus, quòd quamuis natiuum humidum ex aduentitij appositione fit vnum, (quod essentiale Philosophi dicunt) non propterea identicè secundum omnes perfectionis gradus, vnum euadit; nam temperaturæ ratione differunt, quæ differentia alteratum, & non aliud facit; & minimè impedit, quin essentiale dici possit. Restauratur itaque natiuus humor cum alimentitio coniunctus, at per se solus minime. Nec cum alimentitio quoque coniunctus semper reficitur. Nam cùm Altrix eidem adiuncta facultas sit finita, finito, & non infinito tempore alimentum præparare habet. Quinimo (inquit Auicenna) si Altrix virtus coadiutrix natiui humidi infinita esset, & semper recompensatio rei disso-

lutæ æqualis esset, eiusdemque tenoris; adhuc dissolutio non esset æqualis, sed quotidie addita esset, & sic nec ipsa restauratio resisteret exsiccationi, adeo vt exsiccatio consumeret humidum. Hactenus Auic. Cùm igitur Altrix facultas coadiutrix natiui humidi longè infirmior sit generatrice virtute, sic & actus eius infirmior est actu generatricis facultatis; Altrix enim facultas in alitionis actu generatricis virtutis actū æmulatur, at nusquàm ad eius gradum perfectionis perueniat, peruenireq; potest, stante ordine rerum. Cùm igitur natiuum humidum finitæ sit potentiæ, finitæq; passionis, cùm ad determinatum exsiccationis terminū attenuationisq; perueniet, prorsus exsiccabitur, & dissoluetur; præsertim cùm & Altrix fauctris facultas finitæ sit potentiæ nutriendi, quæ cùm ad terminū peruenerit, desinit esse simul cum omnimoda humidi consumptione: si autem casu contingat, inquit Auic. quòd vis Altrix infinita sit, sic quòd infinito tempore possit humidum resicere, adhuc (addit ipse) humidum exsiccaretur, & finiretur; hocq; duplici ratione, agentis scilicet, & passi. Ratione agentis connatum humidum finitur, quoniam agentia naturalia agunt secundum passi dispositionem; si passum igitur terminatum finitumq; est, & actio agentis in ipso finita terminataq; erit: quare si infinitus agens suam actionem infinito tempore protrahere potest, quantum spectat ad ipsum; nihilominus suus actus ratione passi intercipitur: nam cùm finitum ipsum sit, & actio, quæ ad ipsum dirigitur, finita erit; quando ad illud sit directa, eiusq; ratione illa agatur; finita itaq; semper erit actio agentis infiniti in passum finitū: si igitur finita erit nutritio nutrientis infiniti, propterea quòd corpus, quod nutritur, est finitum; non poterit vtique infinito tempore illud nutrire. Ratione autem passi & ipsum humidum finitur, quoniam finitum terminatumq; passum nullo modo infinitæ actionis, & refectionis est capax; nam cùm recompensatio, quam infinita Altrix facultas natiuo humori præstat, ei non vndequaque satisfaciat, & par sit; quamuis restaurans sit infinitus, actusque restaurandi infinitus, non propterea potens est ipsum ab omnimoda exsiccatione prohibere; quoniam vti diximus, nō tantæ virtutis est actus Altricis virtutis, vt possit naturalis humidi defectui satisfacere. Cùm igitur passum finitę sit potentiæ, & in dies continuo cum omni sua refectione exsiccetur, vt tandem omnino exsiccetur, ad consumptionisq; terminum perueniat, necessum est; & sic tandem finitur, cùm non sit capax huius infinitæ refectionis. Quòd si (vt isti inquiunt) hæc Altrix virtus intensiuè, & in vigore infinita foret, sic quòd & Altricis, & generatricis facultatis actus æquè bene exerceret, & instar generatricis virtutis natiuum exsiccatum, dissolutumq; humidum in propria substantia resiceret, renouaretque semper; tunc si ita res se haberet, proculdubio quis dicere posset, quòd huiusmodi infinitæ potentiæ virtus natiuum incorruptum nunquàm defuturum humidum, & animal perpetuò duraturum omnino seruaret. Et de his satis.

Quid lignum vitæ possit, in calido natiuo humidoque seruando. *Cap. XXXI.*



VOD verò dicunt de arbore vitæ in Paradiso Terrestri, quòd huius gustus corporis corruptionem impediebat: proinde ambigitur, quid eius esus præstabat, præstareq; poterat in Adæ natiuo calido seruando. Huic Diuus Thomas ex Augustini sententia respondet in prima parte summę q.97. art.4. Quòd homo in primo statu duo remedia ad conseruationem vitæ habebat, contra duos defectus. Primus enim defectus est, deperditio humidi per actionem caloris naturalis, qui est animæ instrumentum; & contra hunc defectum subueniebatur homini per esum aliorum lignorum Paradisi; sicut & nunc subuenitur nobis per cibos, quos sumimus. Secundus autem defectus est debilitas virtutis actiuæ speciei, idest imbecillitas animæ vegetatiuæ, seu caloris innati, (vt aiunt isti) quæ quidem natiui caloris imbecillitas ex alterantis ambientis alteratione ibidem fortasse causabatur, atq; ex repassione, quam innatus calor per esum, & ligni vitæ, & aliorum lignorum Paradisi reparabatur, quoniā omne agens in agendo, & transmutando repatitur & debilitatur; & contra hunc secundū defectum subueniebatur homini per esum ligni vitæ: esus nempe ligni huius habebat facultatē fortificandi virtutem speciei cōtra debilitatem prouenientem ex admixtione extranei. Vnde Augustinus dicit in 14. de Ciuitate Dei, quòd cibus aderat homini, ne esuriret, potus ne sitiret, & lignum vitæ ne senectus eum dissolueret: & in lib. de q. no. & ve. test. d. quòd vitæ arbor medicinæ modo corruptionem hominū prohibebat. Hactenus D. Thomas, qui nos docet, ex Augustini sententia, quemadmodum ligni vitæ esus defectui natiui caloris occurrebat, præcauendo ne ille labaretur, & non vt lapsus reficeretur, atque huic defectui non simpliciter per infinitum tempus, sed per aliquod tantum temporis spatium satisfacere erat potens; quare animaduertendum, quòd duorum horum defectuum, & humidi consumptionis, per calidi actionem, & natiui

caloris debilitationis per dissolutionem, neuter completus erat, in statu innocentiæ; nec absolutè corporis passionem corruptionemque dicebant, sed tantummodo remotionem quandam à naturali dispositione; & huiusmodi alterationes, seu defectus non repugnabant illi statui. Alij verò dicunt, quòd multum interest inter deperditionem humidi, & debilitatem virtutis, & caloris; quoniam deperditio humidi non necessariò remouet corpus à naturali dispositione, vt patet in pueris; immo talis passio est ad perfectionem naturæ. Debilitatio autem virtutis, & caloris præcipuè completa manifestè naturam à sua naturali integritate remouet; quare eadem ratione opponitur statui innocentiæ, qua senectus, quæ in tali debilitate consistit. Vnde cum in literis sacris dicitur, quòd lignum vitæ occurrebat huic defectui, interpretandum est, non qui fuit, sed qui fuisset nisi lignum vitæ præuenisset; ita quòd succurrebat huic defectui præueniendo, non restaurando. Nos igitur cum Diuo Augustino dicemus, quòd huius ligni esus in Paradiso Terrestri, vt preseruatiua medicina à summo Opifice ordinata fuit, & non vt curatiua; vt defectui naturalis caloris præseruando, & non curando occurreret; nam defectus quilibet corporis statui illi innocentiæ indecens erat. Congruum quoque fuit, vt suo debito tempore lignum istud sumeretur, ante scilicet senectutis aduentum in ipsa florida ætate, vt naturalis calor viridis vegetusque conseruaretur; atque ipsius etiam radicale humidum commensuratum persisteret. Quod si renuisset assumere, (vt arbitror) perpetrasset peccatum; quod quidem senectutis, defectusque vitæ omnis, ac tandem mortis causa illi fuisset. Ligni itaque esus congruo tempore defectum natiui caloris omnem per certum aliquod tempus præcauebat, & ab omni macula mundum seruabat hominem: & ita huius reiterata comestio vitæ immortalitatem comparare poterat. Meritò quidem addimus reiteratam comestionem; nam vna, vel altera comestio nequaquam poterat simpliciter vitæ immortalitatem præstare. Nam vt bene ibidem Diuus Thomas argumentatur: Nihil potest agere vltra suam speciem; effectus enim non excedit causam, sed lignum vitæ erat corruptibile, alioquin non potuisset in nutrimentum assumi; quia alimentum conuertitur in substantiam nutriti: ergo lignum vitæ incorruptibilem conferre non poterat: præterea effectus, qui causantur à virtutibus plantarum, & aliarum naturalium rerum, sunt naturales; si ergo lignum vitæ immortalitatem causasset, fuisset illa immortalitas naturalis. Præter hæc ibidem inferius subdit, ex Augustini sententia, quòd vitæ arbor medicinæ modo corruptionem hominum prohibebat, non tamen simpliciter immortalitatem causabat; quia neque virtus, quæ inerat animæ ad conseruandum corpus causabatur ex ligno vitæ; mox addit: Neque etiam poterat immortalitatis dispositionem corpori præstare, vt nunquam dissolueretur; quod ex hoc patet; quoniam virtus cuiuscunque corporis est finita, vnde non poterat virtus ligni vitæ ad hoc se extendere, vt daret corpori virtutem durandi tempore infinito, sed vsque ad determinatum tempus. Manifestum est enim, quòd quanto aliqua virtus est maior, tanto imprimit durabiliorem effectum. vnde cùm virtus ligni vitæ esset finita, semel sumptum præseruabat à corruptione vsque ad determinatum tempus; quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitæ. Hactenus diuus Thomas, qui duplici ratione ratiocinatur, ligni vitæ esum simpliciter incorruptibilitatem efficere non posse, primò ligni ratione, quod cùm finitum, corruptibileque sit, minimè incorruptibilitatem efficere poterat: Secundariò ex parte animæ arguit; quòd virtus animæ, quæ vitam corpori dat, non inerat à ligno vitæ, sed à natura animæ: per propriam nanque naturam anima vitam corpori communicat, & per propriam naturam est finitæ virtutis, & à corruptibili corpore separabilis. Quod enim per se finitum & corruptibile existit, non potest per quodcunque alterum adiunctum infinitum, & incorruptibile ex sua natura fieri. Natura nanque rei possibilis, & finitæ in hoc mundo corruptibili minime in necessariam, & infinitam naturam mutari potest. Ratæ nanque, & firmæ fatales leges naturæ sunt, & minimè permutabiles, quibus constanter caducarum rerum ordo innititur. Sub hac igitur lege naturæ, per quamcunque vitalis ligni comestionem homo adhuc in sua dissolubili perstitisset natura; quare si Adæ anima in sua nuda genuinaque natura permansisset, tunc ex quouis continuato esu ligni vitæ finaliter ipse obijsset; nam ex reiterata repassione, qua innatus calor ex reiterata vitalis ligni transmutatione repateretur, eo tandem in patiendo eueniret, vt prorsus absumeretur; quia igitur vis nutritiua alimenti in Adam, etiam conuertendo lignum vitæ in substantiam suam debilitata fuisset aliquantulum, quia omne agens Physicum agendo debilitatur; & secunda vice iterum, & sic deinceps, quod tandem defecisset. Et proinde bene D. Thomas de vi huius ligni vitæ conclusit, quòd eius facultas non causabat incorruptibilitatē simpliciter, sed diuturnam tantum vitam protrahebat. Huic verò defectui, qui contingere potuisset in statu illo innocentiæ, Magnus Opifex præoccurrere voluit, in elargiendo animæ Adæ vim quandam supernaturalem, qua corpus agendo in nutrimentū, & pariter in vitale lignū non repatiebatur ab eis

in eorundem permutatione. Et proinde absolutè fatentur, quòd Adam in statu illo innocentiæ minimè in defectum aliquem, aut in mortem incurrisset. Et de hac virtute animæ Adæ clargitæ testimonium reddit Diuus Thomas in eadem quæstione 97. art. primo, vbi scripsit. Tertio modo dicitur aliquod incorruptibile ex parte causæ efficientis, & hoc modo homo in statu innocentiæ fuisset incorruptibilis, & immortalis; quia vt Augustinus dicit in lib. de quæstionibus no. & ve. te. DEVS enim hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipse sibi Auctor esset, aut ad vitam, aut ad mortem. Non enim eius corpus erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset. Hæc Diuus Thomas. Ac ideo isti duas immortalitatis causas in Adam extitisse scribunt; vnam ex parte animæ; alteram ex parte corporis: ex parte animę vim hanc supernaturalem, qua corpus agendo in nutrimentum, & in lignum vitæ non repatiebatur ab eis; altera ex parte corporis, & ista est lignum vitæ habens virtutem conseruandi ad certum longum tempus. Vnde iungendo has duas causas simul, in statu illo nulla debilitatio sequebatur; quare nec senectus, nec mors vnquam illi contigissent.

Quid aurum potabile præstat in calido, humidoque natiuo seruando. *Cap. XXXII.*

RAYMVNDI autem Lulij, atque recentiorum celebrata quinta illa essentia, aurumque potabile; si tale quale ipsi describunt virtutibus plenum reperiatur, ipsum profectò ligni vitæ vires æmulatur. In suo nanque primo libro de secretis naturæ, ita scriptum reliquit. ,, Restat igitur quærere, quæ citra terminum vitę nostræ possit cor-
,, pus nostrum à putrefactione seruare, & infirmum curare, & deperditum restaurare, donec ve-
,, niat vltima mors in termino præfixo ab altissimo Creatore DEO. Ratio nanque naturalis no-
,, bis demonstrat, quòd corpus hominis potest per rem minus corruptibilē à corruptibilitate con-
,, seruari, aut ab infirmitate sanari: nulla enim res, quę ad non esse habet inclinationem, conserua-
,, ri potest per consimilem rem; sed quærenda est res, quæ ad esse habeat inclinationem: Vnde
,, quanto magis res propensionem habet ad esse, tanto minus habet in se de contrarietate, & cor-
,, ruptione: sed nulla talis medicina dari potest, in qua sit tanta perfectio appetitus ad esse, quanta
,, est materia quintæ essentiæ, menstruum vegetabile, cœlesteq; animal dictum. Hæc quidem car-
,, nes à corruptione conseruat, materialiaq; confortat, iuuentus pristina per ipsam restauratur, spi-
,, ritum viuificat, crudum digerit, ratum indurat, induratum rarificat, macrum impinguat, pingue
,, debilitat, inflammatum refrigerat, refrigeratū inflammat, humidum desiccat, siccum humectat;
,, quoquomodo vna & eadem res contrarias potest operationes; solus actus vnius rei diuersus fit
,, secundum naturam recipiētis; sicut calor Solis, qui contrarias operationes habet, quia lutum ex-
,, siccat, & ceram liquefacit; actus tamen Solis vnus est in se, neque quantum in se contrarius est.
,, Quinta etenim rei essentia cuicunq; rerum complexioni accommodatur; nam illius dicitur esse
,, complexionis, cui adiungitur; sicut si calidis adiungitur calida fit in eodē gradu, & fortiori pro-
,, pter subtilem materiā, in qua sua forma, & actus eleuati sunt, cum quibus ita operatur. Hanc ve-
,, rò naturam aliqui dixerunt non esse calidam, neque humidam, neque frigidam, neque siccam,
,, ex eo quia sua natura cum omnibus conuenit. Hi verò in hoc errauerunt, contra quos ipse ibi-
,, dem pluribus medijs argumentatur. postea concludit & ait. Est igitur quinta essentia composi-
,, ta ex quatuor elementis, & in ipsa sunt actualiter omnia elemēta, cum omnibus suis actibus; sed
,, omnia in ipsa sunt aggregata in tam subtili materia, & in forma tam subtili, & tam simplicitati
,, propinqua respectiuo modo, sicut in oculo Basilisci: vt per experientiam patet in curatione
,, morborum, & in metallorum transmutatione, & in pretiosorum lapidum confectione. Hanc
,, verò naturam Philosophi vocarunt cœlum, quia sicut cœlum infundit nobis aliquando calo-
,, rem, aliquando humiditatem, & reliqua huiusmodi; sic quinta essentia in corporibus humanis
,, ad placitum. Hanc eandem doctrinam lib. secundo de vsu quintæ essentiæ repetit, vbi inquit;
,, videtur mihi impossibile, quòd senectus retrogrediatur ad iuuentutem: cætera quæ sequuntur, omittimus, ne aliorum scriptis librum replere videamur. Si quis verò quærat, quidnam horum trium, an lignum vitæ Paradisi, an quinta recentiorum essentia, seu verius infinita Auic. virtus magis agat, & operetur ad diuturniorem salubrioremq; vitam protrahendam; attribuimus dignitatem, primamq; sedē infinitæ virtuti, ligno vitæ secūdam, quintæ essentiæ tertiam. Vtinam Raymundus sicut huius quintæ essentiæ faciliter vires explicauit, sic eiusdem facilem rectamq;

compo-

compositionem docuisset, vt tanto bono, eius beneficio humanum genus frueretur. Sed hæc magis curiosis diligentius inquirendum, ac radicandum relinquimus.

De Galeni sententia in 3. ca. lib. de Marcore, vbi opinionem illorum refellit, qui calorem innatum flammæ comparantes, ita ab eo corpora, sicut à flamma ligna absumi dicebant.

Cap. XXXIII.

NOS quænam causa sit ob quam tum animalia, tum stirpes singulę senescunt, persequemur. Ceterum siquidem tum ea exsiccari, tum eiusmodi affectum illis esse senium, quamuis nonnulli alter opinati sint, asseruerintque frigidos humidosque esse senes, eorū tamen deceptionis causam in lib. de temperamentis ostendimus. Nunquid igitur ob id (vt à quibusdam dicitur) exsiccantur animalia, quòd innatus sibi ipsis calor, veluti quidam ignis existens incrementum, ex qua accenditur materia sumitur: huic enim inditus est, ab hac nunquam separari potest; ex hac denique omnia habet. Nuper ergo nata animalia, quemadmodum & ipsæ etiam stirpes, vniuersa sunt humida. Ideoq; calor humiditatis copia, tunc veluti suffocatus vix seipsum attollit, vt qui nebulosus, tardus, & ad motum difficilis existat; temporis autem progressu humiditatem illam superat, ac omnis materia euadit superior, iamq; non nebulosus, turbulentusq; neque fumosus, sed purus & æthereus redditus suos ipsius motus vniuersos liberè commonstrat, & iam breuiter totam rem complectar, sicuti flammæ vbi in humida inciderint ligna, principio quidem opprimuntur, ac veluti suffocantur, quò paruæ admodum imbecillæq; sint; temporis verò spatio tum splendent, accrescunt, tum etiam paulatim materiam superant, ac tandem cùm iam totam superauerint, in maximam attolluntur magnitudinem quod certè ipsis vigor est, ac robur; deinceps verò hoc alimento iam deficiente marcescunt, ac extinguuntur. Ita etiam (inquiunt ipsi) calor, qui in nobis est, ac corpori tanquàm materiæ cuidam, inditus principio quidem humidus, ac imbecillis est, deinceps verò vsque ad vigentem ætatem increscens, tum splendet, tum augetur, ac in amplissimam eleuatur magnitudinem, ignis flammam imitatus ab hinc alimenti penuria paulatim marcescit, idq; est senium; mox verò iam prorsus extinguitur, quod est mors. Hæc ratio ab omnibus fermè recentioribus tum Medicis, tum Phyl. probatur, quæ tamen meo iudicio vera non est, vt quæ ignis flammam animalium calori comperet, haud sanè intelligens flammas ex corruptione eiusdem materiæ, ex que succenduntur, ortum habere. Animalia verò non sic innatū ab eo, qui ea effinxit, sortita sunt calorē: sed vt ab illo augenda, & gubernanda, nec vllū datur tempus quo innatus noster calor, per vniuersam materiam ipsam non sit extensus, non eas solū facultates, quibus fingit obtinens, sed & plerasq; etiam alias, nam & nutrimentum ad seipsum trahit, materiamq; gubernat, apponit, agglutinat, assimilat; & vt semel dicam, omnia secus ac flamma in innatam sibi materiem efficit. Nam quæ vnquàm flamma materiam cui indita est, auget? quæ materię potius alimentum assimilet, quàm sibi ipsi materiam? & quæ denique tot machinationes, vt materiam tueatur, inuenit, nonnullas quidem partes circumuestiens, ac claudens, vt nihil ipsis extrinsecus adhæreat; nonnullas verò perforans dilatansque; & post multa inquit; omnem huc imprudens de particularum vsu tractationem transferam, si singula naturæ opera enarrare voluero. Quamuis huius opinionis principes, idem esse calorem innatum dicant, & naturam; haud igitur rectè eum igni assimilant, comparantque, ac corpora ab ipso corrumpi putant. Cur ergo aiunt ab Hippocrate fuit dictum? Interficit igitur nos calor ille, qui corpora produxit. Primum quidem vobis respondebimus, boni viri, non esse illum ex legitimis Hippocratis libro, in quo hæc dicta leguntur. Deinde verò licet Hippocratis decretum esse concedatur; declarari tamen oportuerat quonam modo dictum fuerat, ac aliquam afferri demonstrationem. Si verò ex eo fidem sibi haberi dicunt, quia demonstrationibus destituuntur, parum profectò rectè sapiunt. Equidem verum est ob innatum calorem corpora, tum senescere, tum tandem corrumpi; falsus tamen est modus, quem ipsi tradunt; neque enim sicut à flamma absumuntur ligna, ita quoque à calore innato animantium corpora. Hoc sanè exemplum ijs qui à febre corrumpuntur, accommodari posset, idque quod ab Hippocrate in nuper citatis verbis fuit dictum, tale quid videtur indicare, exsiccari sanè corpora secundum quandam consecutionem, hocque ob calorem innatum fieri omnino verissimum est; quemadmodum & in primo de sanitate tuenda lib. ostensum fuit, idem tamen in præsenti quoque disputatione repetere nihilominus est necessarium. Hactenus Galenus. Alij verò ellychnio lucernæ, verius quàm succensorum lignorum

flammæ naturalem calorem comparantes dixere, quòd ellychnium lucernæ oleo perfusum similaribus animantium partibus, natiuo humore conspersis simile existit. Oleum verò, quod in lucerne proximius inhæret, ellychnio humiditatibus, roti scilicet, glutini, & cambio, quæ similaribus vniuntur partibus, similantur. Quod verò in vniuersa lucernæ capacitate oleum continetur, sanguineæ massæ, quæ in magnis iecoris, cordisque venis inest, speciem refert. Vt igitur in ellychnio oleo perfuso accensa flamma, nouo continuè lucernæ oleo pabulum continuatim indiget, vt ad certum quoddam luminādi tempus lumen perducat; nam secus luminosa ardens flamma quàm breuissimo tempore ellychnium absumeret, & intra tempus lumen finiretur; ita viuidus animantium calor in primigenio similarium partium humore succensus, nouo continuè viuentis corporis humore pabulum eidem subministrante opus habet; vt ad destinatum vitæ periodum ipse protrahatur, aliter à suo aduenientecaldo confestim (natiuo absumpto humore) breui, & antè tempus terminabitur. & sicut succensi ellychnij, adest flammæ ad suæ constitutæ illuminationis terminum, & suo, & lucernæ simul permixto liquore fruatur. Qui enim intra lucernæ capacitatem continetur humor, [illegible] ellychnio pars, per ipsummet ellychnij humorem, eidem vnitur, utrique [illegible] permixtus, & denso, & crasso [illegible] corpori flammæ idoneum fiunt fomentum [illegible] alendo ad destinatum suum illuminandi tempus perducunt, vt enim vtroque humore flamma constatur, ita vtrisque ad suam metam defertur. Flamma enim qualibet in hoc mundo firmiter perseuerans, alicui denso, & firmo semper innititur corpori, quæcunque verò alia modo alio accensa fuerit, in instanti temporis deperditur, vt scintillæ, fauillæ, coruscationes, consimilesque crebris cadentes [illegible] in dies testantur. Sic & natiuus calor in solidioribus [illegible] particulis accensus, natiuo, alimentitioque simul commixto humore, vsque ad concessum suæ vitæ periodum seruatur. Alimentitius quidem humor intra cordis, iecorisque viscera [illegible] qui oleo in lucernæ capacitate contento correspondet, hic in rorem, glutem, cambiumque conuersus solidis particulis proximior effectus, iis eisdem mox per earundem partium connatum humidū vnitur, & vna congrua alimentitia calidi innati fit substantia, quæ eum firmiter alit, successiueque alens, ad destinatum vitæ periodum, eum ipsum perducit. Vt igitur ellychnij flamma coniunctim semper ex vtroque simul permixto humore, ardens luminosaque seruatur, sic è contrario, seu altero deperdito humore, aut vtrisque simul absumptis, illa deperditur. Vbi autem ellychnij humidum, qua parte lumen emicat, vi suæ comburentis flammæ fit adustum, sic quòd carbo humiditatis expers euadet; flamma proprio ellychnij humore absumpto conficitur; nec quod in lucerna superest humidum, deficiente medio, quo ellychnio iungitur, potens est, ei alimentum, auxiliumque præstare; vnde humidi ellychnij defectu deficit. Illud idem in homine ethica febre correpto contingit videre, vbi radicale cordis humidum (quod in viuente instar ellychnij humidi se habet) vi febrilis caloris est exustum, vnde alimentitius per corpus diffusus humor, deficiente cordis humido, eidem minimè coniungi potest, adiumentumque præstare; quare vt sui natiui humidi defectu pereat, necesse est.

Vt ignis flamma, vegetusque viuentium calor, quodammodo similis; ita horum vtriusque pabulum, quodam etiam modo consimile existit. Cap. XXXIIII.

FLAMMA quæ apud nos ignis elementi speciem gerit, non simplex, vt ait Alex. sed mixtum corpus est; & quoniā in mixtione ignis præualet, ignis nomen naturamque seruat; ast vtique noster hic ignis (quem flammam dicimus) ens secundum quid permanens, & secundum quid successiuum; ast quippe permanens, quia ex sui natura permanet; successiuum autem est, quia est in continuo fieri: ac ideo continuo indiget alimento, quo possit continuato procreationis tenore perseuerari. Hic profectò nostratis ignis ceteris collatus elementis propter suam formalitatem, efficaciamque agendi, vt forma, & agens se habet; neque enim est vera forma, quæ simplex purusque actus sit; quoniam reuera est corpus, nec illud simplex, sed compositum, vti retulimus; quælecunque autem extiterit, reliquis comparatum propter sui præstantiam, formæ dignitatem habere tradiderunt; & vt forma subiectum, quo subsistit, habere dicitur, sic & flamma huius imaginem gerens suo modo subiectum habere affirmatur; vt igitur non verè, sed abusiuè dicitur forma, sic & non verè, sed abusiuè subiectum habere dicitur. Cùm igitur esse flammæ sit in continuo generari, quod per continuam pabuli fruitionem fit, pabulum igitur flammæ perpetuò coniunctum esse (quo subsistat & viuat) necessa-

necessarium est. Quod nomen subiecti sibi vendicat, quatenus flammam sustinet; quatenus verò in eius substantiam permutatur, pabuli nutrimentique nomen retinet. Cùm igitur flammam rationem formæ habere diximus, verùs fortasse compositum ex succo alente, & flamma alua, quàm mixtum nominabitur corpus. Lucernæ namque candelæ, atque vrentium lignorum flamma longè melius ex ellychnijs cera, oleoque perfusis, atque ex lignosis fibris nativo succo imbutis, & ex luminosis flammis composita corpora dicentur, quàm tota per tota confusa. Flamma verò per se se absque pabulo considerata, quæ simplex ignis elementum testatur, & ipsa ex materia vti ex subiecto, & ex forma vti ex actu compositum nominatur corpus & hæc ab ambiente semper vti è suo contrario, & nusquam à semetipsa corrumpitur; per accidens verò se corrumpere dicitur, cùm flammæ alentis succique alentis compositionem dicit, ex omnimoda succi absumptione.

Viuentium autem connatum calorem (quem animæ organum dicunt) non quid medium inter corpus & animam vt Platonici, sed mixtum compositumque corpus (vt Peripatetici voluere) nos facimus. Hic profectò instar flammæ ignis, propter suam formalitatem, efficaciamque agendi nomen formæ & agentis retinet: non quòd sit vera forma, actus purus, & simplex, sed quoniam illam æmulatur in perfectione & actione, & cùm ignis soboles progeniesque sit, sicut ignis, secundum quid permanens, & secundum quid successiuum ens erit, licet longè magis permanens, & constans sit, quàm ille ad destinatum tempus à superis motionibus præordinatus. Hic itaque calor innatus instar ignis cuius est propago, in continuo est fieri, & corrumpi, & perinde continuo indiget nutrimento conseruante: & quoniam à contrarijs elementis, & qualitatibus est temperatus, atque animæ organum effectus, propterea partim vt naturalis, partim vt elementalis agens cernitur: vt enim igneæ antiquæ exurentis naturam redolet natiuum humidum suum subiectum & pabulum absumit, & exsiccat; vt verò naturalis existit, arbitrio animæ agens illud idem natiuum subiectum à lapsu reficit, & custodit; hac eadem ratione quoniam temperatus est, nutuque animæ operatur, propterea non liberè elementaliter sicut flamma celeriter confestimque suum consumit pabulum, sed pedetantim quadam mensura, ac ordine, vt animæ instrumentum decet. Et sicut ardentem ignem compositum corpus fecimus ex flamma, & suo alente succo, sic viuentium naturalem calorem compositum corpus dicimus ex vegeto calore, & humido natiuo nutriente, idipsumque heterogeneum ex dissimilibus substantijs compositum faciunt, ex calido inquam & humido. Et ideo connatum calidum nos diximus esse temperatum viuum, vegetumque calorem natiuo alimentitioque humido alitum, & suffultum, mirando quodam naturæ opificio confectum. Fernelius autem illud manifestauit, per primigenium humidum insito spiritu & calore perfusum. Atque diuersam (sicut & nos) humoris calorisque substantiam fecit. Nos verò non per humidum, sed per viuum vegetumque calorem vti per formam, per humidum verò sicut per subiectum, & pabulum illud describimus; vtpote naturalis calor est viuus vegetusque viuentis corporis calor alimentario, natiuoque nutritus, ac sustentatus humore. Etsi vtrunque humidum in eius explicatione recensemus, natiuum tamen primas obtinet partes; illud quippe vsque ad quendam suæ perfectionis terminum vtile est ad calidum alendum, & seruandum, extra verò illud inutile, ineptumque fit. Neque in præsenti, cum illis contendimus, quòd triplicem humidi substantiam faciat, oleosam scilicet, alimentariam, atque aqueam. Nam cùm quælibet harum ex aerea, aqueaque sit constata humiditate, & ex huius, vel illius maiori, vel minori commixtione has, & fortasse plures humiditatis differentias licet conspicere; satis nobis sit, natiuum humorem aereæ naturæ plurimum habere, quę propter calidi symbolesitatem longè magis quàm aquea nutritioni commoda existit: atque hæc aerea benè contemperata humiditas, vt supra recensuimus, latitudinem habet, qua frugis seruatur, & quam transgredi non licet. Sed ad rem nostram redeuntes, dicimus, quòd calor absque suo alente humore contemplatus, instar flammæ, cuius est imago, ex sua materia vti ex proprio subiecto, & ex temperato calore, vti ex forma compositum corpus est: atque corpus istud vi ambientis semper, & nusquam à sematipso corrumpitur; quando suæ necis per se, & ex instituto nullus sit auctor: atque calor iste est, quem nos primam animæ virtutem, primumque instrumentum fecimus. Quatenus verò ex dissimilibus substantijs compositum esse dicunt, ex calido scilicet alito, atque humido alente; tunc suæ necis per accidens, alterius videlicet interiectu, causam esse contingit; nam naturaliter supra suum subiectum agens, elementaliter illud exurit, & sic se ipsum pariter per accidens dirimit. Et penès hanc doctrinam cum illis sentimus, qui aiunt, quòd mixta compositaque corpora dupliciter corrumpi contingunt. Vno modo per aduentum contrarij, sub quo consistere non potest eorum forma. Alio modo per dissolutionem mixtionis, & compositionis, sicut in marcore, putrefactione, adustioneque in dies mixta corpora dissoluuntur. Candelæ namque flamma (secluso suo-

su pabulo)

ſo pabulo) ſemper à ſuo contrario frigido ambientis cõrrumpitur. Similiter innatus viuentium temperatus calor, excluſo natiuo ſucco alente; ſemper membrorum, humorumque ambientium frigiditate interimitur, Candelæ autem flammæ, atque calor innatus vnà cum ſuis ſubiectis conſiderati; quatenus compoſitionem ex flamma, caloreque innato vt forma, & ex ſeuo natiuoque humido vt ſubiecto denotant, tunc ſemper vno horum trium modorum corrumpi contingunt, aut ex marcore, aut ex putredine, aut ex aduſtione. Candelæ autem flammã tunc marceſcere inquiunt, cùm abſque eliquatione aliqua ſeuoſum ſuum pabulum pedetentim conſumit; ſi verò cum liquefactione plurima hinc & inde per corpus candelæ effuſa ipſa ardet, tunc quodammodo putreſcere dicitur: ſi autem vniuerſa candela ardens in flammam vrentem ab aliquo proijciatur, ſic vt flamma totam candelam cum ſuo lumine confeſtim exuriat, tunc illam exuri dicunt. Similiter & de calido innato affirmant, quòd ille marceſcit, cùm propter lòngum ſenium omni ex parte paulatim exſiccatur. Cùm autem nulla ambientis caliditate calor in ſuo interminato hinc & inde diffluente humido cõrrumpitur, putreſcere dicitur: cùm demum interius exteriusque vniuerſum corpus vi comburentis caloris abſumitur, tunc exuri illud aſſeritur.

Quo pacto calor naturalis, tum calidus, tum etiam humidus vulgò dicatur, & quot ſint eius ſpecies. Cap. XXXV.



VPERIVS loco ſuo naturalem calorem deffiniuimus eſſe, igneum calorem ſua iſta frigiditate temperatum, ſuoque humido in mixtione obtento proportionatum; atque hoc ipſo humido nutritum, & ſeruatum: hanc quidem naturalis caloris deſcriptionem omnibus natiui calidi ſpeciebus ſuo modo conuenire tradiderunt; licet in actuati caloris deſcriptione, alij nouam addiderunt differentiam, dicentes; quòd actuatus viuentis corporis calor ſic vegetus temperatus calor primigenio humido nutritus, viciſſimque illud ipſum primigenium alimentitio ſucco renutriens. Farn. verò, vt ante diximus lib. 4. de naturali calore, aliam tradidit notionem; dum ſcripſit: Naturalis calor eſt primigenium humidum inſito ſpiritu, & calore perfuſum; multaque alia de naturali calido ſcripſit, qui cùm ab alijs non à noſtris progrediatur principijs, inutile omnino iudicauimus, cum ipſo in præſentia ſuum ſermonem habere; præſertim cum noſtrum ſit ſtudium à Peripateticorum diſciplina, ne latum quidem vnguem in hac tractatione diſcedere. Secundum igitur noſtra poſita principia dicimus, vnà cum vniuerſa Medicorum, Philoſophorumque ſchola, quòd naturalis viuentium corporum calor vbique calidus, & humidus nuncupatur: non quòd caliditas & humiditas ſe habeant vt forma mixti viuentis corporis, ſicut humiditas & caliditas aeris forma dicitur eſſe: quoniam caliditas, quę in mixto animato corpore reperitur, non vt aſſecla, remiſſa, & obtuſa ſe habet; qualis eſt aeris caliditas humiditati coniuncta, famulatum præſtans; ſed vt domina viget, & pollet, cunctaq; operatur, & inſtar ignis, à quo ſuam accipit eſſentiam, perpetuo indiget fomento, perpetuoque ſuo proportionato humido nutritur, & abſque eo ſubſiſtere nequit. Antiquiores itaque calorem naturalem vbique locorum calidum & humidum nuncuparunt; non vt ambæ hæ qualitates in mixtione peruincentes, mixti corporis formæ ſint, ſub vna & eadem formali ratione; quoniã (vti retulimus) à vero hęc multum diſtant, ſed & calidum & humidum nominarunt, quoniam vnum abſque altero in mixto animato corpore minimè ſtare poteſt; etiam ſi vtrunque ſub diſpari ratione conſideretur: calidum nanque vt forma & perfectio; humidum vt materia, & perfectibile ſemper intelligitur: propter ſolam igitur neceſſariam coniunctionem, quam habet calidum cum humido, & humidum cum calido in animatorum corporum mixtione, ſine qua nullo modo viuum extaret animal, Antiquiores calorem naturalem humidum ſemper vocitarunt, & humidum naturale pariter calidum appellarunt; Ideoque bene dixere, quòd animantia calido viuunt, & humido nutriuntur. Sed ad calidi innati ſpecies enumerandas accedamus. Tres calidi animati corporis numerantur ſubſtantiæ à vetuſtioribus, quæ vniuerſam animantis eſſentiam explent; Continentes videlicet, contentæ, atque impetum facientes. Continent quippe partes ſolidæ, ſpiritus intra animantis viſcera impetum agitationemque faciunt, humores intra propria vaſa continentur, pro ſpirituum, ſolidarumque partium nutritione. His duæ aliæ adducuntur, non vt integrantes, ſed vt perficientes, meliorisque vſus gratia à natura ſunt datæ, ſanguis menſtruus, & ſemen; quæ intra genitalia vaſa ſeruantur ad procreandum ſpeciemque ſeruandam: His inſuper ſexta, & vltima calida adiungitur ſubſtantia omnium nobiliſſima, vtriuſque ſcilicet ſeminis ſanguiniſque menſtrui intra vterum mixtura, genitura inquam ipſa, & conceptio generationis, primæque noſtræ fabricæ opifi-

cæ opificium verum. Hæc calida semper existit, viuifico calore, vitalique spiritu vndique plena; sed magis minusque calida dicitur, penès maiorem, minoremque commixtorum principiorum caliditatem; vnde hæc masculum, illa fœmellam procreare affirmatur: & hæc frigidioris, illa calidioris temperaturæ dicitur. Semen verò, vt refert Philosophus secundo de generatione animalium cap. secundo, hetherogeneum est: eius quippe substrata substantia, aquea est, vitali spiritu, viuidoque calore perfusa; ac ideo calidæ temperaturæ perpetuò asseritur esse, donec suam prolificam seruauerit virtutem. Sanguis autem menstruus, & si debilioris sit caloris quàm semen, attamen & ipse, cùm secundo prolificoque abundet calore, calidæ existit temperaturæ, calidusque semper erit, dum suam fœcundam seruauerit temperiem. Massam autem sanguineam in animantis corporis venis detentam, calidam & humidam prædicant esse; hæc namque quatuor humorum massa, quoniam solidarum partium futurum est alimentum, aptum per corpus vndique diffundi, vt aquæ & terræ in sui procreatione haberet, necessum fuit; cùm item & spiritus quoque alere debebat, ignis aerisque naturæ participem fore opus fuit; & quamuis frigiditas & siccitas mole præualeant, caliditas tamen & humiditas virtute præpollent; sic quòd calidæ & humidæ statuitur esse naturæ. Spiritus autem, qui & ipsi ex quatuor conflantur elementis, minimum aquæ & terræ possident, plurimum aeris, & ignis propter continuam eorundem per animantis corpus agitationem, vitæ sui summopere necessariam; quare calidiori præditi temperie, ignei aereique sunt dicti. Similares quidem partes cum ortus, figurationisq; gratia, humidæ; pro vitę verò actionibus explendis siccę ac duræ opus erat, vt forent; in generationis principio primæ earundē fabricæ magna ignis portio fuit concessa, cùm multo humore perfusa; vt humidæ existentes ortui figurationique idoneæ essent: at ignis portio vegeta, & nunquam otiosa exsiccandi vim habens, illas pedetentim siccas, firmasque reddit, & ad functionum optimum statum, pro actionibus explendis deducit; paulatim superfluum ablumens humidum. Mox inde à firmo perfectoque operationis statu, quanto tempore ad illud exsiccando, perficiendoque iam peruenit; per tantundem temporis ex ordine paulatim exsiccando, imperficiendoque eò venit, vt illum simul cum calore finiat; frigidiumque reddat corpus, ac tandem vitam terminet. Sic quippe solidas animantis particulas iuxta ætatis cursum, calidas & humidas, & calidas modicèque siccas, ac tandem cum pauco admodum calore illas siccissimas licet conspicere. Colligendo tandem animati corporis partium temperaturas, atque earundem differentias, semper calidas & humidas inuenimus (quandiu animal superstes est) modo à minima, modo à mediocri, modo à plurima frigiditate, siccitateuè moderatas, sicut supra iam fuit expositum: nihilominus semper hæ animantium particulæ, quandiu animal vixerit, calidæ & humidæ vulgò nominantur, non quòd caliditas & humiditas (sicut diximus) sit earundem partium forma, actusque simplex, sed quoniam hæ duæ qualitates in viuentium corporum mixtione, semper præualent sub dispari ratione; caliditas vt forma continens, humidum vt subiectum contentum; sicque coniunctim inuicem in mixtione se habent, quòd vnum absque altero in viuente minimè stare potest, hac vtique inseparabilis coniunctionis ratione calidæ & humidæ hæ viuentium particulæ denominantur, & non simpliciter à formis illas constituentibus; & si de massa sanguinea, menstruoque sanguine id dicere fortasse vndequaque non sit tutum. Animaduertunt insuper tum Medici, tum Philosophi, quòd & massæ sanguineæ, & spirituum, atque similarium partium connatus calor modò seiunctim, aliquando coniunctim conspicitur. Seiunctim & separatim, dum in proprijs locis, vtputa in venis, arterijs, dextro sinistroque cordis ventriculo, atque in ipsis solidis consideratur particulis. Coniunctim verò consideratur, dum influens calor, massæ scilicet sanguineæ, atque spirituum vnà cum insito similarium partium calore conuenit, ac actuatum formatumque (quod vocant calidum) constituit. Hi nempè calores cùm homogenei sint, facilè simul coeunt, in vnamque veniunt formam. Actuatum itaque calidum nos dicimus solidarum partium, & præcipuè Principium, ac cordis maximè calorem cum sua debita copia & sanguinis, & spirituum coniunctum: vbi enim sanguinis, spirituumq; calor cum membrorum calore coniungitur, actuatus formatur calor, qui aliàs & vegetus, & viuidus nuncupatur; hic inquam ipse est, proximum accommodatumque animæ instrumentum pro singulis corporis functionibus explendis. Hic quoque & natura & facultas à Medicis nominatur. A Philosophis verò communiter virtus dicitur: nec certè aliam animæ instrumentalem virtutem nos cognoscimus, quàm actuatum calorem istum; & si naturæ nomen vniuersaliter spirituum calori tribuatur; sicut Gal. recenset lib. 7. de plac. Hip. & Pla. & lib. v. de simp. med. facul. Verius tamen actuato solidarum partium calori, tanquam viuidiori, atq; longè alijs efficaciori condonatur. Hunc profectò actuatum calorem varijs considerationibus tum accidens, tum substantiam superius fecimus. Sic quippe vniuersim septem caloris species in animato corpore cernuntur. Tres in conformatione partium corporis,

fœminis

seminis inquam, sanguinis menstrui, atque geniturae; & quatuor iam conformato corpore, massae scilicet sanguineae, spirituum, & similarium partium, postremum ex his tribus quarta conformata conspicitur omnium praestantissima actuata, à Medicis caliditas dicta.

Cuinam speciei caloris naturalis funiculi lucernae, succensorumque lignorum flamma comparetur. Cap. XXXVI.



VVM calidi naturalis nomen multiplex sit, ac de multis caloris speciebus praedicetur; etenim & de seminis, sanguinisque menstrui, atque geniturae calore aequè dicitur; pariter de spirituum, massae sanguineae, similarium partium calido, atque ex actuato ex his tribus conformato aequaliter praedicetur; contemplandum est cum quo istorum dictorum propriè Antiqui, recentioresque & lignorum succensorum, & funiculi lucernae flammam compararunt. Neque dicendum, quòd adurens flamma seminis, menstrui, conceptusque calori comparetur: quoniam horum calorum finis est ortus, & foetus: adurentis verò flammae interitus & cinis. Pariter non asserendum, quòd spirituum, massae sanguinis, similariumque partium calori aequiparetur: quoniam sanguinis, spirituumque calor in vaporem, & aquam finitur, dum dissoluitur: lignorum ellychnique flamma in carbones, cineres, & fumum. Solidarum autem partium calor eidem minimè similis est, quoniam ellychnij lignorumue flamma efficax existens suum subiectum quàmcelerimè absumit; ille verò tepidus & obscurus impotentiaque calor dictus, nisi nouo calore formetur, vix quicquam agere poterit. Superest igitur vt solum actuato ex insito & influente calori verè lignorum, ellychnijue flamma comparetur: vtrobique enim vegetus, viuusque calor reperitur, vtrobique etiam consimiles actiones passionesue cernuntur. Vterque enim horum successiua entia sunt in continuo fieri constituta: vterque natiuo aduentitioque humore aluntur; flamma quippe primum ex insito ligni humore quo eius fibrae nectuntur alimentum arripit; mox ab aduentitio, rorido scilicet, & aqueo ex rore & pluuia adepto fomentum suscipit. Similiter ellychnij flamma primitus ex oleo intra eius substantiam infuso mox in lucernae capacitate detento nutrimentum arripit. Et sicut flamma in ellychnio, viridibusque lignis succensa ex horum humoribus procreatur, atque ex eisdem accrescit, & viget, deinceps declinat, & perit; consimiliter actuatus animantium calor ex duobus fouetur humidis, natiuo scilicet, & alimentitio; & ex eisdem postea augetur, & viget, atque his consumptis inclinat & interit. Et sicut innatus calor alimentitium difflat humidum, natiuum verò exsiccat, & extenuat; sic lignorum, ellychnijque flamma aqueum humidum in fumum dissoluit, oleosum verò infusum in cinerem vertit. Dissident autem inuicem ignis flamma, & calor innatus; nam vt argumentatur Gal. flamma vt se procreet, & seruet, suum penitus absumit subiectum, & ex eius corruptione se alit, & adauget. Cùm enim flamma simplici, purisque elementi forma fruatur, ita consimili puro simplicique innititur subiecto: & cùm liberè absque obstaculo aliquo absumendi vim possideat, confestim liberèque suum subiectum absumit. Contra innatus calor operatur: Nam cùm ipse igneus sit, suoque debito frigido temperatus, atque animae instrumentum factus, omnia in corpore nutu animae agit: sed antiquae suae consumendae actionis nunquam obliuiscens, continenter corpus suum subiectum multiplici fabricatum compositione difficulter, paulatimque consumit; & quantum vt igneus consumit, tantundem vt naturalis animaeque instrumentum reficit; & tandiu consumendo, reficiendoque progreditur, quandiu ab anima superisque motionibus fuit eidem permissum. Et penès hunc modum agendi flammae, & calidi innati in proprium subiectum liberè, & impetu naturae, & cum artificio, imperioque animae, antiquorum comparationem damnauit Galenus: modum solummodo eorundem in consumendo damnans, & non simpliciter horum inuicem comparationem, quam alibi aliàs pluries cõmendauit. Vnde cùm in viuente corpore calor non naturalis, febrilisque euadit, exemplum similius redditur, sicut ipse testatur, dum ait. Hoc sanè exemplum his, quià febre corripiuntur, accommodari posset. Quinimo & dum suam naturalitatem calor seruat, exemplum recipit Galenus, modum tantummodo dicendi damnans, vbi ait. Equidem verum est, ob innatum calorem corpora tum senescere, tum tandem corrumpi; falsus tamen est modus, quem ipsi tradunt; neque enim sicut à flamma comburuntur ligna, ita quoque à calore innato animalium absumuntur corpora. Consimilem ferè doctrinam de naturali calore igneam exsiccandi naturam conseruante lib. primo de sanitate tuenda cap. secundo ipse docuit, dum ait. Ergo statim in generationis initio coniectum copiosius oportuit elemen-
„ tum id, quod siccandi vim haberet, est verò id natura quidem maximè ignis, & sanè ignis adie-
„ ctum est, tanto plus in vtroque principio, quantum nec iam torreat vtrumque; & tandem abundè

siccet:

siccet: quippe etiam tantus calor adhibitus agilitatem præstare ad motiones sat erat; ab hoc igitur primum cogitur, paulumque concrescit, quod in vtero conceptũ est; mox siccius redditum veluti lineamenta quædam, & rudimenta cuiuscunque membri obtinet, vlterius verò etiam siccescentes non lineamenta, rudimentaúe modo, sed etiam exactam vniuscuiusque speciem ostendit. Iam verò in lucem editum, & magnitudine perfectum, tum siccius, tum valentius seipso semper efficitur, donec ad summum incrementum sit peruentum. Tunc verò & incrementum omne sistitur, ossibus nimirum ipsis per siccitatem non vltra sequacibus; & vas vnumquodque in latus extenditur; cuncta denique membra non solum robusta fiunt, sed etiam vires suas summas obtinent. In eo verò quod sequitur tempore, omnibus iam partibus supra iustum siccescentibus, nõ solum cuiusque officium minus probè administratur, sed etiam corpus ipsum macilentius, graciliusq́ue quàm ante redditur, & eò exsiccando progreditur, quòd tandem marcore perit. Hactenus Gal. In lib. autem de marcore cap. 4. ibidem caliditatem igneam naturam redolentis, per vniuersam vitam progressum ferè omnem longo sermone manifestat: Nec obstat id, quod huic nostrę doctrinę aliqui obijciunt, lib. secundo de generatione animalium cap. tertio, vbi Philosophus ait. Calor, qui est in animalibus, neque igneus est, neque ab igne originem ducit. Respondimus, quòd naturalis calor non est ignis comburens, neque igneam comburentis naturam sapit, nec ab ipsa exarsione originem habet; sed vt temperatus existit, ita à temperato igneo calore proficiscitur, & naturæ proportionatum euadit instrumentum ad vitæ actiones explendas. At de his satis superque sit dictum.

Quòd eadem sit vitæ ratio & caloris naturalis, & flammæ ignis. Cap. XXXVII.

FLAMMA ignis refrigeratione, ventilationeque moderata suos sursum deorsumque motus mutuò se excipientes, in quibus ipsa subsistit, quousque superstes est, continuè seruatur; suasque fuligines, humidasque exalationes vt nitida, claraque elucear, per transpirationem incessanter expellit. Similiter actuatus viuentis corporis calor vna cum spiritibus moderati frigidi ambientis inspiratione suos consimiles sursum & deorsum, intus ac extra mutuò se consequentes motus, per quos & ipse subsistit, quousque vegetus est, perenniter conseruat; suasque item atras nigrasque excretiones, vt ab omni immunda labe seruetur, per corporis perspiratum perenniter expurgat. Sic quippe viuida flamma, viuusque actuatus viuentis corporis calor in vitę actione necessaria iustè inuicem comparantur. Hanc autem ipsam comparationem Gal. longè fęlicius in lib. de vsu respiration. scriptã reliquit, vbi ait; vt igitur in vniuersum dicam, ex motibus contrarijs flamma omnis consistit, quorum alter alterum mutuò se excipit, & consequitur, alterum sine altero conseruari impossibile est; ob id igitur moderato frigido ambiente aere omnis flamma opus habet. commoderatio itaque omnium conseruatrix est flammarum. Eodem modo igitur non dissimile est videre, & circa insitam animantibus caliditatem, vtpote quæ materiam vnde accenditur, sanguinem habet; à natura item insitum principium motus in vtranque partem, ita vt altero priuata etiam reliquo ex necessitate priuetur; & ob id ipsum siue à respiratione prohibeas, siue à sanguine, statim corrumpitur; nam & lucernæ flammam tolles, suffocando, aut omnino oleo priuando; simile itaque ponito, inquit Gal. cor funiculo, oleo sanguinem, organo pulmonem; circumsitus nanque est forinsecus pulmo cordi ad cucurbitæ similitudinem. Verum quo tempore expirat animal, ad similitudinem ipsum potius cucurbitæ perforatæ; vbi verò respiratio cohibetur, imperforatæ, & vndequaque clausæ: quemadmodum itaque cucurbita perforata flammam intra se extinguere non potest, per foramen respirantem; quæ verò contra clausa est, è vestigio suffocando, eam extinguit; ad eundem modum pulmo arctus & densus velut in respiratione cohibita est, extinguitur; perforatus & rarus, qualis circa respirationem est, insitum caliditatem conseruat. Quare ex omnibus potissimum recipiendi sunt, qui dicunt insiti caloris gratia animalia respirare; nam & moderatè ventilari, vtile est, & mediocriter refrigerari; ambo enim hæc internam caliditatem videntur corroborare; necessumque est motum habere ad fuliginosum (vt ita loquar) extra vacuandum, quod à sanguine vstura redundat; itaque ex ventilatione principij ipsius insiti caloris, & ex moderata refrigeratione, atque ex eius quod in ipso veluti fumosum est in totum defluxione, vnum coaceruatur caput & summa, conseruatio videlicet caloris naturalis. Hactenus Galenus. Consimiliter aiunt, quòd ignis flamma vt superstes ad calefaciendum mediumq; illuminandum sit, continuo eget nutrimento, quo deficiente continenter deficit: sic & naturalis calor vt in vita persistat, vitæq; munera exerceat, perpetuo indiget fomento, quo deficiente, & ipse illico deficit.

Quòd eadem sit interitus ratio & flammæ ignis & caloris naturalis. Cap. XXXVIII.

GAL. in lib. de causis morborum vbi frigidæ ægritudinis causas recenset, easdem & flammæ, & caloris innati extinctionis occasiones esse fatetur, vbi ait. Frigidæ ægritudinis causæ sunt, veluti refrigerantiũ propinqnitas, & ciborum potuumq́; quantitas, & qualitas, condensatio, & rarefactio, ac præterea otium, & immodicus motus. Quibus etiam occasionibus ignis extinguitur; nam si paruo carboni multum niuis, aut glaciei superimponas, aut plurimam aquam superinfundas, continuo extinguitur; sic vbi circunstans aer fit præter modum frigidus, veluti in hyberno tempore iuxta Istrum, non solum lucernam sub dio positam, sed & quencunque exiguum ignem videbis protinus extingui; hoc quidem modo ignis à rerum prægelidarum contactu superatur. Ab ijs autem, quæ natura apta sunt, vt ipsum enutriant ob excessum, vel defectum, vel ob aliam qualitatē hoc pacto corrumpitur. Sic enim ligna vniuersim & multa supra paruam coaceruaueris flammam ob immodicę quantitatis excessum ipsam extinguens. Quòd si nihil omnino, aut parum admodum adieceris, ob defectum, aut paucitatem alimenti videbis continuò marcescere: sic & lucernæ flammam comminui, ac in periculo esse ne prope extinguatur inspicimus, vbi nutrimenti proprij modus non seruetur. Siue enim oleum liberaliter non adhibueris, aut multum vniuersim superinfundas, vtroque offendes modo. Quòd si largam quidem exhibueris materiam, sed quæ vel nullo modo apta sit, vt ardeat, vel cum magna difficultate incendium suscipiat, hanc etiam statim minorem efficies: veluti si oleum aquæ commixtum supra ignem conieceris; si etiam qui flammæ circumfunditur, aerem si stipaueris; aut nimium rarefeceris, ipsam quoq; flammam decrescere, aut periclitari, ne penitus extinguatur, inspicies; stipatur autem si cucurbitam, qua medici vtuntur, vel furnulum, aut tale aliquod aliud circumponas. Quod etiam continget si foroacium foramina clauseris. Quòd si in multo sola, & calido, & aprico loco, aut alteram maiorem flammam admoueris, tum quoque minorem flammam marcescere videbis, quoniam exterior flamma, vt quæ præpotentior sit, laxat atque dispergit minorem; neque verò in obscuro est, quòd si eam flabellans, hoc est mouens, siquidem modicè hoc feceris augebis, si verò immodicè, dissolues ac dissipabis: sic & ventos magnitudine flammæ respondere oportet, si quid eius augmento conferre debuerint; qui verò maiores sunt, quàm illa queat sustinere, dispergent, potiusquàm flabellabunt: ex quo manifestum sit, quòd flamma quidem ad sui incrementum motu eget aduentitio, non tamen immodico; si enim nullo modo flabellatur, elanguet; vehementiori autem motu extrinsecus vrgente dissoluitur, ac dissipatur. His eisdem medijs nos calorem naturalem extingui fatemur. Secundum igitur primam causæ speciem; cum frigidum forinsecus aduenerit, si admodum validum fuerit, & debili innato calori confestim adiungatur, illud continuè extinguet; sic aliquis in multum frigida natans aqua moritur, & frigida nimium aqua lotus, & per gelida loca iterfaciens. Iuxta verò secundam causam calor innatus ob ebrietatem detrimentum patitur, periclitatur, & sæpè extinguitur, dum ebrius homo morbum attonitum, aut comitialem, aut motus sensusúe læsionem sæpissimè incurrit; quanquàm vinum modicè haustum, vt quòd maximè proprium alimentum sit, natiuum calorem adauget. Sic & optimi cibi, qui plurimum alimenti afferunt, supra modum assumpti connatum calidum opprimunt, & suffocant: sic quæcunque vel deuorantur, vel bibuntur mala aliqua qualitate prædita sua praua qualitate insitum calorem interimunt: Arteriarum autem stipatio & ipsa innati caloris extinctionem molitur. Vbi verò arteriæ, quæ in animali sunt, oppletæ sanguine fuerint, vt nullus in ipsis vacuus relinquatur locus, in quem, dum attolluntur, aerem externum attrahere possint, tunc strangulatur, & extinguitur innatus calor: ob eum nanque finem arteriæ pulsant, addit ipse, vt calor naturalis in omnibus animalis partibus moderatus conseruetur. Et in lib. de vtilitate respirationis idem confirmauit; vbi scripsit, quòd respiratio animantis insitum cordis calorem moderatum conseruat. Sicut igitur si extrinsecam flammam à communione circumfusi aeris separes interiectu furnuli, vel cucurbitæ, vel cuiuspiam alterius rei similis, statim extinxeris; eodem modo si animalibus caliditatem cohibueris, aut introclusеris, ita vt nulla cũ aere exteriori habeat communionē, statim exitium afferas. Caliditas igitur cordis per faucium meatum cum aere extrinseco communicat; quòd si hunc interceperis, euestigio strangulabis ipsam, atque animal enecabis: sicut igitur stipatio sæpius extinctionis caloris est causa, eo quo diximus modo; sic & laxatio, quando plus, quàm sit opportunum, extiterit, dispergit, ac dissipat insitum & natiuũ calorem, atque animal internecat; quod in superfluo cum animi tum corporis motu contingit; motus verò, & quies, suum adiumentum detrimentumque afferunt; dum verò moderati

extiterint, sic vt exercitij metam non transcendant, connatum tunc conseruant calorem, atque augent; vbi verò motus superfluus fuerit, sic vt laborem faciat, tunc calidum dispergit, & dissoluit: Otium verò & quies alterum extremum operatur; nam illud languidum torpidumque reddit. Hos autem omnes ignis flammæ, calidique innati corruptionis modos Philosophus tertia secti. proble. prob. xxv. ad duas redigit corruptionis species; ad marcorem; & ad corruptionem à suo contrario, vbi ait; corrumpitur autem calor aut marcore, aut ex extinctu à contrarijs, hoc est frigido atque humido; marcore autem vel indigentia nutrimenti, vt lucerna cùm fomite, aut oleo caret, vel ab alieno calore vt ignis in Sole, & lucerna apud ignem: idemq; lib. de mor. & vit. repent, vbi ait; Atqui duplices ignis animaduertimus interitus, exsiccationē, & extinctionē: appellamus autem id quidem, quod à semetipso illi accidit, exsiccationem; quod verò à contrarijs, extinctionē; & illud quidem senectutem; hoc autem violentiam. Mox vtrasq; interitus species ad vnam & eandem marcoris reducit causam, vbi dicit. Accidit autem eadem de causa vtrasque fieri corruptiones: cùm enim alimentum deficit, & ali calidum nequit, ignis corrumpitur: contrarium enim concoctionem prohibens, facit quo minus alatur. Hactenus Philosophus. Auicenna autem prima sen. primi cap. tertio fatalem hominis diem, naturalemque viuentis exsiccationem perbellè descripsit, vbi ait; Rursum scire debes, quòd calor post ætatem constitutam incipit decrescere, propter aerem ambientem eius materiam (quæ est humidum ipsum) exsiccantem; ad hoc etiam facit calor naturalis intimus, necnon motiones corporeæ, & animales, quæ ad vitam sunt necessariæ. Accedit quoque ad id, naturæ impotentia, seu imbecillitas, vt possit iugiter illi resistere; nam omnes vires corporeæ finitæ quidem sunt, ergo non semper agent in materijs: immo si vis illa infinita esset, & semper recompensatio rei dissolutę ęqualis esset, eiusdemque portionis; adhuc dissolutio non esset æqualis, sed quotidie addita esset, & sic neque ipsa restauratio resisteret dissolutioni. Adde etiam, quòd vtrunque horum vnà concurrunt ad huiusmodi defectum parandum, atq; retrocessionem. Necessarium igitur est materiam finiri, caloremque extingui; præsertim cùm talis extinctio ex defectu materiæ procedat: porrò ad id facit alia causa, nempe humor aduentitius, qui assiduè oritur, ob concoctionis cibi priuationem; nam ad eius corruptionem bifariam concurrit, videlicet suffocatione, atque extinctione; quæ qualitatis contrarietate fit; nam ille humor pituitosus frigidusque est. Atque hæc est mors naturalis, quæ cuique indiuiduo statuta est pro sua prima temperatura vsque ad terminum, quem facultas ipsius exposcit pro humido conseruando: vnumquodque enim indiuiduum statutum sibi terminum habet, qui quidem varius est, ob temperamentorum varietatem.

Hæc omnia Auic. de naturalis caloris interitu Gal. Arist. dictis conformia scripsit, quinimo & ipsa erudita vetustas, à qua fortasse isti omnes suam habuere sententiam, eadem posteris memoriæ prodidit, dum sub Meleagri nomine vitam & mortē naturalis caloris (quem nos animæ virtutem, instrumentumq; fecimus) perbellè depinxit. Hic enim ille Meleagri stipes est, ex vtriusque parentum igneo semine ortus, in igneque insidens; à quo quidem igne eius mater Altrix virtus in natiuitate subtraxit, ne humoris omnis expers torreretur, atque insito alimentarioq; humori suis fratribus seruandum, alendumque dedit, sicut bene cecinit Poeta.

Excessere Deæ, flagrantem Mater ab igne
Eripuit ramum, sparsitq; liquentibus vndis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Seruatusq; tuos Iuuenis seruauerat annos.

Dum verò auctus, grandisq; factus est, hic ferocissimam beluam, rude suinumq; corpus cuncta deturpans interemit; idipsumq; postea suo calore expolit, expolitumq; animæ domicilium efficit, istudque munus, ruditatis mancipium amasiæ Atalantæ, amatæ inquam animæ (primitus beluam in fronte ferienti) primum scilicet rude informeq; corpus informanti, dono dedit. Mox redundantes corporis humores Altricis virtutis fratres (vndequaque eam concomitantes) munus istud corporis animæ elargitum, ab illa adimere conati sunt, suo multo madore illud animæ officijs incongruum reddentes. Qui denique stipes temporis progressu vtrosque hos humores matris fratres ob illatam animæ iniuriam, suique conseruandi causa absumendo, interimit. Horum vtrinsque fratrum nece mater lacessita furoreque percita, illos vlcisci cupiens, interfectorem stipitem vlciscenti tradidit igni, vt Poeta ait.

Stipes & inuitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius atque absens, flamma Melagrus ab illa vritur.

Mox mater Altrix perpetratæ filij necis pœnam dans, se interimit, vt ibidem Poeta narrat.

Nam de matre manus, diri sibi conscia facti,
Exegit pœnas acto per viscera ferro.

Vt calor naturalis & per resolutionem, & per putrefactionem apud Auic. extinguatur. *Cap. XXXVIIII.*



VICENNA fen. 3. primi libri cap. de causis sanitatis & ægritudinis in necessitate mortis, modum extinctionis caloris innati & per resolutionem, & per putrefactionem declarans, hæc cuncta reliquit. Quapropter corpora duabus nocumentorum speciebus sunt exposita, quarum vnaquæque causam habet intrinsecam, & causam extrinsecam. Et vna quidem nocumenti species est humiditatis resolutio, ex qua creati fuimus: & hæc quidem ordinatè venit. Et secunda est humoris putrefactio, & eius corruptio, & ipsius alteratio; vnde fomento vitæ conueniens non est: & hæc quidem à primo modo est alius, licet sua ipsius malitia ad siccitatem adducat; propterea quòd corporis humiditatem prius corrumpit, & diuersificat formam seu modum conuenientiæ suæ ad corpora nostra; deinde in vltimo, vel in fine rei, à putrefactione fit resolutio, quoniam putrefactio in primis corrumpit humiditatem; postea ipsam resoluit, & rem siccam dimittit cineritiam. Hæc igitur duo nocumenta ab occurrentibus nocumentis sunt extrinseca, vel aliena, quæ propter alias accidunt causas, sicut frigiditas congelatiua, & venena, & species solutionis continuitatis perniciosa, & reliquæ ægritudines; sed duæ prædictæ species huic nostræ inuestigationi sunt propinquiores, & digniores, vt considerentur in conseruatione sanitatis. Et vnaquæque ipsarum aduenit ex causis extrinsecis, & ex causis intrinsecis; & extrinsecæ quidem causæ sunt, sicut aer dissoluens, & putrefaciens; & intrinsecæ quidem causæ sunt, sicut calor innatus qui in nobis existit, nostras resoluens humiditates; & calores extranei in nobis à nostris nutrientibus generati; & reliqua nostras putrefacientia humiditates. Omnes verò causæ istæ se ad inuicem iuuant in exsiccando nos. Calor igitur innatus est causa se astringendi seipsum accidentaliter; propterea quòd fit causa sui ipsius materiam consumendi, sicut lampadis flamma, quæ extinguitur; propterea quòd suam consumit materiam; & quanto plus siccitas secundum augmentum procedit, calor innatus secundum diminutionem incidit. Accidit ergo defectus nunquàm cessans, vsque ad vltimum, qui est defectus restaurandi humiditatem loco eius, quod resolutum fuit: defectus igitur semper augetur. Siccitas ergo duobus augmentatur modis; vnus eorum est propter diminutionem potentiæ recipiendi materiam; & alter minoratio humiditatis in se propter caliditatis resolutionem. Augmentatur igitur caloris debilitas, propterea quòd siccitas in membrorum substantia dominatur, & propter naturalis humiditatis diminutionē, quæ est sicut materia, & sicut oleum lampadis; lampas nanque duas habet humiditates, aquam, & oleum, & cum vna consistit, & cum altera extinguitur. Similiter calor innatus cum humiditate consistit naturali; & suffocatur, seu extinguitur cum extranea, & cum augmento extraneæ humiditatis, quæ prouenit ex debilitate digerendi, & est sicut aquea humiditas flammæ lampadis; & cùm siccitas ad complementum accedit, calor innatus extinguitur, & mors subsequitur naturalis. Animantium enim corpora non sunt æqualia in fortitudine humiditatis radicalis, & caloris innati. Vnumquodque præterea corpus terminum habet, in quo resistat siccitati necessariæ complexione sua, & calore suo innato, & quantitate suæ innatæ humiditatis, qui non pertransitur. Et multi quidem hominum dicunt, quòd isti sunt termini vitæ naturalis, & termini accidentales sunt alij; & quòd ars sanitatem constituendi est illa, quæ corpus humanum perducit ad hanc ætatem, quæ vocatur terminus vitæ naturalis secundum obseruationem conuenientium. Huius autem custodiæ administrationi duæ attributæ sunt virtutes, quibus deseruit Medicus; vna earum est naturalis, & vocatur nutritiua, quæ restaurat illud, quod ex corpore resoluitur, cuius substantia terreitati, & aqueitati attinet; & altera est animalis vitalis; & ipsa est virtus pulsatiua, quæ restaurat, quod ex spiritu resoluitur, cuius substantia est aerea, & ignea.

Hactenus.

De calido naturali Libri Secundi Finis.



DE PRAETERNATVRALI CALORE LIBER TERTIVS.

PRAETERNATVRALIS CALOR QVIS dicatur, & quomodo cum naturali in radice conueniat. Cap. I.



VAE contra naturam est caliditas (inquit Alex. in suo paruo tractatu de febre) minimè proportionale existit instrumentum naturalium potestatum, minimèque bene operandi rationem habet; sua etenim intemperies proportionem neutiquam seruat ad animę potestates & congrua opera peragenda; hæc quippe etiam dicitur acquisititia, aliena, & contra naturam complexio maiori caliditate prædita, quàm sit insita, cognataq; caliditas: hęc corpori aduenit ex aliqua extrinseca causa; quæ nec est familiaris naturæ, nec ab ipsa principium habet: ex his igitur quæ dicta sunt, subdit Alex. dubium non est, quin naturalis & insita caliditas, ab ea, quæ contra naturam est, differat, primò quidem causis, deinde bona temperie, & mala temperie, ac omnino vt extremum à medio. Hactenus Alex. Nos autem etsi formaliter, & efficienter (vt ita dicamus) hæc inuicē differant; materialiter tamen, & re subiecta conuenire affirmamus; quoniam ex eadem materia, & subiecto, ignea scilicet elementari caliditate præternaturalis calor constat, qua calor innatus materialiter præcisè constabat; vt rem igitur ex suis principijs explicemus, liceat paulisper digredi pro rei faciliori intelligentia. Dicimus igitur, quòd syncera ignea elementaris natura, quam antiquiores subiectum caliditatis contrarium habentis facere, non per vnam, aut alteram motionē, nec per vnam, aut alteram in gradu caloris differētiam, sed per plures ac plures motiones, & plures ac plures in gradu caloris differentias, ad terminū naturalis temperaturæ peruenit; qua temperatus igneus calor fit, & animæ proportionatū euadit organū ad consentaneas functiones edendas. Nec enim syncera ignea caliditas per vnam frigidi alterationem temperatur, sed per plures ac plures id consequitur. Nec similiter humidum cum sicco temperatur per simplicē aliquam mutuam ad inuicem agitationem; nec ambæ hæ pariter passiuæ qualitates per vnam, aut alteram motionem ab actiuis in mixtione ita refractæ continentur, vt hæ subiecti, illę formę rationem habeant in mixti corporis effectione; sed per plurimas earundem inuicem agitationes, ac plurimas gradus caloris differentias id assequuntur. Ignea itaq; elementaris caliditas apud antiquiores ad temperaturæ fastigium peruenit per plures motiones, ac differentias, atq; his omnibus ornata conspicitur in mixto corpore, quarum vnaquæq; suo modo naturalitatis particeps est. Consimiliter profectò cōtingit dicere, cum hæc ipsa elementaris caliditas temperata, naturalisq; caliditas effecta, ad pristinum suum terminum, igneum scilicet calorem resoluitur; hic nanque naturalis mixti corporis calor non solum per vnam corporis mutationem, sed per easdem plures, per quas fuit iam compositus, ad vltimum suum terminum permutatur: per easdem enim gradus caloris differentias, & motiones, per quas iam ad temperiem venerat, per easdem inquam, sed retrograda motione, ad suam pristinam elementarem caliditatem reuertitur. Atque his omnibus alterationum differentijs affectus conspicitur; quarum vnaquæque præternaturalitatis aliquid habet. Ad vltimum itaque suum terminum naturalis calor restituitur vt plurimum, ac frequenter paulatim, & pedetentim, aliquando etiam confertim & violenter. Ad idq; multoties peruenit per humidi siccíue excessum, vel defectum, sæpè verò per frigidi calidiue peccatum. Naturalis itaque animati corporis calor nunquam naturalitatis nomen amittit, nisi primas temperiei portas perrumpat; quibus reclusis, extra temperiem ignea caliditate defertur, atque igneus tunc præternaturalisque efficitur: at non

vniuersim per totam caloris essentiam naturalis calor præter naturam efficitur. Neque enim latitudo subito acquiritur, deperditurúe, sed paulatim vtplurimum innaturalis euadit; & eò tandem (dum in peius prolabitur) venit, vt prorsus præter naturam fiat. Dum itaque à naturali gradu natiuus calor ad præternaturalem labitur per supremū illum temperiei gradum, (per quem salubres eduntur actiones) primum prolabitur in gradum caloris extraneum, quo præternaturalis euadit; vnde statim læsio actionum sequitur: quæ quidem actionum læsio, sicut & praua temperies, & constitutio à qua progreditur, latitudinem habet in malitia, intra quam magis & minus actio læditur; extra verò illam prorsus deperditur. In inchoata itaque præternaturalitate naturalis caloris multæ quoque supersunt gradus caloris differentiæ, quæ naturalitatis adhuc naturam participant, & nondum permutatæ igneæq; factæ sunt; & pro posse aliqua ex parte naturaliter agunt, & patiuntur, & simul stant etiam cum gradu præternaturalis caloris præternaturaliter excalefaciente. Proinde bene inquiunt, quòd naturalis calor lapsus à supremo temperiei gradu, cùm totus non sit præter naturam, læsas tantum, & non omnino deperditas suas habet actiones. Nec pro inconuenienti ducimus, duos caloris gradus, quorū vnus naturalis, alter præter naturam dicatur, in vno & eodem inesse subiecto; ac vnus secundum naturam, alter præter naturam agere asseueretur, at nō seiunctim huiusmodi agere dicimus, sed dum simul iuncti sunt, ex quibus vna resultat forma præternaturaliter agens, quæ quidē promptè vna euadit propter earundem cognationem & simplicitatem; quatenus enim actio simpliciter agitur, naturali præexistenti attribuitur gradui; quatenus verò deprauatè fit, præternaturali aduentitio adscribitur gradui: nec obstat, quod aiunt; Gradum caloris præexistentem aduentitij respectu locum materies tenere; nam impropriè materia dicitur, quando suapte natura accidentalis sit forma, de qualitatis genere, & vt forma, semper agit & operatur; licet remissè & refractè, ratione superadditi gradus actionem vitiantis, malamque conditionem actioni superaddentis, qui propter hanc malam conditionem, quam actioni infert, totum denominat, locumque formæ tenet. Concludimus tandem, quòd idem in radice & fundamento est naturalis, præternaturalisque calor, & solum secundum gradus metasque gradus distincti sunt; quam distinctionem formalem multi nominant, quādo ex his actiones formaliter distinctæ proficiscuntur. Dum enim ignea elementaris caliditas sui contrarij cōmixtione temperata formæ rei genitæ correspondet; temperata naturalisque dicitur, & moderatè calefacit, & suos exercet motus. Illamet etiam à temperie lapsa, proportionemque ad animæ potentias non habens, præternaturalis, distemperataque nominatur, ac præter naturæ ordinem mouetur, & excalefacit. Præternaturales nanque calores omnes magis quàm corporis animati naturæ expediat, extra forasque mouentur, vt in superflua euenit vigilia; pariterque magis quàm par sit, intro se continent, vt in profundo accidit somno, & instar ignis cuius sunt soboles, magis quàm conditioni subiecti corporis conueniat, illud excalefaciunt: atque hæ actiones diuersæ formaliter differunt. Non immerito igitur Medici aiunt, quòd naturalis calor probas, præternaturalis verò deprauatas edunt actiones. Intermediæ autem differentiæ omnes à termino temperiei ad terminum elementaris caloris, secundum quod superius magis ad temperiem, aut inferius ad elementarem accedunt, calorem maioris minorisque naturalitatis, innaturalitatisque asseruntur esse; prout aut huius, aut illius extremi naturam magis participauerint: quinimò asseuerant, quòd ipsæmet caloris differentiæ tum salubres, tum insalubres comparatione diuersorum dicuntur. nec pro inconuenienti habent, eundem esse naturalem, præternaturalemque calorem diuersorum respectu: Inquiunt præterea, quòd inferior intra latitudinem differentia suæ superiori intermediæ semper opponitur, in deteriori insalubritatis lapsus sic vt hæc deterior, illa verò melior dicatur, extremorum terminorum participatione: hæc enim huic deteriori proximior, illa meliori propinquior existens eorundem naturam participant. Propterea bene tum antiquiores, tum recentiores dixere, quòd præternaturalitas hæc sanitati, ac illa vitæ aduersatur; & hæc validiori, illa verò infirmiori salubritati opponitur. Vnum præcipuè animaduertendum in intermediarum differentiarum latitudine reperiri terminum in deperditione caloris natiui, ad quem si præternaturalis tantum accesserit, in integrum restitutionem fieri posse; quòd si illum pertransiuerit, huiusmodi restitutionem fieri minimè amplius posse. Conueniunt itaque calores isti in genere substantiæ, in subiecto inquam, & fundamento caloris, quòd ambo ignei elementaresque fundamentaliter dicuntur, omnes nanque quodammodo sursum deorsumque naturaliter feruntur, & omnes vnica ratione calores calefaciunt; & congregant homogenea, & disgregant etherogenea. Differunt autem in forma, & modo motionis calefactionisque, & congregationis, & disgregationis: quoniam naturalis calor certè determinatèque penes naturam suæ formæ calefacit, & intus ac extra mouetur; præternaturalis verò indeterminatè impromiscuèque penès elementi formæ conditionem illud idem molitur. Differunt præterea naturalis præternaturalisque calor specifica

(vt aiunt)

(vt aiunt) differentia, quando disiunctis, oppositisque affecti sunt temperaturis; quæ inuicem contrariæ sunt, & mutuò agunt & patiuntur. Differunt quoque, quoniam sunt instrumenta inimicarum formarum, quæ simul esse nequeunt, sed mutuò per hæc ipsa instrumenta se interimunt. Specificè itaque hos calores distingui asseuerant, quoniam diuersa sunt temperatura affecti, atque inimicarum formarum sunt instrumenta, vnde opifices fiunt diuersarum contrariarum specierum: à suis igitur partibus effectibusque specie distinctis, specificè illi distingui cognoscuntur.

Præternaturalis calor quotuplex sit. Cap. II.

PRÆTERNATVRALIS autem calor apud Medicos dicitur, & de substantia calida, & de caliditate accidentali, quæ tum in prima qualitatis specie reponitur, in habitu scilicet & dispositione; tum in secunda ac tertia collocatur specie, in naturali scilicet potentia & impotentia, & in passione passibilique qualitate. Substantialis nanque præternaturalis calor dicitur de calore omnino præter naturam; qui vitali caliditati aduersatur, & est terminus & finis vitæ: qualis est corruptorum membrorum calor, cadauerum, & consimilium. Hic enim per caloris substantiam intelligimus propriam eius essentiam, existentiamq; qua taliter præternaturalis existit, vt non amplius in naturalem conuerti possit; vnde & meritò à Medicis in calefacto esse calor appellatur. Hunc profectò ad substantiæ prædicamentum reducimus; vitalis enim calor, atq; lætalis (vt ita dicamus) substantialiter opponuntur, quatenus diuersarum substantiarum termini sunt extremi, & simul esse nequeunt. Præternaturalis verò caliditas accidentalis sub triplici genere à Medicis recensetur; Vno modo sub naturali potentia, vel impotentia. Secundo sub passione passibiliq; qualitate. Tertio sub habitu & dispositione. Primo enim modo consideratur ignis, igneaq; corporis caliditas, prout ipsa suapte natura ab igne, corporeq; igneo proficiscitur; hæc quippe caliditas accidens est, de genere qualitatis, quoniam secundũ eam dicuntur qualia, quæcunque illam susceperint: & in secunda qualitatis specie est, cùm à naturalis corporis potentia proficiscatur, & suam propensionem in facili calefaciendo manifestat. Hæc eadem caliditas quatenus obiectum sensibile recipitur, ipsumq; sensum debiliter fortiterúe calefaciendo afficit, eidemq; passionem infert, passio passibilisq; qualitas nominatur; prout verò in passo est recepta, ibidemq; magis, vel minus fuerit permanens, seu diuturna, sic quòd per eam affecti dispositiq; sumus, & non nisi cum difficultate, vel facilitate amoueri potest, habitus vel dispositio nuncupatur; & propterea bene dicunt, quòd qualitates hæ prout sunt acquisitæ in prima qualitatis specie esse, prout verò à natura huiusmodi insitæ sunt in secunda esse dicuntur: at vt principium sunt actionis, vel passionis in ipso sensu, sub tertia speciei esse vtiq; isti asseuerant; adeo quòd eadem caliditas diuersis respectibus in prima, secunda, ac tertia qualitatis specie reponitur. Addunt præterea Medici, quòd præternaturalitas caloris siue sub passione, vel passibili qualitate extiterit, sub duplici etiam differentia à Medicis consideratur: vna est, quæ egreditur extra mensurã gradualem caloris naturalis, & dicitur præternaturalitas mensuræ, siue gradus; alia præternaturalitas est, per quam egreditur à proportione debita suæ formę, siue instrumento; & hæc malignitatis proprietatisq; præternaturalitas nominatur: Atque hanc longè deteriorem faciunt, quàm gradualis, quando citius efficaciusq; naturam offendat. Vnde & isti dicunt, quòd cum innaturalitate, extraneitateq; mensuræ gradus potest stare sanitas; cum extraneitate proprietatis nunquam stat sanitas, sed semper est cum ęgritudine coniuncta; quare maioris malitiæ est innaturalitas proprietatis, quàm mensuræ gradus. Animaduertendum, quòd quamuis præternaturales calores corporis nostri vires permutantes interni sint, & ex corporis particulis, non propterea agunt, vt internarum corporis partium, sed vt alieni & extranei, quatenus sunt affecti aliena extraneaque qualitate. Distinguunt præterea isti præternaturalem calorem in duas differentias, in præternaturalitatem, quæ omnifaria est præter naturam, & omnino vitæ opposita, qualis est calor cadauerum, & membrorum corruptorum; & in præternaturalitatem, quæ non omnino contra naturam est, vt quæ media est inter calorem naturalem, & penitus innaturalem. Atque istam partiuntur latitudinem sub triplici differentia, & mensura, quoniam aut magis vergit ad naturalitatem, aut ad eius oppositum, aut medium obtinet inter vtrunq; per abnegationem extremorum. Distinguunt insuper calorem præternaturalem (sicut & igneum & naturalem) in materiam & formam, iuxta Peripateticorum doctrinam dicentium, quòd vbi forma est accidens, etiam eius materia est accidens; materiam autem caloris vocant, totam caloris latitudinem, quæ apta nata est gradum terminumque suscipere, quo medio calor agit & operatur: est quippe gradus caloris terminus, quo calor ad

vsum agendi venit; in omni namque caliditatis genere, & latitudine sunt sui gradus, & mensuræ propriæ caloris, quibus medijs calor determinatè calefacit: Alius nempe est gradus caloris, quo vtuntur Fabrifarrarij ad ferrum dissoluendum, à gradu caloris, quo Aurifices vtuntur ad aurum moliendum. Itidem alius est gradus caloris quo natura vtitur pro vitæ custodia, & alius, quo sanitatem conseruat. Animaduertendum insuper est, quòd præternaturales accidentales caliditates, quæ in vitali calore, vt in proprio subiecto insunt, neutiquam illi opponi traduntur, quoniam subiectum non opponitur suæ informanti formæ. Sed salubri accidentali caliditati illæ præcipuè opponuntur, quę quidem salubris caliditas longè familiarius degit cum vitali essentiali calore, quàm præternaturalis caliditas. Animaduertunt quoque quòd idem in Medicorum schola est dicere in eodem subiecto inest calor naturalis, & præter naturam; quod dicere animantis temperies lapsa est ad calidū: nam quatenus est lapsa, præter naturam existit; quatenus verò non prorsus est permutata, naturalitatis adhuc aliquid seruat, & tamen ambæ intra latitudinem temperaturæ viuentis continentur. Sed de his satis est dictum.

Quomodo præternaturalis calor in singulis corporis particulis insit in fieri, atque in facto esse. Cap. III.

PRAETERNATVRALIS caliditas & in massa sanguinis, & in spiritibus, atque in solidis corporis particulis, ac etiam in actuato ex his tribus conflato calore æqualiter inest; necnon & in semine, menstruoque sanguine, atque genitura reperitur: cumq; in his extiterit, conceptus omnes tollit, generationemque prorsus prohibet; frequentius autem in supradictis corporis partibus inesse contingit. vnde & sanguinis & spirituum, solidarumque partium, necnon actuati calidi communiter præternaturalis calor à Medicis dicitur: qui quidem & in fieri, & in facto esse talis existit; in fieri autem illū dicimus, qui intra natiui caloris terminum incalescit impetumque facit, vt pertranseat illum, & nouum caloris terminum ad nouas agendas functiones ponat; in facto autem esse præternaturalis calor nuncupatur, cùm iam natiui caloris terminum transgressus est, & nouum caliditatis gradum est adeptus, quo præternaturaliter excalefacit, excalefacereque potest; hic infusus, factus, accensusque ab ijsdem Medicis nominatur, ille verò in fieri alteratus, minimèque permutatus; atque istud calefieri non in tertia qualitatis specie, sed in genere prædicamentali passionis reponimus, vbi nouum adhuc terminum non est adeptus, sed est in fieri, & permutari, sic quod in Medicorum schola iure nomine syntomatis nuncupabitur. Huiusmodi quidem calor in fieri minimè gradum caloris obtinet, per quem simpliciter sit aptus natus sic agere & calefacere, sed metam gradus tantum habet, per quam in calefieri se conferrat, ac propensus redditur ad nouum calefaciendi modum assequendum. Huiuscemodi autem in calefieri calor apud nos erit, qualis est calor defatigati iratique hominis, cùm non ad terminum lædendi corpus peruenerit: huius quoque speciei dicitur esse calor lassitudinis vlcerosæ, ac phlegmonosæ: qui quidem calores facili occasione proni sunt huc, illucque prolabi; sed præcipuè ad insalubriter calefaciendum. De hac quippe caliditate sermonem habuit Auic. lib. primo fen. secunda doct. tertia cap. 1. vbi scripsit: Calefacere autem simpliciter est, vt omnes humores secundum suas specificas remaneant naturas, sed plus fiant calidi. Consimilem caliditatem docuit lib. quarto fen. prima tract. secundo cap. secundo, vbi ait: Et plurimum quidem febrium putridarum antecedit almelileti, & almelileti quidem est dispositio cui admiscetur caliditas non perueniens ad hoc quod sit febris. Ad istud etiam caloris genus spectat & mala caliditas à nuper præterita febre in solidis corporis partibus relicta, quam pauculum fornacis calori, ab igne ei impresso, vbi is extinctus fuerit, comparauit Gal. & hanc fortasse qualitatem ipse intellexit quarto aphorismorum com. 63. vbi scripsit: Quòd post febrem remanet in corpore qualitas, quæ est prima causa circuitus febris. Caliditas autem in facto esse dicitur, quæ naturæ terminum erumpit, ac calidam morbosam membri intemperiem efficit, & cui inest particulæ eius actionem lædit, aut omnino deperdit, ac ideo præternaturalis calor, quis factus, infusus, accensusque à Medicis nominatur, sub duplici differentia ab ijsdem cognoscitur: vno modo, quatenus intra latitudinem viuentis caloris existens terminum salubritatis est tantum egressus, & insalubris simpliciter effectus est, qui salubri solùm calori opponitur, insalubriterque tantum actiones lædens, & ita insalubris, morbosusque communiter nuncupatur. Altero modo à naturæ termino naturalis egreditur calor, dum extremum latitudinis salubris vitæ, atque caloris terminum est egressus, sic quòd ad salubritatem non amplius est regressurus, & lethalis omnino factus, vitę prorsus est oppositus, ita quòd

omnifa-

omnifariam à viuente actionem aufert, vnde postea mortalis est nuncupatus, atque hic verè apud Medicos calor præter naturam factus & recensus per se dicitur. Alter verò insalubris effectus calor (de quo mox dicimus) in fieri quoque à Medicis sępè nominatur, non quòd gradum non sit adeptus, per quem agere, lædereque actiones possit, vt de superiori cale fieri est dictum, quod symptoma omnino fecimus, ac in passionis genere collocauimus; sed in fieri hic insalubris calor dicitur, quoniam ad letalem, vitæque perniciem tendit, ac properat, & quodam modo in potentia proxime ad vlteriora mala se habet. Calores autem præternaturales omnes, de quibus apud Medicos vt plurimum ac frequenter est sermo, maximè hi recensentur; Putridus, Adurens, Marcidus, Pestilens, Febrilisque: eorum de quibus singulis aliquid dicere in præsenti tractatu nostrum est studium. Sed primum de calido putrido sermonem faciemus, in cuius explicatione tum Medici, tum Philosophi tantopere laborant; mox de alijs suo loco dicemus. Sed quoniam putridum corporis calorem adamussim cognoscere non possumus, putredinis natura ignorata, primum quid putredo sit, apud Philoso. & Medicos inquiremus.

Putrefactio quanam motio præter naturam dicatur. Cap. IIII.

A Celebrata putredinis definitione quarto lib. metheororum à Philosopho tradita principiū capimus, vbi ait; Putrefactio est corruptio eius, quæ in vnoquoque humido, & propriè & secundum naturam caliditatis ab aliena caliditate fit, hæc autem est ambientis. Putredinis notionem Philosophus hic manifestat per motum, mobile, atque mouens, seu (vt alij sub alijs verbis inquiunt) per formam, scilicet genericam, materiam, atque efficientem causam. Corruptio nanque quam Philosoph. loco generis communisque formæ ponit, motus, mutatioque quędam existit, atque accidentalis est forma de genere accidentis imperfecti, quando [illegible] tantum dicit ad substantiam & accidens. Hæc vtique corruptio (quam motum mutationemque faciunt) vt generica forma se habet in putredinis notione, per id postea, quod Philosophus addit, naturalis caloris in vnoquoque humido mobile ipse explicat, materiam scilicet & subiectum corruptionis, in quibus ipsa inest & versatur: hanc etiam multi materialem nuncuparunt differentiam. Vltimò subdit, ab aliena ambientis caliditate, mouentem, efficientemque causam denotans, vti differentiam putredinem terminantem. In omni nanque eo, quod putrescit, tria necessariò esse, inquit Philosophus, calidum natiuum rei, quod corrumpitur, humidum eiusdem, in quo corrumpitur, cum ipsiusmet humidi corruptione; atque calorem ambientis corrumpentem. Sic vtique Philosophus dicit calidi humidique corporis corruptionem ab alieno ambientis calore effectam; atque ita putredo per motum, et per genus communemque formam, & per mobile, per materiam inquam, in qua huiusmodi motus inest, atque mouens, efficientem scilicet causam, sicut per suas differentias definitur, tanquam ea, quæ vniuersam putredinis naturam explicent. Sed quoniam in hac Philo. definitione quot dictiones adsunt, tot sunt difficultates, quæ totidem exposcunt explicationes, ab harum explicatione exordiemur: & dicemus primum, quòd corruptio, quam in definitione loco generis ponit Philosophus, est motus & mutatio quædam ad accidens seu substantiam. At motus mutatioque & pro momentanea, & pro temporali mutatione sumitur, quatenus aut accidens, aut ad substantiam terminatur. Corruptio igitur in hac definitione pro vtraque capitur, & pro mutatione, quæ in instanti ad substantiam fit, & pro ea, quæ in tempore fit ad accidens: inchoante nanque putredine, dum violentia caloris ambientis calida mixti corporis complexio (quam accidens, qualitatemque faciunt) paulatim ad gradum caliditatis maiorem alteratur, & præternaturalis euadit; hæc mutatio initium putredinis est, cum naturalis terminus caliditatis per lapsum [illegible] gradum sit deperditus: & quoniam hæc gradus caloris mutatio ad contrarium est facta, proinde in tempore, temporaneaque dicitur: progrediente postea putredine illa vsque ad [illegible] substantialemque formam peruenit, quæ vt contrarietate [illegible] & instantia caret, quare subitò in momentoque deperditur, vt in momento etiam fuit adepta; & sic postremum putredo ad momentaneam, substantialemque mutationem terminatur: et igitur mixtum corpus in generatione fuit compositum ex accidentis substantiæque commixtione, ita & eius corruptio per vtriusque horum corruptionem fit: quamobrem multi antiquam textus literam magis commendarunt, qui (addita dictione) dicebant; putredo est corruptio quædam, idest complexa aggregataque corruptio ex accidentis alteratione, ac substantiæ permutatione; quare & inchoatam putredinem, quæ adhuc fit: atque consummatam, quæ iam facta est, & putridum, & semiputridum hæc corruptio complectitur. Sic quidem notum fecimus, quemadmodum corruptio, quæ loco generis in putredinis definitione à

Philosopho ponitur, est motio & temperanea, & momentanea æqualiter ad substantiam & accidens terminans. Hæcque præter naturam nominatur, quoniam naturam, quam nomine natiui calidi, & humidi explicat, alterat, & corrumpit.

Quid per proprium, naturalemque calorem Philosophus intelligat. Cap. V.

PER proprium autem calorem propriam singulorum membrorum complexionem Philosophum intelligere dicimus, eisdem singulariter dicatam pro suis edendis functionibus: iecoris nanque complexio est ei propria, & minimè cordi, aut cerebro; hæc quidem calida nominatur, à caliditate in temperatura vincête, hæc & qualitas secunda vocatur, ex primarum inquam mutua actione & passione exorta: per proprium itaque calorem in præsentia Philosophus vult propriam vniuscuiusque membri calidam complexionem in qualitatis prædicamento repositam. Per naturalem autem calorem, dicimus Philosophum intelligere naturam, substantialemque formam mixti corporis viuentis ex corporeis humoralibus substantijs (quatuor elementorum formas præseferentibus) simul permixtis procreatam; aliàs naturale calidum à calidioribus in mixtione præualentibus formis nuncupatam. Antiquorum quippe est doctrina & Arist. & Hip. vt Alex. Aphr. in tracta. de mixtione attestatur, atque Gal. in lib. quòd mores corporis temperaturam sequantur. Quòd mixta corpora cuncta tam animata, quàm inanimata perpetuò conficiuntur ex mixtione actiuarū, passiuarumque qualitatum inuicem agentium, & patientium, ad temperaturamque terminantium, & ex commixtione & vnione corporearum substantiarum elementarium simul in vnam naturam, & essentiam coeuntium: corporeas autem substantias dicunt naturales & physicas, ex materia & forma compositas, & non mathematica trium dimensionum corpora. Hæc profectò fuit antiquorum sententia, quòd mixta perfecta corpora cuncta procreantur, ex corporeis substantijs totis per totas permixtis, atque ex actiuis, passiuisque qualitatibus inuicem agentibus & patientibus: atque ex his accidentalis temperies, ex illis verò mixtum substantiale compositum fit. Quorum quidem ratio fuit, quoniam qualitates, tam separabiles, quàm inseparabiles à subiecto, seorsum à corporeis subiectis minimè existere possunt. Et si existerent, tunc indiuidua, mixtaque corpora ex his composita accidentia, & non substantiæ forent. Concludimus igitur vnà cum antiquioribus, quòd per naturalem calorem Philosophus intelligit, naturam substantiamque mixti corporis, ex corporeis substantijs, siue mauis substantialibus formis simul permixtis conformatam, naturale calidum ideo nuncupatam, quoniam in eius factura calidiores præualent substantiæ: Calor igitur, siue pro qualitate, siue pro substantia capiatur, semper simul sunt, nec vnum absque altero esse potest, nec enim quale potest esse sine qualitate, nec qualitas sine subiecto quali, nisi quatenus vnum ab altero mente seiungitur. Calor itaque proprius pro accidentali complexione, naturalis verò pro substantia, & natura à Philosopho hic capitur: quomodo autem vterque horum in putredine corrumpatur, postea explicabitur. Potest itidem per proprium naturalemque calorem Philosophus intelligere actuatum solidarum partium calorem ex insito & influente formatum (naturale insitum partium calidum vocitans, proprium influentem intelligens) qui illum actuat & informat; nam calorem istum in putredine tum inchoante, tum completa sæpissimè corrumpi contingit.

Quid per vnumquodque humidum intelligendum sit apud Philosophum. Cap. VI.

DIXIT Philosophus in vnoquoque humido, vt ad humidum caloris proprij, & naturalis alluderet, tum pro substantia, tum pro qualitate: humidum proprium intelligit, humidum dicatum huic, vel illi corporis membro in gradu humiditatis determinato; per naturale autem humidum intelligit, physicas corporeas humidas substantias, tum aqueas, tum aereas cum siccis terreis, igneisque substantijs permixtas; hæ quippe totæ per totas permixtæ substantiales mixti corporis partes continuant, & vniunt. Ex humido enim, & sicco omnia mixta sunt facta tanquàm ex materia; humidum nanque à sicco terminatur, & siccum ab humido continuatur, ex humido quippe terminato, & sicco continuato, constat materia cuiuscunque mixti corporis: res enim mixtæ cunctæ fiunt ex humido & sicco sese in mixtione determinantibus; quandoquidem alterum sine altero consistere non potest, & alterum alteri est

teri est

teri est veluti gluten. At hæc ad aliam spectant tractationem. Per vnumquodque igitur humidum in præsentiarum nos intelligimus, tum proprium, tum naturale humidum, tam accidentale inquam, quàm substantiale (cum à se inuicē minimè seiungi possint) cum substantiali accidentalique sicco benè simul continuata & terminata, tum pro cuiuscunque particularis corporis membri complexione, substantiaque explenda; tum pariter, vt benè inuicem simul permixta, sint proprij naturalisque caloris debitum pabulum & subiectum; vnusquisque nanque proprius naturalisque calor cuiusuis mixiti corporis viuentis suum proprium naturaleque humidum habet, quo subsistit, & quo nutritur, & fouetur. Proprium itaque & naturale subiectum, & proprium naturaleque pabulum proprij naturalisque caloris quo ipse subsistit, & fouetur, est humidum tum aqueum, tum aereum, igneo terrestrique sicco temperatum: hoc quippe huiusmodi sicco temperatum, & proprium & naturale subiectum, & alimentum dicitur vniuscuiusque proprij, & naturalis caloris: vnusquisque nanque naturalis & proprius calor suo proprio naturalique subsistit subiecto, & suo proprio, naturalique seruatur pabulo. Per naturale nanque propriumque humidum, vt supra retulimus, intelligimus aereas, aqueasque substantias, cum suis proprijs accidentibus cum terreis, igneisque corporeis substantijs suisque accidentibus simul benè continuatas, & terminatas in prima animantis corporis fabrica. Sic vtque benè conformatum primigenium humidum suo proprio naturalique calori dicitur benè proportionatum: at præter istud primigenium humidum; per vnumquodque humidum Philosophus intelligit quoque alimentitium humidum, quod in dies intra corporis viscera conficitur ex alimentis assumptis, pro proprij naturalisque calidi, & humidi reparatione & refectione.

Quid per alienam caliditatem, que ambientis est, Philosophus velit. Cap. VII.



ALIENA caliditas, quæ & aliàs extranea à Medicis nominatur, est quæ nec propria, nec familiaris est ipsi naturæ, calidoque innato; sed aduersa & inimica (siue compositi, siue simplicis nos ambientis corporis caliditas sit) cuiuscunque conditionis gradus caloris extiterit; dum mixtorum compositorumq; corporum naturali calori incommensurata est, aliena, extranea, inimicaque semper dicitur: hæc profectò naturæ caliditati opponitur, primum vt extremum medio; altera ratione opponitur, quatenus sunt instrumenta diuersarum formarum, quæ simul esse nequeunt, sed mutuò se tollunt. Sed præcipuè maximeque naturali calori aduersatur, quòd eius euentationem refrigerationemque prohibet. Hæc quippe aliena caliditas, prima corruptionis, putrefactionisque causa à Philosopho declaratur, vnde principium motus exoritur, at non satis ei fuit hanc affirmare, sed addit, hæc autem est, quæ ambientis; neque enim à quauis aliena caliditate corruptio, putrefactioque fit, sed ab ea tantum, quæ proprium naturalemque calorem mixti corporis circumambit: hic quippe verborum contextus, duplicem patitur expositionem: vna est, quòd non quæuis aliena caliditas (vti diximus) corruptionem putredinemque efficit, sed tantum ea, quæ circuncludit naturalem calorem, & sic vndique clausum & obsessum detinet, & huiusmodi circundans caliditas, obstructionis rationem habet; quam medici matrem putredinis faciunt. Altera communis expositio est & vera, quòd per alienam caliditatem ambientis Philosophus intelligit, extraneam aeris, aquæ & terræ caliditatem; hæc quippe tria elementa ambientia continentiaque appellantur; quoniam cuncta ex his composita atque in eorundem locis orta; Aerea scilicet, aquatilia, & terrestria ambiunt & continent; vt enim ex ijs mixta compositaque corpora constant, atque intra eorundem superficiem nata sunt, ita ab ijs, vti à suis proprijs locis, ijsque genitricibus continentur, custodiunturque, nec tantum ab ijs seruantur, sed corrumpuntur quoque: seruantur autem quatenus ipsa continentia conuenienti contentis corporibus qualitate correspondent; corrumpuntur verò quando aduersa his qualitate sunt affectæ. Per ambientem autem non tantum intelligit Philosophus locum Aeris, Aquæ, & Terræ, qui superficiem detenti corporis tangit, sed & quæ istorū portiones intra corporis viscera trahuntur, per os, nares, atque cutis poros, cùm vndique totum animantis corpus sit fluxile ac peruium; quæ autem intra corpus elementorum portiones delatæ sunt, & ipsæ ambientis rationem obtinent, quando & interna viscera circumambiunt: per ambientem quoque intelligimus vapores, fuliginosaque excrementa, quæ à viuentium corporibus assiduè effluunt ex caloris in humidum actione; hæc quoque internas circuncingunt partes: intelligimus tandem per ambiens omne corpus circunstans, quod corpus ipsum circundat, vel sit elementum, vel corpus compositum, aut eiusdem corporis membra affinia putrescentem partem circundantia. Putrescit quidem sana particula vicinio & conta-

bb 2 ctu partis

ctu partis putridæ; putrida circunstans pars ambientis rationem habet; sic vtique Philosophus per ambiens omne circunstans, & continens intelligit, sed potissimum aerem intelligit, qui & in aquam, & in terram, & in mixta corpora cuncta sese insinuat, & cùm excalefactus fuerit, illa excalefacit.

Quomodo quæuis intemperies lapsa aut ad frigidum, aut ad calidum frigida ab Arist. & Hipp. nominatur. Cap. VIII.

MOs peculiaris & Aristo. & Hippo. fuit intemperaturam omnem lapsam siue ad calidum, siue ad frigidum, nuncupare frigidam: & propterea aiunt, quòd caliditas integræ & non corruptæ temperaturæ dicitur esse in summo & in vigore suæ potentiæ. Corrupta verò ac lapsa dicitur imbecillis, imminuta, & frigida: insuper notamus (sicut supra retulimus) quòd caliditas accidentalis, & si tota, & per totam sit forma, nihilominus diuiditur in materiam & formam. Materiam autem caliditatis naturalis nos dicimus totam illam latitudinem, quæ apta nata est diuidi in gradus, tum præter naturam, tum secundum naturam; vsque quo non possit vlterius diuidi. Gradus autem diuisi & partiti nomine formæ nuncupantur, quibus vniuersa caliditas agit, & operatur: modò contemplemur quomodo vtrunque horum lapsum, & ad calidum; & ad frigidum, indifferenter magni isti viri frigidam appellant temperiem. Si nanque intemperies lapsa est ad frigidum per gradum frigiditatis additum, certum est, quòd frigida est dicenda ex frigiditatis adauctione, huius autem temperaturæ frigidæ actiones effectusque vt plurimum frigidi cernuntur; quòd autem intemperies lapsa ad calidum, ad gradum inquam maioris caliditatis, & ipsa quoque frigida sit nuncupanda, declaramus. Cùm nanque salubris, naturalisque temperies, per vnum caloris gradum ad intensiorem caliditatem sit lapsa, tunc per gradum istum caloris additũ tota temperies præternaturalis calida formaliter nominatur, à gradu addito, qui nomine formæ nuncupatur, & vt formaliter præternaturalis calidus dicitur, ita & formaliter præternaturales calidas exercet actiones: quot postea supersunt integri caloris naturalis gradus, intra naturalitatis latitudinem, quos omnes nomine materiæ diximus nominari, hi respectu supremi gradus integræ temperaturæ, imminuti, imbecilles, frigidique dicuntur, imminuti imbecillesque appellantur, quoniam in lapsu temperiei ceciderunt à primo salubris gradu, qui in summo persistebat vigore; & cunctos suo robore fouebat. Frigidi autem nuncupantur, quoniam cùm minus calidum ab eodem frigiditatis gradu, quo maius calidum temperabatur, temperatur, procul dubio frigidum erit, cùm frigiditas illi præualeat sub maiori proportione: quòd idem frigiditatis gradus, qui integram moderabatur temperiem, & ipsam iam lapsam quoque moderetur, statim infra in subsequentis capitis calce explicabitur. Frigidi itaque imbecilles, atque imminuti caloris gradus omnes, qui intra naturalitatis latitudinem superstites existunt, iure sunt nuncupandi, cùm à frigiditori, quàm naturæ eorundem expediat, frigiditatis gradu temperentur. Vnum insuper in explicatione horum graduum animaduertimus, quòd tota latitudo graduum, quæ superstes fuit, à lapsu temperiei (siue in vno siue in pluribus gradibus illa subsistat) tota inquam per se & sua natura est forma; & vt forma agit, & apta est agere; licet per noui caloris gradus additionem, infirmior obscuriorque ad agendum effecta sit, nihilominus cùm forma sit, & salubritatis partes retineat, salubriter quoque operatur, quamuis obscurè & imbecilliter ob gradum eidem adiunctum eius actionem deprauantem. Et si materiei nomen eidem condonatum fuit, dum in materiam & formam caloris latitudinẽ diuidunt, non nisi impropriè & abusiuè id ei attribuunt, vt supra fuit expositum. Nec pro inconuenienti habemus, quòd isti duo caloris gradus, duæque caliditatis formæ, inuicem priuatiuè contrariæ, salubris inquam atque insalubris, in eodem sint persistentque subiecto; & quòd diuersas contrariasque edant actiones, contrariosque producant effectus: præcipuè cùm intermediæ illæ sint, & non in extremis latitudinis locatæ; sicut in dies clarè conspicitur in calidis præter naturam viuentis corporis temperaturis, quæ ratione gradus præternaturalis, calidos pariunt effectus; ratione verò gradus naturalis, naturales quidem sed tepidiores, atque frigidiores exercent functiones.

Quòd aqueus humor intemperatura præualens ratione materiæ, imbecillitas, frigiditasque natiui caloris ratione formæ mixtum corpus ad putrescendum disponant.

Cap. IX.

GAL. lib. 4. simp. med. facul. cap. tertio mixti corporis putrescibilis materiam declarans, scripsit illam conflatam esse ex aquea aereaque humiditate cum igneo terrestrique sicco simul permixtis: Hancque aqueam aeream que materiam cum suis siccitatibus terminatam in omni mixto mundano corpore tum in succis, tum in plantis, tum in metallis omnibus, reperiri ibidem ipse affirmat: at aqueam materiam vt impuriorem primario potissimumque feruere asserit. Secundum igitur quòd mixtum corpus, plus, minusùe aquei humoris continet, magis minusque putrescibile ratione materiæ dicitur esse; sic enim ex eius doctrina habetur, quòd aquei humoris redundantia in mixto corpore propensum illud ad putredinem reddit. Huic sententiæ Arist. in lib. de long. & breui. vitæ fauere videtur, vbi non aqueum, sed aereum humidum pro extensione vitę ibidem ipse commendat, dum scripsit. Necesse igitur est senescentia exsiccari, quamobrem non de facili exsiccabile ipsum debet esse » humidum, & idcirco pinguia non putrescunt; in causa autem est, quoniam aeris sunt: porrò » aer ad alia vt ignis est, ignis verò non putrescit. Hactenus ipse. Qui cum docuerit necessa- » rium esse omnibus in senectute humidum exsiccari, proinde viuentia illa longioris vitæ, diuturnioraque existere ait, in quibus siccitati diutius repugnat humidum; contra illa minus prolixi sunt æui, in quibus nullo negotio, & facilè exsiccabile innatum est humidum: ac ideo subiungit, ad prolixitatem scilicet vitæ omnibus necessarium esse viuentibus huiusmodi naturale humidum, quod non facilè exsiccetur, & arescat, cuiusmodi humidum est aereum, pingue, & compactum, non aqueum & diffluens, & impurum, vt tradidit Gal. Hoc idem quarto meth. quòd humidum aereum benè concretum minus putrescibile sit, quàm aqueum impurum, Philosophus confirmauit, vbi ait: Neque concretum putrescit, magis enim densum est, quàm aer calidus, sic quòd possit humidum à sicco seiungere, caliditas enim ambientis quantumcunque extranea impotens est eorundem firmam vnionem diuidere. Imbecillis nanque calor dicitur tum quantitatis, tum qualitatis ratione; quantitatis gratia imbecillis dicitur defectu suæ debitæ copiæ, quæ in corpore seu membro inesse deberet, & minimè inest; vt insuper purgationibus contingit, vbi plurima, largaque semper caloris copia disperditur, tunc quod in corpore, seu membro superstes est calor, imminutus, exiguus, imbecillisque nominatur. Imbecillis verò qualitatis ratione dicitur calor, cùm in temperatura à suo frigido temperante magis quàm par sit retusus, tunc frigidus, imminutus, imbecillisque nominatur, eò quidem frigidum, viuens animatumque corpus dicitur, quoniam deficit in calore; quare & quodammodo priuatiuè illud sic appellant, quasi priuatum sua debita mensura caloris: frigiditas enim in mixtione, caliditatem vt dominam, & reginam insequitur, & proinde eius denominatio secundum magis & minus est in caloris comparatione. Valde enim frigidam temperiem dicimus, quia paucum possidet calorem, ac plurimo indiget. Econtra minus frigida illa dicitur, quæ plus caloris obtinet, ac minori indiget calore. Et cum simpliciter frigidum profertur in viuentis temperatura, semper caloris defectum denotat; & proinde imminutus, frigidus, imbecillisque denominatur calor in viuente corpore, cùm sua debita mensura caloris indiguerit. Patitur igitur & permutatur, & aptus natus est pati, & permutari naturalis calor ab externo, quatenus est inferior, & imbecillior, & minoris virtutis quàm externus: si nanque esset superior, aut æqualis roboris, non pateretur, nec aptus esset pati; & propterea benè quarto metheo. scripsit Philosophus: Quare cùm secundum » indigentiam calidi patiatur, indigens autem tali virtute scilicet calore est frigidum omne: ibi- » dem Philosophus frigidum appellat, quod indiget caloris virtute; & propter huius defectum, illud ipsum pati, & permutari ab externo affirmauit. Si autem quæras quid patitur internus calor ab externo? Dicimus quòd patitur exhalationem caloris, euaporationemque humidi, & proinde calidi imminutionem; sicut ibidem Philosophus testatur, vbi ait: Exeunte enim pro- » prio calore, euaporat, quod secundum naturam humidum. Patitur itidem super calefactionem caloris; nam ex contactu rei calidioris incalescit, & in calorem qui est præter naturam permutatur, & sic extraneus præternaturalisque fit: qui præternaturalis euadit per additionem scilicet gradus caloris, nam auctus præter naturam extra eius iuxtam metam fertur, & inde mixtionis temperieique nexus rumpitur, in quo quidem nexu vt in solio proprio insitus calor insidet & viget, atque istud est vltimum, quod naturalis calor in extraneo patitur, dum extraneus

præternatura-

præternaturalisque fit. Ad quam quidem caloris extraneationem (propriè enim loqui libet) & permutationem confert defectus caloris natiui duplici nomine, vno modo non contradicendo, quatenus non resistit, neque repugnat alienæ caliditati corrumpenti, sed finit, & permittit illam absque controuersia corrumpere, vimque inferre; tunc vt coadiutrix consentiensque causa consideratur; & modus iste non reagendi, nec reluctandi ad efficientiam quodammodo reducitur. Altero modo defectus natiui caloris, quem in superiori contextu propriam frigiditatem videtur Philosophus nuncupare, (liceat nobis sic obiter eius sententiam interpretari) ad putrefactionem efficiendam adiumentum præstat, positiuè agendo, in putredinis scilicet fine, calidum per accidens extinguendo. In principio nanque aliena caliditas naturalem permutat calorem, putredinemque aggreditur. In fine verò frigiditas propria ex accidenti alteratum calorem omnino extinguit, putredinemque explet. Ex frigidorum nempe excrementorum congestione, quæ in dies ex frigida coaceruantur intemperie, frigidior quàm par sit ipsa effecta, & semetipsam quatenùs naturalitatis particeps est, & innati caloris reliquias tandem per accidens interimit. Sic vtique causæ contrariæ, caliditas inquam, & frigiditas in eodem genere causæ eundem habebunt effectum, diuersis inquam temporibus, diuersoque agendi genere. Quamobrem & benè quidem dixere, quòd sicut frigiditas in naturali mixtorum corporum effectione calorem mixtionem componentem determinabat, sic pariter frigiditas in naturali earundem mixtorum corporum corruptione eundem ad corruptelam determinat calorem: & propterea benè ibi conclusit Philosophus, ambæ vtique causæ erunt, & putrefactio communis passio erit, & frigiditatis propriæ & caliditatis alienæ. Alij verò propriam frigiditatē aqueum humorem interpretati sunt, qui quidem humor cùm frigidus humidusque sit, suapte natura, vt supra retulimus, pronus est ad putredinem: quare rationi consonum videtur, quòd vt aliena caliditas putrefactionis effectrix causa, sic eiusdem materialis putredinis causa aqueus humor à Philosopho denotetur, & quòd vtriusque communis passio putrefactio dicatur. Sed adhuc restat dubitationi locus, cur aliena caliditas non primum in frigidum contrarium suas exercet vires, quàm in naturalem calorem. Ad hæc nos dicimus, quòd aliena ambientis caliditas dum ad mixti corporis dissolutionem agit, primum contra calorem, quem mixti formam diximus esse, absque cuius corruptione mixtum corrumpere impossibile est, suas vires exercet, & vt proprium verumque contrarium afficit; quando calor iste alienæ aduersatur caliditati, vt medium extremo, & vt instrumentum contrariæ formæ, quæ mutuò se auferunt, & natæ sunt se inuicem perdere. Aliena itaque caliditas vt mixtum corrumpat, prius eius formam, calorem scilicet naturalem, vt corrumpat necesse est, velut suum contrarium, in frigiditatem autem non agit, nisi secundario; nam cùm frigiditas ad mixti compositionem, non principaliter, sed secundario accedat, vt assecla caloremque moderans, ita & alienæ caliditati non principaliter, sed secundario aduersabitur; agit igitur aliena caliditas primum in naturalem calorem, vt primarium contrarium, & vt in illud quod minus resistit, & ad quod facilior est transitus, & quo extincto lis omnis ablata est: frigiditas itaque illæsa in pugna ista remanet; benè itaque supra retulimus, quòd eadem complantata in mixtione frigiditas integra in lapsa corruptaque temperie conseruatur. At de his satis,

De circumambientis nos aeris salubris insalubrisque vsu. Cap. X.


PROVIDA natura mixtum corpus omne tam animatum, quàm inanimatum foraminibus plenum condidit; sic vt vndique fluxile, perspirabileque foret, vt ignea caliditas mixtionis forma, præter id, quod à propria frigiditate est temperata, in dies quoque temperaretur per continuam aeris intro susceptionem per corporis poros, atque per inspirationem, vbi inspirationis organa extiterint: Qui nanque nobis circunfunditur aer, is natiuo calori, tum pabulum, tum refrigerationem præstat; fumosaque etiam illius superuacanea excipit. Qui porrò circunfusus est nobis aer, is arteriarum pulsu corporis vniuersi calorem tuetur; quem verò spirando ducimus, is vnius maxime cordis calorem respiratione conseruat: Quoad enim animal viuit, necessariò spiritum ducit; neque enim vitam absque inspiratione, nec inspirationem absque vita esse posse, scripsit Gal. tanta quidem vis est aeris, per cuncta rerum meabilis, vt animantium corporum intima quoque penetret, illaque afficiat, nec solum illa, verum etiam solidissima quæque & inanimata, vt ligna, lapides, & metalla, quæ alter sicco, alter pluuioso cælo affici notantur: Aer itaque dum per intima cuiuscunque mixti corporis permeat, semper eorundē innato calori, si temperatus extiterit, duplici nomine adiumentum præ-

tum præstat; dum verò nouus introspirat, illum refrigerat, & tēperat; dum iam exustus transpirat, & extra fertur, illum ab immonditia purgat, ac nitidum purumq; reddit: hoc igitur profectò fuit vnicum naturæ studium in mixti corporis fabrica, vt illud vndique conspirabile, transpirabileq; faceret, vt natiuus eiusdem calor commodè temperari, expurgariq; posset; si verò intemperatus aer extiterit, quacunque loe effectus fuerit, eadem & mixti corporis calidum afficit; nec amplius illud temperat, expurgat, & conseruat, sed præter naturam afficit, ad corruptelamque præparat. Sic quidem circumambientis nos aeris, tum salubris, tum insalubris euadit vsos.

Quòd ambientis aliena caliditas putrefactionis prima, propriaque causa sit. Cap. XI.

CIRCVMAMBIENTIS nos aeris vsus, proficuos, noxiusue siue secundum eius substantiam huiusmodi sit, vt Asclepiades, & Erisistratus attestantur, siue secundum qualitatem, ac illam secundum calidum, & frigidum temperatam, vt in lib. de vtili. respi. affirmat Gal. seu magis, vt alijs placet, sub vtriusque nomine & substantiæ scilicet, & qualitatis vtilis munusq; repetiatur: Nos quantum ad præsentem nostram tractationem spectat, dicimus, quòd eius vtilitas præcipuè est secundum qualitatem, atque illam ex calido, & frigido temperatam, vt ibidem recenset Gale. Eiusdem verò nocumentum erit penès harum qualitatum excessum defectumuè: at in putredinis factione, de qua in præsentiarum est sermo, caliditatis excessum (quē sub nomine alienæ caliditatis Philosophus noncupat) putredinis auctorem faciunt & dicunt. Primam itaque putredinis efficientem causam vnde corruptionis motus exoritur, alienam ambientis caliditatem Philos. facit, quæ cæteras omnes concausantes, (vt in scholis loquimur) prohibitam inquam transpirationem, ac obstructionem virtute continent. Inde profectò motus ad corruptelam principium exoritur, quando vnus sit auctor & salutis, & necis caloris naturalis: Ambiens quidem benè temperatus salutis est opifex; male autem temperatus interitus est auctor. Meritò itaque primam corruptionis natiui caloris effectricem causam hanc alienam ambientis caliditatem Philosophus statuit. Atque hæc ipsa aliena circumambientis caliditas tum inhærentis, & proximè, tum antecedentis, & remotæ rationem obtinet: proxima & inhærens dicitur dum immediatè extra corpus, id tangit; aut intra corpus suscepta, innati calidi portionem actu circundat, eamque tum alterat, tum corrumpit, vt dicemus. Antecedens verò & remota eiusdem causa asseritur, quatenus extra corpus non longè admodum idipsum circumambit, aptum natum proximè illud tangere; aut intra corpus susceptus, & aptus natiuum circumambire calorem; & hæc remota impotentiaque putredinis causa etiam dicitur. Hæc quippe aliena caliditas dum corpori inhæserit, naturalemque circumambierit calorem (si validus extiterit) eum prius imminuit qualitatis similitudine extra alliciendo, mox ad putredinem alterat, ac tandem substantialiter corrumpit: prima quidem ratio, quòd naturalis vegetus calor ab aliena patiatur, est eiusdem imbecillitas. Aliena nempe circumcludens caliditas natiuo circumcluso calori opposita, aut vt extremum medio, aut vt contrariæ formæ instrumentum, seu vt refrigerationem ventilationemque prohibens, cùm validior quàm innatus calor sit, tunc illum (inquit Philosophus) à centro ad circumferentiam trahit, & extra educit, & ita eum imminuit, & debilitat: & dum calor è corpore effluit, vnà cum eo naturalis humor exhalat, & euaporat. Cùm igitur aliquæ particulæ naturalis caloris cum suis humiditatibus extra eductæ fuerint, tunc qui superstes est in corpore calor ob particulas absumptas imminutus, ac debilis est factus, & pronus ad patiendum, quare præsentia calidioris obiecti excalefacientis extra temperiem ducitur, præternaturalisque fit, alteratus ad intensiorem gradum caloris, seu malignitatis. Hic igitur præternaturalis effectus præter naturam quoque operatur; quare suum proportionatum humidum non amplius regit, nec obtinet, sed liberè fluere desinit, ad fluxionemque excitat, improportionatum interminatumque tandem reddit: & sic mixta putrescentia corpora tum calidiora, tum humidiora semper visuntur; quamobrem bene scripsit Philosophus, quòd putrefacta omnia primò fiunt humida; mox humido assumpto euadunt sicca. Vt ad ambientis igitur alienam caliditatem reuertamur, quam superius scripsimus cæteras omnes concausantes putredinis causas, prohibitam scilicet transpirationem, obstructionemque virtute continere; dicimus primò, quemadmodum circumcingens caliditas, quæ innatum calidum inhærenter circumcingit, atque clausionis obstructionisque rationem habet; hac eadem ratione, quòd circundando excalefacit, refrigerationem ventilationemq; prohibens nuncupatur; & sic ipsamet aliena circumcingens caliditas obstructionis prohibitæq; transpirationis rationem obtinet. Alio quoq; nomine aliena caliditas hæc ipsa continere dicitur, quatenus sunt

effectus ab ipsa dependentes. Dum enim natiuus calor à circumambiente obsessus, eiusq; caliditate alteratus, ac tandem præter naturam est effectus, hic inordinatè agens, inordinatèq; suum depascens humidum præcipuè aqueum, ipsum feruere euaporareq; facit, & hinc & inde à proprio termino fluere, qui quidem inordinatum confuseq; defluxus humor hinc & inde etiā vias claudit, obstructionesq; facit: quę deinceps obstructiones difflationem, transpirationemq; prohibent, & fuliginosas fumosasque exhalationes expurgari denegant: atque istæ profectò exustę materiæ in corpore detentæ, & supercalefactæ innatum calidum itidem supercalefacientes, & ipsæ ambientis nomine denominantur, vti supra retulimus. Obstructio itaque ipsa & denegata ventilatio, excretionumq; difflatio, cùm sint effectus alienæ caliditatis præternaturalisq; caloris, etsi sub ratione detenti inclusiq; excrementi hę causæ agant, & supercalefaciant, nō vt vna, seu altera causa noua, sed vt à prædictis effectæ, & dependentes semper cōsiderantur, & sub eodem comprehenduntur nomine, & significatu: quare in explicatione causæ putredinis non opus fuit hic illas vt secundam, aut tertiam nouam causam recensere. Quod de vaporibus fuliginosisq; excrementis, & similibus exustis materiebus diximus, illud idem intelligimus de humoribus corporisq; particulis putredine affectis, quæ sanas circundantes, aut tangentes particulas illas putredine efficiunt, & corrumpunt; hæ omnes putrefacientes causæ cùm virtute alienæ circumbientis caliditatis agant, nomine etiam ambientis comprehenduntur: externum autem frigus cùm semper continuato tenore calidum imminuere, extinguereq; habeat, & non nisi per accidens eum adaugeat; & si ad putredinis factionem aliquando concurrat, non per se primò, sed secundariò ad id accedit; ipso igitur iure hic à Philosopho prætermittitur, quando per accidens causæ in rerum diffinitione minimè recensentur.

Quid putrefactio sit apud Aristotelem & Galenum. Cap. XII.



ARIST. quarto lib. metheo. putrefactionem sic explicauit: putrefactio est corruptio propriæ naturalisq; caliditatis in vnoquoque humido ab aliena ambientis caliditate. Gal. autem secundo de differentijs febrium cap. 9. hanc diffinitionem apertè comprobat, vbi ait: nam rectè sentire videtur Aristoteles ab aliena caliditate oriri putredinem; vocat autem alienam extraneam non insitam, neque natiuam in vnoquoque genere rerum: nam hæc coquere est apta, extranea verò corrumpere, quod est putrescere. Item 11. methe. cap. octauo Arist. conformis per alia verba eandem ferè putredinis explicationem tradidit, vbi scriptum reliquit. Putredo est mutatio ad corruptelam totius substantiæ corporis putrescentis à calore externo, Vterque ipsorum motum, mobile, & mouens proposuerunt in putredinis diffinitione, & in omnibus sunt concordes. Arist. quò ad motum dixit: Putredo est corruptio. Gal. autem dicit esse mutationē ad corruptelam, quoad mobile Aristoteles caloris proprij, & naturalis in vnoquoque humido. Gal. autem scribit totius substantiæ corporeæ putrescentis: Proprius enim naturalisq; calor in vnoquoque humido, est tota putrescentis corporis substantia. Vltimò quoad mouens Arist. scripsit ab aliena caliditate, quæ est ambientis. Gal. autem dixit à calido externo: siue calor ille sit aeris ambientis; siue aquæ, aut cuiusuis alterius corporis putrescile corpus circundantis. Alij verò inter inchoatam completamq́ue putredinem differentiam afferentes; circa primam motus, atque alteram mobilis concordantiam dixere, quòd idem apud Medicos est dicere: Putredo est mutatio scilicet incompleta ad corruptelam totius substantiæ corporis, quod apud Philosophos dicere: Putredo est mutatio natiui calidi, & humidi ad calidi humidiq́ue lapsum præter naturam. Cùm enim naturalis calor formæ in mixto rationem obtineat, & natiuum humidum materiæ rationem habeat, vtrunque simul permixtum mixti corporis substantiam complet. Quamobrem idem erit dicere, (de inchoata putredine atque etiam adaucta) cùm dicimus: Putrefactio est mutatio calidi, & humidi ad præternaturalem calidi & humidi gradum, quod dicere: Putrefactio est mutatio totius corporeæ substantiæ ad non omnimodam corruptelam, sed ad calidi humidiq́ue lapsum, vti retulimus. Nam calidum & humidum simul mixta vti diximus, est tota corporis substātia; quare cùm ad huiusmodi lapsum mutatur, ad substātiæ corruptelam mutatur. Proinde nos dicimus, quòd inchoante putredine, atque etiam ipsa adaucta, at non omnino completa, putrida corpora superfluo semper calore & humore redundant, calore quidem, quoniam putrefactio, quæ est in fieri, dicit alterationem mutationemq́ue in qualitate ad caliditatem adauctam, maioremq́ue gradum putridi caloris præsentia excalefacientis obiecti, necnon admixtione exustæ fuliginosęque excretionis retentæ. Putrefactio quoque in fieri, atque etiam in facto esse dicit humidi adauctionem, & in mole corporea, & in additione gradus humiditatis; ex defectu enim moderātis & regentis

(qualis

(qualis erat natiuus calor ante corruptionem) & ex præsentia præternaturalis caloris perturbatis humidum interminatum, & à debita mixtione sui sicci seiunctum facientis: quare ad grandiorem corporis molem, atque ad maiorem humiditatis gradum permutatum esse conspiciunt. Sic vtiq; concludunt, quòd putrefactio in fieri est mixti corporis ad caliditatē humiditatemq; immoderatam permutatio. Vnum verò ad hæc addit Auic. quòd illa permutatio atque lapsus ille ad calidum & humidum non sit paratus & conuersus ad nouam mixti temperaturam, nouamq; viuentis formam suscipiendam, vt ipse bene docuit fen. secunda primi lib. doct. secunda de causis calefacientibus cap. primo, vbi inquit. Putrefactio enim accidit cùm in corpore remanet (postquàm ab ea causa extranea calefaciens separatur) caliditas extranea; quæ in materia humida accenditur, & eius humiditatem mutat ab eo, quod complexionis substantiæ, in qua est, erat conueniens; absque eo quod conuertat eam postea ad complexionem aliam, seu diuersam à complexione sua specifica naturali. Est nanque cùm caliditas & humiditas mutantur ab hoc, quòd vni complexioni conueniunt, & fiunt alijs complexionibus congruè, quod quidem non est putrefacere, sed digerere. Hactenus ipse. Sic vtique concludimus in omni corpore putrido inchoante putredine semper caliditatem auctam conspici, aut in gradu caloris, aut in præternaturalitatis gradu; deinde etiam humiditatē cerni auctā ad interminationis gradum. Sed est ratio dubitandi cur Philo. quartu metheu. vbi scripsit, quòd putrefacta omnia primò fiunt humida mox humido absumpto sicca; cur de calido verbum nullum fecerit, cùm ipsum sit corruptionis prima radix; dicimus, quòd & si ibi Philosophus calidum non explicauerit breuitati (vt sui moris est) indulgens, ex consequenti & quodammodo necessariò illum manifestè indicauerit. Satis igitur illum explicauit, cùm impossibile sit humidum à sicco seiungi, separariq; posse absque natiui caloris alteratione, qui illa vnita continebat, & absque eo concreta stare non poterant. Quod autem Phil. subticuit, apertè Hipp. secundo Aphor. explicauit, dum scripsit: Dum pus conficitur, dolores, & febres fiunt, magis quam iam confecto. Inchoante enim putredine, quin etiam ipsa adaucta, febres fiunt ex permutatione caloris natiui in igneum, & sic putrida calida visuntur; qui quidem calor & ipse doloris causa existit, vnitam particulam in essentiales suas partes, humidum scilicet & siccum, seiungendo. Confecto autem purè in extremo putrefactionis termino, tunc febris cum dolore sedatur; extincta ignea caliditate, & purulento humido interminato remanente. Completa autem consumataque putredo est natiui calidi & humidi prorsus extinctio, & assumptio, atq; totius corporeæ substantiæ omnimoda corruptio. Huius autem tum inchoatæ, tum consumatæ putredinis prima potissimaque causa mouens est (vti retulimus) aliena ambientis caliditas sub amplo eius significatu accepta. Prohibita autem transpiratio etsi necessariò & semper ad præternaturalis caloris augmentum concurrat, non tamen est primò & per se causa statuenda, quando ab ambiente caliditate ipsa sit effecta necessarioque dependeat, sicut antea retulimus. At de his satis.

Quòd putrefactio sit mixti, compositique corporis passio, atque corruptio. Cap. XIII.



PVTREDINIS definitione exposita, singulisq; eiusdem particulis explicatis, superest de definito cognoscere, an ipsum sit simplicis corporis affectus, passioue, an compositi? breuiter dicimus, quòd cum putrefactio sit proprij naturalisq; caloris corruptio in vnoquoque humido; & proprius naturalisq; calor in suo humido dicat quatuor primarum qualitatum, quatuorq; primarum simplicium corporum commixtionem, contemperantiamq; vti supra retulimus: Dicimus inquam, quòd putrefactio non simplicis, sed compositi, mixtiq; corporis passio est: ipsum nanque mixtum corpus putredine dissoluitur, vt caloris ambientis: vt enim mixtum corpus à natiuo calore per compositionem quandam generatur; ita à præternaturali calore per putrefactionem resolutionemq; corporum componentium corrumpitur; duo enim hi calores inter se pugnant, alterq; ab altero dissoluitur: resoluto naturali calore à calore extraneo, mixtum corrumpitur. Putrefactio itaque est compositi, atque mixti corporis tam perfecti, quàm imperfecti affectio & corruptio; vtrumque enim horum æqualiter putrescit per proprij eorundem caloris corruptionem intra suum interminatum, dissolutumque humidum. Et quoniam mixti compositique corporis ratio duplex à Philosophis assignatur, formalis vna, materialis altera: Formalis mixti ratio est eiusdem calor innatus, qui formatricis virtutis vicem gerens, seu suæ formæ imperio agens, reliqua elementa, humidū scilicet sicco permixtum bene inuicem contemperata retinet. Materialis autem mixti ratio est humidum suo sicco terminatum, & siccum suo humido continuatum, quæ bene simul permixta pro-

portionata fiunt materia ſui conformantis caloris. Quòd autem Philoſophus quarto metheo. ſcripſit, Siccum terminatum eſſe ſuo humido, per connexionem ſcilicet & continuationem partium ſiccum ab humido terminari, ipſe affirmauit ad terminum ſuæ formæ, & innati caloris terminantis. Cùm igitur putrefactio ſit mixti corporis paſsio, prius ipſius caloris, qui humidi cum ſicco terminatum obtinet, mox terminati detentique humidi paſsio dicetur. Eſt itaque putrefactio mixti corporis paſsio, corruptioúe penès formalem materialemq; rationem. Penès formalem, eſt proprij naturaliſque caloris corruptio. Penès materialem verò rationem, eſt detenti humidi ſolutio, atque eiuſdem diſcontinuatio à ſuo terminante ſicco. Vbi illud animaduerſum ſit, quòd Medici per rationem formalem putredinis duo admodum diuerſa intelligunt. Primũ mixti corporis formę corruptionem, per quam corpus ſubſiſtit, & abſque ea minimè ſubſiſtere poteſt: & ſic in præſentiarum nos capimus formalem putredinis rationem, naturalis ſcilicet caloris corruptionem: nam cùm calor in mixtione vicem formæ gerat, vt per eius præſentiam mixtũ habet eſſe, ita & per eiuſdem abſentiam habebit non eſſe. Huius itaq; formę corruptio iure formalis ratio corruptionis dicitur; quando ea corrupta, id corrumpitur per quod formaliter mixtum ſubſiſtit, & abſque eius corruptione minimè corrumpi poteſt. Altero quidẽ modo formalem putredinis rationem Medici intelligunt, aliam inquam rationem, & differentiam, per quam putredo à quocunque altero calidi innati interitu diſtinguitur. Et ſic ratio formalis putredinis non eſt natiui caloris corruptio, quando hæc vniuerſaliter communis ſit plurimis, & aduſtionis & marcoris, & extinctioni putredinique; quare per huius corruptionem hi interitus minimè ſeiunguntur, ſed penès rationem formalem a ſubiecto deſumptam. Vt enim accidentium ortus penès modum eſſendi, (vt ita loquar) quem acquirunt in ſubiecto, tales denominantur, & ſunt: ita & eorundem interitus per modum corruptionis, quem habent in ſubiecto, tales ſunt, & dicuntur. Putredo itaque cùm & ipſa ſit accidens penès ſuum corruptionis modum, quem in ſuo humido ſubiectum habet, talis eſt, taliſque denominatur; formaliter igitur putrefactio erit, & denominabitur penès ſuum corruptionis modum, quem in ſubiecto humido habet. Cùm igitur Philoſophus illam naturalis caloris corruptionem putredinem dicat, quæ in vnoquoque humido ſit, quæcunque natiui caloris corruptio erit in humido, humidi naturam ſeruante, ſed improportionato, interminatoque & in via ad deſiccationem, omnis inquam talis corruptio putredo erit, putredoq; dicetur: & per iſtum corruptionis modum, quem in ſuo humido ſubiecto ſeruat, à quocunque altero calidi innati interitu diſtinguitur, vt ſtatim infra explicabimus; quocirca duplicem putredinis formalem rationem facimus, vnam per quam mixti forma deperditur, alteram per quam à quocunque alio caloris interitu ſeiungitur.

Quomodo putrefactio à quacunque alia mixti corporis corruptione diſtinguatur. Cap. XIIII.

ACCIDENTIA autem omnia ſicut habent eſſe in ſubiecto, & per ſubiectum ſubſiſtunt, ita & per illud cognoſcuntur, & diſtinguuntur à quocunque altero. Cùm igitur vnuſquiſque proprius, naturaliſq; calor naturaliter in ſuo proprio naturaliq; humido, vt in neceſſario pabulo, & ſubiecto viuat, & ſubſiſtat, extra quod nõ datur ſubſiſtere, nec viuere; conſequenter ſequitur, quòd ipſe idẽ naturalis, & proprius calor dum corrumpitur, & deſinit eſſe, ſemper in ſuo humido corrumpatur, & deſinat eſſe; quando extra illud nuſquam conſiſtat, conſiſtereq; nequeat: penès itaq; proprias peculiareſq; differentias, quas calor in ſuo interitu conſequitur à ſuo humido ſubiecto, ſpecies interitus caloris inuicem diſtinguuntur. Primum itaque putrefactio ab extinctione, quæ à ſuo contrario frigido ſit, ſeiungitur: extinctio enim eſt motio violenta calidũ & humidum pedetentim, confertimúe ſimul abſumẽs cum imminutione calidi & humidi, & in quali, & in quanto progrediens ſemper vſque ad interitum, calor nempe ſui contrarij violentia ſemper diminuitur; pariter & humidum per expreſſionem, difflationemq; conſumitur, dum enim frigus calorem fugat, æquè humidum exprimit, & difflat. E contrario ſe habet putrefactio, quæ cum calidi, & humidi adauctione ſcilicet innaturali perpetuò progreditur. Suffocatio etiam, quæ à redundanti ſit humido, à putredine differt, quoniam ſuffocatio humoris copia ventilationem prohibendo calorem imminuit, ac tandem ſtrangulat: in putredine namq; calor cum illius exceſſu ad interitũ tendit. Quæ autem à plurima ſiccitate caloris extinctio eſt, & hæc à putredine differt. Quoniam in putredine cum humore, ibi verò cum exſiccatione interitus eſt; vnde & putridus calor apud Medicos æquè humidi, ſicut & calidi exceſſum connotat. A marcore autem putredo differt, quoniam putredo humidi interminationem effuſionemque ab ambiente præternaturali calore effectam declarat.

Marcor verò sui humidi calidiq́; pedetentim absumptionem factam, tum à præternaturali, tum à naturali calore ostendit; marcidus nanque, tabidusq́; calor apud Medicos humidi, calidiq́; simul consumptionem perpetuò connotat. A combustione autẽ putredo separatur, quoniã hæc cum excessu vtriusque principij formalis, & materialis ad interitum naturaliter peruenit. Combustio autem cum excessu tantum formalis principij ad ipsummet interitũ violenter peruenit, & cum humidi defectu; humidum nanq; in adustione violenter absumitur; in putredine autem à centro ad circumferentiam trahitur, & hinc & inde indeterminatè per corpus circumfluit, humidi naturam seruans; & idcirco humidum semper putridum corpus, combustũ verò exustum, exsiccatumq́; perpetuò cernimus; quare bene dicit Auicenna, adurere verò est, vt substãtia humida à sicca separetur, ita quòd illa sublimetur, seu euaporet, & ista descendat: vnde exurens calor apud Medicos nominatur, qui suũ humidum pabulum vniuersim, confertimq; absumit. Putredinem verò naturalem corruptionem appellauit Philosophus, sui interni principij ratione; innatus nanque calor, qui generationis extitit principium, vitiatus & factus præter naturã corruptionis est auctor; & sic ad putredinem naturaliter coordinari quoquo mòdo dicitur. Combustionem verò violentam, ac præter naturam dixit esse, quoniam principiũ comburens est totum extraneum, & internum principium nihil coòperatur combustioni, sed taluctatur, vimq; patitur; quare totum combustionis principium est externum, ac ideo præter naturam. Differt insuper putredo à morte, quoniam putredo (vt supra retulimus) est innati calidi, & humidi mixti corporis corruptio. Mors verò est viui caloris vitalis cordis extinctio, ob impotentiam respirandi: est quippe vita apud Philosophum in lib. de longitudine & breuitate vitæ; & in lib. de respiratione vitalis cordis caloris (qui totius animati corporis commune est instrumentum atque primæ animæ sedes) conseruatio per respirationem, & transpirationem: tandiu enim animal viuit, quandiu per inspiratum transpiratumque connatus viuusque cordis calor ventilatur; vnde respirationem à vita, & vitam à respiratione antiqui non separarunt. Vt igitur vita vitalisq; cordis calor, viuus superstesq; ventilatione, refrigerationeque naturaliter conseruatur, ita mors vitalisq; cordis caloris extinctio, naturaliter erit & dicetur per respirationis impotentiam, & defectum: longitudine enim senij (addit ibidem Philosophus) thoracis particulis inspirationi respirationiq́; deseruientibus exsiccatis, cordis flabellatio cessat, qua cessante, vnà cum respiratione vita intercipitur, viuereq́; desinit animal. Naturalis itaq; mors à naturali putredine secernitur; quoniam hæc ab interno principio vim passo conferente naturalis dicitur. Mors verò & à principio & à fine naturalis nominatur; à principio quidem, quoniã ipse idem calor, qui fuit vitæ opifex, est & mortis auctor; à fine autem naturalis dicitur, quia mors vt frequenter, debitum vitæ periodum, ordinatumq́; vitalis caloris cursum insequitur, nisi per accidens aliter cõtingat. Senectutem verò plantarum ariditatem, marcoremq́; omnem non putredinem, sed viam ad putredinem Philosophus nominauit; verius quidem hæc cuncta progressus quidam, & iter ad putredinem dicentur, quàm putredo: innatus quippe calor longitudine dierum imbecillis, refrigeratusque factus pronus semper est, vt ab externo corripiatur calore, præternaturalisque fiat, à quo putredo exoritur, & suum habet principium.

Qua ratione putrefactio mixtorum generationi maximè opponitur. Cap. XV.



Ro clariori putrefactionis notitia superest, vt cognoscatur, qua ratione putrefactio simplici mixtorum generationi propriè maximeq́; opponitur, sicut ibidem 4. metheo. recenset Philosophus, vbi inquit: simplici autem generationi contrarium maximè commune putrefactio est; omnis enim secundum naturã corruptio in hanc via est, vt senectus, & auanfis; finis enim horum omnium marcedo est, propter quod humida primò, deinde sicca tandem putrescentia fiunt; ex ijs enim facta erant, & siccum terminatum fuit humido operantibus factiuis: fit autem corruptio, cùm terminatum dominatur terminanti propter continens. Hactenus Philosophus, qui perbellè declarat, quemadmodum putrefactio generationi mixti propriè maximèq; opponitur; per generationem autem intelligit eam, qua mixtum corpus substantialiter incipit esse: sic per putrefactionẽ, corruptionem qua substantialiter desinit esse. Et primò inquit, quòd generationi mixtorum cõmuniter putrefactio aduersatur, quoniam nihil est ex elementorũ admixtione procreatũ in viuentium genere, quod naturæ suæ relictum (nec vi aliqua interemptum) in putredinẽ tandem naturaliter nõ desinat, sumpè putredinis nomine sumpto, quod & marcorem etiam complectitur. Communiter enim omnia mixta, relicta suæ naturæ corrumpuntur tandem per putrefactionem, & per marcedinem; & propterea

ipse addidit; omnis enim secundum naturam corruptio in hanc via est, finis enim horum omnium est marcedo. Corruptionam autem secundum naturam nominat Philosophus, quæ per principia naturalia ad interitum vadit, sicut putrefactio, quæ per naturalem alteratum calorem extra naturam tendit ad mixti dissolutionem, per sicci scilicet a suo humido discōtinuationem: quæ quidem mixti dissolutio à suo natiuo vitiato calore effecta, marcado à Philoso. dicitur; & proinde ipse subdit, finis enim omnium est marcedo. Addit deinceps, quòd mixtorum generatio, & putrefactio maximè opponuntur, primò ratione terminorum extremorum, esse quippe & non esse extremi termini sunt, & maximè distant; opponuntur quoque generatio & putrefactio maximè ratione causarum opposito modo se habentium in vtrisque: in generatione namque actiuæ qualitates retinent passiuas in mixto, & regunt eas, sic quòd nulla ex illis perturbetur, sed omnes concorditer remaneant, & mixti formam sustineant. In corruptione autem passiuæ qualitates sui iuris redduntur, & veluti dominæ sunt, nec ab actiuis reguntur, & detinentur, vnde mixtum dissoluitur, & humidum interminatum effluit, siccum verò discontinuatum subsistit. Vltimò Philosophus per putrefactionis euentum tanquam a signo ostendit mixti generationem, putrefactionemque contrarias esse, vbi ait; propter quod humida primò, deinde sicca, tandem putrefacta fiunt, ex his enim facta erant. Quod verò putrefactio terminus oppositus sit generationi, testimonium facit materia mixti corporis, quæ in generatione vnita erat; in putrefactione verò in suas partes, in humidū videlicet, & siccum dissoluta; mox reddit rationem, cur in hæc illa dissoluantur, quoniam ex his composita fuerant, & ad suam originem reuertuntur. Ad id autem quod Philosophus scripsit, & siccum terminatum fuit humido operantibus factiuis; dicimus quòd humidum & siccum in generatione mixtorum terminantur à calido, vel frigido vti à principijs factiuis. Humidum quippe fluidum per sicci commixtionem (calido frigidoúe cooperante) constantiam firmitatemque obtinet. Siccum verò puluerulentum per humidi commixtionem (ijs eisdem actiuis qualitatibus cooperantibus) suarum partium connexionem continuationemque habet, vnde ad suæ formæ terminum peruenit. Et propterea dixit Philosophus, & siccum terminatum fuit humido, idest per humidi continuationem ad frigidi calidiúe terminantis terminum peruenit. Naturalis autem interitus finem esse putredinem, senectutis ariditatisque exemplo confirmat; quorum alterum animantium, alterum stirpium naturalis est interitus. Senectutem autem & ariditatem in putredinem naturaliter desinere intelligimus, aut ratione formæ, quoniam hæ corporum dispositiones ob natiui calidi & humidi imbecillitatem admodum propensæ sunt ad putredinem, sic vt quauis leui de causa aptæ sint putredine corripi; & proinde in via ad illam dicuntur; aut in putredinem tendere traduntur, ratione extremi termini; est etenim extremus putredinis terminus siccitas suo humore destituta, terra inquam & cinis. Senectus autem & ariditas cùm adeo siccæ extenuataque sint, vt ferè à suo humido discontinuari videantur, non mirum, si ad putredinis terminum progredi dicantur, cùm iam prope illum sint. Sed de his satis.

Genita ex putredine à quibus efficiantur causis. *Cap. XVI.*

Etsi putrefactio generationi proprij subiecti, mixto scilicet putrescentis corporis maximè opponatur, inimicaque experiatur, quando illud dissoluat, & disiungat; aliorum tamen mixtorum nouiter procreandorum respectu proficua, amicaq; existit; quoniam disgregatas partes unit & coniungit ad effectionem rei nouiter procreandæ; & propterea Philosophus in vltimo contextu huius tractationis, quasi ab euidenti signo comprobare volens putredinis notionem esse corruptionē naturalis caloris in proprio humido, sic ibidem ipse attestatur. Et animalia fiunt in his, quæ putrescunt, propterea quòd segregata caliditas naturalis existens cōstare facit segregata, seu (vt alia litera habet) & animalia fiunt in his quæ putrescunt; propterea quòd quæ segregatur caliditas naturalis existens, cōsistere facit segregata. Natiuum namq; calidum ob putredinē ab antiqua sua compage solutū naturalitatis aliquid adhuc seruans non respectu rei putrefactæ, cui iam contrariū est effectum; sed imperfectorum animaliū gratia, quæ denuò procreantur, naturale, vt ait Philo. existens natiuum eiusdem putrefacti corporis humidū ab eadem compage segregatum, & huc illucq; indeterminatè fluitans consistere facit, & vnit, ac denuò illud agitat, permiscetq; & ad commodū reducit temperamentum rerū procreandarum, & sic illa (ex Philosophi mente) procreantur. Sed adest dubitandi ratio, vnde habet calor ista (quem naturalem Philosophus appellat) hanc virtutem, & potentiam procreandi plures animalium species, pluraúe animantia specie distincta, præsertim cùm nullam cum his cognationem, conuenientiamque habeat, & retineat. Plato autem

vt refert

(vt refert Magnus Albertus) 4. metheor. ait, quòd à Datore formarum id consequitur: Auerroes autem duodecimo metaphysicæ t.c. 13. & 18. à virtutibus stellarum id assequi asseuerat. Atque vtriusque horum magnorum Auctorum sententiam liberè affirmamus; nam syderum cœlestium planetarumque sub Zodiaco motiones, quibus à summo Opifice demandata est potestas singulas mundanas res procreandi ac effigiandi, hæ verò perenniter ad intima informis materiei viscera vndequaque pertingunt, atque calorem materiei præcipuam efficacissimamque qualitatem, ac earundem cœlestium motionum facturam, primitus his virtutibus vestiunt, & exornant, & iuxta caloris præstantiam & nobilitatem, præstantiorem nobiliorem que virtutem formatricem calor ipse consequitur; his vtique cœlestibus virtutibibus naturalis calor præditus, varias animantium species, variaque animata corpora formandi vim possidet: dicimus igitur, quòd naturales hi mundani calores intra materiei grembium degentes, & his formatricibus facultatibus ornati, ex Platonis sententia (vt magni opificis Dei operarij ac factores) hinc & inde semper vbique locorum per materiei intima, hanc vel illam, penès hanc vel illam eiusdem materiei humidique præparationem, formam faciunt & operantur, quos quidem calores alibi formatores nuncupauimus spiritus. At de his in præsentiarum satis.

Quomodo impura elementa secundum partem putrescere dicantur. Cap. XVII.



Quinimo & propriè dicitur putrefactio (inquit Philosophus) in his, quæ secundum partem corrumpuntur, cùm separantur à natura; propter quod & putrescunt omnia alia præter ignem; etenim Terra, Aer, & Aqua putrescunt, omnia enim hæc materia igni sunt, Hactenus Philosophus, qui vltra mixta corpora perfecta, imperfecta quoque ac simplicia, (qualia sunt tria prima simplicia corpora, Terram, Aquam, & Aerem) putredine corripi asseuerat. Quamobrem & benè inquiunt, quòd hæc elementa circa terræ superficiem, vbi perfecta animalia degunt, & res fiunt, & seruantur, pro animantium, & rerum mixtarum effectione, & conseruatione cuncta permixta reperiuntur, & omnia veluti sunt in omnibus, propter mutuam formarum penetrationem: quare nullum horum purum, simplexque reperitur propter superius dictam rationem: nam sicut mixta omnia ex quatuor fiunt elementis, ita ex eisdem quatuor seruantur. Quum enim caliditas omnium primarum qualitatum præstantissima sit, nam & maximè actiua est, omniumque mixtorum generatrix, vtpote quæ primum sit proximumque instrumentum formatricis naturæ, proinde vnicuique genito mixto, tam perfecto, quàm imperfecto est suum proprium distributum calidum, vt suam mixtionem foueat, ac seruet, atque eidem pariter calori fuit sua debita humiditas adiuncta, vt ab conseruarique possit: et enim huiusmodi imperfecta mixtio sub ampla, & lata elementi forma continetur, quæ præualet, ac vniuersum denominat elementum. Erit vtique in vnoquoque horum trium elementorum, & natura elementi, & natura imperfectæ mixtionis; & sicut harum vtrarumque duo quodammodo fuerunt ortus, primus inquam simplicis corporis elementaris, per simplicis formæ productionem, alter imperfectæ mixtionis per formæ mixti procreationem, ita & horum vtrorumque duplex erit interitus, & simplicis corporis per simplicem corruptionem, & imperfectæ mixtionis per putrefactionem: dicit itaque Philosophus, quòd putrefactio propriè etiam dicitur in his, quæ secundum partem corrumpuntur, & non vniuersim. Corrumpuntur quidem secundum partem, cùm à natura scilicet mixtionis discesserint, putrent ita qua tria prædicta elementa, cùm caliditas, quæ erat forma mixtionis vsui viuentium destinata, à sua recedit natura, aut per auctionem gradus caloris, vel malignitatis, aut per extinctionem. Hæc quippe corruptio secundum partem dicitur, cùm non vniuersim corrumpatur elementum; sed tantum mixtio illa, quæ & natura, & secundum naturam dicitur, propter vsum rerum vniuersi, vti diximus. Dicuntur insuper mixta hæc imperfecta corrumpi secundum partem, quoniam corrumpuntur tantum secundum rationem formalem, nam in hac mixtione imperfecta, corrupta caliditate mixtionem continente, illico tota mixtio dissoluitur, quod nō contingit in mixtis perfectis, vbi materialis ratio mixtionis, vnio scilicet humidi cum sicco, & vtriusque horum firma continuatio non sic in instanti corrumpitur ex corruptione suæ rationis formalis, sed paulatim in tempore ad dissolutionē corporis progreditur. Mixta itaque perfecta & secundum partem, & secundum totum corrumpi dicuntur. Secundum partem quidem, cùm secundum rationem formalem tantum alterantur, & permutantur: quæ alteratio & permutatio via ad putredinem est, & semiputridum à Medicis dicitur. Secundum totum verò corrumpuntur, cùm penès formalem, materialemque rationem absumuntur, ac desinunt esse. Quæ omnino

putrida à Medicis dicuntur. Nec imus inficias, hanc ipsam imperfectè mixtis putredinem, tertiò secundum partem dici, & nuncupari; penès sectionē & partitionem molis corporeæ ipsius mixti corporis putridi: nam sicut mixta perfecta, secundum suarum integrantium partium differentias, aliquando partialiter & secundum partem putrescere asseruntur; sic mixta ipsa imperfecta penès has easdem integrantium partiū differentias partialiter putrescere dici possunt.
Putrescere itaque secundum partem dicitur, primò penès differentiam partium essentialium, formæ scilicet & materiæ mixti, secundariò penès differentiam integrantium partium corporis putrescibilis. Putrent itaque secundum differentiam essentialis partis, qui semiputridi à Medicis dicuntur humores, quoniam secundum eorundem rationem formalem permutati sunt ad maiorem, aut prauiorem qualitatem. Hi quoque penès differentiam integrantis partis putrescere traduntur, quando hæc & non illa particularis pars putrescit. Putrent item secundum partem essentialem pili, cùm caui fiunt, quando eorundem natiua caliditas cum suo florido colore deperditur; de quibus quinto de generatione animalium cap. quarto Philoso-
„ phus sermonem facit, dum inquit: Quibus igitur natura pilorum parū calida est, & plus humo-
„ ris subit, cùm propria caliditas concoquere non possit, ab eo, qui incontinente est, corrumpitur
„ calore, atque ea afficitur, quæ canities ad situs similitudinem appellatur; quæ alba propterea est, quoniam multum in se crassioris aeris continet. Quinimo & vinum, cùm in acetum degenerat, secundum essentialem, integrantemq́ue partem putrescere asseuerant. Cùm enim vini partes quædam ab ambiente aere alterantur, ita vt à nature discedant, putrescere dicitur secundum partem formalem: nam propria vini caliditas deperditur, & aduentitia mala acquiritur. Vinum quidem Medici sciunt heterogeneum, dissimilium scilicet partium, & subtilium, & crassarum: in ipsa enim putrida excalefactione subtiles natiuo calore priuatę frigescunt; crassiores, vt vini excrementum se habentes, aduentitio calore, sicut & reliquæ putredinis reliquiæ, incalescunt: hæ igitur ob earundem crassitiem, quam ascititiam in putredine adeptæ sunt caliditatem retinent; ex quo fit, inquit Theofrastus, vt acetum quidem sit ex contrarijs facultatibus compositum, partim refrigerantibus, partim calidis, sicut vstorum lignorum cineres omnes. Secundum autem essentialem partem tria superius dicta impura elementa in proprijs sphæris putrescere traduntur, Aer inquam, aqua, & terra, vt quarto metheor. Magnus testatur Alber-
„ tus, vbi ait; Putrefactio propriè dicitur in his, quæ secundum partem corrumpuntur, cùm à
„ natura faciente, & conseruante mixturam separantur. In toto enim putrescunt mixta in to-
„ to, sed ea quæ in parte mixte sunt sicut elementa in sphęris suis permiscentur, in illis etiam se-
„ cundum partem erit putrefactio. Cætera quæ ibidem scribuntur, breuitatis causa omittimus;
De hac profectò putredinis specie quinto de generatione animalium cap. quarto sermonem fe-
„ cit Philosophus, dum inquit: quare terreni etiam vaporis putredinem nouimus, quę situs voca-
„ tur; etenim situs caries vaporis terreni est, qui eodem ferè gignitur modo, quo canitiem supe-
„ rius generari diximus. Solus autem ignis, inquit Philosophus, putrefactionis est expers ob suæ actionis præstantiam, vt infra suo loco dicemus. Cùm itaque putredo dicatur de ratione formali, materialique mixti corporis putrescibilis, necnon de eius quoque integrante parte, quoniam non confestim vniuersa corporis pars putredine capitur, sed per partem post partem successiuè putrescat. Consimiliter concoctio, quæ putredinem apud Medicos finit, cessareque facit, manente adhuc substantia, eidem opponitur, & secundum rationem formalem, cùm calorem restituat, & secundum rationem materialem; quando discontinuatum interminatumq́ue humidum, quæ est tota materialis substantie mixti, continuat & terminat; & si ad pristinum statum terminate illam non potest, eam tamen adeo æquat, vt aptam reddat ad salubrem expulsionem; insuper eidem tertio concoctio opponitur terminando, finiendoque putredinem: dum enim putridum extinguit calorem, interminatumq́; terminat humidum, putredinem firmat; ne vlterius in nouas corporis partes putrescendo progrediatur, & sub hac tripli-
ci ratione putredinem finire dicitur. Huiusmodi autem concoquen-
tia & sanentia erunt frigida & sicca astrictionis omnino ex-
pertia, moderata caliditate prędite, quę deiectum
natiuū calorem releuet, & sue siccitate
humidi, frigiditate verò cali-
di excessum mode
rantur.

Quòd aereum depuratum humidum cum terrestri sicco corpus minus putrescibile reddit. Cap. XVIII.

INTER omnes qualitates mixti corporis crasim contemperantes maximam vim habet, (vt integra incorruptaq; a putredine temperies seruatur) aerea humiditas suo sicco firmiter permixta; hæc enim cum igneo terrestriq; sicco bene temperata humiditas suum corpus longæuum minusque putrescibile reddit. Hoc profectò annuit Philosophus quarto metheor. vbi scripsit. Neque concretum putrescit; magis enim dealum est, quàm aer calidus, sic quòd possit humidum a sicco seiungere; caliditas enim ambientis quantumcunque extranea, impotens est eorundem firmam vnionem seiungere: Et propterea illi aiunt, quòd aurum, & argentum inter omnia metalla magis concreta sunt, & difficilius putrescunt; quia hæc propriam materiam ab omni immunditia puram, eamque fixam stabilemque continent: generantur enim ex sicco, & humido subtilissimis, nihil impuri humidique aquei permixtum habentibus, quod per purificationem separari possit, ita quòd ex floribus elementorum compacta videntur. Cum igitur aurum & argentum, hanc puritatem fixam permanentemque obtineant, non est locus caliditati ambienti, vt horum natiuam benè firmatam caliditatem vincat, ac eorundem humidi siccique stabilem vnionem dissoluat, quando hæc inuincibilis fit ob sui præstantiam, & fortitudini cuiuslibet corrumpentis causæ resistat. Et proinde quando quæritur vtrum aliquod mixtum vniforme ab intrinseco possit corrumpi corruptione, quæ est marcedo, in hac doctrina Scotum sequimur secundo sententiarum distinctione decima quæstione vnica, vbi hoc quæsitum sub dubio relinquit; ait enim; quòd est dubium, vtrum ista corpora, quæ non nutriuntur, nec fluit aliquid ex illis, vt aurum & argentum & huiusmodi inanimata, habeant corruptionem intrinsecam, quæ vocatur marcedo. Nec cum Marcoantonio Zimara sentimus in quæstione sua de mouente & motu, vbi asserit, quòd seclusa qualibet alteratione ipsius continentis, & cuiuslibet causæ extrinsecæ, mixta ista inanimata ab intrinseco possunt corrumpi; itaque si ponerentur in vacuo, adhuc corrumperentur: hæc est huius viri sententia: & huius ratio est, quoniam cuiuslibet mixti corporis calor, tam animati, quàm inanimati, cùm omnis sit eiusdem rationis, de numero scilicet entium successiuorum in continuo fieri, & nutriri; omnes itaquam huiusmodi calori in proprio corpore, propinqua commixtione suo humido interno pabulatur; & si insensibiliter, paulatimque id agat, nihilominus quomodocunque sit, semper illud depascit, & tandem eò venit, vt omnino illud absumat, & sic demumque corpus marcescat. Huius autem viri dicta minimè probamus, nec rationem caloris in corpore viuo, vitaque expertè eiusdem conditionis facimus; sicut alibi diximus, quoniam in mixtorum inanimatorum compositione, calor a suo frigido contemperante adeo eius vis refracta moderataque est, quòd minimè motionem agitationemque aliquam exercere potest; sed primam tantum suam actionem exercet, homogenea scilicet cõgregans, atque per eam in mixtione se conseruat, vnde nulla, aut pauca eidem contingit defatigatio, & per consequens nec dissolutio, nec corruptio. In mixtorum autem animatorum fabrica vnà cum hac, suam sursum deorsumque motionem etiam retinet, qua quidem agitatione & motione plurimum defatigatur, plurimumque dissoluitur, & eò tandem laborando peruenit, quòd marcescit. In corpore igitur viuo, & animato, proculdubio fatemur calidum subsistere per suum motum suumque continuum fieri, & nutriri; at in corpore inanimato & vitæ experte minimè verum est, vt rerum experientia attestatur, & proinde horum inanimatorum calor non viuus, sed in virtute, in potentia, & quodammodo mortuus dicitur. Fatemur equidem aurum & argentum longo temporis progressu tandem ambientis violentia corrumpi & putrescere, at quòd suæ putrefactionis initium internum sit, hoc cum Scoto timemus affirmare.

Quòd sicut ignis, ita & feruens valdeque calidum corpus ratione suæ calidæ formæ, minimè putrescit. Cap. XIX.

SOLVS autem ignis, refert Philosophus lib. de extensione breuitateque vitæ, putrefactionis est expers, & quarto metheor. & putrescunt omnia alia præter ignem, quoniam simplex purusque existit, & nihil habet alienum. Ex hac etiam ratione nec simplex Aer, nec Aqua, nec Terra putrescere potest, cũ alieni nihil possideat. Ignis verò licet purus non sit, vt is, qui sub lunæ concauo reperitur, non tamen putrescit, quando suo calore excedente omnia consumit, ipse verò nequaquam ab alijs conuincitur; consimilem profectò sen-

fectò sententiam ipse habet quarto metheoro. vbi dicit, neque feruens idest valde calidum putrescit, quoniam caliditas aeris putrefacientis minor est caliditate rei quæ putrefiat; & cùm sit minor super illam non obtinet, nec vllā facit mutationem: minus enim non potest super maius. „ Consimile argumentum Philosophus scripsit sectione 25. problemate 20. vbi ait; cur Aqua & Terra putreant, Aer & ignis non putreant, an omne quod putret, calidissimum fiat, necesse est; igne autem calidius nihil est; an quia refrigerari prius oportet, quod putredinem conceptu-rum est, ignis autem calidissimus semper est; Aer verò igne refertus est, nihil autem putret, cùm calidum est, sed refrigerari ante oportat, quam putreat; & Aqua, & Terra vicissim modo calida, modo frigida effici possunt: per frigidum autem hic Philosophus intelligit minus calidum; nam nisi putrescibile minus sit calidum, quàm putrefaciens; neutiquam putrescere poterit: huic conformem sententiam etiam in libello de longitudine & breuitate vitæ scriptam reliquit Philosophus, vbi ait. Et idcirco pinguia non putrescut, quia purissimi Aeris naturam redolent; Aer enim purus; sicut nec vllum alterum elementorum purum putrescere asseritur. Putredo enim est mixti corporis passio, cuius munus est humidum à sicco seiungere; nihil enim putret, quod humidi aliquid non habeat, quod & vitietur, & à suo coniuncto sicco separetur: simplex autem elementum solam informem possidet materiam, quod putredinis subiectum minimè esse potest; in Aeris quidem elemento, humiditas cum caliditate est eius forma, qua elementum subsistit, hæc in Aeris corruptione à siccitate contraria corrumpitur, & minimè à calore putrescit: Cùm autem alibi ipse scripsit aerem putrescere, de impuro aere, qui nos circumambit, & quo fruimur, & non de puro simplici intellexit. Quòd autem necessarium sit, quòd putrescibile minus sit calidum, quam putrefaciens ad hoc vt putreat, eorum, quæ mouentur argumento Philosophus comprobat; quæ enim mouentur, inquit Philosophus, minus putredine tentantur, quàm ea, quæ quiescunt, quoniam minor est caliditas rei, quæ mouetur, quàm aeris corrumpentis, & cùm minus in maius agere non possit, non mirum si incolumis à putredine seruatur. Alij autem inquiunt, quòd successiua entia, quæ in fluere, & successiuo esse perpetuò sunt, hæc motu verius, quàm quiete salubria seruantur: Alij aliter interpretantur, quòd minores fiunt impressiones ab externo calore in re, quæ mouetur, quàm in quiescente; vel quòd res, quæ mouentur facilius expurgantur ab inclusis excrementis, & vaporibus; atque ita liberius transpirant, & propterea difficilius putrent: oppositum huius sententiæ videtur Philo. tradere sectione 22. problematum, problemate quarto atque idem repetit sectione 14. problemat. vij. vbi ait: Cur fructus arborū, & carnes, & cætera eius generis putrent. Ibidem Philosoph. affirmat, quòd omnia putrent, cùm mouentur, immota autem, & plena incorrupta seruantur. Contradictionem soluunt, quòd Philosophus quarto metheor. de motu locali sermonem habuit, in problematibus autem de alterationis motu intelligit; localis autem motus putredinem prohibet, alterationis verò motus putredinem facit; vbi enim nulla contingit alteratio, ibidem nulla etiam contingit corruptio. Quando igitur dicit Philosophus, cùm res vndique plena fuerit, tunc expers erit cuiuscunque rei alterantis, & expers consequenter erit & alterationis & corruptionis: si autem vini testa, aut alterius liquoris vas non fuerit vndique plena, & obturata, sic quòd aer facilè intus ingrediatur, tunc aer intro inclusus ex loci angustia supercalesit, malusque euadit; hic nanque supercalefactus, quàm vini, alteriusque liquoris partem tetigerit, illam excalefaciendo alterat, & corrumpit. Hæc profectò fuit in eo loco Philosophi sententia. Si autem dicas, cur Aer in vasis in vacua parte reclusus vinum corrumpit & acescit, si vinum assidua non extrahatur, cur non itidem illud contingit dum extrahitur, præcipuè cùm Aeris copia ibidem continuè augeatur ex continua vini subtractione: Dicimus, quòd illa continua vini extractio maximè ei confert; nam cum liberè transpiret, liberè quoque inclusos excernit vapores, vnde purior, vegetiorque redditur. Præterea Aer inclusus per continuam loci mutationem ex continua vini extractione continuè ventilatur, salutarisque conseruatur, quare in vinum non nisi salubriter agit, nec illud corrumpit.

Quòd vnum sit principium efficiens putredinis, & non duo. Cap. XX.



Vòd autem Auicenna prima fen. 4. libri tracta. secundo capite primo plures ac plures putredinis causas recensere videatur, vbi ait: Putredo accidit aut propter cibum malum, cùm est præparatus vt putrefiat illud, quod generatur ab eo propter malitiam suæ substantiæ, aut propterea quòd velociter recipit corruptionem, quamuis sit bonæ substantiæ, sicut lac: Et cætera, quæ ibi habentur: Dicimus quòd Auicenna non

plures ibidem per se efficientes, & immediatas putredinis causas recenset; sed nutrientia, materiasque plures suapte natura pronas ad putredinem concipiendam exponit, atque earum corporis conditiones, quæ ad putredinem conducunt & faciunt, enumerat: Vnde verius materiales coadiutricesque putredinis causas explicat, quam nouum aliud efficiendi genus, ac nos tradidemus, docet, & quam ipse etiam docuit, fen. secunda primi lib. doctrina secunda cap. primo de causis calefacientibus, vbi ait. Putrefactio enim accidit, cùm in corpore remanet calidítas extranea, quæ in materia humida accenditur, & eius humiditatem mutat ad extraneam & malam complexionem. Quod insuper quidam aiunt, putredinem & ab interno, & ab externo efficienti principio exoriri; & propterea res magnas ab interno, paruas verò ab externo principio facilius putredine corripi: hoc minimè probamus; quando id ipsummet principium externum si putrefacere aliquid debeat, siue magnum, siue paruum extiterit, necesse est, vt interius progrediatur, putrescibileque tangat, illudque alterans ad suam extraneam naturam trahat, & putrefaciat. Prohibita autem transpiratio, quam isti internum putredinis principium faciunt, non est per se putredinis causa, sed est cōcomitans, auxiliumq; præstans calori aeris nos circumcingenti, hic quippe ex additione retenti excrementi efficacior ad agendum redditur; & hæc sola, & vnica est per se putredinis efficiens causa, quæ externa dicitur, dum extra corpus reperitur; dum verò intra corpus fertur, siue per corporis poros natiuumque viscerum calidum tangit, & circumcludit; interna quoque nominatur: hic igitur ipse Aer & tempore, & loco frigido quantumuis frigidus intra corporis viscera inspiratus, viscerum caliditate incalescens, vaporisque calidi nomen suscipiens, natiuum circumcingit calidum, illudque recalefaciens putridum reddit: prohibita quidem transpiratio, quam medici internum per se putredinis principium faciunt, est circumambientis caloris assecla, comesque inseparabilis; quamprimum enim innatum calidum ab externo est circumclusum, illico innati caloris ventilatio cessat, & intercipitur; huius autem actionis interceptio prohibita nuncupatur transpiratio; quare cùm ab ambiente, veluti à se obstruente, perpetuò dependeat, non mirum si Philosophus eam tacuerit, & sub ambientis nomine complexus fuit; & rectè quidem, nam cùm ipsa prohibita transpiratio rei priuationem absentiamque dicit, & rem minimè præsentem & inexistentem. Et si positiui inexistentisque aliquid dicat, euenit, quatenus excrementum detentum continet, quod cùm internum innatum calidum circumdederit, aut sub vaporis, humorisúe ratione, seu sub fumosæ fuliginosæque excretionis forma, ambientis nomen virtutemque cōsequitur, ambientisque nomine nos complectitur. Et propterea hanc vnicam tantum (vti supra diximus) circumambientem extraneam caliditatem putrefactionis causam fecimus. Quæ ad hoc quod calidum innatum alterat, & corrumpat, vt illud circuncludat, & tangat necessum est; hæc profectò fuit Philosophi sententia, quam Gal. secundo de differẽtijs febriũ vidit & approbauit, dum scripsit. Nam rectè sentire videtur Arist. ab aliena caliditate oriri putredinem. Vocat autem alienam externam non insitam, atque natiuam in quocunque genere rerum; nam hæc concoquere apta est, externa autem corrumpere, quod est putrescere. Hoc idem vndeci. meth. cap. octauo confirmauit. Huius verò clarum, certumque testimonium facit, malus corporis habitus, necnon hipocondriaca passio, præternaturales inferioris ventris affectus, in quibus plurimæ atque plurimæ crudorum humorum & in meseraicis, & in vtriusque visceris vasibus, ac per vniuersum abdomen obstructiones difficiles visuntur; quæ si (vt dicitur) per se putredinis causæ extarent, tunc ibidem semper plurimæ continuæ febres, atque illæ vehementes adessent, quando earundem immediatæ efficientes causæ præsentes continuò adsunt, nec à corde distantes admodum sint. Cuius oppositum experimur. Nam & paucæ & raræ, & non nisi ex aliquo peccato in sex rebus non naturalibus commisso fiunt, atque illæ pusillæ intermittentesque sunt. Et huius rei certa ratio existit, quòd proxima & per se putredinis circumambiens causa imbecillis, impotensque est frigidum circumclusum humorem vincere, & corrumpere; Nam vt benè quarto metheoro. refert Philosophus: Frigidum detentum est magis validum, & potens, quàm ambiens calidum detinens; quare nec illud obtinere vincereque potest, & proinde minimè putrescit. Cùm iidem isti quærunt, qua ratione, qui adhuc calentes ab exercitatione dum se concludunt in locis frigidis, aut frigidam bibunt, aut externam auram concipiunt, putredine humorum capiantur: Ad hæc penès enarrata dicimus, quòd omnes hi putredinem concipiunt primò per se ab ambiente intra corporis viscera incluso aere; qui quidem intra corpus per nares, & fauces inspiratus, aut per cutis poros corporisque meatus intra viscera delatus (vt sui moris est) ad connati calidi refrigerium, hic vbi refrigerandi muneri satisfecerit, calidi loci præsentia excalefactus, inutilis extraneusque euadit: at vbi postea occlusas corporis vias offenderit, nec expurgari nec extra ferri datur, ibidemque præter naturam detentus magis incalescit, malusque fit: hic igitur quamcunque internam circumcingit particulam, aut humorum

portionem

portionem alterat, corrumpit, & putrefacit. Et si corporei excitati vapores huic putrefactioni fouent, & ipsi quoque (vt supra retulimus) ambientis rationem obtinent. Pariter humores & partes putrefactæ ipsæ quoque ambientis rationem subeunt; quare quas iterum tangunt, & circumcingunt particulas, has putrefaciendo corrumpent. Obstruentes autem humores, vasorumque oscula claudentes aut sui ipsorum copia, aut crassitie, seu lentore (vt Medici inquiunt) qui putridarum febrium antecedentes appellantur causæ: hi apud nos putredinis opifices minimè sunt, & non nisi remotè illam conspiciunt (etsi proximè Medicum interpellant) & verius concausæ antecedentes, atque adiumentum præstantes, quàm putrefactionis causæ asseruntur; eatenus enim putredinem faciunt, quatenus conclusum detentumque intra vasa excalefacientem, corrumpentemque calorem seruant & custodiunt. Opilatio autem atque prohibita transpiratio (liceat in his quę hominum mentem perturbant sermonem repetere) per se putredinem minimè faciunt, sed in causa sunt vt natiuus supercalefactus calor ventilatione priuatus pronior ad patiendum reddatur, in causaque etiam sunt, vt intra inclusus excalefactus Aer, atque fumosa fuliginosaq; excrementa detenta viarum conclusione, eadem ventilatione priuata magis calida extraneaque fiunt, vnde cùm foras aditus non fit, intro conuersa, & simul vnita natiuum calidum pronum ad patiendum effectum, circumcingendo corrumpunt, & putrefaciunt.

Quamobrem putredo frequentius ab intimis particulis oriatur, quàm ab extimis. Cap. XXI.



VLTIMÒ ambigunt, cùm putredo à malo ambientis calore principium semper habeat; cur putrescibile corpus quodlibet cùm putrescere incipit, Putredo frequentius ex intimis corporis partibus exoritur, & inde ad extimas progreditur, rarò autem ab his ad intimas illas procedit, quum oppositum potius deberet euenire, quando ambiens extra in proprio loco sit efficacior, & extimæ corporis partes, præter hoc quòd sint infirmiores, sunt etiam totæ viribus ambientis expositæ, & sic magis paratæ, vt ab his offendantur? Ad hæc dicimus, quòd naturalis propriusque calor cuiuscunque rei mixtæ, & præcipuè viuentis intra viscera intimasque corporis partes maximè veget, ibidemque ex prouidæ naturæ ordine, proficui introinclusi Aeris beneficio vtitur, pro sui, & corporis conseruatione; qui quidem Aer ex ordine itidem prouidæ naturæ perpetuò ad hunc vsum præstandum, sua tenuitate per occultos corporis meatus intus, & extra fertur: at vbi contigerit, sicut sæpius euenit, propter loci angustiam ipsum incalescere, & ex vtili inutilem fieri, tunc conditionem mutat; nam ex amico inimicus euadit; quare viribus potens hostiliter agens ibidem natiuum calorem proprio beneficio destitutum alterat & corrumpit, idque ibidem facilius, quàm in exterioribus corporis partibus consequitur; nam & si caloris vis ibidem maior sit, quàm in extrinsecis partibus, maiori quoque indiget fomento, quo ablato illico flaccescit, & à quocunque offenditur: in extimis autem corporum particulis detentus calor, quantumuis exiguus, cùm in densiori, duriorique subsistat subiecto, qualis est cutis, pellis, squamæ, cortices, & consimilia corporum tegmenta; his itaque partibus innixus fortius ferienti Aeri resistit; præcipuè cùm longo vsus continui contactu iam eidem sit familiaris effectus. Præterea ambiens Aer alterans, & corrumpens ob loci latitudinem, non sic facilè alteratur, & de bono in malum permutatur, nisi ex vrgentibus causis contingat; sed vtplurimum proficuus conseruatur, & sic huius beneficio, longius feliciusque calor innatus fruitur. Si verò in sua ampla loci latitudine noxius euadat, tum intus & extra simul contingit corpus alterari, & corrumpi. Si quis vlterius quærat, quænam est proxima ratio, quòd mala ambientis caliditas innatum corrumpat calidum, ad hæc breuiter dicimus, quòd vnà cum inimicitia, & contrarietate superius dicta, est ipsius passi propensio vt patiatur, & corrumpatur, & efficacia ipsius agentis, ad agendum, & corrumpendum; quam efficaciam, & vim agendi, Agens consequitur tum ex corporis magnitudine, quam concomitatur copia qualitatum actiuarum, tum ex bona temperie quam naturalis agendi potentia insequitur, apta nata ad agendum; sic & patiens patiendi promptitudinem habet, aut ex pauca corporis mole, vbi & pauca agendi, & reluctandi virtus reperitur, aut ex temperatura non vndique vniformi, & æquali, vnde & patiendi promptitudo exoritur ab extrinsecis causis lædentibus, seu ex defectu necessariæ actiuis pro eius esse, & conseruatione: hæc igitur agentia & patientia vbi fuerint, mutuem debitè proximata necessariò alteratio, atque tandem infirmioris corruptio sequitur. Quum itaque tota putredinis ratio consistat in imminutione caloris innati, facilis ad patiendum & in aqueo natiuo humido apto ad ebullitionem, & ad discontinuationem, vt ita dicam, à suo sicco; atque in efficacia malæ caliditatis ambientis continuè innatū

calidum alterantis, insitumque humidum dissoluentis. Quæcunque igitur suum innatum calorem seruare fouereque poterit, atque insitum humidum in suis terminis integrum custodire, ab ebullitioneque defendere, atque alienæ caliditatis impetum præcauere, eamque ipsam moderari, ac ad bonum terminum redigere, ne magis quàm par sit corpus elteret; hæc profectò idonea erunt, vt à putredine corpora conseruent; sicut est mel, zuccarum, oleum, acetum, sal, & huius generis reliqua, quæ arte corporibus adhibentur, vt à putredine illa vendicent, & præseruent. Et vt tandem ad calcem res ipsa perducatur; putridum nos vocabimus calorem mixti corporis insitum præter naturam effectum suum humidum vndiq; euocantem. Vrens autem idem præter naturam calidum dicimus, confestim suum humidum excedens. Tabidum marcidumque eundem præternaturalem nominamus calorem, pedetentim suum præternaturaliter absumentem humidum. Quæ autem à Gal. primo de differentijs febrium putredinis differentiæ traduntur, quòd quædam putredo est cum dominio virtutis; quædam cum virtutis infirmitate; inter hes duas putredinis species tertiam constitunt, quæ non putridum omnino, sed semiputridum, nec virtutem prorsus imbecillem, aut prorsus fortem declarat, sed in horum vtriusque medio constitutam. Hæ quidem differentiæ accidentalem putredinis differentiam explicant, benignum, malignumúe putredinis gradum; atque eiusdem modum essendi manifestant, quam ipsamet putredo habet cum virtute patientis particulæ; vt cognoscatur qualis nam sit putredinis conditio vt sanetur, an facilis inquam, difficilisque sit curatu. Hactenus de putredine, putridoque calore sit dictum.

Quid sit calor pestilens, & qualiter ab alijs caliditatibus distinguatur. Cap. XXII.

PESTILENS calor est male caliditas marcidi, putridi, adurentisque caloris naturam habens; apte nata sua praua qualitate patibile obiectũ male efficere; quæ prauas caliditates omnes virtute cõtinens efficacissima est, plurimis alterationis modis ad entmatum corpus inficiendũ: atq; hæc omnino præter naturam est, omnifariam opposita natiuo calido; tum salubri, tum vitali, & tam spirituũ, & humorum, quàm solidarum partium aduersatur calido: siue hæc aeris, (quam vulgò Medicíq; pestem vocant) siue aquæ, aut cuiuscuis alterius mixti corporis qualitas extiterit, aut à malo cœli sydere, aut à praua terrestri qualitate sit genita. Hæcq; prauarum caliditatum omniũ summam possidens, & prauitate malitiæ, & copia nocumenti à singulis malis caliditatibus seiungitur. Huncq; præternaturalem calorem, quidam secundum totam substantiam natiuo contrarium appellarunt: quando & natiuus, & hic diuersarum substantiarum termini oppositi sunt, qui quidem sic nominantur, nõ quia sint substantiæ, sed quoniam ipsi substantiæ secundum omnes suos gradus caloris adeo sunt intimi, & familiares, vt alteri substantiæ nequaquam congruere possint; quare & si caliditas hæc accidens sit in tertia qualitatis specie reposita, tamen quia secundũ totam suam latitudinem omnesq; sui caloris gradus natiuo opponitur calori, substantialiter oppon illi dicitur. Qui autem pestilentem calorem venenosum dixerit; aut per materialem, aut spiritualem qualitatem lædere opus est dicere. Si per materialem læserit, illam calidam esse necesse est, quare aut marcidam, aut putridam, aut adurentem, aut his omnibus male affectam esse fatendum est. Si per spiritualem, per simplicem inquam, & nudam qualitatem offenderit, (qualis est torpedinis piscis offensio) hæc vis & facultate pestilenti huic à nobis explicato calori similis erit; quando vterque horum consimilem dyram pernitiem corpori machinetur. Vt enim ignis combustibile corpus in suã naturam conuertit, & corrumpit; sic & venenum ad sui naturã trahit venenabile corpus, & corrumpit: ac ideo non perperam scripsisse arbitramur, qui pestilentem calorem per venenatã qualitatem significauit. Nec etiam inficias, hunc eundem pestilentem calorem summam, prauamúe putredinem nuncupari, quando summa putredo has tres dictas præternaturalis caloris differentias complectatur. Nec pariter negamus hunc malignum calorem, vt perniciosum natiui caloris hostem, cordis substantiam, aut eiusdem contenta adire, illaque putrefacere, & corrumpere; quoniam hoc & veri contrarij, & inimici est proprium munus intima sui contrarij, & inimici inuadere, eaque prorsus euertere. Nec secus hostis inimicique perduntur, è vitaque tolluntur. Hic igitur acerrimus hostis intima petens efficaciter singulas animantis particulas corrumpit, atque simul spirituum, massæque sanguineæ, & solidarum partium connatum putrefacit, marcescit, & adurit calidum. Reliqui verò præternaturales calores, sicut putridi, vrentes, marcidiq; dicti, qui singulariter suum obiectum adurunt, putridum, marcidumque reddunt; non secundum totam substantiam præternaturales assequuntur, sed secundum aliquos tantum gradus, qui

intimiores substantiæ sunt, tales nominantur; secundum alios verò gradus sanitati tantum, & non vitæ opponi traduntur, quemadmodum experientia nos quotidie docet, putridum humorem, putridamq; febrem, & consimiles malos calores cum vitali calido simul longo tempore stare. Hanc itaque efficacitatem lædendi, passumq; pluribus modis inficiendi (quam in pestilenti calore inesse aiunt) primam contagij rationem faciunt; hæc quippe est radix, & principiū commune vnde corpora plurima apta nata sunt infici, nec dissimili admodum nocumenti forma inficiuntur; nam quòd corpus istud marcidum, illud putridum, seu adustum sit effectum, aut quòd his omnibus infectionibus corpus alterum sit infectum, non diuerso quidem omnino infectionis modo affici dicuntur; quando vbique natiuum calidum, natiuumq; humidum depardantur, ac omnia tandem ad eundem terminum, ad perniciem scilicet, & interitum terminantur. Hæc igitur efficacitas lædendi pluribusque modis corpora inquinandi siue in atomis, insensibilibusque corpusculis, (quę isti contagij seminaria faciunt) siue in quauis corporis mole extiterit, magna vel parua, siue Aeris nos ambientis illa pars dicatur esse, siue Aquę, siue Terrę, aut cuiusuis alterius mixti corporis particula sit; dummodo sit potens agere aliudque inficere, vera contagij ratio affirmatur à nobis. Etsi enim patientium corporum dispositiones, conuenientiæque ad pestilentiam concipiendam materialiter semper conducant; nam si hæ essent validæ ad resistendum, neutiquam illam conciperent, quia verò inualidæ sunt, ideo materialiter hanc suscipiunt, non propterea eisdem contagij rationem adscribimus. Nam dicimus, quòd sicut pestilentiæ actus materialiter sunt à patientium corporum dispositione, & conuenientia, ita formaliter à prauo pestilenti calido permutante proficiscuntur, vti à forma agente, & informante. Cum igitur pestilentiæ actus materialiter à patientium propensione, formaliter verò ab agentis efficacitate fiant; & cùm distinctio, differentiaque omnis à forma habeatur; non mirum si distinctionum differentiarumque donum verius agenti, quàm patienti condonemus. Præterea his addimus, quòd fortitudo agentis, atque eius constans, validaq; actio sunt, quę subiectum pronum ad patiendum redigunt. Nec pariter negamus malam corporis præparationem caloris pestilentialis per accidēs occasionem esse; cùm scilicet circumambientis Aeris caliditas extra corpus in suo ambitu pranè affecta minimè sit, intus verò suscepta ex mala corporis præparatione malè afficitur, inde malè affecta contra corpus conuersa, illud pranè afficit, & corrumpit. Sed de his satis. Et ad rem nostram reuertendo dicimus, quòd huiusmodi pestilentes corrumpentesque calores præcipuè visuntur in infectione putridorum [illegible] affectuum, quales sunt, carbunculus, antrax, hostiomenus, cancer, & cæteri consimiles, qui quidem calores omnino præter naturam sunt, & efficacissimi ad hos malos affectus procreandos, pestilentesq; febres excitandas. Atq; hi insuper prænominati effectus, & calores distinguuntur inuicem penès maiorē minoremq; efficacitatē eorum pendi, (quam alij modū corruptionis nomināt) hic enim magis efficax igni vrenti persimilis, à minus efficaci seiungitur; quoniā hic putrefacienti magis, ille vrenti verius assimilatur. Cùm itaq; pestilentes calores summā prauarum caliditatū possideant, ita & eorundē confusam naturā omnem obtinere dicitur: & quæ istarum affectionū præualuerit, in vnoquoq; per hanc fit distinctio, & separatio: Alij nempe horū calorum simpliciter putrefaciunt; alij putrefaciunt, & adurūt; alij putrefaciunt, adurunt, & marcorē inducunt. Res enim præternaturales non determinatæ sicut naturales confusæ, indeterminatæq; sunt, ita confusè indeterminatèq; operantur. Hostiomenus enim combustionis, marcoris, putrefactionisq; naturā sapit; vstioni enim similis est, quoniam confestim corrumpit naturā; Marcori quia id absq; sensu, & dolore efficit; Putrefactioni quoniā cum multo deprauato humido id agit, & operatur. Carbunculus autem, & antrax, & esti vstioni, putredinisq; assimilantur, quoniam quidem violenter cum dolore substantiā corrumpunt, id ipsumq; agunt simul cum mala humiditate [illegible]. Cancri verò praua caliditas corrumpens, non flammæ ignis vrenti, sed glebæ terræ igneæ [illegible] quidem calor excedens ignem, quem mortuum vocant, similis est, quales [illegible], [illegible] [illegible], & similium [illegible] pedetentim comburentium, quæ instar calidi putrescentis paulatim [illegible] absumit humidum, id ipsumq; disperdit: & sic calor iste confusam adurentis, putrescentisque caloris naturam redolet. Vnum animaduertendum, quòd sicut ex igneis flammis aliqua est, quæ præter oleosum [illegible] pabulum [illegible] [illegible] subiectum exposcit, in quo persistat, vt diutius se in luce [illegible], vt in lucerna candelaq; flammam licet cōspicere, quæ præter [illegible], & oleū funiculo indiget, in quo subsistat, & sine eo subsistere nō posset; aliqua verò absq; funiculo solū ex denso firmoq; pabulo persistit, sicut ardentē flammā longo tempore seruari [illegible] ex [illegible] [illegible], [illegible], & similibus [illegible], quæ idoneū constituunt pabulū [illegible] & potentis longo temporis spatio ardentē flammam custodire. Sic & prænominatū pestilentes calores [illegible] [illegible], et his quidā sunt, veluti carbunculus, antrax, [illegible], & [illegible] præter [illegible], funiculū habentes

quo innituutur, (quem Medici radicem nuncupant) & quo diu perdurent superstitesque sint. Alij absque funiculo solum ex densiori firmiorique pabulo vegetes se conseruant, sicut in putridis febribus licet videre, quæ ardentes per temporis spatium vigent ex solidiori pabulo tantum nutritæ, cuiusmodi sunt putridi succi, ex quibus putridæ febres accenduntur. Est insuper animaduertendum, quòd efficacissima ambientis caliditas ad putrefaciendum, siue ex mali syderis aspectu, siue ex praua elementari qualitate genita sit, insalubrem humiditatem coniungem vtplurimum habet, vnde maiores nostri cum siccitate siccisq; medicaminibus illam salubrem conati sunt semper reddere; huius autem pestilentialis caloris infestissimi hostis humani generis medela est, eius irruentis impetum retundere, marcidum, putridumq; humidum firmare, ac insitum calidum contra oppugnantem viuidiorem reddere; hoc quippe apposite facit caliditas frigiditasq; temperata cum tenuissimo sicco, purissimoq; humido commixta; qualis est Teriacæ, Mitridatiq; calor, Terræ sigillatæ, boliq; Armeni frigiditas: illa suo consimili calido innatum fouet calidum, fortioremq; reddit ad pugnandum; hæc sua moderata frigiditate proprijs armis munita eius impetum compescit. Vtraque verò dicta medicamenta depurata sua siccitate humidum putridum diffluens retinet, firmatq; vt firmius insitum calidum sustineat; & ambo simul vnita impetum aggredientis hostis retundant: Et si qui in corpore putridi sint humores, hi vt expurgentur necessum est: & quæ clausæ intus viæ extiterint, aperiantur, totumque corpus peruium reddatur. Et si vniuersam particulam praua putredo inuaserit, ignito ferro penitus abscindatur, ne totum corpus furens lues deuastet.

Qualis sit cordis ac totius corporis status naturalis. Cap. XXIII.



COR ex tribus integrantibus partibus constructum esse, & Medici, & Philosophi omnes consentiunt, ex solidis inquam particulis, sanguine, & spiritibus in dextro, sinistroq; eius ventriculo detentis: hæ quidem tres substantiæ, sanguis, spiritus, & solidæ partes, & cordis & vniuersi corporis totam animalis complent substantiam: quæ partes cum naturaliter calidæ reperiantur, in vnumq; efficiendum conueniant, illud secundum naturam calidum efficiunt; ab ipsa nempe prouida natura præordinatum est, quòd prædictæ calidæ particulæ in vnum concrescant calidum, quod animæ sit accommodatum instrumentum ad suas exercendas functiones: Solidæ nanque partes calidæ sunt, quoniam antiquam & sanguinis menstrui, & seminis, ex quibus confecta sunt, caliditatem attestantur: sanguis verò, & spiritus & hi natiua caliditate calidi traduntur, quando à calidissimis locis, dextro scilicet sinistroque cordis ventriculo, atque à calida etiam admodum materia ortum ducant: hæ quippe calidæ constitutrices cordis, totiusque corporis particulæ, cùm accidentali caliditate sint præditæ, penès huius accidentalis caloris naturam magis & minus suscipiunt, & intendi & remitti pariter dicuntur, à nobisque simpliciter calores nominantur; qui quidem calores, dum simul coeunt, & conueniunt, talis ipsorũ natura & conditio est, vt illico in vnam temperiem, & formam vniantur. Connatus itaque similarium partium calor, & influeus spirituum, massæque sanguineæ, qui influens dicitur, quia per vniuersum influit corpus, dum ordinatæ naturæ prouidentia simul miscentur, facillimè propter eorundem cognationem in vnam tertiam conueniunt formam, quæ calida salubris temperies cordis, totiusque corporis à Medicis nominatur calida; quoniam ex calidis procreata est, & quia ex eorundem inuicem conflatur temperamento, inde temperies dicta, & quia horum calorum contemperamentum in firmam permanentem deuenit constitutionem aptam natam animæ munia peragere, proinde & salubris, naturalisque appellatur. Vna dicitur & singularis, quia vnum aliquid est particulare; communis vniuersalisque dicitur, tum quia omnibus indifferenter inhæret, tum quia communiter vniuersaliterque singulis viuis particulis prodest cordis, arteriarumque munus explens cunctis accommodatum proficuumque opus: communis quoque dicitur, quoniam communiter à singulis caliditatum particulis est effecta; atque in singulis pariter secundum naturam se habentibus conseruatur; vt enim ex singularum partium caliditatibus inter se conuenientibus salubris cordis calida temperies fit, ita & in harum singularum caliditatum congruitate custoditur. Gentilis autem de Fulgineo in quæstione qua quærit, an cor sit primum febris subiectum, videtur hanc nostram sententiam comprobare in quodam suo notando, vbi ait; quòd est vna quædam totius corporis salubris complexio calida ex insita & influente aggregata, quæ est animæ proximũ instrumentum, ordinatum ad suas peragendas actiones; & suum primum esse in corde retinet. Quòd verò vniuersum corpus suam salubrem possideat complexionem, vt suum munus salubriter

expleat, sic manifestat, quemadmodum quodlibet particulare membrum suam salubrem habet complexionem, qua mediaote salubriter operatur; sic & vniuersnm corpus suam salubrem habebit complexionem, qua salubriter suas exercet functiones; hæcque calida existit, quoniam à calido & suum ortum, suumq; esse præcipuè obtinet. Cùm igitur complexio totius corporis calida sit, & effecta ex caliditatibus corporis, quæ cùm duæ tantum sint, insita vna, & iofluens altera, necessum fuit, vt & singularium partium, & totius corporis calida complexio ex his duabus sit aggregata & genita; quæ quidem vna euasit, aut secundum temperaturam vnam, aut actum formamq; vnam; vna igitur & toti corpori communis est complexio; quoniam cùm anima sit vna toti corpori communicata, opus fuit complexionem vnam communem ponere, per quam subiectum præparatum reddatur ad animam suscipiendam, & per quam aoima operari posit; nam cùm ipsa immobilis forma sit, & ad vsum agendi non progrediatur, opus fuit, vt per medium, per hoc inquam accommodatum principium in suos actus descenderet; hæc quippe totius corporis complexio, quam vniuersale animæ organum virtutemque facimus, etsi in toto præexistit corpore, principaliter tamen in corde residet, quoniam huius complexionis principalis pars, quæ est calor influens, principaliter est in corde, & inde in totũ corpus influit, & ideo præcipoè in corde esse asseritur, tanquam in suo principio. Hactenus Gentilis. Nos itaque cum eruditissimo viro hanc eandem explicaotes doctrinam; dicimus quòd cor, vniuersumq; corpus triplici perpetuò gaudent calore, insito, influente, & actuato ex insito, & influente, (quem aliter viuum vegetumq; dicunt) quos quidem calores non opulenter modò, sed & regiè cor possidet; quando ex suo sinu, vt ex solio regio influens calor ex suis ventriculis, vti ex viuis fontibus per vniuersum diffunditur corpus, vt cuiusq; particulæ complantatus calor suam debitam portionem suscipiens, viuidus euadat ad functiones exercendas; hos profectò calores omnes in singulis corporis particulis, & maximè in corde, & secuodum naturam, & præter naturam contingit inuenire: secuodum naturam vnusquisque horum calorum tum cordis, tum vniuersi corporis dicitur esse; cùm iustam seruauerit temperiem, & sibi propriam, & consocijs, massæ scilicet sanguineæ, & spirituum caloribus commensuratam iuxta Geometricam æqualitatem; insitus autem cordis calor suam seruat naturam, dum innatam sibi propriam custodit symmetriam, influenti & spitituum, & massæ humoralis calori proportionatam penès iustitiam distributiuam: consimiliter dextri sinistriq; cordis ventriculi influens calor suam conseruat naturam, dum horum vterque natiuam ipsis accommodatam, ac insito solidæ cordis partis calido proportionatam habebit eucrasiam. Actuatus verò cordis calor, ex his tribus conflatus, & hic suam naturalitatem seruat, quatenus secundum condecentiam corporis ex his tribus est contemperatus, & singulis componentibus particulis proportionatus in qoalitate, & quantitate existit; sic quòd animæ congruum euadat instrumentum ad eius fonctiones obeundas. Hic profectò vegetus actuatusque calor communis salobritatis nomen sibi vendicat, quia communiter totius corporis salubres custodit actiones ex sola systoles ac dyastoles cordis arteriarumque moderatione; à quo quidem moderamioe cunctę animantis motiones, tam animales, quàm naturales, consentaneum acquirunt modum. Hic ipse quoq; actuatus calor ab insito, & influente vnde exurgit, penès radicem & fundamentũ oon distinguitur, quoniam illis veluti fundamento proprio innititur, quorum gratia constat, & perseuerat; sed inuicem distinguitur apud multos, vt natura totius distinguitur à suis partibus; idest secundum suam rationem, & diffinitionem: apud alios verò separantur secundum maiorem minoremq; perfectionem gradus caloris, perfectiori scilicet modo contemperati: Cùm enim vniuscuiusque caloris propria temperies ex certis quibusdam gradibus, illisque temperatis constituatur; adeo vt alij caloris insiti, alij influentis caloris gradus censeantur; atque horum quisq; gradus in suo ordine à sui contrarij frigidi gradu debitè temperatus estr sta pariter actuati caloris gradus temperatus (qui sub temperiei nomine profertur) alius à prædictis est, & longè melior ac nobilior; & si ab his constitutus sit, & ex horum duorum concursu ipse emergat; attamen proprius quidam atque perfectior modus gradoum caloris ipsi debetur, & per hanc perfectionem gradus à suis constituentibus gradibus distinguitur; veluti in fidibus apertè euenire cernimus, vbi earundem corda quælibet, pro rata portiooe secundum acutum, & graue temperata, suum proprium profert sooum singulariter impulsa, omoibus deinde simul artificiosè motis atque impulsis, tertius conformatus resultat sonus; ex certa enim ipsarum cordarum intensione, & remissiooe decentique ipsarum interuallo acuta cum grauibus temperante, æquabiliter concentus vnus efficitur, à singulis particularium cordarum differens, atque his omnibus excellentior: similiter & actuatus, viuusque cordis calor se habet; qui ex inæqualibus caloris gradibus, atque illis in suo ordine temperatis temperatèque agentibus est constitutus; hic profectò alius & diuersus est à suis componentibus gradibus, atque splendore, & excellentia illis antecellit. Prænominati itaque gradus caloris omnes, & solidæ substantiæ cordis,

& spiri-

& spirituum, & massæ sanguineæ, qui nomine insiti, ac influentis nuncupantur, dum eorundem natiuam temperiem salubremque statum conseruant, temperati salubresque degunt, & temperatè salubriterque operantur: dum verò natiuo statu expoliantur, temperieique metam transgrediuntur, intemperati insalubresque fiunt, & intemperatè insalubriterq; agunt; quamobtem rectè Medici aiunt, quòd insitus atque influens calor omnis, dum temperati salubresq; extiterint, simulque consenserint, vnà cum ambiente, cæterisq; non naturalibus (à Medicis causis dictis) salubriter se habentibus, actuatum ex vtrisque conflatum calidum salubre, & temperatum semper efficiunt, & conseruant. Pariter dum & ipsi intemperati insalubresque fiunt, inuicemque dissentiunt, cum prædictis non naturalibus medicis causis insalubriter intemperatèq; se habentibus insalubre intemperatumque idem actuatum calidum reddunt & seruant.

De statu præternaturali calido cordis, & totius corporis. Cap. XXIIII.



PROXIMO capite expositum fuit, quemadmodum insitus solidarum partium calor, & influens spirituum massęque sanguineę, si secundum naturam permanserit, actuatam ex his conformatam caliditatem secundum naturam efficiunt, & conseruant: sin verò præter naturam illi extiterint, & ipsam actuatam pręter naturam faciunt, & seruant. In pręsentiarum autem exponemus, qualiter prædicti tres cordis calores præternaturales fiant; & quomodo qua affectione affecti sunt, eadem & actuatam caliditatem afficiunt. Dicimus itaque, quòd insitus solidarum partium atque influens spirituum, massæq; sanguineę calor, tum per frigidi, tum per calidi lapsum extra naturæ terminum trahitur à causis internis, ac externis, tam per se, quàm per accidens calefacientibus, ac infrigidantibus. Per frigidi nanque excessum innatus calor, ac influens hebetior, frigidiorq; à causis infrigidantibus euadit; frigiditas nanque aciem caloris obtundens illum imminuit, & ad suam quantum potest, vertit naturam; vnde frigidi postea nascuntur humores, à quibus deinde frigidi fiunt morbi, sicut hydropum species, malus corporis habitus, apoplesiæ, resolutiones, & cæteri huiusmodi; de quibus frigidis affectibus nihil in præsentiarum dicere intendimus. Per calidi autem excessum insitus influensq; calor supradictarũ partium extra naturæ metam egreditur, tum ob internas, tum ob externas calefacientes causas, quando scilicet hæ validiores fuerint illumq; obsesserint, longaq; exagitatione exagitauerint, & tandem extra naturæ terminum protraxerint, & omnino præter naturam fecerint; atque in calefacto esse, primaq; accensione accensus calor à Medicis est dictus. Hi profectò cordis totiusq; corporis insiti influentesq; calores præter naturam prorsus effecti, atque prima accensione accensi adurenti, putrida, marcida, pestilentiúe caliditate internæ immediatæque efficientes causæ sunt; quæ actuatum calidum ad lapsum præternaturalem trahunt, iuxta propriam vniuscuiusq; affectionem, siue marcedo, siue putrefactio, siue adustio, siue pestilens caliditas illa extiterit; consimili profectò affectione actuatum calorem afficiunt; vnde exurens, pestilens, marcidus, putridusq; ipse appellatur. Hic itaque actuatus calor vt in naturali statu persistens nomen communis salubritatis sibi vendicabat; ita in præternaturali ignea dispositione constitutus nomen communis insalubritatis sibi vendicat: vt enim ipse in salutari dispositione constitutus cordis arteriarumq; motionem salubriter mouens, communiter totius corporis salubres edebat actiones; sic & in insalubri statu degens cordis arteriarumq; motiones insalubriter exagitans, communiter totius corporis actiones offendit. Hæc enim in ignea morbosa affectione actuata caliditas constituta ignis nomine ab antiquis fuit nuncupata, quando instar ignis elementaliter magis, quàm naturaliter suas motiones, & calefactiones exercet, & per has præter naturam motiones, & calefactiones corpus lædit, & offendit; erit itaque actuata caliditas apud Medicos communis opifex, quando communiter & salubres, & insalubres animæ functiones pertractat, penès eiusdem salubrem insalubremque affectionem; æquè enim vniuersalis est artifex bonarum malarumque operationum, & proinde vt nomine communis salubritatis, ita & communis morbi nomine denominatur: hac profectò ratione actuata caliditas, dum ignis febrisque euadit, communis affectio à Medicis nominatur. Hæcque ignea sua adustione, & motione animatum corpus adurit, & exagitat.

Quæ causæ in Medicorum scholis docentur. *Cap. XXV.*



CAVSA enim, inquit Auicenna fen. secunda primi libri doct. prima cap. primo, in libris Medicorum est, id quod primò est, & ex quo prouenit inuentio alicuius dispositionis in corpore humano, aut eius fixionis: hanc diffinitionem habuit ab Alex. cap. vij. lib. de febribus, vbi ait; Causa itaq; à Medicis, quæ prima est, vnde fit quippiam in corpore humano, affectio, aut affectionis mora. Gal. autem primo lib. de differentijs symptomatum describens causam, ita inquit; quòd autem ex sua natura, ei quod fit, partem aliquam generationis confert, causa ipsius dicitur, porrò huius multa sunt genera, nam & materia, & vtilitas, & finis, & instrumentum, & vnde est principiũ motus initium; singula enim horũ ei, quod fit, perfectionis aliquid conferunt; quæ verò nihil conferunt, sed tamen ab his, quæ conferunt, seiungi non possunt, hæc eius, quod sine quo non, rationem obtinent. In 2. lib. artis medicinalis ita causam describit, morbi causa est, quæ morbum efficere, vel factum conseruare potest; & in libr. de procatarcticis causis dicit; quæ ad rei generationem conferunt, causæ appellandæ sunt. Hanc autem causam multi Medici in quatuor genera causarum partiti sunt, materialem, formalem, finalem, & efficientem. Materialem (scilicet materia) in qua & non ex qua, dicunt esse corpus humanum; formalem nuncupant speciem ægritudinis; finalem læsiones operationum. Efficiens causa omnium præstantissima est, quæ corpus immutat, & de optimo ac pristino statu deturbat. Efficientem autem adhuc subdistinguunt in efficientem, custodientem, præseruantem, corrigentem, atque reficientem. Efficiens autem tribus conuenit affectionibus, nempe sanitati, morbo, & neutralitati: Custodiens verò, & conseruans salubritati tantũmodo conuenit: hæc quidem, quam æqualitatem inuenit, eam seruare studet, præsentemq; corporis conditionẽ conseruat; quare & temperato temperata, & calidiori calidiora exhibet, & sic similia similibus adhibendo sanitatem custodit. Præseruans verò, corrigens, atque reficiens solo neutro conueniunt, sed differunt, quoniam præseruans labentis, ac defectuosæ sanitatis euidentes, & imminentes lapsus emendat. Corrigens verò paruos & insensibiles sanitatis lapsus corrigit: hæc profectò naturale vitium emendat, atque lubricam & instabilem sanitatem immutandi, alterandi, ac ad æqualem temperaturam ducendi propositũ est; & à præseruanti differt, quoniam nõ vt illa præsentem corporis conditionem tueri, sed præsenti non contenta saniorem acquirere studet. Reficiens verò vires ex morbo exacto fractas afflictasque solatur ac reficit; hæc vtique ex præterito, & non ex præsenti morbo conquassatas atque ad functiones inhabiles factas vires, exhibendo ea, quæ ex vsu sunt, quo aliquid viti robur corpori accedat, fouet & reparat. Iterum efficientium causarum alia diuisio; quædam enim procatarcticæ & primitiuæ dicuntur, quædam antecedentes, seu corporeæ; & quædam inhærentes, seu coniunctæ: Procatarcticæ autem causæ sunt, quæ præter corporis substantiam extrinsecus eueniunt, & corpus alterant; & hæ sunt in duplici differentia; quædam enim necessariò corpus alterant, quædam casu & fortuna; necessariò corpus alterantia sex sunt genere, aer, cibus & potus, inanitio & repletio, motus & quies, somnus & vigilia, & accidentia animi: hæc quippe dicuntur necessaria corpori contingentia; quoniam impossibile est, hæc non admoueri, & adiungi corpori, sunt enim ineuitabilia, & semper necessariò occurrunt, si modo corpori viuendum sit. Quæ à fortuna, casu, & à proposito sunt, vt ensis, ignis, lapis, cicuta, præcipitium, & reliqua huius generis. Et hæ prænominatæ causæ præincipientes omnes externæque dicuntur, hac sola ratione quia à corporis substantia tantum externæ sunt; sciendum insuper est procatarcticas causas apud Galenum esse, vel externas causas, tam necessariò, quàm casu contingentes, vel esse causas internas recentes, omnibusque manifestas; à quibus antecedentes vocatæ causæ originem trahunt. Auicenna eas sic diffinit; causæ primitiuæ sunt causæ non corporales, ex quibus proueniunt dispositiones corporales, aduentu primo aut non primo. Causæ autem antecedentes sunt corporeæ causæ, scilicet humorales, aut complexionales, aut compositionales, & ipsæ quidem sunt, ex quibus aduenit dispositio, nõ primo aduentu, sed aduenit aliquo mediante; coniunctæ verò sunt corporeæ causæ, ex quibus dispositiones corporales adueniunt, aduentu primo sine aliquo medio. Causæ autem ad hoc vt causent & efficiant, quatuor ab auctoribus desiderantur, primum fortitudo ac promptitudo causæ agentis ad agendum, debilitas & præparatio passi ad patiendum, alterum debita approximatio & vicinitas inter vtrunque; tertium congruum tempus, quo actio exequi possit. Quartum & vltimum addit Auerroes, iusta proportio inter virtutem agentis & patientis, tum in robore, tum in debilitate eorundem. Hæcque pauca cursim de causis Medicis sint dicta.

Qua

Quæ effectrices febris causæ statuantur. Cap. XXVI.



CALIDAE nanque causæ si modum excesserint in calefaciendo, calidos pariunt effectus, & calidi geniti effectus calidarum causarum efficientium testimonium reddunt; nam orta attestantur sua principia: febris itaque cùm calida affectio sit, suo iure a calefactiuis causis proficiscitur. Calefactiuæ autem causæ omnes sub quinque generibus causarum calefacientium comprehendis Gal. primo de differentijs febrium cap. tertio, & in lib. de causis morb. cap. secundo, motu, scilicet putredine, obstructione, corporisque constrictione, vicinitate corporis calidi, atque alimenti calefacientis assumptione, necnon defluxus rei calidæ detentione. His quinque generibus causarum calefacientium febris calidique affecti omnes gignuntur, genitique augentur, viresque suscipiunt; has quidem apud Galenum calefacientes febrisque procreatrices causas exponentes dicimus, quòd cùm febris calida sit affectio, eius efficientem causam calidam facimus. Hæc itaque calefactiua causa vel est motus vel non, per motum intelligimus motiones violentas secundum locum, non secundum alterationem. Si motus, vel corporis, vel animi: si motus corporis, erunt veluti cursus, equitationes, luctationes, & fortes omnes corporis agitationes, & similia exercitia calefacientia. Si verò causa calefaciens est motus animi, erunt veluti ira, scilicet tristitia, timor, & huiusmodi affectus. Si autem febris causa calefactiua sine motu fuerit, tunc vel per se, vel per accidens talis erit. Si per se, vel actu vel potentia: si actu, vel intrinsecus, vel extrinsecus; actu enim intrinsecus calefaciunt interne corporis partes, & humores, & spiritus, dum supercalefacti sunt; aut putredine febrilique calore detinentur. Extrinsecus verò actu excalefacientes causæ sunt ignei calores, & aer ambiens Solis præsentia excalefactus, & medicina actu calida, balneumque calidum, & cætera eius generis. Causa verò calefaciens per se in potentia necessariò requirit, vt ad actum reducatur, vt sunt cibus, potus, medicina venenosa, & reliqua huius generis. Causa verò calefaciens per accidens est, quæ ex natura refrigerare habet, per accidens verò calefacit, sicut infrigidantes causæ multę corpori occurentes, per accidens, per antiperistasin, calorem scilicet in vnum colligentes, corpus excalefaciunt; venarum etiam arteriarumque obstructiones, atque cutis constipatio, per accidens caloris causę dicuntur, quando non propria, sed aliena ratione corpus calefaciunt: hæc quippe causæ intensiorem animantis calorem reddunt, cordis sorstique calidi ventilationem refrigerationemq; inhibentes, atque fumosæ, exustæq; exalationis expurgationem prohibentes, & sic per accidens calidum adaugent; hisque omnibus calefactionis modis calefactiuæ causæ apud Medicos calefaciunt, neque pluribus neque paucioribus: Calefactiuas autem causas febrem efficientes sub duplici genere Medici comprehendunt; Harum vnum internum, alterum externum faciunt, internę verò causæ febrem efficientes, & ipsæ subdistinguuntur; nam harum quædam proximè immediatæque dicuntur; aliæ remotæ & longinquæ. Proximæ immediatæque causæ sunt, quæ absque vllo medio febrem efficiunt, alio nomine inhærentes, continentesque dictæ. Hę profectò omnium Medicorum consensu tres tantum genere recensentur. Caliditas inquam accensa atque omnino præter naturam effecta in spirituum, massæ sanguinis, atque solidarum cordis partium substantia; quam alij sub alijs verbis dicunt calefactum esse spirituum, massæ sanguineæ, atque solidæ cordis substantiæ: Hæ profectò tres solum calefactiuæ causæ harum trium corporis partium cùm præter naturam excalefecerint, tum singulæ seiunctim, tum simul coniunctæ immediatè febrem pariunt. Sicut enim dum in naturali salubrique statu harum trium nostri corporis partium calores (calefactiuæ in præsenti causę nuncupatæ) actuatum calorem temperatum salubremque constituebant, iuxta propriam cuiusque rei componentis temperiem, & salubritatem; ita & praedicti tres calores supradictarum partium præternaturales affecti, vt calefactiuæ præter naturam causæ excalefacientes, hæ & seiunctim, & coniunctim præternaturaliter calefaciendo salubrem, temperatum, actuatum calorem perturbant, gradum caloris eidem adiungendo, & ad insalubrem intemperatumq; statum permutans, ac febrem exurentem calorem procreant; sic vtique in febris procreatione salubritas, temperiesq; actuati caloris corrumpitur, & intemperies insalubrisasque eiusdem exoritur, quæ & febris & totius corporis morbus communis dicitur. Longinquæ autem, & remotæ, internæ febris calefactiuæ causæ sunt, quas Auic. antecedentes corporeasque vocat, secunda fen. primi libri doct. secunda cap. primo, vbi ait. Causæ autem antecedentes sunt corporeæ causæ, scilicet humorales, aut complexionales, aut compositionales actu calefactiuæ. Hæ quippe, qua praua, malaue caliditate affectae fuerint, per se cordis, spirituum, & sanguinis, atque eiusdem solidae substantiae calorem afficiunt, & permutant; & per hunc actuatum calorem afficiunt, febremque inducunt; ac ideo benè ipse addidit, quòd hę antecedentes causę, non aduentu primo, sed

mo,ſed altero adiuuante febrem procreant; Harum verò remotarum cauſarum,aliç magis, aliç minus remotç ſunt, & aliae pluribus, aliae paucioribus medijs febrem efficiunt. Externae autem calefactiuæ cauſæ, quæ aliæ & diuerſæ à corporis ſubſtantia ſunt,quæcunque illæ fuerint, quæ calefaciendi vim habuerint, immediatè & proximè febrem cauſandi vim minimè poſſident;ſed per aliquod corporeum medium, vtputa per cordis ſpiritus, humores,ſeu eiuſdem ſolidiores partes illam ſemper efficiunt; etſi vbique locorum apud Auctores legatur, quòd externæ procatarticæque cauſæ tum mediatè, tum immediatè febrem gignunt, & effemeram, & humoralem,ac hecticam. Ad hæc dicimus, quòd eatenus externas cauſas febrem efficere Auctores tradiderunt; quatenus eiuſdem febris immediatam inhærentemque cauſam faciunt; ſcilicet ſpirituum,maſſæ ſanguineæ & ſolidarum cordis partium calefactum eſſe, accenſamque caliditatem producunt, quæ quidem verè febris continentes cauſæ traduntur; & quoniam continentes febris cauſæ multotiēs pro febre ipſa ab Aucto.vſurpantur:propterea illi aſſeruere externas cauſas aliquando immediatè febrem efficere, dum vrgentiores illæ fuerint, & ſupradictæ cordis particulæ pronæ ad patiendum extiterint. Cùm igitur externæ cauſæ immediatè continentes febrium cauſas gignant,ſuo etiam quodammodo iſtiuſmodi febrem gignere dicere poſſimus. Idem dicimus de cauſis, quas iſti dicunt immediatè hecticam febrem gignere, vtputa pulmonis,ventriculi,iecinorisque vlcera,(vt apud Galenum eſt legere decimo method.cap.8.) quæ immediatè febrem hecticam parere aiunt. Harum autem partium vlcerum marcidus, rabidusque calor familiaritate cognationeque caloris non actuatum primò calidum, ſed inſitum cordis prius ſimiliter afficit,mox inſitus cordis calor iſtiuſmodi affectus actuatū vitiat calidum, & hecticam febrem parit:& ſic de reliquis eſt dicendum.

Quomodo febris cauſetur. Cap. XXVII.

CALEFACTIVAE autem cauſæ omnes, quç præter naturae ordinem excalefaciunt, ſiue internæ, ſiue externae fuerint, praeternaturalem calorem in animantis corpore communiter operantur:at internae ac proximae (quas ſuperius expoſuimus) praeter naturalem calorem (quae febris dicitur) efficiunt. Et quocunque prauo caloris gradu (naturali contrario) affectae ſint, ſiue marcido, ſiue putrido, ſiue adurenti, conſimili profectò calore actuatum calorem cordis afficiens, febrem parit putridam, marcidam, ſeu adurentem. Vnum animaduertendum, quòd praenominatae proxime inhærentis cordis calefactiuæ cauſae, quae ſalubritatem, & inſalubritatem cordis, ac totius corporis cauſant, & ſalubriter inſalubriterque agentes, contrario modo ſe habent in procreatione ſalubris cordis ſtatus, quæ temperies totius ſalubris dicitur, & inſalubris ſtatus effectione;quae febris communiſque morbus nuncupatur: nam vt in ſtatu illo calidae particulae omnes & innatae, & influentes coniunctim ſimul ad vnam communem & cordis, ac totius corporis temperiem efficiendam conueniebant; ita contrarium operantur in mala calida cordis intemperie efficienda:(quae febris dicitur) nam vt in bona temperaturae conſtitutione partes omnes coniunctim deſiderabantur ad ſymmetriam conſtituendam; in ametria verò & febre efficienda diſiunctim, vna tantum ipſarum ſatis erit ad illam procreandam;& vtriuſque horum ratio eſt, quoniam vt ad conſtruendum plura; ita ad deſtruendum vnum ſatis eſt; ſtatus itaque cordis naturalis praeternaturalis euadit (inquiunt Medici) aliquando ab vno tantum, aliquando ab altero, multotiens ab omnibus ſimul concordibus. Ab vno autem & ab altero prauus fit,quoniam vnum, & alterum pro rata portione ad rei conſtructionem accedunt, ſic vnum & alterum ad eiuſdem demollitionem veniunt. Inde conſequenter aiunt,quòd ſicut vna,vel altera trium ſupradictarum partium caliditas ad cordis ſtatum permutandum,febremque procreandam ſatis erat: ſic vna,ſeu altera caliditas, ex his caliditatibus,in quas praedictae primæ ſubdiſtinguuntur,ad idem efficiendum ſat erit, vtputa ſanguinis,bilis,atraebilis, & pituitae caliditates, in quas ſanguineae maſſae caliditas diſtribuitur; aut animalium vitalium, naturaliumque ſpirituum calores, in quos ſpirituum calores ſecantur:aut primae,ſecundae, aut tertiae radicalis humiditatis caliditates; in quas ſolidae particulae diſtinguuntur; quae quidem ſingulae partiales caliditates,vt vnitae temperataeque ſimul ſalubrem cordis ſtatum conficiebant; ita & diſperatae coniunctim,aut diſiunctim inſalubrem morboſamque illam reddunt. Modus verò,quo calefactiuae cauſae cunctae,internae & externae praeternaturalem febrilemque calorem efficiunt;huiuſmodi à Medicis recenſetur. Quae nanque harum cauſarum actu exarſionem habuerit, haec ſua efficaci caliditate naturalitatis terminum rumpendo eiuſdem, materiam extendendo attenuandoque maiorem reddit, atque extra naturae metam illum ipſum trahit. Et quae actu ex calefactiuis cauſis caliditatem

non ha-

non hebet, ficut immoderata exercitatio animique pasſiones, & ſimilia, haec per illiſionem diſgregationemque partium calidum innatum ad igneum præternaturalemque ſtatum ducunt; quæ veró impotentia calida ſunt, ſicut cibus, potus, & aromata, calida hæc nouam materiam natiuo ſubgerendo, illud præter modum eugmentent, & igneum reddunt; & tandem his modis omnibus extraneum præternaturalemque calorem fieri dicimus; quibus ſuperius ignem fieri aſſeruimus. Internæ veró proximæ calefactiuæ cauſæ febrem immediatè cauſantium actu ſemper ſunt, & operantur: Hæ actuetum cordis calorem corrumpendo, nouum eidem gradum adiungendo, ad præterneturalem terminum præmoueut, febremque efficiunt. Hæc igitur febris in ſui procreatioue terminus eſt; ad quem terminantur ſalubritas caloris actuati in ſui corruptione; vnde & benè ſcripſit Galenus, quòd febris eſt calor naturalis mutatus in igneum. Salubris namque terminus & gradus actuati caloris iu febris generatione corrumpitur, & nouus additus gradus inſalubris & morboſus gignitur, qui febris totiuſque corporis morbus dicitur. Hæc ipſe febris à ſuis conſtituentibus calefactiuis cauſis diſtinguitur, primùm notione ac diffinitione, mox materialiter, per gradum additum caliditatem eidem adiungentem, vreotiorem.

Cor primum febris ſubiectum ſtatuitur. Cap. XXVIII.



VULGATA in Medicorum ſcholis propoſitio eſt, quòd nulla caliditas præternaturalis iu corpore accenſe nomen febris meretur, niſi in corde acceudatur, ſeu alibi accenſa cordi communicetur, ibidemque febris naturam nomenque ſortitur; Et proinde Medicorum omnium conſenſu cor, ideſt viua ſolida cordis ſubſtautia, primum febris conſtitutum eſt ſubiectum. Atque huius vera ratio eſt, quoniam febris vniuerſalis morbus dicitur, ſcilicet totius corporis, & per ſe lædit omnes operationes cuiuſcunque membri: Neceſſum eſt igitur, vt eius primum ſubiectum ea corporis pars ſtatuetur, cuius calor aut caloris temperies ſit per ſe omnium operationum perfectiue, & à cuius temperie totius corporis temperatura dependeat; nam vt benè primo de differentijs morborum ſcripſit Galenus, cuius tem peratura eſt ſanitas, eiuſdem intemperatura morbus dicitur. Alij aliter ratiocinantur, & inquiunt, quòd cùm febris ſit calide paſsio totius corporis, principaliter fundatur in eo membro, quod ſuapte natura eſt inflammabile, & aptum natum inflammare totum corpus, & eidem febrem impartiri. Nullum autem eſt membrum, quod poſsit toti corpori communicare qualitatem iſtam febrilem, præter cor: Nulla enim qualitas ex Galeni ſententia in lib. de ſanguinis miſsione cap. ſecundo, poteſt toti corpori communicari, niſi prius cordi communicata fuerit. Quòd veró nulla qualitas poſsit in totum diffundi, niſi deueniat à corde, ratio eſt; quoniam nulla eſt pars, quæ non ſuſcipiat arterias à corde; quia omnis particule conſeruatur per calorem vitalem à corde impartitum, his itaque rationibus viuam ſolidam cordis ſubſtantiam febrile calore primitus accenſam dicunt, primumque ſubiectum faciunt, ita quòd impoſsibile ſit, aliquod aliud membrum febrire, niſi cor prius febriat; ac ideo x. Methodi cap. octauo ſcripſit Galenus, quòd non poteſt genus aliquod febris conſiſtere, niſi iu corde conſiſtat; & octauo methodi cap. primo addidit, quòd febris eſt in corde vel in toto corpore; quia aliquando vt in principio paroxiſsimorum ee celiditas extranee eſt ſolum in corde, nondum membris communicata. Huic autem antiquæ propriæque aſſertioni Galeuus pluribus iu locis aduerſari videtur, præſertim libro tertio de præſagitione ex pulſibus cap. v. vbi dicit. Ita nunc ſi cordis viſcus frigidius omnino, quàm naturalis modus permittat, & vicinia calidiora, febricitabit quidem homo, non hectica tamen (quam vocant) febre, ſed vel diaria, vel ea, quæ putredinem humorum conſequitur. Hæc vtraque ſigna propria ſunt, &c. Hoc idem ſexto de morbis vulgaribus confirmare videtur, dum ſcribit, neminem mori febre ardenti, quin cor prius frigida intemperie afficiatur. Præterea iſti erguunt, iu febre ſyncopeli adeſt frigiditas extremorum, & pulſus paruus, tardus, & rarus, quæ frigiditatem atteſtantur. Item in morientibus ex febribus colliquatiuis cum extremitatum frigiditate adeſt anhelitus frigidus, quæ ſigna frigiditatem, & minimè celiditatem in corde edeſſe arguunt; non igitur cor in febrientibus igneo calore correptum, ſemper inuenitur. Nos veró penès ſuperius explicata, ad hæc reſpondimus, quòd frigida temperies apud antiquiores, Hippocratem ſcilicet, Ariſtotelem, & Galenum, non abſolutè frigidam diſcraſiam dicit: ſed immiuutum denotet calorem plurimo frigore temperatum intra latitudinem viuentis temperaturæ, & verſus extremum terminum. Immioutus itaque ſoliderum viuentium partium calor multo frigore perfuſus nomine frigidæ temperaturæ ab antiquioribus vocitetur. Hæc vrique in dies cum febre coniungi à Medicis cōſpicitur, ed ſanitatē vitæque perditionem. Neque enim omnis frigiditas cum caliditate ſimul eſſe renuit, & è contra. Nam vt in ſalubri

ſtatu

ſtatu hæc pluries vniuntur ad vitę cuſtodiã, ita & in inſalubri pluries coniunguntur ad eius demolitionem. Dicimus itaque, quòd actuata cordis caliditas ex ſalubribus & cordis, & vicinarum partium caliditatibus conflata, vt inſito calori ſubſtantiæ cordis iungitur, & ſimul iunctæ facultas vna accommodata ad animæ functiones ſalubriter exercendas euadit; ita ipſa eadem dum inſalubris intemperataque redditur, (quamuis praua caliditatis ſpecie affecta fuerit) eidem inſito ſolidæ cordis ſubſtantiæ calori vnitur, vnusque ſimul inſalubris eiuſdem conditionis calor euadit, putridus ſcilicet, marcidus, aut adurens; quo actuata caliditas affecta erat. Et hac aduentitij, & inſiti graduum caloris vnione, vna calorifica inſalubris conſtituitur forma, quę febris à Medicis dicitur; hęc igitur morboſa actuata caliditas inſito calori ſimilarium partium vnitur, qualiſcunque ſtaturæ, ſiue exiguæ, ſiue mediocris, aut magnæ illa extiterit: Si nanque magnus, mediocris, exiguusque inſitus calor fuerit, ſic magna, exigua, mediocris febris erit & dicetur: & hac profectò ratione Hippo. primo aphor. decimoquarto dixit, quòd in ſenibus non fiunt febres acutæ & magnæ, ſicut in iuuenibus; propterea quòd eorum corpora frigida ſunt, & eorundem inſiti calores exigui, & imminuti, ſic quòd in magnam flammam minimè attolli poſſunt. Dicimus igitur, quòd benè ait Galenus, quòd cordis vicinia, ſpiritus inquam & ſanguis, quæ in ventriculis magniſque cordis vaſibus detinentur, & propè cor conſiſtunt, calidioris ſtatuũtur temperaturæ, tum in ſalubri, tum in inſalubri cordis ſtatu, quàm ſit inſitus tepidus ſubſtantiæ cordis calor. Spirituum nanque & ſanguinis caliditas in naturali corporis conditione longè intenſior, quàm complantata ſimilarium partium caliditas à Medicis aſſeritur: ſimiliter in inſalubri corporis ſtatu, vbi ephemera humoraliue febre corpus affectum fuerit, dum ſcilicet ſpiritus vel humores in calefacto eſſe ſunt poſiti, tunc horum vtrinſq; excedens calor longè maior, quàm complantatus & inſitus percenſetur. Hic vtique tepidus ſubſtantiæ cordis calor comparatione vicinorum frigidus frigidioriſque temperaturæ dicitur: atque hic ipſe febre correptus, vt exiguus eſt, ita exigua febre corripitur: puſilla enim febris puſillum calorem dicit; & cum hac ipſa etiam puſilla febre ipſe affectus frigidioris naturæ aſſeritur, quàm vicina, quæ longè calidiora experiuntur: ſimul igitur febris ſtat cum huiuſmodi frigida cordis temperatura, & ſtat etiam ſimul (vt ait Galenus) quòd viſcus cordis frigidius ſit, quàm ſuæ naturæ expediat, & ſpiritus & ſanguis vicini calidiores præſentiantur, & quòd homo febricitet diaria vel humorali febre; atq; huius febrientis pulſus temperato pulſui quoquo modo perſimilis ſentiatur. Concludimus tandẽ pro clara rei dilucidatione, quòd actuata caliditas ignea facta (quam febris eſſentiam facimus) & frigidæ & calidæ temperaturæ, exiguo inquam magnoque calori æquè iungitur; huicque magno iuncta magnam, illi verò exiguo exiguam efficit febrem. Et licet puſillæ exiguæque ſint, multoties exitioſæ exiſtunt, ob inſiti caloris penuriam, & tenuitatem, ac illarum prauitatem. Ad id verò, quod Gal. in eodem lib. & loco de præſagitione ex pulſibus ſubdit, quòd viſcus cordis frigidius, quàm naturali diſpoſitioni conueniat, febre diaria humoraliue corripi poteſt, at hectica minimè; dicimus verum aſſerere: nam ad hoc, quòd viſcus cordis febre hectica corripiatur, opus eſt, vt prius viſcus ipſum ſit tabido, marcidoue calore affectum, quo prauo calore febris hectica gignitur; at ſi tepido calore viſcus fuerit affectum, non potuit vtique eſſe frigidæ temperaturæ, cùm ſit correptum calida ei contraria; & contraria ſimul eſſe non poſſunt. In effemera autem humoralique febre non ſic res ſe habet; nam calefactum eſſe illas accendens non in cordis viſcere ineſt, ſed in ſpiritibus, ſeu humoribus, aut alia altera corporis parte. Quare ſtat bene, quòd in ſupradictis febribus actuatus cordis calor febrilis fiat, & inſita eiuſdem viſceris caliditas frigidior magis quàm par ſit experiatur; quod in æthica non contingit, vbi calefactum eſſe febrem faciens eſt inſitus viſceris cordis calor ſupercalefactus. Et vtrobique in his febribus inſitus viſceris calor eſt imminutus, in calida intemperie à marcido calore diſſoluente, in frigida verò à frigiditate extinguente: & ſic inſitus cordis calor hinc & inde imminutus, hinc tabida, illinc diaria, vel putrida febre diuerſimodè corrumpitur. Ad febrem autem cum ſyncopi coniunctam dicimus, quòd ſymptomata ſyncopis febris ſymptomatibus aduerſantur, ac illis præualent; proinde dicimus, quòd ratione ſyncopis pulſus ſunt parui, & rari, cùm tamen ex febre magni, & frequentes deberent eſſe. Ad argumentum de moriente ex febribus colliquatiuis dicunt, quòd is vel in longè deteriorem affectionem incurrit; aut quòd adhuc febrit, non quidem in ſuperabundantia caloris in gradu, nec in multitudine formæ, ſed per abundantiam in malignitate. Ad id autem quod Gal. ſcripſit ſexto Epidemiorum, quòd calor morientium violentia febris ardentis ſemper prius ante mortem frigida intemperie corripitur: Reſpondimus frigidam intemperiem effectum peſſimum febris eſſe, & in morbum longè deteriorem incurriſſe. Conſimiliter Medici aiunt, quòd extrema in principio acceſſionum minimè febriant, propterea quòd frigiditas febris cauſæ prauus effectus partes illas occupans, febris aduentum inhibet; ac ideo propter prohibens minimè illa febriunt. Et de his hactenus.

Quomodo

Quomodo febris sit natiuus calor in igneum mutatus, quomodoque simplex compositaque intemperies dicatur.

Cap. XXIX.

GALENVS lib. primo de ratione victus in acutis commento 18. febris ortum explicauit per mutationem natiuæ caliditatis ad igneam: idem tradidit primo aphorismorum com. XVI. vbi dicit: Febris calida, & sicca passio est; est etenim conuersio natiuæ caliditatis in igneam. His quippe locis Galenus febris notionem manifestat per mutationẽ salubris status natiuæ caliditatis ad eiusdem insalubrem, ad igneam inquam & exurentem naturam; quatenus naturæ natiui caloris patitur, quòd intra viuentia membra fiat ignis exurens. Actuata autem caliditas dum per vnum aut alterum caloris gradum à calefactiuis causis eidem additum, à salubri temperatoque gradu, ad insalubrem intemperatumque vertitur, & ignea febrilisque euadit; hęc profectò in sui procreatione terminus est, ad quem terminatur salubritas caloris in sui corruptione. Et ita per terminum motus, & non per motum, qui ad terminum vadit, Galenum febrem diffinire dicimus. Et meritò; nam febris est affectio facta, & dispositio permanens, operationes lædens: in termino itaque fixo, & permanenti consistere habet, vt actionis auctor fiunt etenim agunt & operantur, dũ terminum perfectionemque sunt adeptæ, & nondum in via sunt, & imperfectæ existunt. Nec est, quòd quis dicat, quòd si innatus calor prorsus in ignem mutaretur, tunc animaæ particulæ ignea exarsione vrerentur, minimèque animal viueret: Huic respondimus, quòd natiuus calor internorum viscerum animantis corporis eatenus ignis fit, vt supra diximus, quatenus eius natura patitur, quòd fiat ignis; sic, quòd febris igneaque caliditas in corde existens, salubritati statuique salubri caloris tantum opponitur, & non vitæ vitalique statui: nam cum eo peruenit ignea caliditas, quod vitæ prorsus opponatur, tunc animal exustione perit; præterea & si concedatur, quòd aliqua modica portio viuentis corporis siue spirituum, siue humorum, aut solidarum partium in ignis naturam vertatur, non propterea sequitur, quòd statim animal pereat, quoniam plurimæ adsunt intra corporis viscera naturales caliditates, quæ eius exarsionem extinguunt, impetumque retundunt. Concludimus itaque, quòd actuata caliditas per gradum caloris additum à proximis calefactiuis causis in igneam mutatur caliditatem, morbosaque vna exurens fit caliditas, quæ febris dicitur; ex reliquijs enim graduum caloris deperditæ sanitatis, & ex nouo aduenticio superaddito, seu ex nouis superadditis gradibus vna noua morbosa caliditas in eodẽ subiecto insidens fit, quæ febris vbique apud Medicos nominatur; nec forma vna euadit, ex diuersis gradibus calorum in distinctis subiectis residentibus, sed ex his diuersis in vno & eodem subiecto inhærentibus, vna simplex morbosa caliditas exurens procreatur. Hanc autem febrem Galenus primo de differentijs morborum cap. v. simplicem intemperiem calidam facit ab intensiori caloris gradu procreatam. In supra autem citato commento primi lib. aphorismorum calidam & siccam passionem nominat, igneam caliditatem illam faciens. Ad hæc nos dicimus, (aliorum omnium aliter sentientium in hoc quæsito sententijs sepositis) quòd cùm ex Hippocratis Galenique sententia febris caliditas ignea sit; quæ caliditas siccitatem vti asseclam, & minimè vt sociam habet; quare vt sola dominans ignis naturam complet; & hæc simplex ignis forma nominatur: iure itaque Galenus igneam febris caliditatem ignis formam æmulantem simplicem morbum, simplicemque intemperiem appellat; quando siccitas assecla & famula nullam diuersitatem importat, nec indicationem aliam ab illa faciat, sed vnà cum ipsa caliditate à frigido contrario tollatur; est & alia in ipsa temperatura siccitas mordax & arida, quæ terræ elementum præfert; hæc caliditati iuncta mordacem aridamque illam reddit. Cùm itaque ariditas ista cum febre iungi contingat, tunc vt res aliena illam mordacem aridamque facit, & hæc profectò externa est ab ignea caliditate, & si forsan ab ipsa sit effecta, hęc minimè de essentia febris existit, & in temporis processu acquiritur, & compositum morbum, compositamque indicationem facit. Et de hac siccitate nono meth. Gal. sermonẽ habuit, dum scripsit, febris est excessus intemperantiæ in caloris abundantia, quam deinceps siccitas concomitatur, cùm vehementius caliditas fuerit progressa. Et iuxta hunc sensum iuniores quidam benè scripserunt, febrem esse intemperiem calidam in facto esse, siccam verò in fieri.

Qua

Quæ febris formalis ratio statuatur. Cap. XXX.



ALANVS, Auicenna, Alexander, cæterique Antiquiores febrem definientes varium eius genus rationemq; formalem fecerunt: Nam modò per intemperiem calidam, modò per calorem adauctum atque extraneum, modò per passionem, dispositionemq; calidã corporis, vti per genus & formã febrem manifestauit; vnde postris nata est occasio inquirendi, quænã sit febris formalis ratio, & quod eius statuatur genus, quando per hæc omnia inuicẽ diuersa eius notitia indifferenter tradatur. Ad hæc nos dicimus, quòd cùm febris natura varijs diuersisq; conceptibus fuit ab antiquioribus cõprehensa; proinde varijs ac diuersis notificationis modis, ac generibus fuit definita. Gal. nanq; primo de morborum differentijs cap. 5. cùm febrem morbum simplicem nominauerit, per calidam intemperiẽ illam explicat: idem facit 8. meth. cap. 1. vbi febrem per morbum in intemperie manifestat. Cùm igitur febrem Galenus morbum faciat, & morbus lapsum à sanitate, atq; eiusdem priuationẽ formaliter dicat, lapsus enim quatenus à sanitate labitur, & cadit; priuatio verò quatenus ea priuatur, nominatur: sub hac itaq; notione febris formaliter lapsus, priuatioque erit; & ad prædicamentum habitus illam redigunt. Dum verò antiquiores calidam intemperiem compararunt ad res malas temperatas, primas scilicet qualitates, caliditatem inquam, frigiditatem, humiditatem, ac siccitatem, quæ inuicem incongruæ intemperatæq; sunt; tunc intemperiem vt incongruam commensurationem, qua res incongruè temperatę commensurataeq; dicuntur, ad prędicamentum ad aliquid retulerunt; quoniam inepta temperatio, & commensuratio est, qua res ineptæ, commensuratæ temperatæque appellantur, & ita mutuo inuicem referuntur, & commensurantur, vt scientia & scibile, & mensura ac mensurabile. Et si enim res incommensuratæ, & intemperatæ non dicãt distinctam entitatem ab incommensuratione & incongrua moderatione, nihilominus alia est ratio incommensurationis, & alia rei incongruè commensuratæ & temperatæ. Et propterea aiunt isti, quòd incongrua temperatura prout ad aliquid refertur, dicit quid aggregatum ex relatione & suo fundamento, verbi gratia ex qualitate & relatione: & aiunt, quòd huiusmodi aggregatum per se non est in aliquo determinato genere, sed dicitur esse in diuersis generibus ratione suarum partium: quia ratione materiæ (quam primas qualitates diximus esse) quæ est rationis fundamentum, in prædicamento qualitatis dicitur esse; ratione verò formæ, qua ad aliud refertur, in prædicamento relationis; ac ideo ipsimet antiqui febrem contemplantes sub ratione fundamenti, & materiei in prædicamento qualitatis illam reposuere: & secundum variam eius contemplationem tum in prima, tum in tertia collocarunt specie: prout nanque à febre afficimur, maleque per ipsam dispositi sumus, in prima reponunt specie: prout verò passionis est effectiua sensumque afficit, in tertia collocant. Et inde passio affectioque est nuncupata: nec est, quòd redarguentes dicant extraneum calorem æquiuocum esse, quando sub diuersis rationibus prædicetur de calore putrido, marcido, febrili, & similibus. Respondimus, quòd hi, qui calorem extraneum febris vniuocum genus fecerunt, (sub ratione materiali generis, vti diximus) vniuocum illum constituere sub hac formali ratione, quòd potens est extraneare & corrumpere natiuum calorem; & sub hac ratione prædicatur de quocunque calore præternaturali & extraneo. Calor itaque præternaturalis sub hac ratione vniuocæ extraneationis, & posse extraneare natiuum calorem (vt ita dicamus) genus vniuocum respectu cuiuscunque caloris extranei ab istis constituitur sub ratione materiali generis vniuoci: genus enim secundum materialem rationem generis suam formalem rationem habet vniuocationis, qua vniuocum dicitur; & iustè quidem, quoniam in accidentibus & præcipuè in accidentibus naturam corrumpentibus non requiritur illa formalis indiuisibilisque vniuocatio, quæ in substantijs, in his, quæ secundum naturam sunt, requiritur: satis est nobis hæc formalis vniuocatio, quæ apta nata est alterare & corrumpere innatum calorem. Et hoc profectò voluit Galenus primo de differentijs febrium, dum scripsit, quòd essentia febris consistit in genere caloris præter naturam, qui animantis naturam corrumpere est potens.

Propriæ febris differentiæ docentur. Cap. XXXI.



ALANVS libro primo de differentijs feb. cap. primo febrium differentias explicans
» ait. Febrium differentiæ, quæ quidem maximà propriæ sunt, ac principales, ab ea-
» rum sumuntur substantia, aliæ verò ab accidente aliquo. At quoniam neque ho-
» rum ipsorum accidentium est natura vna, sed nonnulla quidem proximiora, ac ma-
» gis sunt diuisæ substantiæ propriæ, nonnulla autem magis remota atque extranea; idcirco, ne-

que harum,

que harum, quæ ab ipsis accipiuntur, differentiarum est genus vnum. Primam autem, ac præci- „
puam febris differentiam, quæ ab eius essentia capitur, Hippocrates lib. sexto epidimiorum ex- „
plicauit; vbi inquit: Febrium hæ quidem manui sunt mordaces, hæ verò mites; hæ autem non „
mordaces quidem, sed post insurgentes; aliæ verò acutæ, sed quę manui subcumbunt; aliæ sunt „
statim exardentes; quædam semper pusillæ & siccæ; quædam salsuginosæ; quædam flatibus pla „
næ aspectui graues; nonnullæ ad tactum humectæ; nonnullæ vehementer rubidæ; aliquæ ve- „
hementer pallidæ, aliæ liuidæ; & alię huiusmodi. Apertissimè enim in hoc loco ab ipsius rei sub- „
stantia simul, atque à dignotione, in proprias differentias fecit sectionem. Siquidem febris sub- „
stantia in genere caloris, qui præter naturam consistit. Caloris autem differentiæ, & ex eo quod „
magis & minus, & ex materia in qua hic præter naturam calor accenditur, & ex modo motus ca „
loris eiusdem accipiuntur: quas omnes vnà cum dignotionis modo (quemadmodum in superio- „
re sermone ostendimus) annotauit. Sunt autem omnino euidentes, quæ in eo, quod magis aut „
minus consistunt; quo in genere differentiæ consueuerunt Medici magnam ac paruam febrem „
nominare, non propriè quidem rei quali nomen quanti accommodantes. Quæ verò à materia „
differentiæ sumuntur, in qua hic calor præter naturam accenditur, maximè propriæ sunt, quia „
vel idem calor ipsius cordis corpus occupauit, aut eos, qui in eius ventriculis continentur, hu- „
mores. Tertia autem differentia, cùm sola aerea substantia sufficienter incaluit; humores autem „
& solida corpora calescunt quidem adhuc, nondum autem sunt calefacta; neque enim parum „
refert, si calescere dicamus, aut calefacta esse. Hactenus Gal. Hanc febrium diuisionem Alexan- „
der Afrodiseus insequens in suo lib. de febre sic scriptum reliquit: Febrium igitur differentiæ „
vna quidam essentialis: altera verò qualitatis essentialis, quæ ex ipsa fit essentia; qualitatis ve- „
rò essentialis, quæ ex ipsorum accidentibus, essentiæ perpetuò ac longè assumpta: essentia nan- „
que febrium est calor contra naturam, cuius quidem essentia magis & minus suscipit, atque in „
subiecto est; nam cùm accidens sit, quod per se esse non potest, in subiecto inest; vel etiam, vt in „
efficiente eius causa: insuper & modum habet motus natura in quo est, & qualitate, siue subie- „
ctum causa sit. Hæc pauca & obscura ibidem habet Alexander. Nos autem Galeni, Alexan-
drique dicta in harum differentiarum explicatione per capita percurrentes; solum principales,
& quæ ab ipsis maximè dicuntur, quantum ad nostram tractationem spectat, breuiter attinge-
mus. Quæ verò ab accidentibus habentur, cùm plurimæ sint, proximę circumspiciant, suo in-
ce omittuntur. Principales verò febriũ differentias nos dicimus à febris forma, materia, at-
que proximis efficientibus causis. Febris autem formam Medici omnes faciunt igneam calidi-
tatem; ipsa etenim instar ignis cuius exemplar est, magis quàm animantium naturæ expediat,
suas sursum deorsumque intus & extra exercet motiones, atque his eisdem corpus offendit; &
etiam magis quàm par sit, animatum corpus excalefacit, ac lædit; inde profectò intensiores re-
missioresque febrilis caloris differentiæ habentur, & inde etiam celeriores, tardioresque febris
motiones cernuntur; & reliquæ omnes febriles agitationes, quæ ab Hippocrate superius fue-
runt numeratæ. Perennis nanque motio, atque continuata caliditas ignis febrisque caloris for-
mam circumscribunt; ac ideo Galenus ignei caloris formam describens, per modum motus &
calefactionis illam describit; sic vtique libellus noster circuitum complet, caudamque cum ca-
pite coniungit. Alteram verò principalem febris differentiam à materia & à subiecto nos su-
mimus. Cum nanque febris sit accidens, & accidens habeat esse in subiecto, quod ad eius essen-
tiam pertinere aiunt; meritò quæ à subiecto differentia capitur, essentialis dicetur. Portò fe-
bris subiectum tum inhæsionis, tum delationis communiter faciunt partes animatum corpus
constituentes, quæ ab Hippocrate continentes, contentæ, impetentesque sunt dictæ: con-
tinentes siquidem solidæ appellantur, contentæ humores, impetentes verò spiritus. Hæ ve-
rò differentiæ, quæ à materia, & subiecto habentur, maximè propriæ à Galeno nominatur;
tum quia subiectum dicitur esse de essentia accidentis; tum quia harum partium caliditates quas
subiectum fecimus, febris continentes caussæ constitutæ sunt; & proinde duplici de causa ad
febris factionem concurrunt; & materiei, & efficientis ratione: & inde differentiæ ab his de-
sumptæ maximè propriæ dicuntur. Et ab his quoq; particulis supercalefactis febrem causanti-
bus ephemeræ, humorales, hæcticæque febres sunt nuncupatæ. Sic vtique nos principales fe-
bris differentias à forma, materia, & ab efficiente deducimus. Quod verò in vltimis verbis Ga-
lenus addit: Tertia autem est differentia cùm sola aere substantia sufficienter incaluit; humo-
res autem & solida corpora calescunt quidem adhuc, nondum autem sunt salefacta; neq; enim
parum refert, si calescere dicamus, aut calefacta esse. Hæc verba obscura & difficilia plures re-
cipiunt interpretationes: Nos autem in præsenti sic illa interpretamur; calefactum esse, seu (vt
alij inquiunt) caliditas facta; & pariter calefieri & incalescens plurimis modis apud Medi-
cos sumuntur. Primum nanque calefactum esse habet rationem primi, sicut Auicenna prima

sen. quarti capite primo de febris diffinitione annuit, dum ait: Si enim accendatur febris accensione prima &c. secundariò caliditas facta habet rationem causæ, quoniam in continuo est actu calefaciendi perenniterque calefacit. Tertiò dicit eiusdem caussæ firmam constantemq; fixionem, à nullo dependentem, sed sui firmatam radicibus, sic quòd substantiam præternaturaliter factam firmiter ipsam sustinentem insinuat; vnde & verè habitus de difficili mobilis nominatur. Quartò cùm sit in corde, quatenus cor particulare est membrum, & singularem eius virtutem, & actionem offendit, particularis morbi calidi nomen subit. Similiter incalescens & calefieri plurimis modis à Medicis capitur; primum nanque sui affectionem secundo loco effectam dicit; secundò se symptoma declarat, cùm à particulari proficiscatur morbo; tertiò continuam à calefactiuis causis dependentiam denotat; vltimò se totius corporis communem morbum manifestat. Calefieri enim secundariò fieri, & accendi apertè Auicenna in supra citato loco affirmat, dum ait: Deinde febris accenditur in corde, &c. Præterea cùm calefieri, atq; incalescens, igneæ caliditatis sit actio, quæ est in continuo fieri, & esse successiuo è suis calefactiuis causis continuè dependens, & in fieri ac conseruari; sic symptomatis suo modo rationem habere dicitur: quatenus verò in ipso fieri tandem aliquid sui factum obtinet terminumq; seruat, quo agendo functiones læditur, sic morbi nomen nanciscitur: & sic calefactũ esse quoque nominatur; & cùm actua caliditas totius corporis facultas læditur, vniuersalis morbus nuncupatur; & cum eius esse & conseruari sit in continuo fieri & dependentia suarum causarum, verius passionis quàm passibilis qualitatis, & verius dispositionis, quàm habitus rationẽ tenet. Concludimus tantem, quòd sicut calefactum particularis causæ & morbi rationem habet, sic & calefieri vniuersalis symptomatis, & morbi naturam seruat; & vt illud fixum habitum cum nulla dependentia ostendit, sic & istud de facili mobilem affectionẽ cum cõtinua à calefacientibus causis dependentia declarat.

Obscura multa de febre dicta declarantur. Cap. XXXII.

QVONIAM obscura difficiliaq; multa in febris diffinitionis diuisionisq; explicatione leguntur, quæ variæ à varijs expositoribus exponuntur, placet in præsenti harum omnium difficultatum obscuritates ex propria sententia iuxta nostræ positionis traditionem exponere; vt positio nostra scrupulis omnibus remotis clara conspiciatur. Primum nanque dicemus, quomodo febris à naturali ramificetur calore; quomodoq; ex naturali præternaturaliq; sit composita; & qualiter vnus præternaturalis nuncupetur calor; quomodoq; communis; & cum communis sit morbus, & totus insalubris, quomodo ad sanitatem redigatur; vtq; æqualis inæqualisq; denominetur intemperies; & pariter vt fiens, factusq; morbus appelletur: insuper quomodo febris calefactum à calefacto esse causæ distinguatur; & cur hectica inter reliquas insanabilis dicatur; & qualiter cùm accidens sit, in vniuersum corpus deriuetur. Postremo dicemus, vt febris à reliquis præternaturalibus caloribus differat; & cùm formæ simplex similarisq; sit, qua ratione confusa compositaq; dicatur. Hæc & similia, quæ in hoc negotio difficultatem pariunt, pro viribus exponere conabimur. Ad primum autem, quod Auerroes septimo colliget, cap. secundo habet, quòd præternaturalis caliditas à naturali ramificatur: dicimus, quòd febrilis calor originem ducit à natiuo calore formaliter, & materialiter (vt ita loquamur.) Formaliter tanquàm ex principio ex quo priuatiuè scilicet; materialiter tanquàm ex potentia, quando materia caloris innati est in potentia ad præternaturalem: positiuè enim ramificatur in materia caloris natiui, quatenus erat in potentia ad præternaturalitatem: priuatiuè eu rem ramificatur in gradu caloris naturalis; nam post huius priuationem exoritur præternaturalis gradus, qui est formæ febris. Et hac eadem ratione febris dicitur composita apud Auer. tertio colliget. cap. tertio ex calore naturali, & præternaturali. Et hæc compositio priuatiuè est intelligenda, idest post corruptionem gradus caloris naturalis, productus est gradus præternaturalis, qui febris formæ & quidditas affirmatur. Sub alio autem sensu, vt inquit Alexander: Febris composita ex duobus caloribus dicitur, tanquàm ex potentia & actu, quoniam ex materia caloris natiui, idest ex gradibus naturalis caloris, qui in potentia erant ad præternaturalem, & ex actu & forma caloris præternaturalis, idest ex gradu aduentitio superaddito, vti vera forma, febris est formatæ: intelligit itaque Auer. per gradus præexistentes, naturalis caloris materiam & potentiam; & per gradum extraneum aduenientem, actũ & formam. Et sic ex his duobus compositam febrẽ facit, tanquàm ex potentia & actu, vt Alexander retulit. Ex his omnibus concludimus contra iuniores multos, quòd febris & naturalis calor non duo distincti subiecto calores sunt, sed vnicus calor ex diuersis gradibus cõstructus, cuius forma vniformis est, & similaris. Ad id verò, quod inquiũt, quòd calor præternaturalis in corde est; naturalis verò imminutus & frigidior fa-

dior factus: dicimus iuxta superius dicta, quòd febrilis caliditas auctionem caloris semper dicit, aut in gradu calefactionis, aut prauitatis. Pusillæ nanque & tepidæ malignæ febres non caloris, sed prauitatis gradu magnæ dicuntur. E contrario naturalis calor se habet; nam quantum præternaturalis ex acquisitione materiæ naturalis intensior fit, tantundem naturalis ex propriæ materiei deperditione remissior frigidiorque euadit; & eò vsque tandem progreditur, vt ad non gradum perueniat; sic quòd à complantata frigiditate non amplius temperante, sed frigefaciente frigidus fit, frigidusque denominatur; de qua quidem frigiditate fortasse Galenus sermonem fecit 6. de morb. vulgaribus commen. tertio, vbi ait; neminem mori febri ardente, quin cor prius frigida intemperie afficiatur. Dissolutis nanque natiui caloris gradibus omnibus, febris violentia, totaque materia absumpta, totus quoque absumitur calor, & naturalis & præternaturalis: abeunte autem calido, frigidum subsequi necessum est. Vnus autem præternaturalis calor dicitur, quia vnum aliquid est, singularis inquam calida cordis intemperies in simplicem formam vnam conformata: quæ quidem calida intemperies vna formaliter caliditas nominatur à forma gradus caloris superaddita, præternaturaliterque operante, totamque caloris latitudinem insalubrem denominante. Vbi autem febris omnino exitialis extiterit, & vitæ prorsus opposita, sic quòd tota caloris latitudo sit præter naturam; tunc formaliter materiaterque febris est vnus calor totus præter naturam. Communis autem nuncupatur, primum communitate inhæsionis, quoniam cordi, & singulis corporis particulis communiter inest; secundariò communis dicitur, quia cordis communem lædit actionem, à qua cæteræ animantis motiones postea læduntur. Cùm deinceps quæritur, cùm morbus sic communis toti corpori, totusque præter naturam, à quanam re corpus pristinæ sanitati restituitur? Ad hæc longiori sermone respondemus; quòd & si cordis, totiusque corporis actuatus calor in facto esse (vt aiunt) præternaturalis sit effectus, non propterea singuli calores, & massæ sanguineæ, & spirituum, solidarumq; partium, qui actuatũ calorem conformant, sunt præternaturales in facto esse; sed tantummodo vnus aut alter prædictorum, vt puta spirituum calor in febribus ephemeris, aut massæ sanguineæ in humoralibus & putridis; nec in his vniuersa massa sanguinea, sicut nec vniuersa spirituum multitudo in ephemeris positæ sunt in calefacto esse, sic quòd omnino sint præter naturam; sed quædam tantum in ephemera spirituum portio determinata; & in humoralibus febribus frequenter vnus, aut alter humor, nec hic prorsus per vniuersum corpus innaturalis est factus, sed secundum certam quandam portionem, quæ satis erat ad actuatum calidum permutandum febremq; procreandam. Reliqui autem qui supersunt humores, aut calores horum humorum; & reliqui spiritus, aut horum spirituum calores, qui in calefacto esse non sunt positi; & reliquæ similiter humiditates similarium partium in hectica febre, quæ nondum prorsus sunt excalefactæ, seu harum humiditatum calores: hæ profectò particulæ omnes cum suis caloribus, vnà cum reliquis corporis particulis & caloribus, & si alteratæ læsæque sint à febrili calore propter aliquod horum supercalefactum, non propterea in facto esse calidi sunt affecti sic, quòd omnino sint præter naturam, sicut & res supercalefacta, à qua caliditatem receperunt: quare & naturalẽ adhuc suam seruant naturam, naturaliterq; operantur, & si ęgrè & imbecilliter: Vnde hæc ipsa aut esculentis, poculentisq; frigidis, frigidoq; aere ambiente vigorata, congruisq; medicaminibus armata, contra febrilem calorem contraq; eiusdem conseruantem causam hostiliter pugnant. Qui enim ab exarsione immunes sunt spiritus in febre ephemera, quantumuis febrili calore sint alterati, cum hac ipsa tamen alteratione simul cum humorũ solidarum partium calore condecẽti frigiditate vigoratæ, incensorum spirituum exarsionem, ephemeramq; ex illis factam febrẽ extinguunt, & pristinam corpori restituunt sanitatem. Qui autem à putredine superstites sunt humores (in putridis febribus) vnà cum spirituũ, similariumq; partiũ salutaribus caloribus putridum cõcoquunt humorem, indeq; genitam febrem aufferunt: quamobrem benè secundo tegni scripsit Gal. quòd concoctio putredinem cessare facit manente substantia. Ad id verò, quod obijciunt, sanum fieri à sano, & minimè ab ægro, & alterato: Respondimus sanum à sano fieri actu, vel potentia; seu virtute. Nec imus inficias natiuum calorẽ aliquando febrilem vincere reluctando; nam dum natiuus calor resistit, consumitur materia, in qua residet febrilis calor; qua absumpta, ipsum quoque febrilem calorem euanescere necessum est. Aequalis verò febris intemperies appellatur non ratione propriæ essentiæ, quæ similaris vndiq; existens sibi conformis, nullum interstitium intra se continet; non enim hæc magis, quàm illa similaris est, sed omnes eiusdem tenoris visuntur; quamuis verum sit dicere, quòd hæc magis, quàm illa sanitati, vitæq; opponitur, tum propter redundantis caloris copiam, tum propter intensionem ipsiusmet caloris. Dicimus itaque, quòd febris differentia, quæ æqualis inæqualisq; dicitur, sicut & multæ reliquæ, non à febris quidditate, sed ab eius immediatè efficientibus conseruatibusq; causis sumũtur. Febris igitur æqualis tẽperies dicitur à calida in facto esse similariũ cordis partiũ

intemperie, & ab harum calefacto esse proficiscitur: à quibus solidis particulis (vt fundamentis omnium) spiritus, & humores ortum ducunt; vnde hi facilè, & prima occasione in eundem propemodum dilabuntur lapsum; & sic intemperies omnibus communicatur, & æqualis euadit, non solum in fieri & habitudine, (vt in humoralibus & ephemeris contingit febribus) sed quodammodo in habitu & esse permanenti. Et quamuis huiusmodi caliditas æqualiter in corde & in cęteris partibus reperiatur, differt tamen caliditas cordis ab aliarum partiũ caliditate, quia calor cordis à nullo fouetur, at calor aliarum partium fouetur à corde. Inæqualis autem intemperies dicta est huiusmodi, quoniam ab inæquali intemperatura causarum febrem efficientium est effecta: humores nanque in calefacto esse positi, humoralem febrem causantes diuersa intemperatura laborant à spiritibus, & solidis particulis; nam spiritus & solidæ partes ad calidum tantum alteratæ sunt, humores verò prorsus ad præternaturalem intemperiem sunt permutati; vnde in parte hac intensiores, in illa verò remissiores cernuntur calores; quæ calorum diuersitas inæqualem facit temperaturam, & propter harum partium diuersam intemperiem inæqualitatis nomen febris accipit. Potest item & alio respectu inæqualis nominari, quoniam in quibusdam febribus, vt in lypiria, & epiala, & in alijs, in quibus vnà cum febre rigor, & frigus corpus afficit, & diuersa affectione, calida scilicet & frigida, corpus tentatur. Similiter febris & fiens & facta esse nominatur sub ratione formali febris; nam quatenus à proximis calefactiuis causis fit, & dependet, semper fieri dicitur; quatenus verò in ipso fieri factum aliquid habet, terminumque retinet, quo insalubriter agit, facta caliditas nominatur; sub habitudinis inquam, & non sub habitus ratione; quæ breuem, & non longam calidi permanentiam dicit: alia quoque ratione febris fiens, & facta à Medicis nominatur, respectu inquam proximarum caussarum febrem caussantium; ex eo enim, quòd causantes, conseruantesque causæ in fieri sunt, ex eo fiens febris denominatur; quales sunt humorales omnes, & ephemeræ; hæ profectò in fieri fientesque dicuntur, quia earundem immediatæ causæ, humores scilicet, & spiritus, in motu, & esse successiuo suum esse habent. Facta itidem febris dicitur non à febrili dispositione facta; (vti mox diximus) nam sic omnes factæ dicuntur; sed à calefacto esse suæ procreantis causæ solidæ videlicet cordis substantiæ, quæ quidem in prima animantis fabrica suum esse factum obtinuit; à calefacto itaque esse huius substantiæ perfectæ, vt febris proximæ effectricis causæ febris facta nominatur, sub habitus scilicet, & non sub habitudinis ratione; quales hecticæ esse traduntur: quæ omnino independentes sunt, difficulterque remouentur. Calefactum autem esse febris à calefacto esse eius causæ distinguitur, quoniam febris calefactum esse, est cum dependentia suæ causæ habitudinem caloris tantum connotans; calefactum autem esse causæ independens est, & fixum permanensq; caloris habitum ostendit. Et propterea rectè inquiunt, quòd calefactum esse solidæ substantiæ cordis quod hecticam parit, insanabile à Medicis esse experitur: nam insitus solidarum partium calor fundamentum, origoque est, vnde influentes & massæ sanguineæ, & spirituum calores scaturiunt, sicut in lib. de fœtus formatione recenset Galenus. Cum itaque similarium partium insitus afficiatur calor, & inde influentes calores simul inficiuntur, & sic malè postea omnes affecti, non mirum si sanitati nullus relinquitur locus. Concludimus itaque, febres omnes in solida & cordis, & totius corporis substantia in esse; at hecticam in facto esse, in habitu scilicet, & independenter; reliquas verò esse in facto, esse in habitudine, & dependenter; atque hæc facilè, illæ verò difficulter remouentur: sic vtique apud antiquiores Medicos calefactum esse hecticæ, & aliarum febrium penès habitudinem, & habitum distinguuntur; quemadmodum apud Galenum est legere in lib. de constitutione artis, cap. sexto de sanitate in habitu, ac habitudine; in habitu sanitatem nuncupantem, sanitatem firmam ac constantem; in habitudine verò lubricam & inconstantem: nam contrariorum contraria est ratio. Calefieri autem, quod distinguitur ab vtroque calefactu, esse & in habitu, & in habitudine; omnino symptoma est, siue à morbo siue à causa depẽdeat, & proficiscatur, & in præsentiarum de eo nullus est sermo. Ad id autem, quod aiunt, febrem intemperiem cordis factam, & cùm accidens sit permanẽs, & proinde de parte in partem migrare, atq; in totum corpus descendere minimè posse: dicimus febrilem calorem à corde ad totum prodire bifariam, primo modo per partem post partem, quatenus scilicet cor calidum calefacit partes vicinas, & hæ partes vicinæ calefaciunt alias sibi vicinas; & sic de singulis: Alio modo febrilis calor toto corpori à corde impartitur; nam cor supercalefactum igneo calore cuiusque conditionis ille fuerit, aut tabidus, aut putridus, aut adurens, consimili profectò calore humores vicinos & spiritus calefacit, vnde & hi supercalefacti per singulas corporis partes procedentes, consimili mala caliditate partes illas afficiunt; & ita eisdem febris communicatur, & sic febris in totum deriuat corpus, præter quod accidẽs migret de subiecto in subiectum. Distinguunt præterea Medici febrẽ à putrido, marcido, vrenti, pestilentiq; calore. Putridus enim calor cũ humiditate multa semper

reperi-

reperitur, è contra marcidas, cum pauca continuè existit: cùm nanque putredo calidi dissolutionem à frigido contemperanta, atque humidi interminationem à sicco terminante dicat: tollitur nempe in putredine horum vtriusq; nexus & calidi & frigidi, & humidi & sicci cum amborum excessu, per gradum caloris additum; ideo & putrida caliditas multa semper conspicitur simul cum multo circumfuso humore. Mareor verò cùm humidi exiguitatem pedetentim à suo absumente calore factam ostendat, pariter & absumentis caloris in pauco residentis humido exiguitatem testatur; atque in huiusmodi affectu actiuarum passiuarumq; qualitatum in mixtione nexus, cum earundem defectu paulatim disiungitur, sicuti è contrario in adustione quàm celerrimè dissoluitur. Adurens autem calor ab vtrisque, calido scilicet & humido simul confestim combustis exurgens, comburentis ignis naturam redolet. Pestilens verò calor in præternaturalitate his omnibus æquipollet, & horum trium præternaturalium calorum naturam sapit, vt supra est expositum. Febrilis quidem calor à supradictis omnibus est distinctus, vt natura generica à suis speciebus distincta dicitur; ipse nempe cum his omnibus æqualiter est febris; atque horum omnium singulorum calorum subiecta indiscriminatim circumspicit, non enim particulatim alicui est additus, sed vniuersim in omnibus inest; nam aliquando in vno, aliquando in altero; multoties in his omnibus inesse animaduertitur; vnde putrida, marcida, adurens, pestilens; que indifferenter febris nominatur. Sic quippe clarum fecimus; quemadmodum plurimæ febrium differentiæ non à febrili affectione, sed à tribus proximis efficientibus causis hauriuntur; vt clarè etiam patet in tres primas generales febrium differentias, hecticam scilicet, humoralem, & ephemeram; quæ à tribus primis causarũ differentijs febrẽ causantium habentur. Hoc idem etiam manifestatur in nuncupatione confusarum compositarumq; febrium; multæ namq; compositæ complicatæque dicuntur, non quòd secundum earundem essentiam tales sint, cùm vndique similares semper existant; sed tales traduntur esse secundum complicationem, confusionemq; suarum efficientium causarum. Etsi enim aut à causarum complicationa, aut quouis alio respectu Medici compositam, inæqualemq; intemperiem febrem nominauerint, vbique tamen locorum Galenus; & primo de differentijs morborum, & de causis morborum, & octauo methodi per simplicem calidam intemperiem illam diffinit. Sexto nanque lib. Epidemiarum commento quarto eam quoque per simplicem extraneum calorem descripsit, vbi ait. Febris essen- „
tia non modo ex Hippocratis probatissimorumq; virorum sententia, verum etiam ex commu- „
ni omnium consensu est calor præter naturam, qui potissimum in vniuersum diffusus est ani- „
mal, siue minus, vel omnino in plures, vel in maximè principes; nam sæpe cutis vel etiam vniuer- „
sa nullum videtur præter naturam conspicuum habere calorem; neque nobis exterius tangen- „
tibus, neque etiam ipsiusmet laborantibus; cùm tamen interne in profundo ipsi ægrotantes se „
exæstuare sentiant, & viscera sibi comburi; quare siticulosi, fastidiosi, & insomnes semper offen- „
duntur. Hactenus Galenus. Quem Alexander in tractatu de febre, quem scripsit, est imitatus, „
vbi ait, febrem igitur (vt hinc tractatio nostra exordium sumat) alij aliter diffinierunt, at Empe- „
docles, & Zeno, & plurique Hippocratei calorem extraneum, in corde sumentem principium, „
ex eoque per arterias & venas in corpus vniuersum progredientem, naturales sensibilesq; actio- „
nes offendentem, dixerunt. Hunc Auic. prima fen. 4. in febris diffinitione adamussim est inse- „
quutus, dum scriptum reliquit. Febris est calor extraneus accensus in corde, & procedens ab „
eo, mediantibus spiritu, & sanguine per arterias, & venas in totum corpus, & inflammatur in „
eo, inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus; non sicut caliditas iræ, & laboris, cùm „
non vltimatur, vel cùm non peruenit ad hoc vt sit accensa, & noceat operationibus. Hucusque „
Auicen. Ex horum itaque omnium sententia dicimus, quòd febris est actuata cordis totiusque corporis excedens caliditas, ignis naturam redolens, siue putrida, siue marcida, siue adurens, pestilensue illa extiterit. Postquàm igitur res vti ad suum principium, ad igneum vegetum calorem, vnde exorsi fuimus, est redacta, res ipsa expostceret, vt finẽ dicendi faceremus, supremamque manum operi imponeremus; sed quoniam duo retrò grauis magniq; momenti quæsita nos ad eorundem explicationem interpellant, & nefas est lumen expetenti interdicere, laboremq; in difficilibus rebus subterfugere, proinde ad ea ipsa dilucidanda progredimur.

Duo putridæ febris fomites docentur. Cap. XXXIII.



ANTIQVIORES Medici putridæ febris duos fomites fecerunt, vnum vnde materia ad febrium accessiones efficiendas continuè suppeditatur; alterum vbi materia recipitur, ibidemq; recepta putrescit, quæcunque corporis pars illa extiterit, sic quòd inde putredo, aut putridi vapores cordi communicentur, & actuatus calor accendatur, febrisq; fiat. Hunc putredinis fomitem duplicem constituunt, in continuis febribus vnum,

intra venas; vbi illæ obstructæ oppilatæq; fuerint, vnde humores intra vasa clausi, transpiratione, ventilationeque priuati putrescunt, putridisque effectis fuliginosa, fumosaq; putredo cordis prius circumstantes caliditates excalefaciunt, mox actuatum calorem igneum reddunt: locum igitur clausatum venarum vbi humores putrescunt, & vnde putrida fuligo ad cor peruenit, putridæ febris focum dicunt. Alterum verò putredinis fomitem intermittentium febrium extra venas in sensibilibus corporis partibus constituunt: vbi enim mali humores, qui intra obstructas venas clausi sunt, vi facultatis venarum expultricis extra ad sensibiles partes truduntur, & ibi à caliditate non propria nec familiari correpti putrescunt, putridique facti cor aggredientes febrem accendunt: & vbi putruerint, exustique fuerint, cineritium ibidem relinquunt, quod alterum putredinis extra venas focum faciunt. Venarum autem clausionem & oppilationem in intermittentibus febribus non febris focum, sed alteratæ malæque dispositæ materiæ conseruatricem causam faciunt. In continuis verò febribus non quæcunque oppilatæ, clausæque venæ sunt, hæ putredinis fomites asseruntur, sed illæ tantum statuuntur, in quibus humores putrescunt, & putridi effecti cor afficiunt, febremque faciunt & seruant. Primum autem febris fomitem vnde materia continuè suggeritur ad nouas procreandas accessiones in duas subdistinguunt species. Prima autem illa recensetur, vbi materia iam residet ac quiescit, in quacunque illa corporis parte congesta sit, aut per paulatinam congestionē ex concoctricis defectu ob membri debilitatem; aut aliunde transmissa, violentia membri mandantis; sicut in materierum collectionibus, & apostematibus, quæ per humorum defluxum fiunt, licet inspicere, vbi collecta materia instar fimi columbini Soli expositi (vt primo de differentijs febrium recenset Galenus) pars post partem iuxta partium præparationem ad putrefactionem venit. Hæc verò materia collecta, siue aliunde transmissa, siue ibidem genita sit, multoties in mesenterio vtero, crassisque intestinis, sæpe intra ventriculi tunicas, & in abdomine, sępissimè intra thoracis capacitatem, rarò in iecinore, ac renibus, rarius intra cerebri mininges colligitur: sic quòd collecta materia febris focum fiat. Altera autem huiusce fomitis species est, vbi materia est in fluxu & permutari: hæc verò aut attrahitur, aut transmittitur, aut simul trahitur, & transmittitur. Attrahitur autem à corporis particula, calore seu dolore affecta: expellitur verò & transmittitur, vtplurimum ac frequentius à principe aliqua parte, (vbi materiei copia residet) vtputa à cerebro, ventriculo, liene, & iecinore, penès fabrium materierumq; differentias: A iecinore nanque fluit, & transmittitur flaua bilis in tertiana febre ad sensiles corporis partes, vbi putrida effecta febrem efficit, in hac quidem febre iecur putridæ febris fomitem, vnde materia ad febrem continuandam transmittitur, determinant. Si verò à ventriculo in corporis particulas pituita trāsmittitur, sicut in quotidiana febre euenit, tunc ventriculum febris fomitem prædicant; vnde materia suggeritur ad febrem continuandam; & si à liene illa fluxerit, tunc lien febris focum cōstituunt. Et sic isti iecur ventriculum, & lien putridarum febrium fomites affirmant, vnde materia ad febres protrahendas proficiscitur; & hoc Galenum voluisse (aiunt) lib. primo ad Glauconem cap. quinto, vbi scriptum reliquit. Quotidiana verò intermittens rarò aduenit, quin os ventriculi patiatur, quemadmodum quartana ex malè affecto splene generatur. Tertiana è iecinore laborante: Iecur nanque in tertiana febre laborat, in continua transmissione bilis prauè affectæ ad putredinis locum, consimiliter ventriculus in quotidiana, & lien in quartana laborant; istud in atræbilis, illud in pituitæ malè affectæ suggestione ad putredinis focum. His verò tribus nos quartum membrum addimus, caput scilicet ipsum in febribus catarrahlibus, vnde continuè materia ad locum putredinis demandatur, pro febrium effectione. Ipsorum itaque fomitum causam veram inquiunt esse, quoniam continuationis perseuerantiæq; accessionum febrilium materiei humorumque copiam esse, præcipuè statuitur. Quæ materiei copia tum actu, tum potentia in natiuis eorum fontibus reperitur, quales supradicta membra traduntur esse. Iecur verò bilis minera, actu & potentia illam continet; actu dum iam genitam seruat; potentia cùm quæ futura est, ex quotidiano absumpto cibo illam procreat; cùm autem malè affectum iecur fuerit, consimili affectione bilem affectam procreat, & ita infectæ bilis minera seruatur per continuam regenerationem, & inde tertianæ febris extensio causatur. Idem profectò nos dicimus de ventriculo, liene, & cerebro, respectu propriæ materiei à singulis emanantis. Modus verò quo infecta materia partiatim ad putredinis fomitem transmittitur, facilè explicatur. Tertianæ nanque febris accessio vbi corpus inuaserit, idipsumque per multas horas præter naturam excalefecerit, postquàm finita fuerit, adhuc in vniuerso corpore, sed præcipuè in iecinore ac bilioso humore propter eorundem familiaritatem, consimilem malam caliditatem derelinquit; quæ prima externa causa mouens, vnde biliosa materia à suo fonte, iecinore scilicet partiatim descendit ad putredinis fomitem: hæc quidē mala caliditas, vbi bilis caliditati iuncta fuerit, eā alterat, & ad putredinē corruptionemq; disponit: vbi verò aliqua eius portio ita disposita fuerit, &

à naturali statu elongata, sic quòd grauis onerosaque naturæ sit facta, expultrix virtus eius molestia irritata hanc ipsam portionem ad putredinem paratiorem seligit, selectamque ad putredinis focum expellit: hunc eundem expulsionis modum & melancholici, & pituitosi male affecti succi à ventriculo, & liene in quartana, & quotidiana febre obseruant; idemque de distillante à capite materia in catarrali febre affirmant. Siquidem isti duos putridæ febris fomites faciunt; vnum vnde materia demandatur ad focum putredinis: huncque ratione materiei quiescentis, & in corporis particula detentæ vnum faciūt: ratione verò materiei transmissæ quatuor illos fecerunt: sicut quatuor recensentur partes à quibus materię effluunt, & mandantur ad putredinis focum. Alterum verò principalem putridæ febris fomitem constituunt, locum in corpore vbi humores putrescunt, & vnde febris accenditur. Et hunc sub duplici constituunt differentia; nam vnum in febribus intermittentibus faciunt, vbi extra venas in sensibilibus partibus humores vruntur; alterum in continuis febribus, dum in ipsis occlusis venis succi putrescunt, & ignescunt. Vnum animaduertendum ex illorum sententia, qui vnà cum Hippocrate aiunt, humores sub proprijs formis per venas confusim fluere; nam qui sub sanguinis specie simul cum Aristotele diffluere dicuntur; his in hoc quæsito nulla contingit dubitatio. Quòd humores intra venas, ibi in fomite, in paruo angustoque loco vbi putrescunt, & vnde vapor putridus, putridaque fuligo cor petit, febremque accendit; non seiunctim à cæteris singulariter putrescunt, veluti bilis, seu pituita tantum; sed communiter omnes ibidem detenti prius primi corrupti naturam trahuntur, mox putredine capiuntur; contagio enim & vicinitate primi putrescentis humoris omnes deinceps similiter inficiuntur; vnde meritò focus putredinis locus nuncupatus est, nam vt in foco vstilia cuncta igniuntur, sic ibidem pariter humores cuncti putrescunt, ac rationi consentaneum est, quòd rei suapte natura ad putredinem pronæ ex rei putridæ vicinio, locique angustia facilè in putredinem trahantur, ac ideo vbi putredinis fomes in magnis vasis, cordi vicinus extiterit, febris admodum exitialis reperitur, viresque imbecilles quamprimum fiunt propter multorum humorum corruptelam; extra verò fomitem, locumque putredinis, per reliquas corporis venas, & si alteri consocij humores sint, ad putrescentis conditionem non propterea sunt permutati, ac ad eius conditionem conuersi; an verò febris putrida, putridi vaporis præsentia huiusmodi efficiatur, sicut multi asseuerant, rationi consonum est, si putredinis focus à cordis sedibus distans sit, quòd illucusque putrida caliditas per putridos fumos, & vapores defferatur, necessum est: si verò focus cordi vicinus extiterit, tunc vnà cum vapore putredo ipsa actuatum inficit calidum, & putridam efficit febrem. Sed hæc suo loco fusius declaranda relinquimus.

Putridarum febrium circuitus causa explicatur. Cap. XXXIIII.

PEryodicationis febrium duas antiquiores Medici fecerunt caussas, materialem vnam, efficientem alteram. Putridas caliditates (quas & putredines putridasque qualitates nominamus) singulorum putrescentium humorum putridas febres causantes, tum putridarum febrium, tum earundem peryodicationis effectrices causas statuunt. Peryodicæ nanque febres dicuntur, quarum accessiones, vna post alteram successiuè continuatis cursibus certo quodam, & stato temporis interuallo se cōsequuntur, consimili affectione ægrum afficientes; siue inter vnam, & alteram accessionem quietis tempus intercidat, vt in intermittentibus, siue non, vt in continuis febribus euenit. Intermittentium autem febrium tres præcipuè species recensentur, quotidiana, tertiana, & quartana: omittimus in præsentiarum quintanam, & sextanam. Harum autem omnium materialem caussam superius diximus esse materierum copiam, siue illa iam genita sit, siue in continuo sit fiari apud suas mineras ad radices: quæ quidem materierum copia non simul tota, sed per partem post partem ad accessionum procreationem continuationemque venit. Putridam autem caliditatem putrescentium humorum, animati corporis humores alterantem, ac permutantem circuitus febrium effectricem caussam constituunt; putrida itaque caliditas putrefactæ pituitæ (sic vt febrem efficere possit) vbi in corpore quotidianam febrem accenderit, vt quotidianæ febris, ita & eiusdem peryodicationis (quæ per singulos dies esse dicitur) effectrix caussa asseritur. Hæc quippe putrescentis pituitæ putrida qualitas longè facilius ob cognationem pituitam; atque eiusdem pituitæ portiones circa ventriculum, reliquasque corporis partes residentes, putrida caliditate afficit, quàm alterum vicinum humorem: & quoniam natiua pituitæ caliditas cum humiditate est iuncta, ex sui natura imbecillis est, & ad putredinem prona, quare nullo negotio, breuique tem-

pote illa

pore illa à putrida caliditate vincitur, ac putrescit, hæcque procliuitas ad putredinem concipiendam passi materialisq; caussæ rationẽ habet in peryodicationis factione: eiusdem verò pituitæ copia, ac lentor, quæ accensum ignem diutius seruant, ad materiam materialemque caussam ab illis rediguntur, & coadiutrices etiam suo modo circuitum febris caussæ traduntur. In intermittente itaque quotidiana febre singulis diebus pituita alteratur, ac putrescit, singulisque diebus accensionem facit; atque peryodicationis huius potissima caussa efficiens est putrida pituitosa caliditas, pituitam pituitęque portiones ad putredinem præparans, & disponens, eam ipsam prorsus putrefaciens; dum enim illam disponit circuitum inchoat, dum putrefacit, illum perficit: vnaquæque etenim innaturalis caliditas vt passionis est effectrix, ita & eiusdem passionis modi artifex existit; Nec imus inficias naturales virtutes his putridis calefacientibus caussis febris circuitum molientibus auxilium præstare, eisdem materiam plurimis modis suggerendo, sic quòd etiam suo modo peryodi coadiutrices caussæ dici possint. Quamobrem rectè & Gal. circuitus febrilis causam naturalem calorem, & Auerroes præternaturalem constituere. At ad pituitæ peryodum, vnde paulũ digressi sumus, reuertamur, & dicamus, quòd eadem & efficacior est ratio in quotidiana continua, quę & interpellata; vbi putrida caliditas putrefaciens, efficacior est ad corrumpendum; & corrumpenda intra venas clausa pituita corrumpenti vicinior, facilius quoque putrescit, putridaque quotidie ibidem effecta, vt continuam parit febrem; ita quotidianam accessionem efficit. Putrida verò caliditas bilis flauæ putrescentis, vbi in animato corpore intermittentem tertianam febrem excitauerit; & tertianæ febris; atque eiusdem circuitus, qui vno interposito die fit, caussa affirmatur. Hæc putrida biliosa caliditas propter cognationem, quam cum bilioso humore habet, longè facilius ipsum eiusdemque portiones putrida caliditate excalefacit (quàm reliquos vicinos humores) circa iecur reliquasque corporis partes residentes. Hæc vtiq; putrida biliosa caliditas circuitus tertianæ febris in caussa est, dum sua alteratione natiuum bilis flauæ calidum alterat, per vnum, aut alterum diem; donec illum vincat, putridumque efficiat, & putridus factus febrem accendat: & ita biliosa putrida caliditas dum ad putredinem alterat, circuitum inchoat; dum verò illam corrumpit, illum terminat, ac finit; Hæc quippe putrida caliditas longiori tẽmpore natiuum bilis flauæ (quàm pituitosa superius dicta caliditas pituitæ) corrumpit calorem, quoniam connata flauæ bilis caliditas longè fortior est, quàm pituitæ, quando hęc cum humiditate putridini maximè accommodata, illa verò siccitati putredini aduersa sit coniuncta, atque hæc bilis difficultas ad patiendum sub ratione passi ad peryodicationem venit, similiter eius tenuitatem, quæ accensa & ignita in caussa est, vt quàmcelerrimè comburatur, ad materiam cito combustibilem redigunt. Eadem profectò ratio in continuis sicut in interpellatis tertianis febribus conspicitur: nam & si in continuis propter difficilem, multæ putridæ biliosæ materiæ intra venas inclusæ resolutionem, febris indeficiens fit ac continua; tamen huiusce continuæ febris impetus, & aggressus non nisi vno interposito die causatur à putrida biliosa putrefaciente caliditate; quæ vt extra, sic & intra venas materiam alterans, circuitum efficit, illamque mox corrumpens, eundem terminat. Putrida autem caliditas atræ bilis putrescentis vbi & ipsa efficax extiterit, quòd in corpore quartanam intermittentem febrem accendat; & quartanę febris, atque eiusdem circuitus (qui duobus interpositis diebus fit) vera causa existimatur. Hæc quidem melancolicha putrida caliditas melancholiam ob familiaritatem promptius, quàm alium inficiens humorem, & circuitus quartanę, & ipsius quartanæ febris efficiens caussa existit: quod enim forma dat, (aiunt Paripatecci) dat & consequentia formam: huius nanq; circuitus caussa dicitur, quoniam hæc caliditas in huiusce febris accessione vigens, & adhuc finita accessione in corpore se conseruans atrę bilis calidum alterat per septuaginta duarum horarum spatium, donec illum vincat putridumque faciat; & putridus effectus quartanam febrem accendat; & ita melancholica putrida caliditas alterando circuitum inchoat, corrumpendo verò illum perficit. Hæc quippe putrida melancholicha caliditas prolixiori tempore natiuum malancholici calorem corrumpit, quàm flauæ bilis supradicta caliditas suum corrumpebat calorem; quoniam innatus melancholici calor longè firmior est, quàm ille; nam hic cum densa ac crassa terrestri est copulatus materia, ille verò cum leni tenuique est iunctus; quare hic difficulter corrumpitur, & diutius corrumpenti caussæ resistit; ille verò faciliter, & non multo labore corrumpenti cedit; atque hæc ipsa difficultas melancholiæ ad putredinem capiendam materialis caussæ rationem subit in peryodicationis effectione; similiter eiusdem crassitiem ac frigiditatem ad materialem eiusdem causam spectare aiunt; & iuxta eiusdem humoris maiorem minoremque copiam, & aptitudinem ineptitudinemq; ad putrefaciendum, longiores breuioresque causantur accessiones. Idem profectò iudicium est in continuis quartanis, quemadmodum in continuis tertianis diximus. Nam & si febris continuè perseuerat, propter difficilem dissolutionem putridini melancholici succi intra venas inclusi; tamen huiusce

febris con-

febris continuè insultus, & aggressus non nisi duobus diebus interpositis causatur; ac febris incessanter vsque ad septuaginta duas horas extenditur, & inde deinceps alter insultus exoritur ad nouam accessionem procreandam. Quòd verò animatum corpus à putridis humoribus putrida afficiatur qualitate; atque hac infectum, denuò in corpore procreandos humores consimili qualitate afficiat; testimonium faciunt Vegetes, quæ vbi ab acetosa, seu simili praua vini qualitate infectæ fuerint, huiuscemodi infectæ quodcunque postea vinum (quantumuis syncerum & purum susceperint) consimili profectò illud afficiunt qualitate. Et secundum hanc nostram circuitus febrium sententiam Gal. 4. aph. 63. scriptum reliquit: remanet tamen quędam dispositio præter naturam in corpore, à qua secundum circuitum febres, & alij casus generantur. Et hoc fortasse voluit etiam Fernelius lib. 4. de feb. c. xi. dum scripsit. Atque vt sua est cuiusque humoris species, ita & sua cuiusque putredo vel qualitas suus cuiusque motus. Aliam igitur qualitatem, aliumque motum pituita, alium bilis flaua, alium melancholia, putredine contrahit; hac autem ratione accessio ordine recurrit. Febres autem ex materierum putridarum collectionibus, & ex apostematibus materierum collectiones apostemataque efficientium peryodum retinent. Naturales autem concoctrices virtutis putridas materias seligentes, atque expultricis illas selectas expellentes, verius concausæ, quàm principales peryodicationis causæ statuuntur. Plato autem qui quatuor humores simul permixtos sub sanguinis forma fluere, atque virtute quatuor elementa continere tradidit; de febris circuitu hanc habuit sententiam, quòd scilicet massa sanguinea dum efferuerit, febrisque caussa extiterit; si ignis feruore efferuescit, continuam febrem efficere tradidit; si aeris excessu id contigerit, quotidianam caussare; si verò aquæ peccato id euenerit, tertianam; si deniq; terræ vitio contigerit, quartanam facere febrem asseruit. Platonis enim verba in Timæo propè finem hæc sunt.

Quando igitur corpus ignis potissimum excessu languet, continua febre laborat. Quando verò aeris, quotidiana discreta. Aquæ tertiana, propterea quòd aqua segnior est, quàm ignis & aer. Terræ demum excessu, quartana: terra siquidem omnium tardissima quarto gradu cùm sit, temporis circuitu quarto feruet deferuetque. Hinc quartanas inuehet febres, quæ vix feroque sanantur. Aliorum autem affectuum tum naturalium, tum præter naturam circuitus causas suo loco explicandas reliquimus: de quibus Gal. 2. de differentijs feb. cap. vltimo abundè sermonem habuit, ibidemque peryodicationis causas in virtutes naturales reiecit, in expultricem scilicet, attractricem, atque concoctricem; ita quòd tres virtutes istæ apud eum præcipuè caussæ sunt, quòd fiant peryodicationes in omni ægritudine peryodicante, circuitumque habente. Et sic cum febris circuitus explicatione, suum noster liber circuitum complet.

Operis finis, ac gratiarum actio. Cap. XXXV.



T vt tractatio nostra ad calcem perducatur, post tot tantasq; iuniorum seniorumque rationes easque inuicem consentientes hos tres calores, igneum, naturalem, ac præternaturalem in radice eundem esse, vnà cum illis & nos concludimus reuera, videlicet substantialiter, fundamentaliterque vnus sunt; tres verò recondita quadam ratione distincti, & viui & vegetes pro rerum creatarum vsu existentes. Vnà igitur cum antiquioribus dicimus, quòd is idem ignis, qui nos facit, seruat & adauget; is idem infirmat, imminuit, & interimit; & vt mundanarum rerum omnium est demolitor, ita & earundem conseruator existit; atque Magni Opificis Dei in materiali hoc mundo, materiale est instrumentum. Quæ omnia cùm ita sint, illud nunc facimus, quod superesse tantum videtur. Agimus nimirum Deo Opt. Max. gratias immortales, qui præterquàm quòd innumera atque ingentia quotidie semper in me beneficia contulit, atque confert, proximè tamen tantum sit luminis elargitus, vt tam difficile, ac arduum argumentum, si non exquisitè, aliqua saltem ex parte explicare valuerim.



F I N I S.

Deo Optimo Maximo Laus, & Gloria.

275

SEBASTIANI PAPARELLAE A MONTE SANCTO,

Medici, ac Philosophi praeclarissimi,

DE INDICATIONIBVS CVRATIVIS

Liber nuper recognitus, atque auctus.

Ad Franciscum Mediceum Magnum Hetruriae DVCEM.





MACERATAE,

Apud Sebastianum Martellinum.

M. D. LXXXII.

275


FRANCISCO MEDICEO
MAGNO ATQVE SERENISSIMO
HETRVRIAE DVCI,

Sebastianus Paparella fœlicitatem præcatur.





OSTERIORES cogitationes meliores esse solere, vt est apud Euripidem, vulgari fuit olim, ac trito penè prouerbio celebratum. Quemadmodum igitur informes primũ, & inchoatos Vrsæ catulos pariunt; eosdem tamen sic lingua sensim expoliunt, vt qui antea rudis quadam carnis duntaxat, atq. ossium viderentur moles, ijdem assidua bona parentis cura, ac diligentia, perfectam tandem animalis, Vrsiq. speciem referãt, ac figuram: Ita mihi in extremo illo, qualiscunq. sit, ingenij mei fœtu, hoc est in eo libro, quem de INDICATIONIBVS CVRATIVIS inscripseram, statui pro viribus esse faciendum. Eum enim cum & amicorum precibus, & auditorum meorum efflagitatione coactus nondum perpolitum suisq. omnibus expletum partibus, ac veluti membris cõformatum, tuo tamen patrocinio, atq. præsidio septum in lucem ediderim: eundem nunc accuratius paulò, ac diligentius excultum, cum quæ in eo tunc fuerant leuiter adombrata, ea nunc si non penitus expresserim, exprimere quidem certe, atque illustrare sim conatus, eundem inquam, tibi quoque dicandum, et offerendum censeo. Neque enim par est, vt cui fuerit semel tanquàm arboris truncus oblatus, non eidem rami, frondes, fructus deniq. omnes deferantur, opus igitur iam suis, si modo id consequi potui, numeris absolutum, eadem (Optime Princeps) humanitate accipias, qua illud olim rude adhuc, & impolitum accepisti. Vale.



AD LECTOREM.



ACCIPE iam amice Lector medendi artem indicationibus hoc opere illustratam, quod antea rude adhuc, & imperfectum amici à nobis penè inuitis extorserant. Difficilem sanè, atque arduam suscepi prouinciam; & quæ Hippocratis præstantiæ potius, aut Galeni, quàm exiguis meis viribus, ingenioque conueniat. Quo minus mirandum sit, si cui nec dum planè videbor priscum illum medicinæ splendorem, ac synceram minimèque fucatam speciem expressisse. Quibus enim hoc in mentem venerit, plura adhuc in hac mea disputatione, ac perfectiora desiderari: præsertim si quis aliquando extiterit, qui huius libelli quibusdam quasi stimulis incitatus, ingenio verò acriori præditus, maiorique huiusce facultatis cognitione instructus, plus etiam fortasse nactus otii totam hanc rem ita elaboret, atque ornet; vt nihil postea queat ab vllo, vel detrahi, vel mutari: illi eadem quoque, vt arbitror, mentis acie videbunt non tam esse id mihi, quàm rei ipsius difficultati, magnitudinique tribuendum. Me igitur ab omnibus aliquam spero gratiam initurum, qui me id conatum esse intelligent, quod mortalibus putaui non mediocriter profuturum. Vale.



AD SEBASTIANVM PAPARELLAM MEDICVM EXCELLENTISSIMVM,

BERARDELLI CARMINA.





Vas ad neruos Paparella laudes
Caue testudinis aptare volens
Mihi pulchricomus subito Apollo
Chordas corripuit leueis sonoras;
Aquasne datonait, Mali profundo;
Huic nos herbarum dedimus secréta,
Et manus medicas; seu sint leuandi
Poculis morbi graues & latentes,
Seu victu tenui, aut fricatione
Plectro unde parcas, mollibusque modis,
Et laudes tace Paparellae magni.

EIVSDEM IN LIBELLVM.



Salve culte venustule Libelle
Et ore docto, facilique lingua,
Dic cur veloceis procul hinc, & inde
Pennas non tollis? & sub ora Vulgi
Non venis? tu es elegans, argutus,
Et es salsior omni sale salso,
Et es dulcior omni melle dulci,
Te tota Italia colet honore,
Te Gallus, Sarmatae, Iber bellicosus,
Et vltimus mirobitur Britannus.
Sed audi: Meuiosque, Bauiosque
Effuge, his monstra rabiem furentem;
Vola ad candidos Viros, & disertos,
Et bonos; dilige hos, cole, foueque,
Ergo eia, celereis age volatus;
Sic salue culte, & venuste Libelle.

EIVSDEM AD AVCTOREM.



Paparelle, cui mille salus Dea
Herbas colligit medicas potentes,
Quas primo Vere Zeffirus fert tepens,
Et cui omniparens, potens natura
Mille salubreis dat habere succos;
Dic, quis hunc tibi lepidum Libellum
Pumice cauo ornatum, minioque
Dictauit? Aesculapius? an Apollo?
Nam est tam doctus, elegans, argutus,
Vt scriptus videatur saeculo illo
Hippocratis, atque ob Hippocrate ipso;
Nec certe minus diu tuus Libellus
Viuet, quàm libri Hippocratis. Perge ergó
Disertißime Paparelle, & orna,
Tuis aureis, lucidis Libellis
Saeculum hoc ferreum, & tenebricosum.

FRANCISCVS BENCIVS, E SOCIETATE IESV AVCTORI.




Audatur quicunque malum prænouit, & illud
Vt noscas certa, qui ratione facit.
Laudatur multo ille magis, qui consulit aptè,
Declines certa qua ratione malum.
Sed quo, quodque modo fugiasque, sciasque periclum,
Qui docet, hunc illis plus celebrare decet.
Cùm morbos igitur doceas nosse, atque cauere,
Quænam debetur laus PAPARELLA *tibi?*


ACHATIS TRANSII AMATRICII
AD LECTORES HORTATORIVM CARMEN.



Vt vigili studio naturæ arcana requirunt,
Quæ senibus nostris clausa fuere diu;
Qui medicam methodum cupiunt addiscere rectam,
Huc veniant; nanque hoc omnia donat opus:
Nam quæ immersa fuit tenebris ars ipsa medendi,
Ad sua deducta hic nunc elementa iacet.
Quæ clausis verbis retulit Galenus vbique,
Hic sunt cuncta suis, reddita clara locis.
Vos precor, hic cupidis animis attendite vestris,
Firmiter hæc tuta mente retenta sient.
Gloria si chara est, auidos si optatis honores,
Credite quòd fœlix hinc referetur honos.
Si quid opis petitis; per parua hic mole libellus,
Suppetias vobis, præsidiumque feret.



TRACTATVS PRIMVS DE NATVRALI, ATQVE VITALI INDICATIONE, QVAE VITAM SERVARE DOCET.



METHODVS MEDENDI QVID SIT, quid indicatio curatiua, quodque operis propositum. Cap. I.



ETHODVS medendi via est artificiosa, & certa; quæ morbos curare docet, & cuncta, quæ ad eorundem curationem spectant, ex arte explicat: Hanc verò, & Diuisiuam, & Resolutiuam, & Definitiuam, & Demonstratiuam esse satis ex Medicorum scriptis, ac libris constat. Vnaquæque enim harum in rei medicæ explicatione id agit; vt affectum præter naturam, & vt naturalium, non naturaliumque rerum formas omnes dignoscamus; atque vt diætę, remedijque species cunctas assequamur, necnon vt eorundem rectam administrationem habeamus; quæ omnia ad morborum curationem pertinent. Indicatio verò curatiua, & si via methodusque minime dicatur; illius tamen existit instrumentum, quod & præsidium, & eius idoneum vsum clarè demonstrat; & ob eius dignitatem, & excellentiam methodi perfectio, & absolutio dicitur; quandoquidem eius opera medendi finē attingit, & curationem prorsus perficit. Methodus itaq; medendi diuisione, resolutione, & finitione, necnon demōstratione res medicinæ subiectas pertractat, & explicat. Indicationa verò, vt aptissimo instrumento illas perficit, & absoluit. Diuisio nanque artificiosa, certaque via dicitur; quæ sicut artificiosè morbum, tanquàm summum genus, in suas singulas diuidit species, & similiter naturales, non naturalesque res; sic & diætam, & remedium, (totius artis medicæ materiam) vt commune genus in singulares remedij diætæque species distinguit; hecque ad auxiliorum plurimum facit inuentionem. Resolutio verò, & ipsa quoque artificiosa dicitur via; nam morbum, & naturales, & non naturales res, sicut effectus in suas proximas, antecedentes, vltimasq; resoluit caussas, tam materiales, quàm efficientes; remedium item, & diaetam, vt infima genera, & ex suis elementis composita in illa membratim resoluit; indeque rectum administrandi modum consequimur. Definitio autem, ac Demonstratio pariter artificiosæ viæ dicuntur ad dignoscendum quid est; an est; quia est; propter quid est; in ignotis quæsitis, & simplicibus, & compositis; quæ in rebus præter naturam, naturalibus, non naturalibusq;, necnon diæta, & remedio cōtingunt. Vbi verò hæc singula per suam methodum nota fuerint, tunc præter naturam cogniti affectus ex natura propriæ cognitionis suas edunt indicationes, vtilia demonstrando ad illorum remotionem; naturales etiam, & non naturales res, vbi & ipsæ notæ fuerint; naturales sui conseruationem; non naturales, si naturalium fautrices extiterint, conseruationem; sin aduersæ, & inimicæ sui remotionem declarant; & hæc ipsa aptissimè fiunt per indicationem methodi medendi aptissimum instrumentum; quod ex natura cognita cuiusq; morbi, morbumque creantis caussæ, vtile demonstrat auxilium, vtilemque explicat diętam, atque eorundem rectum administrandi modum declarat. Ex quatuor itaque illis vijs, definitione, demonstratione, diuisione, & resolutione, ad quas compositio reuocatur, Ars medendi artificiosè cunctas res medicas aggreditur, rectéq; cognoscit: per indicationem verò harum absolutionem, & finem assequitur: & hac de caussa fortasse Galenus lib. 1. meth. medendi cap. 5. & 2. meth. cap. 5. & 12. scriptum reliquit: Methodi medendi principium, & radicem esse affectuum corporum cognitionem, qualis scilicet is natura sit; quæ quidem per quatuor artificiosas superiores vias commodè habetur.

betur. Huius verò propositum, & finis est: ægrotantia corpora valetudini restituere; quod facile obtinetur per præsidia ab indicationibus desumpta. Illud idem 3. meth. cap. primo asseruit, dum scripsit: Si igitur Hiero indicatio, quæ ab ipsa rei natura primum oritur, &c. Huius itaque methodi munus erit: ea perquirere, quæ ad morborum curationem spectant, certamque eorundem sanationem docent; vt scilicet morbi cuiusque forma ritè cognoscatur; eiusdemque caussę omnes & proximæ, & remotæ, simul cum naturalibus, non naturalibusque rebus rectè explicentur; necnon vt diætæ, remedijque species cunctæ innotescant: ac tandem vt vtile præsidium, eiusdemque idonea administratio apertè per indicationem demonstretur: quod quidem facile, perbelleque assequimur per circunstantias quatuor salutarem medicationem definientes, à Galeno in principio libri ad Glauc. descriptas, qualitatem scilicet, quantitatem, modum, ac tempus. Hæc etenim vt ad distinctam, & certam affectuum præter naturam cognitionem faciunt; ita distinctas, ac certas edunt indicationes, certa remedia ostendentes, atque eorundem idoneum vsum apertè docētes. Et hæc ipsa sunt, quæ meth. medendi finem perficiunt, sicut ibidem Gal. testatur, dum ait: Hæc autem methodus perficitur, qualitate, & quantitate singulorum auxiliorum, necnon & modo eorum vsus, & temporis occasione; quæ præ omnibus est cognitu difficillima. Diuisiua itaque resolutiuaque methodus suis diuisis, resolutisque rebus, quæ indicantes res sunt, vt perfectæ omnique culpa vacantes indicationes efficiant, quatuor supradictas circunstantias sibi adiungi volunt.

Operis propositum est: diuisiua methodo exponere, vt naturales, non naturales, præternaturalesq; res, suas faciant indicationes conseruatrices, & curatrices; & vt diętę, remedijq; species cunctæ, atque eorundem idonei vsus ex suis indicātibus se se ostendant; quibus & morbus, & affectus omnes pręter naturam tolluntur; & pristina reuocatur sanitas. Illud quoq; propositū est indicationem omnem tam conseruatiuam, quàm curatiuam cum omnibus suis circunstantijs explanare. Res sanè à nostræ ætatis hominibus summopere desiderata, à senioribus vbique, ac semper commendata, quæ nimirum quantum difficultatis habet ad explicandum, tantū etiam vtilitatis pollicetur ad ægrorum corpora tuenda, atque sananda. Idque ipsum diuisiua (vt diximus) methodo experiemur, reliquis non neglectis, quæ pro varietate theorematum, & quæstionum Medico paratæ singulæ, & expeditæ esse debent.

Curatiuæ Indicationis origo, primaque principia. Cap. II.



INDICATIONES, quæ medicam materiam, victum inquam, ac remedium, eorundemque congruentem vsum in curandis morbis Medicos docent, à tribus oriuntur principijs; à naturalibus rebus ab affectibus præter naturam; atque ab ijs, quæ necessariò corpus nostrum alterant. Naturales autem res sui custodiam monstrantes conseruatricem indicationem pariunt; affectus pręter naturam sui remotionem ostendentes curatrices indicationes edunt. Res necessariò nos alterantes, non naturales aliter dictę, si naturalibus rebus commodę fuerint, sui custodiam, conseruatricemq; indicationem præstant; si aduersæ, & incommodæ, sui remotionem, & curatricem indicationem faciunt. Res autē naturales dicimus, quæ ad vitam, vsum, actionemúe aliquam cum primis requiruntur; vt sunt similarium partium temperamentum, instrumentorum fabricatio, roburque virium; atque horum asseclæ, Consuetudo, ætas, sexus, habitus corporis, & huius generis reliqua. Affectus verò præter naturam nominamus morbum, eiusdemque caussas omnes, & symptomata. Per ea verò, quæ necessariò nos alterant, intelligimus quæ animantis corpus necessariò permutant, vt præcipuè ambientem aerem, tempus anni, locum, regionem: hæc enim sunt quæ curatiuas indicationes omnes expromunt, finiunt, augent, ac minuunt. Res nempe secundum naturam, ac præter naturam, & ambiens aer cum suis circunstantijs ipsas definientibus res & scopi indicantes à Iunioribus appellantur: scopum nanque etsi Medici pro fine amato, & desiderato ferè sumunt; pro efficiente tamen caussa finemqua satagente sæpe quoque vsurpant. Victus verò, ac remedia, eorundemque administrandorum debiti modi, res, & scopi indicati ab eisdem dicuntur, motio, propensioque naturalis, præternaturalisque rei ad bonum, atque iuuantis comprehensio, horū scoporum indicantium indicatio, monstratioque appallantur. Primum equidem naturalium, mox præternaturalium omnium, necnon etiam non naturalium rerum indicationem explicabimus, vnà cum indicatis, indicantibusq; scopis, suisque differentijs omnibus; & quæ ad hæc spectant, difficultates cunctas tollemus: deinde coindicantes, contraindicantesq; scopos ipsos vniuerse describemus.

Rei natura-

Rei naturaliter indicantis, atque eius indicationis explicatio. Cap. III.

INDICANTIS igitur rei, ex qua indicationis quoque eius existit definitio, hac perbreui oratione, vis, ac natura circũscribi posset. Res indicans est Natura, forma scilicet sua propensione agens, & mouens, quid ipsa consequi capiat declarans: Quod autem consequi natura cupit, est bonum; quod duobus obtinetur modis, aut per boni consequutionem, aut per mali declinationem: Agens nanque omne cum ad agendum incitatur, ita incitatur, vt aliquid velit consequi, vel declinare: nam aut à bono, aut à malo mouetur obiecto; si à bono, tunc consequi illud cupit; si à malo, fugere illud exoptat. Ideo inquiunt rem indicantem esse Naturam cum propensione agentem, bonum appetentem, & insequentem; malum odio habentem, ac fugientem. Et quia bonum est salutare, ac iuuans, ac proinde appetendum; malum verò insalubre, ac noxium, ac propterea euitandum: ob eam rem aiunt rem indicantem esse naturam cum impetu operantem, iuuantem, ac salutare insequentem, insalubre, ac noxium euitantem. Cùm igitur res indicans sit natura sua propensione agens, & demonstrans, quid assequi cupiat; propterea & indicationem, quam eius actionem, motionemque facimus, sic appositè describemus. Indicatio est naturæ operatio, significans quid sequi, facereue illa velit. Neque enim naturæ operatio per se simpliciter sumpta, quæ præsentiam formæ operantis declarat, indicatio dicitur. Nec prout perfecta, imperfectaque est; quæ perfectum, vel vitiatum eius habitum demonstrat, & symptomatis ratione habet; quod ad docendum indicationem penitus ignauum iudicatur: sed quatenus ipsa ab impulsu naturæ, seu ab agente appetente proficiscitur ad bonum, appetibilemque finem ordinata, & directa, terminataque; sic indicationis nomen sibi vendicat. Cùm autem operatio spectatur coniuncta cum appetitu, & naturali inclinatione agentis, finem vtilem conspiciens, & insequens, tunc rectè dici potest argumentum esse, & nota alicuius rei consequendæ. Et quoniam quod natura consequitur, vti diximus, dupliciter nanciscitur, aut per mali fugam, aut per boni assequutionem; idcirco & ipsa operatio, quæ indicatio dicitur, signum semper erit alicuius boni assequendi, seu mali fugiendi. Quare & illud aiunt: Indicationem esse boni consequendi, maliue fugiendi significationem. Progressio enim naturæ ad bonum, & fuga à malo argumẽtum facit hoc euitandum, illud amplexandum esse. Et quia bonum, quod percipitur, est iuuans, malum verò, quod euitatur, noxium; adeo rursus aiunt: Indicatio est rei iuuantis, nocentisque demonstratio. Motio itaque naturæ ad id quod prodest, & recessus ab eo, quod obest, adiuuantia lædentiaque naturam ostendit. Has verò descriptiones simul coniungentes dicimus. Indicatio est naturæ agitatio insinuans malum sibi obesse, bonum verò prodesse; hoc persequens, illud fugiens. Indicationem itaque, & boni iuuantis inquirendi, & mali nocentis euitandi repræsentationem, significationemque æquè nominamus. Quare operatio, quæ à natura appetente editur, iuuans appetibile conspiciens, & insequens, ipsa inquam sola pro indicatione à Medicis vsurpatur. Hanc autem indicationem primò in duas distribuimus partes; in naturalem vnam extra animam, cunctis communem; quam realem, & externam poterimus dicere: Intentionalem, spiritualemúe alteram; quæ duntaxat reperitur in esse cognito in anima; quam internam, & mente concœptam nominabimus. Primam itaque realem externam indicationem, quam rei naturaliter indicantis agitationem, motionemque diximus esse, Gal. 2. meth. cap. 7. ita definiuit. Dicimus indicationem tanquàm emphasim eius, quod sequitur; id est indicationem nominamus expressionem, insinuationemq; eius, quod sequi cupit natura; vel si mauis naturę operationem insinuantem, repręsentantemúe quid illa sequi, facereque optet. Est nanque emphasis figura quædam, qua latens aliquid ex aliquo dicto eruitur: propterea quòd subest in verbis tacita significatio, vnde latens innotescit. Consimiliter in naturæ agitatione, & motione (quam indicationem nuncupamus) inest tacita quædam ostensio, & explicatio; qua efficaciter exprimitur, quid illa consequi cupiat. Et quamuis quod consequimur, & per boni adeptionem, & mali euitationem consequamur: nihilominus & qui malum vitat, bonum etiam insequi dicitur. Proinde antiquiores breuitati indulgentes, & rem indicantem, & indicationem per simplicem rei consequutionem, desideriumúe consequendi explicarunt. Nos autem ad maiorem declarationem, & pro bono consequendo, & malo declinando res ipsas explicauimus. Et quoniam dictum à nobis est: naturæ operationem eatenus indicationem appellari, quatenus ab ipsa natura appetente proficiscitur, iuuans, vtileque semper prosequentem; ideo rectè illud quoque affirmamus: Naturas omnes indicantes cum appetitu naturali, seu animali coniunctas, semper cum boni, vtilisque appetitione agere, indicationesque parere. Naturæ nanque rerum sensus expertes impetu

naturali agentes suis motionibus innuunt iuuantia hæc assequenda; nocentia illa declinanda: sensu autem præditæ naturæ sensuum actionibus testantur, hęc vt mala, deuitanda, illa vt bona, recipienda. Has verò naturas omnes indicationum productrices, & sensu præditas, & sensus expertes animantibus cunctis insitas innatasque esse, Cicero in lib. de off. his verbis expressit. Principio generi animantium omni est à natura tributum; vt se, vitam, corpusque tueatur; declinetque ea, quæ nocitura videantur; quęque sint ad viuendum necessaria, inquirat, & paret; vt pastum, latibula, & alia eiusdem generis. Idem docuit Gal. de opt. sect. ad Thrasyb. dum scripsit:
" c. 10. Hanc enim ob caussam & animantia ratione carentia æstum, algorem, simulq; omnia noce
" re valentia, quoad eius fieri potest, vitare conantur simul, videlicet eo quòd iuuat se se offerente.

At longè Arist. id planius, atque subtilius persecutus est in 3. de anima: nam in tex. 60. est his verbis. Animal autem necesse est sensum habere, si nihil frustra facit natura: omnia enim quę natura fiunt, propter aliquid sunt, aut casus sunt eorum, quæ sunt propter aliquid. Si igitur omne progressiuum corpus non habeat sensum, corrumpetur vtique, & ad finē non perueniet, qui est naturæ opus. Et nimirum de sensu tactus loquitur Philosophus: hęc enim eius verba sunt in tex. 63. Necesse est & animalis corpus tactiuum esse, si debeat conseruari animal. Alij enim sensus per alia sentiunt, vt olfactus, visus, auditus; tangens autem nisi habeat sensum, non poterit hæc quidem fugere, illa autem accipere: si verò hoc, impossibile est saluari animal. & in tex. 68. ostendit tactum esse necessarium animali, vt sit; reliquos verò sensus, vt bene sit. Vult ergo Philosophus sensum tactus datum esse animali; vt per ipsum conseruetur, ad suumque perueniat finem, bonum sequens; malumque fugiens. Tactricem nanque facultatem eorum quæ iuuant, & nocent iudicem facit. Tactrix itaque virtus, quæ natura à Medicis dicitur, est prima animanti indita potestas, vniuersoque corpori communicata; vt quid bonum, malumúe illi sit, cognoscat; hoc vt vitetur, illud vt appetatur, & inquiratur: quod enim iuuat, primò cognoscit, tum quod nocet postea deprehendit. Animantia autem, quorum particulæ aliquæ sensus participes sunt, aliquæ verò minimè; duplici modo iuuantia, ac nocentia indicare asseruntur. Primò quæ particulæ sensus expertes propensæ ad agendum, & mouendum sunt, hæ actione, motioneque tantum indicant: Vnde earundem motio, & actio, simplex & pura denominatur indicatio: At quæ sensu præditæ particulæ sunt, bonum, malumúe indicare dicuntur sensatione, & motione sensationem concomitante. Quare & sensatio, & motio ipsam consequens vtraq; sine discrimine indicatio nuncupatur. At sensatio quodammodo cognitiua dici potest, quando & cognoscendo ipsa indicat. Vtranque autem harum indicationum, & quæ à vi tangendi, & quæ à nuda proficiscitur natura, complexus est Gal. in definitione, quā scripsit: Hanc enim eius quod sequitur, indicationem dicimus tanquàm emphasim.

De indicante interno, internaque indicatione. Cap. IIII.



EST & altera rei indicantis, & indicationis species; quæ à mente ortum habet, quamq; internam nuncupamus: inde & internum indicans, internaque denominatur indicatio. Internum itaque indicans est ipsamet rei naturaliter indicans, idest natura sua propensione agens, & mouens, à qua naturalis oritur indicatio mente intellectaque perceptas, quæ quidem natura cum in anima tantum in esse cognito reperiatur, internum nuncupatur indicans: atque ex hoc etiam interna indicatio ortum ducit. Internū itaque indicans erit cognitio, perceptioque formæ naturaliter agentis, & mouentis sua propensione bonum iuuans assequendum innuentis. Ex hoc igitur interno indicante internam haurientes indicationem sic eam per animi conceptionem describemus. Indicatio est rei iuuantis consequendæ cognitio, ex natura rei indicantis cōparata: comprehensa namq; ab intellectu rei indicātis forma cum impetu agente, & operante, suumq; finem insequēte, bonum scilicet vtile, & iuuans; illico comprehenditur quid ipsa agere, quidque sequi cupiat; & quid eidem vtile, inutileque sit: hocque comprehenditur, & sub ratione amati, & desiderati, & sub ratione conuenientiæ, & similitudinis. Sua nanque agitatione forma finem vt amatum declarat: vt verò iuuans, & vtilis existit, similitudinis, conuenientiæque gratia illum apprehendit; quando ea prosunt, & iuuant, quæ congrua, similiaque sunt. Recipit & extrema definitionis pars indicationis internæ (quæ fuit scilicet ex natura rei indicantis comparata) aliā interpretationem; videlicet. Comprehensa motione, actioneúe naturę ad bonum, appetibilemq; finem directa, (quę motio & actio, & rei indicantis natura dicitur) simul percipitur, quid illa insequi optet; & quid eidem vtile sit: forma nanque cum propensione agens, & operans, atque eius actio, & operatio nomine naturæ comprehendūtur; forma quidem impetu actionis, & motionis, vt rei auctrix designat quid ipsa pro-

peret facere; & quid sit ei conducibile: operatio autem, & actio sicut nota, & signum denotat quid nam sit illud iuuans, quod natura assequi desiderat. Ac ideo bene Gal. 2. metho. cap. 7. dicebat. Facienda assequendaq; esse quasi in præcedēti aliquo designata: Rerum namq; naturæ, tum propensiones, tum motiones ad facienda, assequendaue, vt præcedentia principia dicuntur. Quare & in ipsis naturis, propensionibus inquā & operationibus, vti in præcedenti principio assequenda, faciendaúa sunt designata, vt in principio & ratione cognoscendi, & significandi. Rerum itaque principium naturaliter agens, & mouens ad finem ordinatum, est ratio cognoscendi, significandique suum finem, & ratione amati, vti diximus, & ratione conuenientiæ. Rationę amati, vt simpliciter finis est; Conuenientiæ verò gratia, vt iuuans dicitur: quando iuuantia eò iuuant, & prosunt; quia similia, cognataque existunt. Hoc autem significationis, cognitionisque principium per emphasim Gal. superius explicauit. Nos autem naturæ propensionem, inclinationemque ad suum finem directam nuncupamus. Erit naque ipsa rerum propensio, & inclinatio ratio, & caussa cognoscendi, significandique suum finem, & ratione amati, & desiderati; & conuenientiæ, & similitudinis: Quare cognita rerum propensione, vnde vis nostra cognoscendi, inferendique excitatur, statim quid prodest, quidue faciendum sit, sub vtraque ratione cognoscitur. Gal. autem libro de opt. sect. ad Thrasy. c. 11. hanc mente comprehensam iudicationem omnibus indicationibus communem, tum ijs, quæ sui custodiam, tum ijs, quæ sui ablationem indicant, quàm breuissimis verbis complexus est, dum scripsit. Indicatio est, quando rebus perceptis, & quod confert, vnà percipitur, absque ostensione, & obseruatione. Perceptio nanque rerum sua propensione agentium, & mouentium cùm sit ratio attestans, & significans suum finem, in caussa est, vt rebus ipsis perceptis, simul & quod iuuat percipiatur, tum gratia amati, tum conuenientiæ, vt supra retulimus. Et quoniam quod naturæ est vtile, & salutare, duobus modis ipsa consequitur, aut per iuuantis adeptionem, aut per nocentis declinationem; propterea & indicationem iterum definientes dixere: Indicatio est rei consequendæ, fugiendæue seu iuuantis, nocentisq; cognitio ex natura rei indicantis accepta. Cognita nanq; rei indicantis Natura, simul & quod iuuat, & nocet cognoscitur: in primis quod iuuat, tum verò quod nocet: siquidem eadem est contrariorum scientia; vnius per se, alterius per accidens; vt nono met. text. 9. testatur Philo. vbi ait: scientiam esse duorum contrariorum; vnius quidem per se, alterius non per se. Igitur per se primò quod naturæ confert, cognoscitur tanquàm familiare, atque conueniens: Deinde verò per accidens quod obest, tanquàm dissimile, atque contrarium percipitur. Neque erit fortasse à re ipsa alienum, si & prædictæ indicationis descriptionis à Gal. acceptæ explicationem alteram afferamus, dum dicitur: Indicatio est quando rebus perceptis simul & quod confert, percipitur. Cognitis nanque ijs, quæ & sui custodiam, & sui ablationem declarant, scilicet & virtute vitam præstante, & morbo mortem inferente, perceptis quoque bonis, malisque eorundem, & morbi, & virtutis operationibus; simul etiam & conuenientiæ, & contrarietatis ratione percipiuntur, quæ eis conferunt; videlicet & virtutis conseruatio per conueniens, & morbi ablatio per contrarium. Et quia conseruatio fit per victum, morbi verò remotio per remedium; ideo virtute & morbo simul cognitis, simul quoque cognoscuntur & victus conseruans, vt simile, & remedium morbum auferens, vt contrarium. Alij quidam codices in definitione indicationis vbi dicitur, perceptis, habent percipiendis, ad hunc modum: Indicatio est quando rebus percipiendis simul & cætera: per percipienda intelligit Gal. aut simpliciter naturas ipsas indicantes, aut ægrotantis corporis tum virtutem, tum morbum, hanc sui remotionem, illam sui custodiam dicentem: hæc etenim dum percipiuntur, simul & quod confert percipitur. Fuit additum in extremis verbis definitionis Gal. ad Thra. siue ratiocinio, & experientia: vt indicatio ab ipsis distinguatur, & separetur. Distinguitur autem indicatio ab obseruatione; propterea quòd indicator dum inuenit, quod vtile inutileqve est; & quid assequi, fugereue debet; solum rerum naturam perpendit, & indicat: obseruator verò rerum naturam non expendit; sed memoria factarum rerum, longoque vsu innititur, & quid eligendum, custodiendumue sit, experimento suadet. A ratiocinatione verò indicatio separatur; quoniam ratiocinator apertè per omnes caussas propinquas, & remotas argumentatur; quid bonum malumue sit; & à quo declinandum, & quid complectendum: atque id ipsum eidem licet ratiocinari ab effectibus, accidentibus, & proprietatibus, ac tandem ipsi expedit species omnes argumentationis exercere pro iuuantium, nocentiumque inuentione: Indicator autem solum rerum naturas; propensiones inquam, inclinationesque suum finem conspicientes contemplatur; per illasque tantum quid in præsentiarum agendum, vitandumue sit comprehendit: et si ratiocinari contingat, pro rebus eligendis, faciendisue breui admodum, & non expressa argumentatione vtitur; sic vtique concludunt, quòd ea sola iuuantis, nocentisque cognitio, quam per comprehensionem Naturæ indicantis

consequi-

consequimur, nomen indicationis meretur. Hæc etenim vt plurimum absque discursu est; nam statim rerum naturis cognitis, & quod eis prodest, & obest apprehenditur: & vno inspecto simul aliud inspicitur. Velut amante inspecto, mox rei amatæ potiundæ cupiditas, appetitusque cognoscitur. Vbi itidem primò auarus innotescit, illico eius commulandarum opum auiditas, sitisque conspicitur. Et luxatione articulorum à Medico cognita, illico indicatur reductionem ad propriam sedem sanitatem esse. Etsi enim quod confert, & nocet, & quod assequi, declinareue debemus, & ratiocinio, & experientia, & quauis alia Methodo inuenire, ad discereque possumus; nulli tamen harum cognitioni, & inuentioni indicationis nomen condonamus, cum per naturam indicantem non sic comparata: sed vnaquæque, vnde profecta est, à sua peculiari, germanaque methodo denominabitur. Concludimus tandem, quòd indicatio interna est rerum agendarum cognitio, acquisita per rerum indicantium comprehensionem, quæ tum prima, tum secunda mentis operatione parari potest penès varias rerum indicantium naturas, ac earundem latentes vires, & affectiones; quæ varietas, ac diuersitas variam, ac diuersum cognoscendi modum parit. Atque hoc est in caussa, quare indicatio hæc prima, illa verò secunda, seu mauis tertia intellectus operatione percipitur. Quamobrem & bene nos docuit Gal. in libro de opt. sect. ad Thrasybu. cap. 10. vbi ait. Quædam igitur proportio indicationi, cum euidentibus, & manifestis intercedit. & paulò superius. Quemadmodum igitur eorum, quæ sensui obijciuntur, aliqua per se ipsa percipiuntur, vt album, & atrum, nonnulla adhibita obseruatione; vt ea, quæ per notas dignoscuntur: ita & iuuantia quidem per indicationem patefiunt; simul enim cum indicantibus obuiam sunt, nulliusque cogitationis ope indigent: Alia aliquo discursu, & modica explicatione opus habent. Idem etiam in communibus animi conceptibus, & Theorematibus dicimus. Nam aliqua horum sunt, quæ nulla explicatione, probationeque indigent; quoniam statim perceptis terminis assentimus, alia verò aliqua egent delucidatione; id iumirum & in perceptis ex indicatione contingit. Nam aliqua statim cognoscuntur res natura proposita, perceptaque; aliqua breui facilique argumentatione capiuntur. Quoniam autem Gal. in libro de opt. sect. ad Thrasybu. cap. 8. ait. Siquidem Methodici ex sensui euidentibus quibusdam vtilia putant indicari: At rationales ab huiusmodi quidem minimè, sed ab occultis; nam cùm à caussis indicationes creari censeant, caussæ verò, vt caussæ sunt, sensui euidentes non sunt. Iam constat apud eos à sensui notis indicationem non fieri, ideo posset cuipiam videri sibimet contrarius, cum in 10. cap. eiusdem libri dicat; Quandam proportionem indicationi cum sensui, intellectuique manifestis intercidere. Huic responsum esse volumus, quòd in hoc 8. cap. Gal. contra Methodicos disputat; qui quidem affirmabant indicationes à scopis, rebusque indicantibus desumendas esse; quæ sensui notæ, manifestæque essent: At Gal. non ab his quidem sic manifestis tantam patet indicationes capi, sed ab occultis sensuique latentibus etiam, menti tamen, & intellectui notis discursu, rationeue aliqua perceptis: istudque comprobat auctoritate rationalium Medicorum indicationes capientium à caussis morbificis; quæ caussæ vt plurimum sensum latentes, occultæq; sunt. Lis itaque & controuersia ibidem contra Methodicos est non de indicatione, sed de indicantibus scopis, & ideo contradictio nulla in Gal. dictis. Nam quamuis indicantes scopi sensui occulti sunt, vbi demonstratione aliqua, aut quauis alia ratiocinatio clari, notique facti fuerint, illico eorundem indicatio suapte natura elucet, notaque fit, & si aliquantisper obscura fuerit, aperta, claraque redditur leui facilique tantum explicatione: nec noua amplius indigebit demonstratione, sic quippe Gal. à contradictione facilè vindicatur. Hæc de interna, ac mente concepta indicatione dicta sufficiant.

De Indicato simpliciter naturali. Cap. V.



NATVRAE itaque primò ac simpliciter indicatum est id, quod in primis faciendum, assequendumque demonstratur, vt vtile, ac iuuans: Hoc autem perpetuò ab indicante ostenditur duabus oppositis rationibus, aut sub ratione boni consequendi, aut sub ratione mali fugiendi; & horum vtrunque & vtilis, & iuuantis rationem semper habet, dispari tamen via: Nam bonum indicatum, ad quod assequendum indicans contendit, sui ipsius gratia per se primò expetitur, cùm sui præsentia aptum natum sit iuuare quocunque modo; & vt iuuans semper inquiritur: Indicatum autem fugiendum, contrarium scilicet & inimicum, quod odio prosequimur, malumque nominamus, est, quod facultatem nocendi, lædendique habet, istudque monstratur, vt ipsum euitetur, & boni iuuantis per accidens rationem habet, per mali scilicet carentiam, & priuationem. His addimus materiale bo-

num assequendum primò; & quod realiter est malum, declinandum: secundò naturæ indicantis indicatum esse, mente verò comprehensum, bonum assequendum interni indicantis indicatum primò, sicut malum intellectu perceptum fugiendum indicatum secundario eiusdem indicantis statuitur. Et propterea naturalis indicatio, quæ bona consequenda, & mala fugienda monstrat, vitam, naturamque seruare dicitur. Hactenus de indicato naturali, & indicante, atque de indicatione simpliciter, conuenienterque dicta sint.

De præcipuis differentijs indicationis naturalis, atque de ratione earum explicandarum. Cap. VI.

QVONIAM de primis indicationis generibus verba fecimus; reliquum est, vt nunc eiusdem species, & partes explicemus. Indicationis autem naturalis duplex est species; vna conseruatrix, quæ corporis æqualitatem, & temperamentum conseruat; in quam quidem speciem Medici correctionem, præseruationemque includunt: Curatrix altera nominatur; quæ corporis lapsum, inæqualitatemque emendat, ac sanitatem restituit. Cùm nanque duæ tantum sint primæ genericæ differentiæ animati corporis, quæ à Medico considerantur, illius constitutionem totam ex opposito diuidentes; vt in Comm. de Natura Huma. explicauimus, salubre inquam, & insalubre; sub quibus animal perpetuò quandiu viuit, & superstes existit, salubriter, insalubriterque degit: propterea status omnis, qui in nostrorum corporum natura reperitur, aut sui conseruationem, aut sui ablationem desiderabit; cùm duo hi tantum contrarij ponantur status. Neutralitatem verò, quam multi his tertiam speciem addunt, nos ad prædictas duas redigimus: Nam decidentiæ neutralitatem ad salubrem conditionem reducimus, conualescentiam verò ad insalubre pertinere asserimus. Duæ itaque tantum erunt corporis conditiones, duoque tantum status per se semper indicantes, aut conseruationem, aut curationem. Atque vnusquisque per se suam indicationem producit, salubris conseruatiuam, insalubris curatiuam. Est porrò naturalis, & salubris constitutio suapte natura nobis familiaris, & vtilis; quod autem tale est, seruare, tuerique cupimus, atque ideo quæ conseruandi vim habent, expostulat: status verò præter naturam insalubris, inimicus nobisque inutilis existit, qui ob id meritò sui ablationem indicabit. At conseruatrix nunc à nobis prætereatur: Proposueramus enim curatiuam antea indicationem exponere, eiusque differentias, & species explanare. Conseruatricem verò in alium locum & tempus reijciamus. De curatiua nunc tantum præcipiemus. Curatiuam autem indicationem, quæ medicam materiam omnem pro affectuum præter naturam sanatione demonstrat, magis etiam minutè Medici diuidunt, in curatiuam, quæ primum medicamenta, deinde alimenta declarat: atque in vitalem, quæ alimentum primò pro vitæ conseruatione, remedium secundo loco ostendit: atque hæc ipsa lata significatione conseruatrix dicitur; quando pro alimento vitam conseruat. Vitæ nempe custodia conseruantis & curantis Medici communis scopus existit. Absque enim vita neque seruari sanitas, neque curari morbus vsquam poterit. Primum itaque de animati corporis viribus primarijs scopis nutrimentum demonstrantibus pro vitæ custodia agemus: Deinde de morbis, morbique caussis remedium primò docentibus pro eorundem solutione sermonem faciemus: tum, vt differentiæ, quæ & vires, morbosque determinant; victus rationem, medicationemque rectam monstrent exponemus: postremo quemadmodum temperamentum, & ambiens aer curationem facilem, difficilemque reddant, explicabimus. His addimus, quòd nobis in huius rei explicatione propositum est, de vtili tantum indicatione, quæ vtilem diætam salutareque remedium demonstrat differere: de vtili verò indicatione, quæ aut morbum, aut particulam affectam ostendit, ne verbum quidem facere.

Qualiter in omni misto duplex sit temperamentum, ex substantijs elementorum vnum, ex qualitatibus alterum. Cap. VII.

DICIMVS itaque temperamentum apud Antiquiores Medicos duobus modis considerari, vno modo secundum substantiam corpoream, altero modo secundum qualitatem, accidentalemq; dispositionem. Penès substantiam corpoream mistum spectatur in substantiarum elementarium, quæ ex materia, & forma concretæ sunt, permistio-

permistione, temperatione, atque remisione: vnde & substantialis temperies existit. Sed quo
niam, quæ miscentur corporeæ substantiæ, primis quatnor qualitatibusque sunt prædiţæ: ne-
que euim corporeæ substantiæ absqne primis qualitatibus eernuntur: nequa qualitates primæ
absque composito corpore vsqnam sunt; quandoquidem accidentium esse sit in esse. Dum
itaque substantiæ corporeæ cum ad mistionem veniunt, simulque permiscentur, siue sint pri-
ma ipsa elementa, siue secundaria ex ipsis exorta, qualia sunt succi, & humores, ex quibus simi
lares partes primò cõficiuntur, tunc substantiales, accidentalesq; formæ quæ in corporea insunt
substantia, & ipsæ pariter permiscentur, & inuicem agentes, & patientes alterantur, refrin-
gunturque, præcipuè qualitates primæ, accidentales scilicet formæ, necnon substantiales quo-
que apud quosdam, licet apud alios inalteratè sic persistant. Nos enim vnà cum Gal. 2. de
facult. Natu. cap. 4. atque ex Hippocratis Aristotelisque sententia credimus; quòd, quæ miscen
tur, omnia per se tota misceantur: & quæ alterantur, omnia per se tota alterentur: & ideo ac-
cidentales, substantialesque formæ per se totæ omnes simul confusæ, & alteratæ vniantur, vnà-
que concrescant, & accidentales ad misti corporis accidentalem temperiem veniant; substan-
tiales verò ad eiusdem substantialem temperiem, formamque accedant. Porrò autem misti for-
ma, & temperies pariter vsurpari solet: quanquam forma; quoniam materiam format, & mi-
stum compositum corpus effingit: Temperies verò; quoniam ipsarum formarum simul permi-
starum vnionem, cognationemque firmam, stabilemqne significat, non ineptè nominabitur.
Hæc nempe ex substantialibus formis orta temperies longè firmior, stabiliorque existit, quàm
ea quæ ex qualitatibus procreara est, & non nisi ex multa, longaque alteratione in temperatura
facta dissoluitur: & dum indicationem parit, alimenti substantiam indicat; & eiusdem alimenti
substantiales differentias ostendit. De hoc quidem temperamento loquutus est Gal. lib. 1. de
element. cap. 9. vbi contra Philosophum dicit. Temperamentum ex quatuor primorum cor-
porum perfecta mistione constare, non ex qualitatibus solis permistis, vt Aristoteles existima-
uit, sed etiam ex corporeis substantijs inuicem coeuntibus; quę mistio crasis congrua ad obeun
das actiones efficitur. De hoc eodem temperamento in libro de Natu. Humana text. 11. ser-
monem habuit Hippocrates, dum dixit. Nisi calidum cum frigido, & siccum cum humido
medioeriter, mutuo, & æqualiter se habuerint; sed alterum alteri plurimum præualeat, nulla
vnquàm generatio fieri poterit. Hanc profectò crasim indicauit Philosophus in 2. libro de
Generatione, de mistione differens. Alexander verò cap. de mistione sic habet. Est itaque mi-
stio, & crasis in ijs, quæ suapte natura subsistere possunt, quare videntur denuo segregari pos-
se; quæ mista sunt, quoniam ex talibus constant. Quòd si nihil aliud præter substantiam sub-
sistere potest, substantiarum certè mistio erit, & crasis. Ex hac vtique substantiarum mistione,
& crasi, virtus, viresque corporis nascuntur; quæ rerum essentiæ à Medicis dicuntur; & ani-
mantis functiones cunctas exercent, de quibus infra statim suo loco dicetur. Consideratur alte-
ro modo à Medicis temperies penès differentias primarum contrariarum qualitatum ipsam
constituentium. Vt enim substantiales formæ substantialem crasim, sic accidentales acciden-
talem temperiem faciunt: at hæc à Medicis qualitas, dispositio, habitusúe nominatur: de qua
quidem Auic. prima fen. primi doc. 3. cap. 1. ita scriptum reliquit. Complexio est qualitas,
quæ ex actione ad inuicem, & passione contrariarum qualitatum in elementis inuentarum,
quorum partes ad tantam paruitatem redactæ sunt; vt cuiusque earum plurimum contingat,
plurimum alterius prouenit. Cùm enim ad inuicem agunt, & patiuntur suis virtutibus, acci-
dit ab earum summa qualitas in toto earum similis, quæ est complexio. Et de hac temperatura
loquitur Gal. lib. 1. de element. penè in extremo vbi ait. Temperaturam solis qualitatibus
agentibus vicissim, ac patientibus fieri Arist. existimauit. De hac quidem accidentali tempe-
rie ipse sermonem habet in lib. aph. 3. comm. 2. & 16. idem 5. aph. comm. 62. Temperaturę
sunt nouem, vna optima, octo vitiosæ, & 4. aph. comm. 39. Temperies naturalis est sanitas,
& lib. 2. de Naturalibus fac. cap. 8. Temperies, & intemperies contrariæ sunt, & se se mutuo
expellunt. Præterea temperies hæc, prout differentiam primarum qualitatum dicit, aut cali-
dam, aut frigidam, aut humidam, aut siccam, aut ex his aliquando compositam, morbificæ cau-
sæ rationem habet: præsertim dum concors, consentiensq; cum morbo, affectuq; præter natu-
ram ipsa extiterit; quod nec de viribus, nec de substantiali temperie contingit dicere. Idem
lib. 2. de Temperamentis cap. 4. Intemperies alia sanitatis, alia morbi est intemperies: Mor-
bi intemperies, quæ à media temperie longissimè abest: sanitatis, quæ paulum. Et lib. 1. de
Temperamentis cap. 3. qualitas aliqua in ipsa temperatura si exuperet, intemperies, si amplius,
morbus, si plurimum mors est, & lib. 5. de sani. tuenda. cap. 11. Intemperies, quæ inter sani-
tatis limites sunt emendandæ, nempe contrarijs si in otio sunt, similibus si in negotio. Et 11.
meth. cap. 3. vbi ait. Qualitatem verò ex ipsa temperie indicari: consimilis verò qualitas in
conserua-

conseruatiua; in curatiua verò indicatione contraria semper indicatur. Hæcque modo dicta accidentalis temperies facili, leuique negotio alteratur, & permutatur; & facili, leuique negotio pariter separatur, & ad pristinum restituitur statum. Sed de his hactenus.

Virtutem, quæ in animantis corpore residet, per totum corpus extensam, ac naturalem illam esse. Cap. VIII.

VIRTUS facultasue quæ in animantis corpore inest, quam Medici naturæ, temperieique nomina sæpius significant, est cuiusque rei bonum, & perfectio; quæ agendi, faciendique vim possidet. Ipsa etenim viuentis actiones, passionesque omnes exercet. Hæc profectò virtus, quæ animati corporis natura, substantialisque temperies dicitur, ex substantialibus elementorum formis conformata, vna in radice, essentiaque existit; sicut vnum est organicum corpus eius subiectum; atque protensa est per singulas corporis spermaticas partes, vt Gal. in libro primo Hippocratis de morbis vulg. comm. 2. aph. 46. clarè testatur. In libro autem primo de naturali facul. cap. 12. hanc ipsam naturam singulis corporis partibus insitam, ac quatuor facultatibus præditam esse pro viuentis corporis custodia affirmauit, & cap. 13. eiusdem libri hanc eandem sententiam repetens ex Hipp. mente his verbis loquitur. Atque Hippocrates quidem omnium quos nouimus Medicorum Philosophorumque primus, vt qui primus naturæ opera norit, hanc semper tum admiratur, tum prædicat; quam & iustam nominat, & solam animalibus ad omnia sufficere dicit; ipsamque per se sine doctore, quæ opus sunt, agere. Talis autem cum sit, statim eam facultates habere proposuit; Vnam, qua sibi conueniens attrahat, alteram, qua alienum à se segreget, ipsamque præterea, tum nutrire animalia, tum augere; Iam morbos quoque finire, iudicareque ijsdem facultatibus existimat. Ideoque in corporibus nostris vnum conspiratum, confluxumque esse, ac omnia inter se mutuo affici. Consimilem ferè sententiam legere potes apud eundem auctorem lib. 8. de Comp. med. secund. loc. cap. 5. & lib. 9. eiusdem cap. 2. Hanc quippe naturam Gal. vnà cum Hipp. vbique ferè locorum temperiem ex substantialibus elementorum formis conformatam tradidit esse. Hipp. verò in lib. de Natura Hum. text. 25. sic scriptum reliquit. Ea est (temperies scilicet quatuor elementorum) tum animantium, tam cæterarum omnium rerum natura; ibidemque in comm. Gal. Hæc, inquit, est non hominis solum, verum etiam omnium aliorum natura, ex calido videlicet, frigido, sicco, & humido summis, atque simplicibus contemperata. Quæ enim in medio sunt, omnia ex ijs suum temperamentum consequutæ sunt. De hac eadem natura, & temperie in libro 2. de Natura Hum. comm. 1. sermonem habuit; vbi dixit, formas videtur appellare corporum naturas; quarum essentiam demonstrauimus in quatuor temperationes elementorum positam esse. Et de hac eadem ipse intelligit libro 3. de Temp. cap. 4. vbi inquit: Sanè naturam cum dico, vniuersam substantiam, ac temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, significo, calido, frigido, humido & sicco. Et de eadem etiam libro primo de Elemen. cap. 9. scripsit. Rectè igitur Hippocrates non hominis tantum, sed & aliorum omnium naturam ex calido, frigido, humido, & sicco constare pronuntiauit. Hæc enim inuicem agunt manifestè, atque hæc actio non fit ex concretione, & secretione, sed ex ea, quæ est per totum substantiæ ipsorum passione, & alteratione. Hanc eandem sententiam de naturæ virtutisque essentia repetit libro primo de Simpl. medic. facult. cap. primo, quòd scilicet effectricium facultatum essentia, cum aliorum omnium, tum animantium ex calido, frigido, humido, & sicco, sit constituta. Istud idem in libro Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur cap. 3. & 7. ex Philos. sententia 2. libro de Partib. animalium cap. 1. probare nititur; Quòd essentia temperiei animati corporis, quæ à Philosophis multis forma, & anima nuncupatur, ex quatuor elementorum formis fit temperata. Istudque argumentatur ex tribus compositionis differentijs, quas Philosophus in animato corpore affirmat inesse; quarum prima est, quæ ex elementorum formis, ac eorundem corporea malè nascitur; vnde succi, humoresque animati corporis progignuntur. Altera ex humoribus & succis, vt subiecto, & ex eisdem elementorum formis magis elaboratis, vt forma, construitur; ex qua similares fiunt partes. Tertia, ac vltima compositio est dissimilarium partium; quæ ex similaribus ipsis, vt subiecto, & supradictis formis, plenissimè excultis, vt forma, conficitur; ex qua organica nascuntur membra. Ex his omnibus compositionis generibus nulla virtus, nullaque forma inde percipitur, præterquàm prima, ex primis quatuor ele-

mentorum formis temperata; quæ in humoribus, similaribusque partibus (vti diximus) melius progressa in dies semper seruatur. Proinde hæc natura, & virtus, illa verò forma, seu anima est nuncupata. Sic quippe ex Philosophi sententia Gal. ratiocinatur, animalium naturas, & virtutes, à Philosophis formas, animasq; dictas, ex primis quatuor elementorum formis fabricatas esse. Quod autem hæc eadem animantiũ natura, & forma vna sit vnitate subiecti corporis, atq; ad eiusdem extensionẽ per singulas partes extensa, demonstratur, & dicimus, quòd seminalis, menstrualisq; materia fabricando fœtui destinata in sua vna quantitate continua, & discreta est terminata, vt apta sit ad fœtum formandum, atq; ad eius magnitudinem, & incrementum assequendum. Hoc ipsum constitutum corpus sua tota materia limitatũ, & discretum vnum est, vnumq; dicitur. Atque hæc ipsa fœtus corporea moles, vndequaque per singulas partes à virtute formatrici temperatur, & perficitur, & virtutibus omnibus ad vitam necessarijs exornatur: vt in libro de formatione fœtus, & de semine à Galeno est tractatum. Quòd autem natura suis quatuor virtutibus prædita, extensaque ad corporis extensionem singulis partibus sit connata, secundo libro de Natural. facult. cap. 3. Gal. longa, pulchraque oratione narrat. Nisi enim à natura facultas quædam naturalis vnicuique instrumento statim ab initio sit tributa, durare animalia non poterunt, non modo tantum annorum, sed nec paucissimorum dierum numerum. Et paulò inferius: Siquidem neque viuere, neque durare vlli animalium vel breuissimo tempore fas erit, si tot in se particulas tanquàm dissidentes fortitum nulla facultate vtetur; nec quæ conueniens trahat, nec alienum secernat; nec id, quod nutrit, alteret. Mox paulò infra ibidem subdit: Quippe natura illa, quæ particulas effingit, & sensim adauget, omnino per eas totas est extensa: vique totas eas per totas non tantum extrinsecus fingat, nutriat, atque augeat. Demum subiungit: Nulla enim pars est, quæ ab illa non tangatur, aut operam eius, cultumúe effugiat. Hactenus ipse. Libro autem 3. de Natural. facultatibus. cap. 6. has quatuor naturales facultates singulis corporis partibus inesse, hac nos suadet ratione, omnibus scilicet propemodum animalis partibus inesse debere desiderium quoddam, ac veluti appetentiam conuenientis sibi qualitatis, auersionem autem quandam, & veluti odium alienæ. At dum expetunt attrahere eas, rationabiliter existimantur, dum auersantur, à se ipsis repellere: at verò si & appetentia quædam est, & attractio, erit profectò & fruitio aliqua; cùm nihil in rerum sit natura, quod propter ipsum (vt sic dicam) trahere, siue trahendi functionem trahat: immo vt eo, cuius per tractum sit compos, fruatur: atqui frui eo non licet, nisi retineat: iam hinc rursus retentrix vis necessariò genita esse probatur. Consimilis sententiæ fuit Gal. in innumerabilibus ferè locis, præsertim verò libro primo aph. comm. 2 2. quemadmodum & 4. de vsup. cap. 7. sed libro secundo de natural. facul. cap. 9. Omnia, quæ retulimus de temperies essentie ordinata ad corporis functiones exercendas apertissimè comprobet: vbi inquit: Porrò demonstrationes eorum, quæ vti scientiæ sunt ex ijs, quæ supra iam retulimus principijs, sumpsisse conueniet: veluti, quòd actio, passioque corporum inter se ex calido, frigido, humido, siccoque illis insint: tum quòd siue quis venas, siue iecur, siue arterias, siuè cor, siue ventriculum, siue aliam particulam vllam fungi, quecunque actione dicat: ineuitabili necessitate cogetur propter certam ex quatuor corporibus temperiem edi actionem ab illa fateri. Hæc eadem confirmauit libro primo de Natural. facul. cap. tertio: Ac mihi quidem, tam vena, quàm reliquarum particularum singulæ ob certam quandam temperiem, quam ex quatuor qualitatibus sunt nactæ hoc, vel illo modo. agere videntur. Et in libro primo de Præsagitione ex pulsibus cap. quarto, idem asserit; vbi in hunc modum scribit. Facultatis essentia in singularum partium commodo temperamento est posita. Nam tum demum suum quæque munus obit strenuè, vbi est temperatissima: contra malè fungitur, si intemperata est. Præterea in libro secundo eiusdem operis, cap. 8. Nihil, inquit, in illis commentarijs attulimus de facultatis essentia: neque enim prius hoc decretum quàm omnibus particularibus reperiissem consentiens pronuntiare fui ausus;

Nunc quando essentiam facultatum adducti sumus, nihil esse præter qualitatem temperamenti. Et quæ sequuntur. Per qualitatem verò temperiei substantialem temperiem ex substantialibus elementorum formis genitam intelligimus: atque hanc ipsam virtutem totius corporis regitiuam facimus.

Animantis virtutes vnas in fundamento esse, tres sua cuiusque propria perfectionis gratia statui.
Cap. IX.



VPERIORI capite substantialem temperiem per vniuersum corpus fusam à Galeni sensu interpretati sumus. Nunc ad ipsum ostensuri sumus, totum corpus in certas quasdam partes diuideuter. Has ergo partes tres præcipuas, solidas inquam, spiritus, ac carnosam substantiam ex eiusdem Galeni mente describemus: 11. enim meth. cap. primo docet ille naturam ex tribus his partibus compleri, nempe ex spiritus, & partium, quæ verè dicuntur solidæ, substantia, (quas alibi ex semine genitali conditas esse monstrauimus) & etiam ab ijs carnosa, quæ cuique particulæ est sua. Idem infra cap. 3. eiusdem libri repetit his verbis. Quoniam verò virium substantia, tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis completur: ex ijs, quæ similia sunt, moliri cuique suam custodiam conueniet. libro autem 12. cap. 5. non tres huiusce generis, sed duas tantum corporis recenset partes: scripsit enim his verbis. Sed cum essentia virium, quibus regitur corpus, tum in spiritu, tum in solidorum corporum temperamento consistat; hæc nobis & vbi integra sunt, seruari, & vbi corrupta, ad integrum reuocari omnino debent. Cæterum, vt Galenum à contradictione vindicemus, dicere debemus ipsam per solida hoc loco intelligere, substantiam consistentem; quæ tum spermaticam, tum carnosam complectitur: breuitati nanque studens satis esse putauit solidorum solummodo mentionem facere, quæ de spermatica carnosaque consistente substantia æquè dicuntur: firmum nempe, & stabile virtutis subiectum Medici faciunt, & non fluxile, & liquidum, qualis est humorum massa: & dum in libro de natura hominis text. 18. Hipp. massam humorum naturam nuncupauit, non simpliciter sic illam nominauit; sed dum inuicem bene se habent in debita qualitate, & quantitate; & vbi sint optimè permixti, & concreti, solidique facti; nam dum fluenter per corpus currunt, potius materiei, & pabuli ipsius naturæ, quàm naturæ nomen, sortiuntur. Hæc eadem natura, & temperies vniuersas corporis partes permeans, atque per substantiam spirituum, & per solidas seminales, carniformesque partes extensa propter tria officia, triaque functionum genera, quæ exercere debet, pro vsu vitæ animantium in principibus membris, corde scilicet, cerebro, & iecinore residet: à primo animantis ortu tres item perfectiones, tresque nouas agendi potentias est consequuta, & inde etiam tres varias nomenclaturas est adepta: vitalis enim, animalis, naturalisque virtus nuncupatur; quæ potentia, perfectione, modoque agendi differunt; & quælibet harum in propria sede, suoque principi membro prima est, & vnicuique harum pariter suus famulatus suaque organa iuncta sunt. Sic vtique substantialis viuentis corporis temperies vna est in fundamento temperiei; tres verò asseruntur suæ vniuscuiusque propriæ perfectionis, ac potentiæ gratia; quas vnaquæq; harum in principibus membris assequitur, vna cum nomenclatura. Contrariò etiam hæ tres virtutes, vitalis, animalis, & naturalis, vna insita, connataq; virtus nominatur; quatenus omnes ex substantialibus formis connascuntur, simulq; in essentiali temperie conueniunt; & vt infixa subsistunt radice. Quatenus verò has tres primas distinctas virtutes contemplamur ex suis perfectionibus, potentijs, nomenclaturisque adeptis, aliquid distinctum dicunt semper à natura, substantialiq; temperie; & sic illas Gal. 11. meth. cap. primo contemplatus est; dum ait. Ergo etiam supra ea, quæ indicationes præstare prius diximus, virtus vel sola ijs tribus substantijs, quas modo comprehendimus, simul enumeratur, additur, vel si temperies seorsum sit discreta in ipsa. Et has easdem tres primarias virtutes 9. meth. c. 10. Gal. conspiciens sic eas elegantissimè descripsit. Gubernant animal (vt in libris de Hipp. & Plat. dogmatis est monstratum) tres diuersi inter se generis facultates toti corpori ex suo quodam veluti fonte quæque distributa. Eas Plato animas vocat propriam cuiusque substantiam inueniens. Est enim earum quædam ad continendum animal necessaria, ac cum stirpibus communis; quæ iecur veluti pro fonte habet, canales verò ab hoc in totum corpus sparsos ipsas venas. Hanc seu appetitricem, seu naturalem, seu altricem voces, nihil interest, veluti nec si animam, aut facultatem. Altera est; quæ non modo vt stirpibus, aut vita præditis, sed etiam vt animalibus anima est insita, hæc sedem in corde habet, ipso quoque insiti caloris quodam ceu fonte. Ab hoc fonte canales arteriæ sunt: vocaturque hæc multis sanè nominibus: nam & facultas, siue virtus vitalis, & facultas, siue virtus animosa, & anima vitalis, & anima animosa dicitur. Tertia anima ratiocinatrix in cerebro domicilium habet: ea voluntarijs actionibus, vnà cum sensibus præsidet. Vtitur & hæc particulis quibusdam ceu canalibus, nempe ipsis neruis

,, sensum motumque per hos in totum animal transmittens. Ergo has facultates seruare ni-
,, hil planè est aliud, quàm vitam seruare: siquidem monstratum est qualibet earum amissa
,, necesse esse reliquas quoque vnà perire.

Bene autem hic concludit Galenus, quòd vna earum trium virtutum deperdita, reliquæ pariter simul pereunt: quando in fundamento naturalis essentiæ (vti retulimus) omnes simul conueniunt; & præter hanc essentialem vnionem simul quoque conueniunt in propria perfectione, & vitali, & naturali, & animali, siue hæc communicatio fit per spirituum concursum, siue per virtutis splendorem, eiusdemque radios vndique interna corporis irradiantes, vt in libro primo de symptomatum caussis cap. secundo habetur. Vtcunque conueniunt: semper tamen eorum conuentus certus existit pro vsu, vitaque animantium. Quare bene inquiunt: vna extincta, pariter omnes extingui. Quòd verò hæ tres primariæ virtutes, naturalis, vitalis, & animalis vna semper sint per animantium partes discurrendo facilè declaratur. In iecore, quod in hominis fabrica primum oritur ex Galeni sententia libro primo de format. fœtus, cap. 2. & 3. Insita à formatrice virtute naturalis facultas à propria iecinoris temperie eidem accommodata vigoratur, perficitur, & ad suum apicem peruenit, & simul cum ipsa semper adsunt vitalis; animalisque facultas à corde & cerebro eidem communicatæ. Similiter in corde naturalis eiusdem complantata facultas à propria visceris temperatura ad vitalem perfectionem promouetur: & vitalis euadit virtus in corde regiam vim habens; & vnà cum ipsa semper etiam adsunt naturalis à iecinore per venas, & animalis à cerebro per neruos participata; vnaque omnes in fortitudine virium conueniunt: idem de cerebro dicimus, quòd insita eiusdem naturalis facultas à propria cerebri temperatura magis perficitur, ac promouetur ad animalem excellentiorem facultatem; quæ in cerebri temperie sibi secunda & prospera, vt in propria resideat sede, & simul cum eo ibidem adsunt naturalis à iecinore, & vitalis à corde communicatæ: vnàque omnes in robore, & fortitudine euadunt. Istud idem asserimus de singulis animantis corporis partibus, ad quas venæ, arteriæ, & nerui perueniunt ad suas illuc deferendas virtutes, vt ibidem hæ omnes simul vniantur ad partium totius corporis perfectionem. Atque hæc perfectio à quibusdam actuosa virtus, à quibusdam regitiua totius, à nonnullis verò brutorum existimatiua anima dicitur. Istud vnum admonuisse placet, quòd hic & vbique locorum vbi nobis de substantiali temperie & hac perfectione sermo habendus erit; si quando animam illam nuncupabimus, in animalibus brutis tantum id verum esse intelligimus. De rationali autem hominum anima cum orthodoxa Sancta Romana Ecclesia firmiter tenemus eam incorruptibilem, rationis participem, Dei imaginem referentem, à Deo creatam, corporique infusam ad illud informandum, ac regendum: Quam eruditissimus Algazal sic descripsit. Anima est substantia existens per se; quæ nec est corpus, nec impressa corpori: & non perit pereunte corpore, sed remanet viuens in perpetuum sine dubio, siue tristis, siue læta. Illa autem verba non impressa corpori non in eam sententiam torquenda sunt; quòd non sit actus informatiuus corporis anima humana, sed quia non est in materia impressa, vt forma ex ea generata. Galeni autem sententiam de anima omni detestamur; quando de ea nusquam idem sentiat, sed varius, anceps, dubius semper loquatur: vt eius verba in lib. 7. de placi. Hippocratis, & Plato. cap. 7. testantur:

,, Veruntamen si de animæ substantia quoque est sententia proferenda: de duobus alterum
,, dicamus necesse est: vel ipsam esse fulgidum hoc, ac quasi æthereum corpus, (ad quod asse-
,, rendum, velint, nolint, consequutione eos cogente, descendent & Stoici, & Aristotelici) vel
,, ipsam corpoream quidem esse substantiam, vti tamen hoc corpore tanquam principali vehi-
,, culo. Consimilia libro secundo, de caussis sympt. cap. 5. repetit. Etenim animæ essen-
,, tiam in alia quapiam tractatione definire fortasse sit audacia. In hoc verò ope-
,, re non solum audacia, sed & superuacaneum. At quæcunque tan-
,, dem ipsa fuerit, è duobus alterum existimare oportet: aut
,, quòd ad omnes functiones vtitur sanguine & spiri-
,, tu, vt præcipuis instrumentis; præterea
,, suum alterum, tum vtriusque calorem;
,, aut quòd in ipsis consi-
,, stit. Hactenus
,, Galenus.

Naturalis, vitalis, animalisque facultas, vt conueniant, & differant: & quæcuiusque harum officia sint, declaratur. Cap. X.

NATVRALIS virtus, quæ vię originis prima in corpore existit, æquè dicitur de ea, quæ primum iecori est complantata; & de ea, quæ singulis particulis est connata; & vtraque harum ex elementorum humorumque formis temperatis sunt formatæ, licet iecinoris temperies ex magis expolitis sit confecta: vnde excellentius naturæ nomen & vim est consequuta; hæc quippe & naturalis facultas, naturalisque calor, atque facultatis naturalis organum communiter nuncupatur. Facultas enim dicitur prout formarum prædictarum temperies est, vim agendi obtinens; calor naturalis dicitur, quoniam calor in ipsa temperie præualet. Organum verò nominatur, quatenus est pars temperiei efficacissima, promptissimaque ad agendum. Peculiares autem facultates membrorum, quæ se ipsa regunt, naturaliter rudes, imbecillesque sunt, & malè se regere possunt, nisi noue à principe iecinoris facultate per venas communicata virtute continuè fouerentur. Naturalis namque facultas prima, ac domina cunctarum naturalium facultatum in iecinore principe membro, veluti in fonte insidet, ibidemque canales, venas scilicet ipsas, in toto corpore sparsas habet, vt commodè per eos suam altricem vim singulis impertiat membris. Huius itaque virtutis munus est sanguinem gignere, alimentum conficere, corpusque olere: atque superflua, inutiliaque cuncta è corpore expellere, opus à Medicis in morbis materialibus perpetuò desideratum. Isto enim opere materiæ morbosæ concoquuntur, morbi vincuntur, symptomata mitigantur, & sanitas amissa vendicatur. Meritò igitur istud cunctis aliarum virtutum muneribus præponitur, eiusdemque robur, & perseuerans constitutio præ cæteris desideratur in morbis. Hoc quippe Gal. voluisse credimus 11. meth. cap. 9. dum scripsit. Neque pulsus duntaxat vires ad eiusmodi agenda firmas requirimus, veluti nec eius facultatis, quæ voluntarium motum præstent, sed sicut est dictum ipsius potius concoctricis. Neque hæc repugnant ijs, quæ ab ipso 7. meth. cap. 13. scripta fuere. At verò iecinoris opus omnibus particulis pernecessarium est: non tamen adeo saltem perpetuam necessitatem habet, sicut ipsius cordis. In præsenti enim contextu confert Gal. iecinoris, cordisque opera inter se ea referens ad necessarias actiones vitæ: aitque iecinoris opus singulis particulis esse pernecessarium ad vsum necessitatemque vitæ, quemadmodum & cordis opus, & vtrunque horum continuatum, indeficiensque est opus: sed magis continuum perpetuumque est vitale: nam si continget aliquid horum per tempus intermittere, & deficere, longè periculosior est intermissio facultatis vitalis, quàm naturalis, & citius mors contingit ex vitalis, quàm naturalis defectione. Ac ideo dixit de iecore sermonem habens; Non tamen adeo saltem perpetuam necessitatem habet sicut ipsius cordis. In 11. autem meth. Gal. comparat has virtutes in vsu rei medicæ, idest materiei morbosæ, contra quam virtutes corporis agunt, vt è corpore expellantur: & in hoc genere primam in ordine facit virtutem naturalem; eiusque robur amat, & desiderat: propterea quòd immediatè materiam morbosam vincit, & è corpore extrudit: & sub hac ratione eius robur primo loco obseruet, non quærens, an aliunde illud habeat. In secundo autē ordine videtur ibidem collocare virtutem vitalem: quatenus remotè & non proximè agit, quam 7. meth. c. 13. primam, ac præcipuam facit: Maxima igitur, inquit, est cordis officij dignitas, atque ægrotantibus maximè omnium necessaria. Hæc quippe virtus, etsi longinquius, quàm naturalis, morbum, morbiq; causam conspiciat, nobilius tamen, atque excellentius, quàm illa operatur: nam, vt statim infra dicemus, ipsa est velut domina functionum omnium, quæ in animato corpore geruntur.

Ex eisdem elementorum, humorumq; formis temperatis ex quibus iecinoris, singularumq; corporis partium temperies, & virtutes sunt effectæ, ex eisdem, inquā, sed magis elaboratis cordis temperies, & vitalis virtus est fabricata longè præstantior, quàm naturalis superius dicta, viue scilicet luminoseq; flamma, quæ natiuo, alimentitioq; cordis humido nutritur, & perenni distensionis, contractionisq; motu agitata, sub obscura quadam cognitione prædita est: cuius esse est in continuo mouere, calefacere, lucere, trāspirare, nutriri, atq; affici: sicut enim ab ignis flamma, quæ huius, de qua loquimur, virtutis simulachrū est, motus, lumen, calefactio, ventilatio, ac nutritio nunquam seiungitur, sed vnà semper sunt; ita in vitali flamma, quæ ignis quædam propago est, hæmet functiones sub præstantiori dignitatis gradu detentæ, quæ nunquam separantur, sed simul semper visuntur, & vnà cum his coniunctas habēt passiones, affectusq; animæ. Vitalis autē flamma duplici motu ornata cōspicitur: primus, ac præcipuus est, quo ipsa perenni di-

latationis, contractionisque motu cor, & arterias semper exagitat, hoc quidem motu corporeas omnes motiones, & naturales, & animales regit, & moderatur; altero motu vitalis flamma cor exercet, quo varijs impellitur affectibus, & tristitia, & lętitia, & amore, & similibus perturbationibus; quibus cor per proprios villos agitatur. Distensiones, contractionisque cordis motus pulsatilis à Medicis nuncupatur; cœli motui assimilatur: est enim quodammodo circularis motus, qui est secundum pulsum, & tractum ab eodem ad idem: & est penè continuus, sed non qua continuitate continuus est cœlestis motus. At sicut motus, lumenque cœli mundanas res cunctas gubernat, & seruat; sic motus, lumenque cordis in animato corpore res omnes corporis custodit, & fouet. Vt enim ex ignea flamma scintillæ exiguæ, luminosaque corpuscula seipsa mouentia, semperque mobilia effluunt; sic è vitali flamma paruæ, lucidæque flammulæ vitales spiritus à Medicis nuncupatæ, seipsas mouentes, semperque mobiles emanant. Hæ instar magnæ, vitalisque flammæ, cuius sunt propagines calidæ, luminosæ semperque mobiles, nutritione ventilationeque perpetua egent. Hæ profectò à magna viuaci flamma in corde insidente, vt ab vberrimo, inexhaustoque fonte effluunt: & per arterias, tanquam per appositos canales ad vniuersum corpus transfunduntur. Essentiam itaque virtutis vitalis in vtrisque his, bene expurgatis, substantijs, in magna scilicet cordis vitali flamma, ac in exigua flammula spirituum vitalium, Medici reponunt. In magna quidem cordis flamma inest, vt in fonte, vndique riuulis circundato. In exiguis verò flammis, & spiritibus, vt in riuulis per corpus deductis, calidum, vitaleque lumen, huc, illucque deferentibus. Et propter hunc eundem vsum, quem per corpus exercent, organi, instrumentique nomen, apud Medicos, spiritus sunt adepti. Per hos vtique vitales spiritus virtus vitalis, cum animali, naturalique virtute vnitur; conspirantque omnes in actione vitæ: dum verò cerebrum adeunt, à cerebri temperatura magis excoluntur: & puriores, lucidioresque facti, animales euadunt spiritus, sensus, voluntarijque motus certissima instrumenta. Hi profectò disponunt membra ad animalem vim recipiendam, vt bene refert Auic. prima fen. primi doct. 6. cap. 4. vbi ait, „Per vitalem virtutem Medici intelligunt eam virtutem, quæ cùm in membris recepta fuerit, præparabit ea ad recipiendum virtutem sensus, & motus, & operationes vitæ. Hactenus ille. Quare bene notanta diximus, virtutem hanc vitalem sub obscura quadam cognitione prædictam esse, quandoquidem ad claram, apertamque cognitionem membra præparat. Contra verò animalis virtus, pro beneficio suscepto à communicatis spiritibus officium reponit, continenterque thoracem distendit, & contrahit, pro cordis, caloris ventilatione, & virtutis vitalis tutela. Dum verò ad iecur naturaliaque membra vitalis spiritus peruenit, eorundem rudem inchoatumque ad vitam calorem actuat, vegetat, efficacioremque ad sua munera peragenda reddit. Ex alia parte naturalis facultas sanguinem, & alimentum cordi per venas distribuit, vitali posita: & sic hæ duæ virtutes inter se pabulum præstant, tum sanguinem, tum spiritum, pro animantis vita seruanda. Fernelius lib. 5. suæ physiologiæ, cap. 16. sic perbellè virtutis vitalis essentiam descripsit. „Vis porrò ista vitalis totius animæ pars non est, quòd solitaria nusquam subsistat, quòdque illius ope nihil seorsum viuat; sed totius est animæ summa quædam facultas; quæ partes animæ perficit, tuetur, & quasi nexu coniungit. Sed vitalis facultatis munera persequamur.

Primum itaque virtutis vitalis munus est perenni, iugique pulsatione cor, & arterias agitare, viuumque corpus seruare; hac quidam pulsatione corporeæ motiones cunctæ, & naturales, quæ per villos, & animales, quæ per musculos fiunt, reguntur, & seruantur, hacque vna incolumi persistente incolumes omnes persistunt, & languida languescunt; vt & deficiente deficiunt: & hac fortassis ratione secundo de vict. acut. com. 47. dixit Gal. quòd velocissimè fiunt mortes, corde patiente; nam cùm virtus vitalis cæteras omnes mutuo complexu tueatur, ipsa cadente, omnes concidere necesse est, deinde affecto cerebro, propter respirationis vsum, tardissimè ab hepate prodeunt mortes, quando eius actio difficulter patiatur. Huius virtutis vitalis alterum munus est suo viuido, actuatoque calore, connatos vitales spiritus seruare, influentes perenniter gignere, per corpusque illos distribuere: vt vitalis calor in corpore seruetur, indiesque procreetur; ac vita singulis communicetur particulis. His tertium adiungitur munus, affectuum, passionumque cordis motiones, vnde eiusdem perturbationes cunctæ nascuntur, amor, odium, tristitia, lętitia, & huius generis reliqua, quæ in omni vita animal comitantur.

Ex his eisdem elementorum, humorumque formis mistis, & temperatis, ex quibus hepatis, cordisque temperies, ac naturalis, vitalisque virtus sunt effectæ, ex ijs eisdem, sed multo magis excultis, cerebri temperies animalisque facultas est fabricata; vitali, altricique facultati à prouida natura adiuncta, ad animantis constitutionem; vt animalis naturam, hactenus, vt

animal

animal est, absoluerет: hæc veluti genus se habet ad sensilem, & appetitricem facultatem, quam etiam impultricem nominant: vnà enim semper sunt sensius, & impultrix facultas in animalibus perfectis; nec vnquam separatur, & si diuersarum sint functionum principia. Sensus enim in animalibus cognitionis, & iudicij: appetitio verò impulsionis, & delationis est caussa: illa in passione, seu affectione quadam est; hæc contra potius agendi, & operandi facultatem habere videtur. Istudque animalis facultatis genus sensilem, impultricemque vim continens, in cerebro, vti tutissime arce, residet, & viget: ibidemque suas vires exercet; & inde per neruos, ceu funiculos idoneos, sensum, motumque in totum animal transmittit. Huic famulatur pulsatilis meningarum, quæ in cerebro sunt, facultas, quæ cordis pulsatilem motum imitantes, continuo dilatationis constrictionisque agitantur motu, pro animalium spirituum procreatione, atque eorundem in corpus distributione. Huius itaque facultatis officium erit sentire, idest cognoscere, & indicare, atque appetere corpusque mouere ad rem appetitam consequendam; & vnà cum his, thoracem semper distendere, & contrahere, pro vitalium spirituum refrigeratione, vt cordi penè par reddatur officium. Hæ autem virtutes omnes, & naturales, & vitales, & animales, in suis principibus membris, iecinore, corde, & cerebro, ac eorundem propaginibus, ac surculis, venis, arterijs, & neruis, vt in subiecto, continentur. In reliquis verò corporis particulis virtualiter, & secundum eorundem munera, & opera tantum, insunt.

De Indicationibus, quas corporea prima animati corporis partes cum temperamentis edunt. Cap. XI.



GALENVS libro 11. meth. c. 1. & 3. tres constitutrices primas animati corporis partes recenset, solidas, seu spermatices, carnosas, ac spirituum substantiam. Et hæ quidem singulæ propriam, pro eorũ natura, tum qualitatem habent, tum quantitatem. Qualitas ex congrua temperie humidi, sicci, calidi, & frigidi consistit. Quæ quidem temperies aut antiqua, originalisque est; aut acquisititia, & noua. Quantitas verò solidarum partium par semper manet, ijs quidem, qui adhuc augentur, numero dumtaxat: ijs verò, qui absoluti iam sunt, nec amplius crescunt, etiam magnitudine: cum eorum quantitas iam consistat. Carnosæ verò substantiæ magnitudo variatur, etiam si præterea non augeatur animans; item spiritus substantiæ quolibet momento, tum minor, tum maior conspicitur. Hæ igitur tres tantum partes erunt naturaliter indicantes, quæ vitales cõseruatrices indicationes pariunt, & vbique locorum indicant eorundem permanentiam & conseruationem, sub quocunque statu salubri aut insalubri corporis. Vitalis nempe, conseruatrixue indicatio dicitur, quoniam indicat cibum, & potum, quæ vitam suapte natura conseruant. Vitam verò conseruare est, virtutes ipsas, & sua fundamenta seruare, iuxta Gal. sententiam 9. meth. 13. Vires itaque præcipuè seruantur ex custodia trium prædictarum partium, corpus constituentium. Indicabunt igitur prænominatæ tres constitutrices animantis partes sui custodiam semper, sub quocunque statu, tam salubri, quàm insalubri, sub statu nempe salubri, dum animatum corpus sua antiqua fruitur salubritate, hæ partes ea, quæ sibi ipsis similia in qualitate, familiaritateque substantiæ sunt, indicant; similia autem, & familiaria sunt eorundem alimenta propria. Cùm itaque substantia spirituum tenuis sit, solidarum partium crassa, carnosi verò generis medio modo se habet; spiritus indicat alimentum tenue; solidæ particulæ alimentum consistens non fluxile, quoniam similia similibus conseruantur; similitudo porrò alimentorum consistit, tum in qualitate, tum in modo, & substantia. Carnosa verò pars indicat alimentum, medio modo se habens. Quantitas autem indicabitur æqualis semper substantiæ deperditæ; tanta siquidem refectio desideratur, quanta fuit resolutæ partis deperditio. De similitudine autem in qualitate lib. 6. de tuen. san. cap. 3. sic loquitur Gal. Porrò apta sunt humidis quidem humida, & siccis sicca; nutritio enim fit, cùm is, qui nutrit, cibus, corpori, quod alit, assimilatur: Citius autem assimilantur sicca siccis, & humida humidis. Fiunt itaque & in qualitatibus conuenientiæ, si seruare temperamentum studueris, humidis naturis humectante cibo, maximè quadrante, siccis verò eo, qui siccet; si alterare placet, contrarijs. De similitudine autem substantiæ 11. meth. cap. 3. sic loquutus est. Quoniam verò virium substantia, tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis completur, ex ijs, quæ similia sunt; moleri cuique suam custodiam conueniet; spiritui ex respiratione, ac transpiratione, & qui ex sanguine attollitur, vapore; solidorum verò generi ex solido nutrimento, quemadmodum carnoso generi per eam naturam, quæ in medio humidorum, ac solidorum corporum est. Porrò cuiusque eorum mensuram ex conseruandæ substantiæ quantitate inuenies; qualitatem verò ex ipsius temperie. Idem paulò in-

fra repe-

fra repetit his verbis: Cùm verò diuersitas non parua sit in partium animalis temperamento, proprium cuique mensuram fore eorum, quæ ipsis sunt similia, nempe ei, quæ terrea magis est, eorum quæ magis sint terrea; & ei, quæ humidior est, eorum, quæ sunt humidiora; & ei, quæ magis aerea est, eorum, quæ plus hujus substantiæ in se habent; sicut calidiori, eorum, quæ magis substantiam igneam participant. Hinc verò iam materias particulares omnes in cibis, potione, aere, & omnibus peragi solitis inueniendas esse. Hactenus Gal. In vltimis verò suis verbis dubitatur; Quomodo hæ tres substantiæ, spiritus, pars carniformis, & solidæ partes, in iudicandis res non naturales, pro sui conseruatione, dicantur indicare similia, quum hæc nullo modo possint illis esse similia, vt puta aer, motus, & quies, inanitio, repletio, & huius generis reliqua. Dicimus, quòd hæc eatenus dicantur esse similia ijs substantijs, quatenus apta nata sunt in eis similia producere, & conseruare; facultate enim, & non actu dicuntur similia. Bene itaque inquiunt, quòd hæ partes similia indicant, dum congruè illa indicabunt, dum scilicet demonstrant consimilem aeris temperiem incolendam esse, & salubres exercitationes suscipiendas esse; & consuetudinem somni, & vigiliæ manutenendam; atque victus moderationem tuendam; & moderatas animi passiones retinendas; quæ potentia, & non actu similia dicuntur. Sub statu pariter corporis insalubri, tres illæ corporis substantiæ sui custodiam perpetuò indicant; at diuerso indicationis modo; alimentum quidem consimile semper demonstrant, & si in aliquibus rebus à morbo, morbique circunstantijs limitentur. Remedium verò hæ partes propria ratione non demonstrant, & si eius vsum, præsidijque materiam sæpius declarant; per accidens autem fatemur vires remedium demonstrare, sui custodiæ gratia, quatenus aut illud admittunt, aut renuant, aut moderantur. Hæc omnia vt malum euitent, agunt; timentes medicaminum vim, renuunt; moderantur medicaminis sæuitiem formidantes; illud admittunt, vt bonum inde consequantur; & vt se conseruent, omnia operantur. De conseruatione autem harum partium, dum ægritudine perturbantur, 12. meth. cap. 5. sic Gal. loquitur: Spiritus substantia vnà cum solidis corporibus sic nobis custodienda in morbis sunt, vt tum qualitate, tum quantitate, quoad fieri licet, naturaliter se habeat. Ac siquidem sic prospicì his posset, vt nec substantiæ eorum quicquam aut vacuaretur, aut prorsus immutaretur, id esset optimum; sed quoniam fieri non potest, vt id generabili corpori vnquam contingat, id agendum est, vt quæ substantiæ portio defluit, hanc apponendo sarciamus; quod alteratum est, in debitam temperiem, per contrariam alterationem, vindicemus. Si igitur tum euacuatio, tum alteratio, sensim paulatimque fiant, etiam correctio vtriusque sensim administrabitur. Quod munus ad artem sanitatis tuendæ spectare, est monstratum. De his satis. Massam autem sanguineam, quam Hippocrates vnam ex tribus partibus, animatum corpus constituentibus, fecit, Gal. inter has dictas partes, sui custodiam declarantes, minimè recenset, & rectè quidem: nam, vt superius nos diximus, verius materialis caussæ, ac nutrimenti rationem habet massa sanguinea, respectu essentiæ virium animantis, quam subiecti, & fundamenti: propterea Auic. prima fen. primi cap. 2. sic scriptum reliquit, Caussæ verò materiales sunt res subiectiuæ, in quibus fundatur, vel inuenitur sanitas, & ægritudo; subiectum quidem propinquum membrorum, & spiritus; subiectum verò remotum, & longinquum, humores; & eis longiora sunt alimenta.

Quomodo naturalis, vitalis, animalisque virtus sui custodiam monstrant; & qua naturalis, vitalis, animalisque sit indicatio, explicatur. Cap. XII.

POSTQVAM ostendimus, quemadmodum primatiæ corporis partes spirituosæ, seminales, ac carniformes, suas edant indicationes; superest; vt exponamus, quemadmodum naturalis, vitalis, animalisque virtus demonstrent; quæ ad eorundem esse, & subsistentiam faciunt; & quibus motionibus, insinuationibusque id agant. Naturalis autem virtus, quæ in iecinore, ventriculo, cęterisq; naturalibus membris subsistit, & viget, suum familiare alimentum in substantia, & qualitate declarat, quæ sibimet & naturalibus membris singulariter expedit. Id ipsumque appetitricis virtutis motionibus manifestat. Appetitricis nanque facultatis motio, quæ fames, & sitis appellatur, virtutis naturalis indicatio est; qua animal conueniens alimentum ostendit pro sui custodia. Hanc & insinuationem, expressionemque eius, quod animal cupit, etiam vocant; propterea quòd insinuat, & exprimit, quæ animal optat; & quæ eius defectum restituunt. Fames itaque, & sitis solæ eorum,

quæ

quæ in corpore consumpta sunt, appetitiones dicuntur: ac ideo naturales conseruatrices indicationes à Medicis nuncupantur: cognita enim exurientis fame, sitientisque siti, aut defectu vtroque, illico etiam cognoscimus, illum cibo, hunc potu reficiendum esse; & qui vtroque horum indiget, huic simul & cibo, & potu occurrendum fore scimus. Similiter vitalis, animalisque virtus peculiare, & proprium in conuenientia substantiæ, & qualitatis, desiderant iuuamen, & fomentum, quod vitali, animalique facultati, & vitalibus, animalibusque membris familiare sit, ac singulariter eisdem expediat. Quæ verò hæc sint, quæ ijs virtutibus, & membris sint familiaria, & domestica, quoniam horum magna est sylua, horum nunc explanatione censuimus supersedendum esse. Quod verò de iuuamine, fomentoque diximus, illud idem & de reliquis non naturalibus rebus necessariò nobis occurrentibus, asserimus, scilicet vnumquodque eorum, iuxta propriam vniuscuiusque virtutis naturam, ab vnaquaque harum desiderari, & vt desideratur, ita etiam demonstrari. Virtus autem vitalis suum fomentum, & adiumentum, thoracis arteriarumque motionibus, & pulsationibus declarat: quoniam hæ vitalis virtutis propriæ, inseparabilesque actiones existunt; neque enim anhelationem, arteriarumque pulsationem quispiam à vita, vitalique virtute seiunget vnquam, neque vitam, vitalemque virtutem ab anhelatione, arteriarumque pulsatione, in animalibus nobilioribus separabit. Inspecta nanque veloci, ac frequenti pectoris anhelatione, illico etiam conspicitur, quòd vitalis cordis temperies multo calore est oppressa; quæ, vt iuuetur, in vitaque seruetur, plurimum ventilantis aeris inspiratione indiget; & propterea illum exposcit. Similiter brachij arteriarum celeri, crebraque pulsus agitatione percepta, statim etiam intelligimus, vitalem calorem fumosa plurima caliditate detentum; quare veloci frequentique refrigeratione, atque fumosarum exhalationum celeri, crebraque expurgatione eum indigere facilè indicamus.

At præter thoracis anhelationes, arteriarumque pulsationes, amor, odium, lætitia, tristitia, & similes cordis passiones inter indicationes vitales numerantur. Animales autem virtutes, thoracem dilatantes, & constringentes, vnà cum vitali facultate, arterias cordisque ventriculos dilatantes, & constringentes, principes vitales indicantes scopi sunt. Vt enim solidiores animantis particulæ cibo potuque egent, vt subsistant, ac vigeant; ita & spirituales cordis partes, vitalesque, præcipuè spiritus, salutaris aeris ventilatione egent, tum quæ per pulmonum bronchia, tum quæ per arteriarum pulsationes fit, vt illæ seruentur, & viuant. Animalis quoque virtus, & ipsa per nares inspiratum, expiratumque aerem indicat, pro sui custodia, & salute. Quare narium inspiratio & respiratio, vt animalis virtutis est actio; ita & eiusdem est indicatio. At præter hanc indicationem, sensuum quoque actiones, passionesúe, quæ ab appetitu diriguntur ad bonum, malumúe obiectum discernendum, istud, vt eligatur; illud, vt adsciscatur; indicationes seruatrices Medici faciunt; quas superius cognitiuas diximus nuncupari. At hæ nec pulsus, inspirandique vsum, nec victum immediatè ostendunt; licet gustus tactusque sensationes, quorum obiecta sunt qualitates tangibiles, & gustabiles, quibus animal constat, & viuit, victum ostendere, manifestareque possint. Ex his ergo quis dicere potest, animantium vitam in tribus præcipuè rebus consistere, in alimento scilicet, thoracis anhelatione, arteriarumque pulsatione, atque in obiectorum sensibilium susceptione; ita vt secundum nutritionem, cordis, caloris ue eius ventilationem, vnà cum cerebri sensatione, animantis vitam dicere possis. Sensitiuæ autem virtutis sensationes altioris gradus indicationes asseruntur; quæ & naturales motiones; quoniam non modo nutu, & signo tantum res prostrant, verum etiam sensus notitia illas declarant.

Quomodo virium, suarumque partium substantia consimili alimento nutriatur. Cap. XIII.

POSTQVAM ostendimus, quemadmodum animati corporis vires, atque earundem constitutrices partes consimile nutrimentum, pro sui custodia, semper demonstrent: superest; vt exponamus (quod apud Medicos difficile admodum quæsitum semper fuit) quomodo virium, suarumque partium substantia consimili alimento nutriatur. Pro horum itaque faciliori intelligentia, tria præhibanda esse duximus; vnde haud maiori negotio totius quæstionis explicatio haurietur. Primum ergo quid conseruatio, præseruatio, correctioque sit; & quemadmodum correctio, & præseruatio inter conseruationis sanitatis modos recenseatur: deinde quid simile, quid contrarium, & quid moderatus sit contrariorum vsus. Postremò quæ sint temperata, distemperataúe corpora, quæ similibus, aut mediocribus contrarijs seruari traduntur, dicemus. Conseruatio ea est; quæ primò cor-

poris

potis æqualitatem, temperamentumque conseruat, cuiuscunque id generis compositionis fuerit, siue similarium, siue dissimilarium partium, aut vtriusque commune. Præseruatio impendentem valetudinis casum ab aliquo imminenti periculo præcauet. Correctio autem naturalia vitia, exilesque lapsus, qui lubricam, instabilemque sanitatem reddunt, immutat, alterat, atque ad veram, æqualemque temperaturam deducit. Item conseruatio à præseruatione, & correctione differt. Conseruatio enim non immutat, nec innouat aliquid; sed quo statu accepit, in eo nulla facta alteratione corpus tetuiet. Præseruatio nanque corpus ambiguum sensim alterat: atque in pristinum, naturalemque statum restituit. Correctio verò ab vtrisque differt, quoniam, non vt illæ, præsentem corporis conditionem seruare, tuerive, sed præsenti non contenta, salubriorem acquirere studet. Discrepant præterea in curationis genere: quoniam conseruando similibus, & secundis agitur; præseruando verò, & corrigendo contrarijs, atque aduersis agendum est: & licet his rebus hæc distinguantur, latiore tamen significatione, tum correctio, tum præseruatio pro conseruatione à Medicis sæpissimè vsurpantur, cum paruo admodum discrimine, idem ferè significent. Superest modo, quid simile sit, & quid dissimile, & contrarium; atque quid per moderatum contrariorum vsum Medici intelligant, explicare, Contrarium Medici nominant, quod mutare, alterare, destruereque, ac contrariam inducere formam potest; de quo infra suo loco plura dicentur. Simile autem intelligimus, tum in substantia, tum in accidente, & qualitate, id scilicet, quod suo simili additum ipsum fouet, seruat, & auget, sine alteratione, corruptioneúe aliqua. In præsenti speculatione quæritur, an nutrimentum propter familiaritatem substantiæ, quam tenet cum substantia nutriti, simile etiam esse debeat secundum actiuas, passiuasque qualitates; ita vt substantiale, accidentaleque nutriti temperamentum consimili substantiali, accidentalique nutrimenti temperamento alatur. Simile igitur est, quod conseruat; aliàs simile non esset, & rationem haberet contrarij. Quæ enim similia sunt, non corrumpunt; nec alterant; & corruptio, & alteratio non fiunt absque contrarietate, & dissimilitudine. Reliquum est igitur, vt seruent, & nullatenus alterent, & corrumpant, quod de similibus intelligitur, vt in art. med. cap. 89. recenset Gal. quæ gradu, & potestate sint similia, videlicet quæ æqualiter à medio declinent. Moderatus autem vsus contrariorum apud Madicos dicit, non perennem, & continuam ex toto victu conseruationem per similia, sed aliquando cum ea admiscet, quæ præseruant, & corrigunt per dissimilia, & contraria: dicitque præterea modicus contrariorum vsus conseruationem ipsam, non per omnino similia, sed contrarietate aliqua prædita; quæ vnà cum conseruatione simul alterant, & permutant, non tamen confertim, & cumulatius, sed sensim, & maturè.

Temperata autem corpora nominamus, quæ ea prædita sunt temperie, quæ animantium naturæ maximè conuenit, quam iustitiæ appellant; atque hæc in decenti, debitaque constituta sunt mediocritate. Hæc nanque victu temperato, & omnino simili conseruari asserimus, cùm alioquin à dissimilibus mutarentur, & in deterius (cùm iam assequuta sit quod est optimum) laberentur. Addendum præterea est, corpus à similibus seruari, quantum illius conditio patitur. Nam perpetuò corpus exsiccatur ætatis cursu; etsi interim perpetuò humidis vtamur. Temperata itaque corpora consimili temperato victu, & secundum substantiam, & secundum accidens seruantur: nam quod simile est, vim mutandi non habet; quandoquidem à contrario, & dissimili omnis contingit mutatio.

Distemperata autem animantium corpora dicuntur, quæ sana quidem & ipsa sunt, sed plus, vel minus à debita, & conuenienti dicta temperatura sunt lapsa; aut apta nata sunt labi, siue per calidum, siue per frigidum, siue per humidum, siue per siccum, siue per horum combinationem. Horum profectò quædam ad actiuas, quædam ad passiuas qualitates distemperata asseruntur. Item quædam parum, quædam multum intemperata traduntur: quæ enim exiguum excessum obtinent, & præcipuè in passiuis qualitatibus, & maximè in humido secundum naturam, tunc eadem ratione cum his procedendum, vt in temperatis diximus corporibus, quòd scilicet similibus prorsus seruentur: si autem multum à mediocritate discedunt, siue in actiuis, siue in passiuis, tum hæc similibus intenduntur, exasperanturque; quare fœlicius moderato contrariorum vsu præcauentur, reducunturque, quàm similibus conseruentur. Ad id verò, quod obijciunt ex Galeni dictis in art. med. 86. vbi dicit, quòd in quocunque excessu, siue is in actiuis, siue in passiuis sit, similibus semper conseruatio fiat; quod & 8. meth. 9. repetit, inquiens, intemperatas naturas, licet & quales accepimus conseruare, licet & ad melius ducere: Respondemus, ac fatemur, sanè verum Galeni sententiam esse, quòd similibus similia semper seruantur: at istud in aliquibus seruare difficile periculosumque est: in bene enim constituta natura, id sine noxa tuto administratur, in distemperata verò vix assequi poterimus sine peccato: quoniam exactè similia, quibus fit conseruatio, non facilè cognoscuntur, neque

inueniuntur.

inueniuntur. Quare cùm hæ temperaturæ pronæ ad lapsum sint, difficile est non errare; ac ideo satius est ad moderatum vsum contrarij declinare, aut corrigendo, aut prouidendo; præsertim cùm moderatus contrarij vsus, quod in præseruatione, & correctione accipimus, parum distat, & idem ferè dicat, quod simile, quo in conseruatione vtimur. Ac ideo fortasse nomẽ similis ad modicum vsum contrarij Gal. transtulit, sicut & Medicorum nonnulli, conseruationem fuso vocabulo pro correctione, præseruationeq; plerunque accipiunt. Quòd autem Gal. in illo loco aut quòd abutatur nomine conseruationis sine discrimine pro correctione, & præseruatione, aut quòd multoties præponat tanquàm vtiliorem, præseruationem, & correctionem conseruationi, clarè attestatur 3. aphorismorum 2. inquiens: Ad æstatem quidem frigidæ, & humidæ „ naturæ optimè afficiuntur: Ad hyemem verò calidæ & siccæ; sicuti malè afficiuntur calidæ, & „ siccæ ad æstatem; frigidę & humidę ad hyemem. Ibidem namq; præseruationem conseruationi „ præfert, salubrioremq; prædicat, longè tutius existimans moderatis contrarijs temperaturæ excessum reprimere, quàm similia cum periculo experiri. Sed dubitant adhuc; quoniam Gal. 6. de tuen. san. ad humidum lapsa corpora similibus seruari præcipit, vbi ait: In passiuis, humido scili„ cet, & sicco, si quidem seruari temperamentum studes, quod inuenisti, vtere similibus; sin corri„ gere, contrarijs: At in actiuis, contraria semper dare expedit. Respondemus, quòd humida temperies quibusdam corporibus optima est, & vtilis, tanquàm si media esset. Ideo sicut media sui conseruationem indicat per similia, ita & hæc humida; Hæc quippe est puerorum, & adolescentium, quæ maximè seruari desiderat, nisi morbosa sit, morbosq; pariat. De his quippe Gal. loquitur: vnde de humiditate puerorum statim meminit: similiter naturale est mulieri humido esse corpore præ viris; ideo, nisi ea modum excedat, seruanda similibus admonet libro de victu salubri cap. 24. At calidæ, & frigidę temperaturæ, vnde distemperata calida, & frigida dicuntur corpora, incommodæ valde sunt temperaturæ; quoniam efficacissimæ qualitates sunt: & similibus alimentis facilè in morbosam temperiem transeunt; & propterea in art. med. cap. 23. dicebat Galenus, quòd signum noscendi temparamentum est, quod læditur facilè similibus, iuuatur ex modico contrariorum vsu. Ac ideo concludimus, quòd calidæ, & frigidæ temperaturæ ex superius dictis, quantum ex se sunt, tutius moderata contraria exigunt, quàm similia: & præseruari malius, quàm conseruari desiderant.

Sed adhuc dubitatur de præseruatione senum. Nam si calidis, & humidis siccitatem eorum corrigere, præcauereque docet 6. de tuen. sanit. quomodo in eorum victu salita commendat; ita enim siccantia ipse admittit; libro 5. de tuenda sanitate? Huic obiectioni in libro de victu priuatorum respondet Gal. & inquit, quòd senilis ætas contraria indicat: propterea quòd intemperantias duas patitur; quæ ambæ corrigi postulant; Prima est naturalis siccitas & frigiditas: secunda excrementitia humiditas ob frigiditatem exorta, sicut bene libro 2. de Tempe. & 6. de tuenda sanit. docuit: Ideo solida humectari volunt; sed semper opus est cauere, ne multa humiditas aceruetur. Proinde cibi natura humidiores saliti sint, præsertim si glutinosi, & crassi: quoniam non conficiuntur, & seniles frigidos morbos faciunt. Sic vtique Gal. ferè vbique in distemperatis naturis, quæ facilè ad similem lapsum feruntur, aut lapsæ in eodem intenduntur, præseruationem, correctionemque conseruationi anteponit. Correctionem autem eligit, & præponit, vbi otium suppetit, & nihil obstiterit: Vbi autem negotia impediunt, aut quid aliud inhibet; tunc præseruationem moderatis contrarijs exercemus.

Ad id autem, quod vltimò obijciunt, quòd simile additum simili, illud auget, furereque facit. Respondemus, quòd similia sub duplici capiuntur differentia; quædam dicuntur similia in genere, idest in forma, & in gradu formæ; alia similia in genere, dissimilia verò in gradu formæ, similia itaque in forma, & dissimilia in gradu formæ hæc ipsa sunt, quæ simili addantur, illud adaugent, furereque faciunt. Est quippe gradus apud Medicos formaliter terminus; quia formaliter qualitatem terminat, & agendi, & patiendi vim habet; inde actiones, reactionesque visuntur. Atque ex horum inuicem actione, & passione intensio, & remissio resultat; hæc inquam similia genere, dissimilia verò gradu & potestate, dum agunt, qualitates duplicant, geminansque, & sic priorem qualitatem intendunt, & augent; illamque excandescere, & furere faciunt. Similia autem in forma, & gradu formæ, cùm nullus ibidem sit qualitatis gradus, cuius ratione est actio, & passio, intensio & remissio; etsi inuicem hæc coniungantur, aut vnum alteri addatur; nunquàm intensius secundum formam illud maius reddet; cùm nulla ibidem sit actio, vel reactio; nec per consequens intensio, & remissio; sed in eodem vigoris statu id ipsum semper constituit; quamuis extensiuè & secundum quantitatem corporeum illud accrescat: omnino itaque simile adiunctum simili nusquam illud in forma magis faciet; etsi mole maius reddat.

Propterea facilè quoque respondetur ad id, quod Gal. scripsit, similia similibus offendi,

iuuari

iuuari verò contrarijs, excepta temperata natura, cui similia semper congruunt; nam iuxta prædicta dicimus, per similia ibidem Galenum intelligere similia in genere, & dissimilia in gradu, & facultate: hæc quippe ipsa sunt, quæ similibus offenduntur; cùm ratione graduum agentium, & patientium offensio illius contingat. Accidentia itaque contrarietatem habentia, & magis & minus suscipientia suarum formarum gradus, & metas dicuntur habere, quibus agunt, & patiuntur. Quare si contingat similia in genere, dissimilia in gradibus existere; tunc horum ratione agent, & patientur; ita similia similibus læduntur, & moderato contrariorum vsu iuuantur. At si in forma & gradu formæ similia extiterint; tunc inter se fouentur, amiceque degunt, & conseruantur; & propter perfectam similitudinem nulla oritur alteratio, nec permutatio. In substantia autem, vbi hæc diuisio locum non habet, secus est dicendum. Nam cùm ipsa sit id, quod est, non suscipiens magis & minus; nec contrarietates, nec gradus, metasque vllas habens; hæc profectò similibus perpetuò seruatur. At si similia absint & diuersa, & apposita adsint; tunc aut marcescere, aut corrumpi contingit. Temperata autem corpora, cum æqualia ita sint, vt nullus excessus, nullaque lis in his percipiatur; fœlicius vbique similibus vtentur. Proinde benè dixit Galenus, quòd temperatæ naturæ similia semper congruunt, tum ratione substantiæ, tum temperaturæ; cùm nullibi adsit occasio contrario vtendi, & nullo permutante, nulloque corrigente opus sit; sed conseruatione tantum indigeat, quam simile perpetuò præstat; secus res se habet in distemperata natura; nam etsi ratione substantiæ similia semper appetat; similibusque perpetuò seruetur; ratione intemperatarum qualitatum, quibus medijs agunt, & patiuntur, inuicemque læduntur, contrario permutante, corrigenteque indigent; vt ad melius redigantur, aut saltem ne ad deterius labantur.

Sic vtique vniuersè concludimus, animantis corporis vires, & eiusdem animati corporis constituirices partes, si temperatæ extiterint, seu paruum excessum habuerint, præcipuè in passiuis, & maximè in humido secundum naturam, omnino simili nutrimento conseruari, atque illud naturaliter ostendere; quoniam simile ex propria natura simili seruatur. Quòd si non aderit simile conseruans; aut mærore tabescit, aut ab opposito corrumpitur. Itaque simile illud dicunt, quòd conseruat, aliter simile non foret. Varium igitur substantia simul cum suis componentibus partibus omnibus, si temperata extiterit, aut parum à temperie discesserit, similia omnino nutrientia, & secundum substantiam, & accidens, demonstrat semper; si autem intemperata fuerit, similia tantum secùndum substantiam exposcit; penès verò intemperatas qualitates desiderat contrarias, atque earundem moderatum vsum, præsentem lapsum corrigendo, seu futurum præcauendo.

Quemadmodum temperies, instrumentorum fabrica, vnioque partium sui conseruationem demonstrent. Cap. XIIII.



TEMPARTAS ex primis quatuor qualitatibus permixtis formata, quæ accidentalis est forma, & naturæ, substantialisque formæ primum organum existit; duas ex sui natura præstat indicationes; conseruatricem, vitalemque vnam; curatoriam alteram; prout enim hæc temperies soror, & custos est essentialis naturæ, ipsam naturã seruat, & fouet, ac tunc conseruatricẽ præbet indicationem. Hæc profectò temperies aut æqualis est, aut inæqualis: si æqualis, & simpliciter salubris sit; tunc sui custodiam demonstrat semper per similia in forma, & gradu formæ; quando similia similibus seruantur. Si verò inæqualis, lapsaque fuerit, aut per vnam, aut alteram qualitatem; si lapsus fuerit exiguus admodum, tunc & huiusmodi temperies pariter similia in forma, graduque formæ indicabit propter dictam rationem; quòd similia similibus aluntur. Si autem lapsus talis sit, quòd correctionem, moderationemque desideret; tunc correctiuam, præseruatiuamque indicationem exhibet, gradum contrariæ qualitatis demonstrando; vt lapsus factus corrigatur, & ab vlteriori præseruetur. Aequalis itaque, inæqualisque temperatura pro earundem conseruatione similia semper præcise demonstrabunt, vti diximus. Inæqualis autem & lapsa, quoniam ad lapsum similem facilis est progressus, suspitione vlterioris lapsus, præ custodiæ gratia, moderatum vsum contrarij ostendet, & indicabit. Instrumentorum autem fabrica, & compositio eorum integram constructionem desiderat; quæ quidem integra structura ex debita magnitudine, & numero similarium, & situ, & eorundem conformatione consistit; quæ conformatio comprehendit figuram,

figuram, & cauitates, & superficies. Instrumentorum itaque compositio exposcit conuenientem similarium partium qualitatem, quantitatem, locum, & ordinem, & reliqua huius generis. Bona verò similarium partium vnio, atque dissimilarium recta coniunctio, harum quæque suam propriam iustam vnionem, & coniunctionem semper exoptat, & amat. Bona itaque similarium temperies, & instrumentorum integra fabrica, & vtrarunque partium condecens vnio, & continuitas, dum secundum naturam extiterint, sic quòd ad vitam eiusq; vsum, atq; actionem conferant, & conducant; semper eorundem custodiam, & conseruationem amant, & desiderant. Si verò hæ omnes bene constitutæ partes animati corporis, vt æquales, simmetricæque sint, considerantur, sic quòd termini rationem habeant, quo insalubris status, affectusq; omnis præter naturam à naturali salubri statu distinguitur, & seiungitur; tunc vt præfiniti termini curationis terminos præscribunt, & curatricem indicationem exhibent, seu verius curatricis indicationis terminos definiunt.

Consuetudo quid sit, qualemq. prabeat indicationem. Cap. XV.

VT igitur à rei natura exordiamur: dicimus, quòd consuetudo est longa, continuaq; exercitatio, aut longus, continuatusque vsus rei, qua quis vtitur, vsusq; est; aut in qua quis se exercuit, exerceatq; per multum tempus, siue in vsu cibi, & nutrimenti, siue in quauis alia re corpus alterante, vnde nouus habitus, nouaq; corporis natura comparetur. Hæcq; consuetudo vt caussa dicitur, quoniam corporis naturam, & temperiem permutat, & caussa est adscititiæ naturæ, & temperiei. Est & altera consuetudo vt signum nuncupata; quæ est cùm quis inclinationem, propensionemq; suæ naturæ & temperiei naturaliter in vsu vitæ exercet; huiusmodi quippe exercitatio Consuetudo, vt signum, a Medicis nominatur. Per hanc enim, vt per euidens signum, cognoscitur natura, complexioque cuiusq; hominis, huius vel illius proprietatis, conditionisq; esse. Hæc vtiq; consuetudo natiuam complexionem denotat; quæ natiua complexio & de accidentali, & de substantiali æquè dicitur, vt antea docuimus. Consuetudo autem, vt caussa, de adscititia complexiona dicitur: quæ quidem adscititia complexio, de accidentali, item essentialiq; complexione æquè prædicatur. Consuetudo verò simpliciter prolata, siue vt signum, siue vt caussa illa sit, vt plurimum pro essentiali complexione capitur. Et proinde Gal. in libro de consuetudine scripsit: maximam esse indicationem, quæ desumitur à consuetudine: & reddans caussam, quare hæc indicatio præstantissima sit, dicit: quoniam maximè expetit, vt proprietas naturalis seruetur. Per proprietatem nanq; naturalem dicimus nos Galenum intelligere substantialem temperiem, particulariter indiuiduis dicatam, quam vulgus appropriatam appellat, & Scotistæ hecceitatem fortasse nominarent. Hæc profectò consuetudo sic simpliciter sumpta, longè excellentior est, quàm accidentalis temperies, & ideo diligentius est conseruanda. Ac ideo hæc consuetudo sui conseruationem semper dicit. Consuetudo itaque siue caussæ, siue signi nomine notata, ad alterum semper refertur: caussa inquam ad caussatum, & signum ad significatum. At caussatum adscititia temperies est, cum substantialis, tum accidentalis. Et significatum naturalis est temperatura, & essentialis, & accidentalis. Sic quippe clarum redditur, quòd consuetudo ad substantialem, accidentalemq; temperiem (siue naturam, siue adscititiam feceris) semper refertur. Cùm verò simpliciter illa profertur, pro potiori significato sæpius eam Medici capiunt. Consuetudinem itaque, vt signum, dicimus esse exercitationem perennem, continuumque vsum suæ natiuæ propensionis, & inclinationis; quæ natiuam complexionem, & proprietatem, vt euidens signum, manifestat. Consuetudo verò, vt caussa adscititiæ substantialis, accidentalisque temperiei, dicitur longus peculiarisque vsus nutrimenti, quo corpus longo temporis processu nutritur. Alimentum nanque non modo patitur à corpore, sed etiam agit in ipsum; & agendo speciem suam imprimit, & ita per longum huius vel illius nutrimenti vsum natiua substantialis, accidentalisque temperies in adscititiam permutatur, tum substantialem, tum accidentalem. In hoc profectò hæ differentes sunt, quòd accidentalis consuetudo longè citius, faciliusque acquiritur, quàm quæ substantialis dicitur, ex faciliori, leniorique permutatione: & vt facilius acquiritur, ita facilius deperditur: facilius quoq; innotescit, & cognoscitur. Quod verò de substantialis accidentalisq; temperaturæ permutatione ex diutino huius, vel illius victus vsu asserimus; illud idem & de quouis alio genere vitæ, quo naturæ temperaturæq; hominum permutantur, dicimus; & de incolatu sub alio, & alio cœli climate; & de arte, & exercitatione, in quibus homines diu viuunt, & exercentur: vbi ex longa exercitatione, frequentatisq; actibus habitus oriuntur, consuetudinesq; fiunt: & natiuè hominum temperies mutantur. At dubitant Iuniores, si consuetudo suam indicationem præstat interuentu temperiei; ratio suadet, vt fortior sit temperiei

indicatio, quàm consuetudinis: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Oppositum verò 8. math. cap. vlt. videtur Galenus asserere, vbi dicit: Consuetudinem etiam malam, & in morbis, similia semper indicare. Temperaturam verò malam contraria demonstrare, & sui remotionem. Ad hæc dicimus, quòd comparatio temperiei, & consuetudinis non in vno continetur genere; nam temperies in qualitatis genus: Consuetudo, de qua Gal. loquitur, in substantiæ prædicamentum redigitur, & ideo argumentum non valet. Temperies nanq; mala, quoniam in qualitatis categoria consistit, & facilè adest, & abest; huiusmodi inquam, temperies, cùm breui tempore sit absoluenda, indicat contrarium, & sui remotionem morbo permittente. Consuetudo autem mala, inueterata, quoniam dicit habitum fixum in essentia naturæ, non nisi longo tempore remouendum, morbi sæuitia vigente, induciasque nullas dante, vt ad pristinum restituatur statum: ideo tunc similia, suique conseruationem indicat. Consuetudo igitur hæc non accidentalem, sed substantialem respicit temperiem. Proinde nulla est comparatio, nullumq; argumentum. Iterum dubitant, quoniam ibidem Gal. asserit, quòd si aer fuerit intemperatus, vtpute calidior, indicat absolutè cõtrarium auxilium, scilicet frigidum absolutè. At temperatura, & ætas, dum sunt intemperatæ, indicant contrariũ non absolutè, sed simul cum consuetudine, sic quòd si consuetudo non suadet, aut non indicabunt, aut moderatius id facient. Ad hæc dicimus, quòd & aer indicationem facit, prout est pars quædam nostri corporis non permanens, sed successiua, facilis, leuisq; negotio permutabilis: ideo dum malus est, sine nocumenti suspitione indicat absolutè contrarium; vt prorsus remoueatur: non sic euenit in ætate, & temperie; nam cùm temperies sit pars corporis permanens, & virtutis comes, & socia, quam custodire est vitam seruare; absolutè contrarium virtuti inimicum non nisi cum timore indicare potest. Et si per se intemperies contrarium iudicat, & sui remotionem, absolutè tamen virtutis timore, non nisi cum fideiussione consuetudinis, illam validam esse, testimonium facientis, indicabit; absolutè nempe contrarium vbique difficulter, ob virtutis timorem, admittitur. Illud idem de ætate dicimus; quando & temperiei interuentu ipsa indicat. Consuetudo itaque in casu isto non sui ratione, sed virium, substantialisque naturę gratia, potiorem indicationem præstat in indicando absolutè contrarium, quàm temperatura, seu ætas.

Concludimus tandem, quòd consuetudo quælibet relata ad suum proprium genus, accidentalis inquam, ad accidentale, substantialis ad substantiale, quòd semper debilior, infirmiorq; est consuetudinis, quàm temperiei indicatio; etsi multi contrariam teneant sententiam non absq; forti ratione. At si extra proprium genus comparentur: vt si consuetudo fixa, habituataque in substantia naturæ comparetur accidentali temperiei, tunc huiusce consuetudinis indicatio procul dubio præualet temperiei indicationi. Secus dicimus de consuetudine, vt signum, comparata ad ipsam temperiem: quoniam huius consuetudinis indicatio inferior semper est indicatione temperiei, vt testatur Gal. lib. 5. de tuen. sani. c. 10. inquiens, indicationes desumendas esse ex intemperie patris, neq; esse considerandum senium, neq; aliam ætatem. Illud idem asserit de consuetudine, & caussa primitiua, & reddit rationem; quoniam hæc conducunt ad cognoscendam naturam affectus: & ad inuentionem remediorum nihil agunt. Ad hæc dicimus; quòd ætas, & consuetudo sub duplici differentia à Medicis considerantur; sub vna, vt signa sunt, & ad alterum referuntur; sub altera, quatenus materialiter idem sunt, quod temperaturæ. Aetas itaque, & consuetudo, quatenus ad alterum, ad temperaturam scilicet referuntur: tunc vbiq; & semper suapte natura temperaturam significant, huiusce scilicet vel huiusce conditionis esse, aut validam, aut imbecillam, aut bene, maleúe affectam. Dum verò materialiter considerantur; tunc sunt ipsæmet temperaturæ, & indicantes per se res dicuntur. Cùm igitur inuicem comparantur temperies ex parte vna, ex altera ætas, & consuetudo ratione primi secundique ordinis indicantium, vt Gal. 5. de tuen. sani. c. 10. facit, vbi sermonem habet de ijs, quæ per se primò, & principaliter indicant, proinde ibidem excludit ab hac consideratione, ea, quæ secundò, & per alterum, indicationem faciunt, sicuti est ætas & consuetudo. Ac ideo Gal. sub hac principali ratione indicantis consuetudinem, & ætatem contemplando postposuit temperaturæ, & verius id signi quàm indicantis considerationem spectare illa scripsit.

Ex his facilè perspici potest, quinam sint vitæ, naturæque conseruatiui scopi, similia indicantes. Et qui primi secundarijque, atque tertio ordine indicare dicuntur. Principales nanque corporis partes, principesque earundem virtutes in indicando similia, & sui conseruationem, primas obtinent partes. His proximæ sunt particulares singularium partium virtutes, & præcipuè earum quæ dum affliguntur, secum trahunt in consensum principes facultates. Nec ab ordine isto seiungimus accidentalem temperiem, harum omnium virtutum primum organum. Tertium obtinent locum ambiens aer, ætas, sexus, consuetudo vt signum, & huius generis reliqua, quæ sua conuenientia, & aptitudinem indicant, vt Auic. verbis vtar. Consuetudo verò vt


caussa

caussa secundum, & fortasse primum colit ordinem. Proximiores autem indicantes, particulariusque victum, victus materiam, atque eiusdem exhibitionis modum docentes sunt, supradictorum indicantium omnium particulares circunstantiæ, & differentiæ, de quibus suo loco (fauente Deo) pleniua dicetur. Sed de his satis.

Quomodo morbus & virtus remedium, & victum primò, & secundariò vitæ conseruationis, & morbi curationis gratia indicent. *Cap. XVI.*

ONGA oratione contra antiquiores Medicos 9. meth. cap. 7. Gal. disputans, conatur ostendere; quemadmodum vires, & quæ ad eas spectant, primò, & per se elimenta, & vitæ regimen demonstrant; secundariò & per accidens, necessariò tamen, curationem, & remedia declarant: atque id tunc maximè præstant; cum aliquod ex medicamentorum applicatione periculum sibi imminere conspiciunt. Hanc eandem prædicto libro cap. 13. Gal. sententiam affirmat, dum scribit. Additum autem est in sermone illud primum: quoniam ex accidente aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit. Sed quo pacto id fieri contingat, 11. meth. cap. 9. exponit, vbi ait: Nunc, cùm in viuente corpore putredo concipitur, quod tum alterare potest, tum concoquere, tum vtile reddere, quicquid putrescentium, veluti semiputrescens, semimalumque est, vtique facultatem eius, qua naturaliter concoquit, excitans firmansque, quæ putrescentia sunt, sanabis. Virtus igitur, & quæ sunt secundum naturam, apud Gal. per se primò victum, alimentumque ostendunt, secundariò remedia, & morbi curationem insinuant. Verum huius rei caussam reddere videtur 9. meth. cap. 13. vbi inquit. Vires sui custodiam docent, quæ pluribus fit modis, nempe potissima ratione ex eo, quod de substantia earum vel inanitum, vel alteratum est corrigendo; secundo loco ex prohibendis his, quæ ipsarum substantiam euacuare, atque alterare possunt; & quæ earum vnitatem distrahunt. & paulò infra idem repetit dicens. Virtus nanq; seruabitur; si nec eius substantia inaniatur, nec tanta alteratione alteretur; vt ea corruptioni sit propinqua, atque huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam præsentem seruamus, vel absentem inducimus. Absentem nanque temperiem recuperare ad vitæ custodiam pertinere ait Galenus; similiter & fortia medicamenta, & permutantes caussas præcauere, quæ virtutem dissoluere possunt, ad eius custodiam spectat. Et sicuti virtus, & res naturales primò & per se elimentum, victumque; secundariò curationem ostendunt, & remedia; similiter & virtutis, & rerum naturalium differentiæ, qualitas scilicet, quantitas, modus, & tempus primò & per se victus, & alimenti differentias ostendent; secundariò & per accidens, curationis, & remediorum differentias declarant. Si quid enim (inquit Galenus) sine differentia sumptum aliquid indicat, si illud differentias suas acceperit; eius quoque quod indicatur, differentias ostendet: primum ueuque, quod victum indicat, & declarat, sunt naturales facultates, vitales, & animales; atque earundem in quibus insiderint, partes; postea singularum partium temperaturæ & virtutes; deinceps recta organicarum structura, ac tandem cuncta, quæ sunt secundum naturam. Hæc perpetuò sui conseruationem, suumque victum pro sua natura demonstrant. Contrario modo morbus, & res præter naturam se habent, pariterque earundem differentiæ, quæ primò & per se remedia, & eorum differentias indicant; secundariò & per accidens alimenta, & eorundem differentias declarant. Morbus autem eatenus indicat cibum, quatenus vires ipsas connotat: eiusque actiones, & operationes in morboso corpore declarat, dum læsas illas ostendit; ac ideo secundariò dicitur illum indicare, scilicet per alterum, per vires scilicet, absque quarum existentia minimè morbus subsisteret, curarique posset. Absque enim virium subsistentia, neque morbus, neque sanitas vsquam subsistet. Quocirca rectè Gal. 1. de Vict. ratione in Acut. comm. 44. dicebat. Sic sanè & cibandi scopum vnum communem prorsus, tum sanis, tum languentibus esse demonstrauimus. Is autem vitalis facultatis custodia est; ob eam enim facultatem sani edimus, & bibimus: propter hanc eandem & ægri cibos, potusque capimus. Sola itaque virium custodia, & in sanis, & in ægris corporibus alimoniam indicat. Hanc eandem repetit sententiam. 9. meth. cap. 10. vbi scripsit, quòd vitæ custodia est communis scopus, & sanis, & ægris, seque huc omne consilium dirigere, cum in libris de sanitate tuenda, tum in medendi methodo, quoniam vtrobique, licet indifferenter, vitam seruare studet; nam absque vita, nec morbus tolli, nec teneri sanitas potest. Communis autem scopus, & si necessariò indicatur, non propterea immediatè, & primò, sed secundariò, & per alterum ostenditur. Quòd verò vitæ custodia, & Medici curantis, &

conseruantis communis sit scopus, sic nos ratiocinando colligimus. Quęcunque circa idem subiectum consistunt, nec sine ipso stare possunt; ea necessario eiusdem subiecti existentiam communiter appetunt, & postulant. At sanitas, & ęgritudo circa idem, vnumque vitę subiectum consistunt, & semper versantur; nec sine illo stare possunt: sanitas igitur & ęgritudo communiter esse virium, vitalisque subiecti desiderant: quando absque eo neutra illarum consistere possit. Salubris nanque vitam semper appetit, vt salubriter viuat; insalubris verò, & morbosus mauult insalubrem morbosamque vitam ducere; quàm nullam; & sic vtique clarum fecimus, quemadmodum morbus primò remedium, secundariò victum; & morbi differentiae primò remedij secundariò alimenti differentias demonstrant. Contra, virtus primò alimentum, secundariò remedium; & virtutis differentiae alimenti primò, remedij secundariò differentias declarant. Nam sicut diximus, si quid sine differentia sumptum aliquid indicat, si illud differentias suas acceperit, alterius quoque, nempe rei indicatae differentias monstrabit: nam sicut genus indicat genus; ita differentiae differentias ostendunt.



TRACTATVS SECVNDVS.

DE DIAETA AEGRORVM QVATVOR PROPRIIS DIFFERENTIIS DESIGNATA.



VIRTVTIS TEMPERIEI QVALITAS, quantitas, modus, ac tempus quid sint.

Cap. I.



ICVT morbus, qui remedium primò, secundariò victum declarat, quatuor circumscribitur differentijs, vt infra suo loco dicetur, qualitate inquam, quantitate, modo, ac tempore; sic temperies & virtus, quae victum primò, remedium secundariò demonstrat, ijs eisdem quatuor circumscribitur differentijs. Virtutis itaque, & temperiei qualitatem nos dicimus primò essentialem eius differentiam, quae simpliciter virtutis substantiam declarat; siue illa sit rei effectrix caussa, quae quod facit, facere potest; siue substantialis temperies sit ex substantialibus elementorum formis temperata; siue essentialis forma fuerit his addita, compositum perficiens; siue animæ vim sapiat, actum inquam principalis membri organici potentia vitam habentis. Qualiscunque tandem extiterit, quæ à Medicis, & Philosophis substantialis forma nominatur, hanc temperiei, & virtutis qualitatem primò appellamus. Temperiei quoque virtutis, siue virium qualitates dicimus earum specificas differentias; liceat his in præsentia sic appellare; quæ à sexu, ætate, loco, regione, genereque vitæ sumuntur; veluti hominum, mulierumque vires, iuueniles, seniles, pueriles; atque viriles; Item Germanorum, Gallorum, Italorumque vires; partim exercitio, & labore, partim verò otio adultas. Virtutis præterea qualitates nominamus temperiei differentias penès primas, & secundas vocatas qualitates. Et ita dicitur, calida, frigida, humida, & sicca temperies, seu mollis, vel dura, crassa, vel tenuis; & aliæ consimiles accidentales differentiæ dictæ. Accidentalis etenim temperies, vti supra diximus, est essentialis virtutis veluti tegmen, & operimentū: quare & nomine virtutis sæpius explicatur. Virium autem quantitatem nunc nominamus differen-

tiam, quæ est penès magnitudinem, exiguitatem, & mediocritatem, nomen quanti, quasi attribuentes, vt per hæc intelligamus fortitudinem, debilitatem, & mediocrem virium statum. Virium itaque robur, & fortitudinem, Gal. ad Thrasyb. cap. 15. virtutem, perfectionem, atque corporis bonum nominauit, vbi dixit. Actionis verò naturalis virtus robur est: Idem autem est virtus, perfectio, & cuiusque rei bonum; quod illius primum, atque simpliciter bonum nominatur. At libro 1. de causis pulsuum cap. 2. virium robur ipse nuncupat præstantiorem dispositionem facultatis ad functionem; imbecillitatem verò deteriorem; si quis enim debiliter operatur, ait ipse, roboris infirmitas, imbecillitasque dicitur. Mediam verò conditionem harum dispositionum mediocrem virium statum appellabimus. Philosophus autem in secunda specie prædicamenti qualitatis per naturalem potentiam, & impotentiam visus fuit satis bene fortitudinem, & imbecillitatem explicasse, vbi dixit, quòd naturalis potentia facilè agit, & nihil difficile patitur; sic & fortitudo efficaciter agit, difficulterque à corrumpentibus patitur. Naturalis autem impotentia est, quæ non facilè agit, cunctaque lædentia facilè patitur: ignauiter enim debilitas agit, & cito nulloque negotio à corrumpentibus patitur. Mediocris verò status medio quodam modo se habet inter naturalem potentiam, atque impotentiam facilè agendi, difficulterque patiendi. Roboris autem caussam Gal. libro primo de semine cap. 15. ex mente Philosophi, pronuntiauit esse, aut insitum calorem, aut spiritum innatum, aut bonam temperaturam. Ex Erasistrati verò sententia sanguinis redundantiam fecit: ex propria verò opinione, sanguinis copiam proportionatam, tum corpori, tum humoribus, & spiritibus. Natiui itaque caloris copiam sic proportionatam, quæ spirituum, & humorum, atque membrorum etiam temperaturam concomitantur, hanc nos roboris virium caussam facimus; hæc etenim proportionata innati calidi copia perpetuò est comes fortitudinis corporis, & vbique omnique tempore cum hac caloris insiti copia adest, virium robur, & præcipuè vitalium, ac naturalium. Modus autem tempus virium in præsentiarum, à modo & tempore morbi morbificæque caussæ denominantur, esseque habent.

Quid sit diæta, & à quibus tradatur. Cap. II.



DIAETA, quæ & victus ratio dicitur in morborum curatione, est debita, conueniensque administratio sex rerum non naturalium, & præcipuè nutrientium, vt morborum exigit natura: illaque vtimur pro ægris alendis. Victus quidem nomine Gal. libro secundo de Natura Humana de antiquorum sententia, non solum esculenta, poculentaúe comprehendit, verum etiam reliqua omnia, quæ necessariò nobis occurrunt, & sine quorum ope viuere non possumus: inquit enim ibidem. Victus rationem vocant nunc quidem ipsa esculenta, & poculenta, sæpè etiam eo nomine vitæ conditionem complectuntur, quemadmodum nunc dictum est. Neque enim cibi modo, & potiones, sed & balneum, & exercitationes, otia, vigiliæ, & tristitia, & ira, frigus, æstusque pariunt morbos. Ex hoc sanè Gal. loco videre est, victus, seu diętæ nomine duo intelligi; nunc solum cibum atque potum, quæ præcipuę est diętæ significatio, nunc verò non hæc solùm, sed aerem, motum, & quietem, & reliquas res non naturales à Medicis dictas. Nos verò in hoc capite dum congruam ægris præscribimus victus rationem, primam huius nominis victus notionem maximè sequimur, vt cibi, & potionis qualitatem, quantitatem, modum, ac tempus significet; quam quidem diętæ formam in morbis curandis antiqui Medici semper obseruarunt. Congrua igitur rectaque ægrorum ordinata diæta talis semper erit, vt vires eam tolerent; vt ne præ tenuitate deficiant, nec præ multitudine opprimantur, atque à pugna distrahantur: sed inter plus, & minus media sit, ea quæ congruant, semper experiatur; vt quantum par sit, vires nutriantur: & reliquum roboris ad morbi expugnationem omnino experiantur. Hanc quippe mens, & ratio, & minimè indicatio docet: neque enim ipsa adamussim cuncta ostendere potest: mens enim morbi speciem, atque eius statum propinquum, aut longinquum, aut inter vtrunque horum medium cognoscens, simul etiam virium robur perpendens, fortitudinem inquam, imbecillitatem, ac medium harum statum, vnà cum consuetudine ægri, ætate, annique tempore facillime congruam communem ægrorum diætam, plenam scilicet, tenuem, ac mediam, quæ per vniuersum morbum ordinatur, artificiosa coniectura discernit, eamque salubriter secundum morbi speciem determinat. Hæc eadem mens morbi vigorem perspiciens, ac singularium accessionum principium, augmentum, statum, & declinationem perpendens, vnà cum horum vniuscuiusque symptomatibus, particularem diætam, quæ est secundum vnamquamque cibi oblationem, ritè disponit, & ordinat, cibum modo inhibens, modo

augens, modo minuens, penès casuum, symptomatumque varietatem, necnon penès ægrorum naturam, & consuetudinem. Meus itaque, & ratio vniuersalem totius morbi, & particularem singularum accessionum diætam docet, & declarat, tum ex morbi, morbificarumq; caussarum, atque temporum eorundem cognitione, tum ex ægrotorum naturæ, ætatis, consuetudinis, anniq; temporis, notitia. Id quod Hipp. 2. de Vict. in Acut. nos perbellè docuit, vbi scripsit. Conijcere autem oportet, & robur, & morbi cuiusq; speciem hominis; item naturam, atque ægrotantis in victu consuetudinem, non in cibis solùm, sed & in potionibus, vbi Gal. in comm. subdit, quòd duo sunt, quæ diætam in morbis regulant, ex atque disponunt; primum virium robur, cum hominis natura, & consuetudine, & in cibo, & in potu. Alterum est morbi species, atque ipsius morbi status & vigor. Totam itaq; viuendi in morbis rationem, & acutis, & chronicis ex duobus tantum principijs constituimus, ex cognitione inquam speciei morbi, & temporis eiusdem, atque ex notitia tenoris virtutis, & per horum vtrunque æquè primò. Morbus quidem in ordine doctrinæ primus est, qui victus rationem pro sui curatione instituit. Virtus vt vitæ domina, & regina illam approbat, & confirmat: ac inde prima dicitur vitæ dignitatis gratia. Morbus autem, qui virtutis robur ad sui expugnationem exposcit, vt pugnæ virtus omni conatu incumbat, ne ab ipsa ob alimentorum concoctionem distrahatur; aut cibum omnem ad statum vsq; circumcidit; aut si tanto tempore istud sufferre non possit, tantundem victum præcisè præscribit, quo & impugnando, atque tandem expugnando illuc vsque perdurare possit. Virium autem ratio diætam ordinans perpetuò victus necessitatem dicit. Nam siue otio, siue in negotio extiterit; siue valida, siue imbecillis fuerit; semper est in actu nutritionis, licet secundum plus aut minus; ac ideo per se primò alimentorum respicere dicitur, vt alatur, & in vita persistat: tandiu enim viuimus, quandiu nutrimur. Ex dictis itaque patet, qualiter vtraque harum ad ipsam ordinandam diætam sub diuersis rationibus æquè primò concurrunt. Quamobrem bene primo aphor. com. 11. & 12. scripsit Gal. Quòd totius victus figuram duæ res præcipuè monstrant, morbi scilicet species, & ægrotantium vires: species namque morbi, quæ & eiusdem tempus circumscribit, illam nos ordinare docet: vires verò ægrotantium admonent, vt exequutioni mandetur. Dicemus igitur, morbum iuxta differentias suæ magnitudinis, paruitatis, atque medij status, diætam omnem primò præscribere, & plenam, & tenuem, & mediam; quo enim maior ille fuerit, tenuiorem; quo minor, pleniorem præscribere diætam. Cùm ergo maior extiterit morbus, magis quoque vrget necessitas illum vincendi, & eo magis maiorem virium portionem pro illo fugando expetit; quo verò minor ipse est, minor etiam adest necessitas illum propellendi; vnde & minorem virium portionem ad istud consequendum postulat. Vbi igitur maior virium portio conuersa est ad morbi expugnationem, tenuis victus illi semper satisfacit; quoniam pauca innati caloris pars concoctioni vacat. Vbi verò minor virium, calidique innati portio ad morbum impugnandum conuertitur; tunc otiosa superest maior virium calorisque pars. Quare maiori copia nutrimenti corpus indiget, vt copiæ caloris otiantis satis sit. Maior itaque, & minor morbus, & maior minorque necessitas illum expellendi, maiorem minoremque caloris copiam ad proprium vsum aduocans, prima ac præcipuè est ratio præscribendi vnamquamque diætæ speciem, & tenuem, & mediam, & plenam, suæ vnicuique morborum speciei congruentem, acuto scilicet, longo, atque medio inter vtrunque: & quamuis ratio ordinandi diætam à virtute, & à morbo, vt à principijs regulantibus, sumatur; à virtute, tanquàm necessitatem vitæ importante; à morbo verò, vt ordinante; nihilominus à morbo præcipuè denominatur, tanquàm à primo illam exposcente. Hanc autem nostram caloris otiantis, & caloris pugnantis differentiam Auic. conspiciens quarta fen.

„ primi libri cap. primo sic scripsit: Plurimum autem, quod nos laboramus in minuendo cibum,
„ aut prohibendo est, cùm ægritudines medicamus acutas, in ægritudinibus quoque chronicis
„ minuimus, sed minus quàm in acutis. In chronicis verò plus de virtute solliciti sumus, quòd earum
„ crisis sit longinqua, & ipsarum status est remotus. Quapropter nisi virtus custodiatur, vsq;
„ ad horam crisis stare non poterit; neque illud, quod in longo digeritur tempore, digerere va-
„ lebit; in acutis ægritudinibus crisis est propinqua, & confidimus, quòd virtus ante statum non
„ resoluetur: quòd si hoc timuerimus, nutriens non plurimum minuemus. Quam quidem sen-
„ tentiam Auicenna habuit ab Hipp. 9. primi aphor. vbi scriptum reliquit: Coniectari autem
„ oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & nunquid ille prius
„ deficiat; nec possit cum victu perdurare: vel morbus deficiat, atque habetescat. Quam do-
„ ctrinam Gal. lib. primo ad Glauc. cap. 8. insequutus scripsit. Quare ab initio statim ad vniuer-
„ sum morbi tempus inspicientes, rationem victus instituemus; his nanque morbis qui velociter
„ fiunt, & celeriter crescunt, si valde tenuem victum exhibueris, haud magnum afferes detrimen-
„ tum; qui verò sunt diuturniores, nisi ab initio grandiori cibo reficias, hominem cum morbo

pariter perimet, aut intempestiue victus modum commutabis. Hæc idem libro primo de Crisibus cap. 3. reperit, & affirmat.


De tribus diætæ speciebus. Cap. III.



RAECEDENTI capite iuxta tres primarias morbi differentias, magnitudinem, exiguitatem, & mediocritatem, Diætam omnem in tres deduximus species, plenam, mediam, ac tenuem, quam superius diuisimus in tenuem, condecentem, paulò pleniorem ab Hipp. dictam, atque in tenuem in extremo, tenuissimam communiter nuncupatam. Tenuis condecens diæta, de qua Gal. primo aphor. comm. 4. loquitur, est, quæ fit per pauca, parumq; nutrientia edulia, quale est ptisanæ succus, & vsus olerum, & similium parum nutrientium, cuius munus est vires parum debilitatas conseruare. In extremo autem tenuis diæta est, quæ per solam inediam, vel melicratum, vsque ad crisim, & iudicationem procedit: huius verò terminus est virium dissolutio, ac imminutio. Tenuis verò cibus à Medicis dicitur, qui est facilis concoctionis, paucique excrementi, & in bonum nutrimentum facilè vertitur. Plena verò diæta, quam Auic. grossam nuncupat, est administratio ciborum sanorum hominum. Hanc Hipp. libro 3. de artic. text. 55. vulgarem appellat; quia communiter sani homines vtuntur, & tenui exquisitoque victui opponitur. libro primo de fracturis simplicem vulgarem appellauit, quæ vino carneque fit; hæcque vires seruare, amplificareque habet, & expletur per carnes, oua, pisces, vini potum, & similia; quæ virium robur seruant. Nos autem diætam plenam & grossam appellamus, qua sani homines conseruationis gratia vtuntur, & non necessitatis; seu, vt gulæ indulgeant: ac ideo fructus multi, alijque cibi, quibus homines necessitatis gratia vescuntur, aut, vt palato satisfaciant, non ingrediuntur diætam ægrorum; ægrorum nempe diæta semper deficit à diæta sanorum.

Media verò diæta inter plenam, & tenuem est Kist hordei, sicut est ex antiquorum sententia; quæ non absolutè à Nicolao Florentino confirmatur, quia non videtur esse verè medium in omnibus naturis, nec in omnibus regionibus, & subdit. Et dico hodie, quòd Kist hordei siue ptisana habenda est pro diæta tenui, considerato regimine communi sanorum præsentis temporis, & puto quòd hodie exhibitio medullæ panis similaginei decoctæ sit diæta mediocris. Auerrois scripsit: Cibum, quo vtuntur Christiani, esse cibum temperatum, & est panis decoctus in aqua vel brodio pulli; & est sicut diæta media. Alij dixerunt ptisanam hordeaceam tenere medium in diæta ægrorum in corpore temperato, & in regione temperata; & alij scripserunt, quòd diæta, quæ sanis est mediocris, omnibus ægris est grossa, & quæ est tenuis sanis, est ægris mediocris; & quòd diæta, quæ in morbis chronicis est mediocris, in acutis est grossa, & quæ est in chronicis subtilis, in acutis est mediocris: & quòd cibus in ægrit quanto plus propinquat cibo patientis, dum sanus erat, tanto plus habet de grossitie; & quanto plus habet de distantia ab illo, plus habet de subtilitate diætę, & quòd qui medio modo ab illo distat, est diæta media.

Febribus autem acutis tropicis, quæ acutæ ex decidentia dicuntur, quarum crisis futura est in quadragesima die; competit diæta grossa, & secundum quòd febris plus appropinquat acutis absolute, quæ decimaquarta terminantur, vel plus appropinquat chronicis, sic constituenda est diæta grossa vel mediocris, & in hac morborum latitudine diætæ varianda pro maiori, vel minori ægritudinis diuturnitate. Notandum quòd si totalem excensionem morbi consideremus, plus cibi virtuti debili, quàm forti conuenit, quia plurima indiget; & ideo ei frequenter dandus est; sed virtuti forti plus competit, quantum ad vnicam oblationem; & ideo rarius ei exhibendus est. Et quoniam institutum nostrum est congruam, rectamque in morbis præscribere diætam; differentiæ autem ac circumstantiæ, quæ iustè rectèque illam circumscribunt, omnique culpa vacantem reddunt, quatuor à Medicis numerantur, qualitas scilicet, quantitas, modus, ac tempus; quæ à morbi morbificæque caussæ qualitate, quantitate, modo, ac tempore desumptæ sunt: Ideo quid diætę qualitas, quantitas, modus, ac tempus sit, si placet videamus; deinde ipsas in morbo, morbique caussis perquiramus.



Victus

Victus, alimentiúe qualitas quid sit. Cap. IIII.



ICTVS verò, & alimenti qualitates Medici intelligunt, tum substantiales, tum specificas; tum accidentales eorundem differentias: substantialem verò victus differentiam aliam profectò facimus ab eiusdem accidentali, & specifica differentia; substantialis nempe alimenti substantiam explicat, bonum, malumúe succum ex assumptis cibis, à concoquente calido innato, intra animantis corpus exceptum: succus autem dicitur ille, qui extrahitur à cibo, & vertitur in substantiam nutriti; qui vocabulo à Græcis sumpto dicitur chymus. Chymum autem distinguunt à chylo, quoniam chylus est primus ille succus, qui in ventriculo conficitur, cremori ptissanæ similis, qui postea confectus in hepate chymus appellatur. Cibus itaque boni succi est boni chyli, & boni chymi, & boni sanguinis, ac tandem bonæ substantiæ. Contrario modo se habet cibus mali succi, mali chyli, malique chymi, ac tandem mali sanguinis, & substantiæ. Atque hæc est prima substantiæ nutrimenti consideratio. Ad hanc quoque substantialem alimenti differentiam spectat; vt cibus multum, parumúe nutriat; & facilè, difficulterúe in ventriculo concoquatur; & faciliter, ægreque per venas distribuatur, atque putrescat. Specificam verò victus, & alimenti differentiam nominamus suum tempore sanitatis, vnicuique naturæ hominum liberum, solitumque viuendi, bibendi, edendique modum, designatum specifica differentia sexus, ætatis, loci, regionis, generisque vitæ. Posterior hæc victus differentia est virorum, mulierumque liber consuetus viuendi modus, tum potabilium, comestibiliumque, cum eorundem quantitate, modo, atque ratione, & iuuenum pariter adultorum, senumque viuendi modus, tam montes quàm colles, vallesque incolentium, & tam ruri, quàm in ciuitate degentium. Item Gallorum, Hispanorum, Italorumque consuetus viuendi modus, tam in otio, quàm in exercitatione, laboreque vitam ducentium. Has itaque & consimiles omnes liberas tempore sanitatis viuendi rationes liber in præsentia specificas victus rationes nominare, quoniam ipsę differentes victus species faciunt. Accidentalem autem victus, & alimenti qualitatem Medici intelligunt, eorundem in primis qualitatibus temperiem, tam simplicem, quàm compositam, calidam, frigidam, humidam, & siccam; tum eorundem secundas vocatas qualitates, & tactiles, & gustabiles, sicut saporum differentias, adstringentem videlicet, austerum, acerbum, acidum, dulcem, amarum, salsum, & acrem; & cognitas tactiles qualitates, vti sunt durities, & mollities, densitas, & raritas, crassities, & tenuitas, asperitas, & lenitas, & huius generis aliæ. Hæ vtique & consimiles alimentorum accidentales differentiæ à Medicis asseruntur. Quamobrem & bene inquiunt, quòd ciborum alij calefaciunt, & aperiunt: alij refrigerant, & obstruunt; quidam humectant & leniunt; alij exsiccant, & adstringunt. Qualitates itaque alimentorum tam primæ quàm secundæ, quæ alterandi, permutandique vim possident, medicatricem verius, quàm altricem naturam habent; quando ad nutritionem minimè conferant, sed aut ad palatum, aut ad aliquam corporis affectionem alterandam, permutandamúe conducant. Cibaria igitur omnia, quæ qualitate operantur, iure medicinalia dicentur, cùm alterandi, & permutandi naturam obtineant. Cibaria verò in eo, quod cibant, non agunt à qualitate, sed nutriti substantiam tantum adaugent, vt est Galeni sententia primo simpli. medic. primo.

Animaduertere illud etiam debemus; nutrientia quædam dici actu talia; quædam autem potentia: actu quidem dicuntur, quæ actu nutrimentum pręstant humidum, vel siccum, veluti vinum humidum, panis siccum alimentum prębet; de quibus Hippocrates in aph. scripsit. Facilius est repleri potu, quàm cibo. Potentia autem nutrimentum puta humidum dupliciter dicitur, vno modo passiuo, quando scilicet ipsum patitur à corpore, & conuertitur in ipsum, nihil agendo in corpus nutritum, vt tale humidum est. Alio modo actiuè, & est illud quod est aptum conuerti in membrum, alterando ipsum, dum in eius substantiam permutatur: verbi gratia, lactuca dicitur potentia humida, quia nata est in sanguinem humidum transmutari, qui sanguis postea est membri humectatiuus: & isto modo illud appellatur potentia humidum, quod potest facere humidum membrum, non existens humidum; vel potens est facere, vel conseruare aliquod corpus tale, verbi gratia aliquod nutriens frigidum vocatur, biliosum potentia scilicet actiua, quia facit corpus esse cholericum, vel huiusmodi ipsum conseruat; vt si aliquod biliosum corpus, per viam resolutionis, vel exsiccationis factum sit melancholicum: tunc nutriens frigidum refrenando caliditatem resoluentem, & exsiccantem reddit corpus illud cholericum, & pariter istiusmodi conseruat. Concludimus tandem oportere in morborum curatione, & pręseruatione cibos, qui dantur esse medicinales, habentes virtutes contrarias complexionibus morborum, qui curantur, & lapsuum, qui pręseruantur.

Victus, alimentiue quantitas, quænam sit. Cap. V.



VICTVS autem, & alimenti quantitatem simpliciter intelligimus primò eorundem differentias secundum multitudinem, exiguitatem, ac medium statum in quibuscunque corporibus; vnde magnum, paruum, mediocremque alimentum nominamus. Secundariò alimenti quantitatem dicimus in ægrorum corporum nutritione penes plenitudinem, tenuitatem, & mediocritatem. Vnde plenus, tenuis, mediusque victus nuncupatus; multum autem cibum, & alimentum Medici dicunt; aut quia mole corporea ventriculum implet; aut quia multa virtute sui succi multum nutrit, plurimumque membra adauget. Proinde bene scripsit Auic. 4. primi cap. 2. quòd nutrientis quandoque est multæ quantitatis, & pauci nutrimenti, sicut sunt olera, & fructus; quoniam quod ex eis multum comedis ex quantitate nutrientis multum recipit absque eius qualitate; & quandoque est nutriens paucæ quantitatis, & multi nutrimenti, sicut vitella ouorum, & gallorum testiculi, quæ plurimum nutriunt, quantumcunque sint pauca. Sunt & quædam, quæ vtrunque extremum possident, hoc est multam corpoream quantitatem, & multum succum, & alimentum, vt caro porcina, pauonum, vitulorum, & panis optimus ex optima farina fermentatus. Quædam autem sunt opposita, quæ pauca sunt in quantitate molis, & in qualitate virtutis, sicut aniculæ in dumetis degentes, orobi, lenticulæ, & huius generis fruges. Quædam verò inter hæc omnia mediam naturam obtinent: nam & mediocris virtutis, mediocrisque molis existunt, sicut & pastorum pullorum, atque hædorum, agnorumque carnes, & huius generis multa. Cibus itaque plurimi nutrimenti dicitur, quia maior pars ipsius in sanguinem vertitur, cibus verò pauci nutrimenti, quia minor pars eius in alimentum conuertitur, ita mediocris, quia mediocriter in sanguinem transmutatur. Quòd verò maior pars nutrimenti in sanguinem vertatur, tribus contingit rationibus, primò ex familiaritate totius substantiæ: pro maiori namque, & minori familiaritate contingit plus, vel minus sanguinis generari. Secundò ex qualitatis similitudine, quoniam quæ sunt magis similia, ratione qualitatis, sunt magis nutrientia: quoniam nutritio fit à conuenienti, & simili; proinde calida, & humida cæteris paribus sunt magis apta nutritioni. Tertiò ex modo substantiæ; nam quæ facilioris sunt alterationis, cæteris paribus sunt magis apta, vt conuertantur in sanguinem, cum modica indigeant alteratione. Quò fit vt vinum, & ratione familiaritatis substantiæ, & qualitatis similitudinis, ac modi suæ substantiæ maximè ac celeriter nutriat; vt testis est Gal. 3. de Temper. cap. 2. Aliam victus quantitatis differentiam fecimus in ægrorum præcipuè corporum nutritione; iuxta plenitudinem, tenuitatem, & mediocritatem. Vnde plena, tenuis, mediocrisque nuncupatur diæta. Est quippe plena alimonia (inquit Gal. 1. aphor. 4.) quæ potens est robur virium adaugere; hocque expletur per pullorum carnes, oua, pisces, alicam, vinique potum, & huius generis reliqua, quæ vires seruare, augereque possunt. Hunc autem victum lib. 1. de fracturis com. 47. simplicem vulgaremque appellauit; qui vino, carneque fit. Tenuis verò diæta est, quæ vires comminuit, at non adeo, quin sint validæ; & contra morbum certare, illumque vincere possint. Hanc tenuem diætam tres differentias continere asseuerant. Prima est, quæ integram seruat mediam, pertriduum, aut quatriduum. Secunda melicrato solo, aut ptisanæ succo vtitur, per id temporis spatium. Tertiam dicunt, quæ per id tempus hordeacea ptisana corpus nutrit. Medius, seu modicus victus dicitur, qui vires conseruat; huncque tempestate nostra explemus per panatellam ex amygdalis paratam, atque per panem in aqua pulli madidum, paruasque auiculas, vinumque lymphatum, & alia similia, quæ vires seruare possunt. Hanc profectò mediam diætam, quæ medio quodam modo inter tenuem, & plenum victum corpus alit, vt plurimum Medici exercent, & præcipuè in acutis morbis, qui ad decimumquartum, aut ad vigesimum terminantur. Nam tenuem, quæ vires exoluit, ferò semper fugimus: plenam verò rarò administramus: quando in ægrotantibus non sæpè accidit, vt robus corporis maius reddere, quàm accepimus, studeamus. Hanc itaque mediam diætam quàm sæpissimè Medici exercent. Has easdem diætæ differentias in tenuem, mediam, ac plenam Auic. complexus est his verbis in eo loco quem nuper indicauimus: Nutriens enim quandoque prohibetur; quandoque minuitur; quandoque æquatur; quandoque augetur. Prohibitio namque & minutio apud Auicennam tenuem constituit victum; medius æquat; plenus auget. Hanc eandem diætæ partitionem clarius ipse explicat prima fen. quarti Tract. 2. cap. 8. de cibatione Febricitantium in generali, vbi scribit. Et scias, quòd de cibatione, & regimine est, quod est subtile valde, & de eo, quod est grossum valde; & de eo quod est inter illa, & est pars eius declinans ad subtile plus; & pars eius declinat ad spissum plus, & subtile vltimum in subtilitatem est prohibitio cibi: & grossum valde est administratio ciborum sanorum hominum. Postea declarat medium cibum per æqui

distantiam

distantiam ab extremis, à tenui scilicet, ac pleno. Sic vtique ex Galeni & Auicennæ dictis diętæ quantitas in tres æqualiter distribuitur partes, tenuem inquam, mediam, ac plenam; quæ tribus ex æquo partibus morbum diuidentibus respondent, acuto scilicet, diuturno, & ei, qui inter vtrunque medium seruat locum.

Modus victus quid sit. *Cap. VI.*



MODVS victus, dandique nutrimenti est ratio exhibendi victum, penès morbi, virtutisque exigentiam: dicit nanque eiusdem formam in qualitate, quantitate, ordine, & tempore, virtuti, & morbo accommodatam, de qua quidem Gal. 1. aph. 17. hunc sermonem habuit. Nunquid semel aut sæpius qualiber nocte, vel die cibum offerre oporteat; & cui parum, & sæpius: & cui contrario multum, & rarò: & quibus multi cibi, & multoties sint exhibendi: & quibus contra pauca, & rarò contingit dari, considerandum. Qui quidem victus, & nutrimenti modi omnes à Medicis aliquando determinatæ, constitutæque victus species nominantur; vt notat Gal. 2. de vic. rat. in ac. 36. Ad modum etiam spectat, vbi plura fuerint edulia, quæ simul comedi nequeunt, sed vnum præcedere, reliqua verò subsequi oportet. Modum ita comedendi illa haberi ab eorundem ordine, in facilitate, & difficultate concoctionis tradunt: illa nanque præponuntur, quæ faciliora sunt ad concoquendum; alia postponuntur, quæ sunt difficiliora, & duriora; vt primo de sanit. tuen. affirmat Gal. Ad modum item nutrimenti spectat, quod quarta fen. primi c. 1. scribit Auic. dum ait, Nutriens quandoq; est multæ quantitatis, & pauci nutrimenti, sicut olera, & fructus: quoniam, qui ex eis comedit, ex quantitate nutrimenti multum recipit, absque eius qualitate: & quandoque est nutriens paucæ quantitatis, & multi nutrimenti, sicut oua, & gallorum testiculi: & aliqua reperiuntur, quæ & virtute, & mole sunt multa, & è conuerso. Ad hunc eundem modum pertinent, quæ ibidem paulò post subiungit Auic. Item vbi quidam sunt tardæ penetrationis, vt bubula, vaccinaque caro, & assa, frixaque omnia. At prædictum ordinem, modumque exhibendi cibum sæpius interrumpit ægrotantium appetitus, hunc magis, quàm illum cibum vehementer cupientium; quibus satisfacere Medicus vt plurimum cogitur: de qua
„ quidem re secundo aph. 38. Hipp. hanc protulit sententiam. Paulum deterior potus, aut ci-
„ bus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus, cui Gal. in com.
„ subscribens ait: Non ob id solum hoc est faciendum, vt ægro gratificemur: sed etiam quia
„ vtilius ipsi existit: nam quæcunque cum voluptate sumuntur, ista ventriculus amplexatur, &
„ magis concoquit, sicut illa quæ displicent, refugit: vnde & nauseæ, & flatus, & fluctuationes
subsequuntur. Bona autem comprehensio cibi à stomacho (vt scripsit Auic. xiij. Tertij trac. 3. cap. 3.) potissima est caussa bonæ digestionis, & eius bona digestio corrigit illius malitiam pernam: propterea dixit Alabbas. Disponendum est regimen ciborum secundum infirmi appetitum, eiusque ad aliquid inclinationem. Idem octauo suæ practicæ scripsit. Si appetitus ad cibum inclinauerit non opportunum, oportet, vt modicum de eo sumat; & maximè si infirmi virtus cecidit, & debilitatus est appetitus; aut fuerit ibi subuersio; aut abhominatio, melius quidem esset malum cibum corrigere: at si nec hoc fieri potest, expedit, vt exhibeatur, sicut appetit. Hactenus ille.

Tempus, horaque cibandi quæ dicatur. *Cap. VII.*



RECENTIORES Medici horam sumendi cibum duplicem faciunt, electam vnam, & coactam alteram; electa hora est, cùm inde nullum, aut paruum nocumentum sequitur, quæ est in tempore conuenienti, & quiete febris selecta. Hora coacta, est qua cogitur Medicus cibum dare propter aliquod emergens periculum; etiam si præsens sit, quod prohibeat cibum dare. Tempus autem nutrimenti, & victus à Medicis illud verè dicitur, quod à virtute primò, mox ab ipso docetur morbo. A virtute nempe docetur, cùm virtus appetit cibum, & illum postulat in hora consueta, qua tempore sanitatis illum sumebat, & appetebat; præsertim vbi ante assumptus cibus iam concoctus est, expurgatusq; venter inferior. A morbo nanque tempus exhibendi cibum habetur, tanquàm à re non impediente, & contradicente, & non tanquàm illum exponente. In continuis autem continentibus febribus hora mitior semper eligatur; & si illa non adfuerit, hora diei frigidior eligatur; & si consueta extiterit, longè melior indicatur. Cornelius Celsus libro 3. suæ medicinæ cap. 5.
„ dixit. At si continuatur febris, neque leuior vnquam fit; & dari cibum necesse est: quando
„ dari debeat, magna quidem dissensio est. Quidam, quia ferè remissius matutinum tempus

ægris

ægris est, tunc putant dandum. Quod si respondet, non quia mane est, sed quia remissio est ægris, dari debet. Si verò ne tunc quidem vlla requies ægris est, hoc ipso peius id tempus est, quod cum sua natura melius esse debeat, morbi vitio non est; simulque insequitur tempus meridianum, à quo cùm omnis æger ferè peior fiat, timeri potest, ne ille magis etiam, quàm ex consuetudine, vrgeatur: igitur alij vespere tali ægro cibum dant. Sed cùm eo tempore ferè pessimi sint, qui ægrotant; verendum est, ne si quid tunc mouerimus, fiat aliquid asperius, ob hæc ad mediam noctem decurro, idest finito iam grauissimo tempore, eodemque longissimè distante; sequuturis verò antelucanis horis, quibus omnes ferè maximè dormiunt, deinde matutino tempore, quod natura sua lenissimum est. In eandem ferè sententiam alij dixerunt, tempus alleuiationis esse in aurora, & sic etiam tempus erit cibationis. Tu verò inuenies in diuersis hoc esse diuersum; eligas igitur alleuiationis horam, quæcunque illa fuerit, & obserua (quantum fieri potest) consuetudinem. Si febris nanque continua exacerbationes habuerit, hora cibationis eligatur indicatione sumpta ab exacerbatione, quia ipsa æqualiter indicat cum accessione in periodicis, de quibus scripsit Hipp. 1. aph. 19. In accessionibus à cibo abstinere oportet, si quidem cibum dare nocet, & si per circuitus morbi accessiones habent, in ipsis accessionibus cibum subtrahere oportet: idem in aph. 29. repetit, his quibus per circuitus accessiones fiunt, nihil dandum, quod etiam faciendum esse præcipit quarto vict. acut. 39. Verum hoc loco animaduertendum est, non in omnibus febribus à nobis obseruari debere, quod Hipp. admonuit; in fine scilicet accessionum, atque à principijs distantia cibum dandum esse: sed in quibusdam duntaxat obseruandum erit, quippe in earum febrium accessionibus, quæ ob plenitudinem, vel obstructionem, vel phlegmonem, vel humoris cuiusdam putredinem excitantur: cibus in accessione oblatus maximo malo est; secus est, cùm excitatur febris propter mordentem acrimoniam excalefacti, extenuatique succi à sole, inedia; & laboribus; tunc enim maximum eius remedium est humidum nutrimentum. Proinde sic laborantes omni tempore morbi sunt nutriendi, & in ipsa accessione, immo in accessionis inuasione, vt suo loco clarius dicetur. Haliabbas libro suæ practicæ de hora electa cibationis sermonem habens, iuxta Hipp. sententiam primo de victu acut. text. 46. sic ait. Si non patiatur infirmus cibi dilationem, donec paroxysmus febris perfectè deficiat; non oportet illum cibare, donec calor in superioribus corporis, ac per omnia, & in omnia diffusus est membra; sed cùm à pectore ardor cessauerit, & à ventre & ab alijs huiusmodi locis leuatus in extrema descenderit; hæc est enim hora prima dandi cibum omni febricitanti, maximè debili. Medici quoque inter se certant de hora deteriori dandi cibum; aliqui ex Hippocratis Galenique mente primo de victu in acutis 46. aiunt; illud esse principium morbi, nocumentum enim in principio paroxysmi extenditur ad omnia alia tempora; neque enim in exhibitione cibi tempora particularia, vniuersalibus sunt similia, & secundum hunc modum plus peccant, qui cibum exhibent in augmento, quàm qui in statu: alij ex Auic. mente videntur sentire oppositum, scilicet quòd magis peccat, qui cibat in statu, quàm qui in principio; sententia Auic. legitur prima quarti tract. secundo cap. 8. his verbis. Et de corporibus sunt corpora cholerica; quæ requirunt regimen diuersum ab illo, quod diximus; & propriè, quando sunt assueta comestioni plurimæ; ipsi enim cùm non cibantur etiam in principio febris, immo & in hora, quæ est prauior eo, & est hora status, non euadunt &c. In quibus verbis voluit, quòd illa corpora potius cibanda sunt in principio, quàm in statu; & quòd hora status ad cibandum sit prauior hora principij; & dicunt, quòd læsio contingens in principio ex cibo assumpto est virtutis aggrauatio, & naturalis caloris suffocatio, atque superfluitatum multiplicatio. Nocumentum verò ex cibatione in hora status est augmentum caliditatis febrilis propter caliditatem, & inflammationem cibi; maximè si fuerit cibus calidus, ac vnctuosus, & ista maximè consequuntur ex cibatione facta in fine augmenti, atque in statu. Pro horum autem concordia communiter dicunt, quòd Hippocrates & Gal. loquuti sunt de nocumento extensiuè. Auic. verò intensiuè; & propterea magis esse cauendum à cibatione in statu, quàm in principio; & quòd cibatio in augmento inter eas tenet medium. Nicolaus verò Florentinus his subiungit. Tu verò experientia inuenies maius ægris fuisse nocumentum ex cibatione in principio, quàm in statu; & cæteris paribus deterius est cibare in principio, quàm in statu; maximè cùm in principio natura non indigeat refectione; in statu autem quia multum est passa, & resoluta natura, ideo facillimè cibum exposcit. Dicunt insuper, quòd si febris fuerit coalternans, & subintrans, ita quòd euadat paroxysmus secundus in principio declinationis primi, tunc res est difficilis. Nam in declinatione primi, cibatio fieri non poterit, cùm sit tunc principium secundi paroxysmi; & si expectetur ad cibandum declinatio secundi paroxysmi, poterit virtus debilitari ex longa mora; quare restat, quòd in augmento secundi paroxysmi cibus dari debeat; cùm melius sit in eo dari, quàm in

principio

principio vel statu. Et sciendum est, quòd cibatio in exacerbationibus eundem seruat ordinem, cum cibatione paraxysmorum. Sani vtique viri solita & consueta hora, postquam externus, priorue cibus descendat, & iam confectus fuerit, ac ipsi modice ante exercitati fuerint, iamque alliciente appetitu prandium sumemus, & cœnabimus. Nec verò eadem semper hora, seu communi meta ad sumendum cibum, vti debemus: sed modo citius, modo serius illum sumere, prout & ventriculi, & occasionis, & instantis temporis ratio postulat; citius enim per æstatem, & frigidiore diei hora, serius per hyemem cibo sumendo incumbere oportet; vt in æstate calor nos haud opprimat, appetentiamque deijciat: hyeme verò calor adiuuet.

Qualitas temperiei virtutis, morbi, & sua caussa quo modo qualitatem victus constituant, & ordinent. Cap. VIII.



VOMODO autem temperamenti virtutisque qualitas alimenti, & victus qualitatem ostendat, superest vt exponamus. Virtutis nempe qualitatem triplicem fecimus, substantialem, specifitam, & accidentalem. Substantialis verò virtutis qualitas, victus & alimenti substantiam monstrat. Nam cùm viuentis animantis substantia continuè dissoluatur, diffletutque; continua indiget refectione, & alimento: nemo enim est ex Galeno primo aph. 15. qui non consentiat difflari corpora animalium ea, quæ sit per sensui occulta foramina, difflatione: idcirco enim ad hoc deueniunt, vt egeant alimento; quoniam euacuantur. Quòd si nil è corporibus nostris efflueret; sed semper æqua moles substantiæ seruaretur, nulla foret alimenti necessitas. Cùm verò tota animantium moles in perpetuo fluore sit, nec vllum sit temporis momentum, quo non in aera dissipentur corporis spiritus, humores, ac solidæ partes, nisi altera similis substantia, pro ea, quæ defluxit; restituatur, qua detrimentosum istud corporis defluuium expletur, breui tempore euaporabit, atque dissipabitur vniuersa; Contra hoc necessarium, ac natiuum miseræ mortalitatis malum conditoris prouidentia cibum, & potum vberrima benignitate dedit. Cibo igitur quicquid siccioris substantiæ effluxit, restituitur, & resarcitur; potione verò quicquid humidioris: substantialis itaque virtutis qualitas substantialem alimenti qualitatem amat, & ostendit. Specifica autem virtutis qualitas, siue sexus, siue ætatis ratione, aut loci, & regionis, generisque vitæ, qualiscunq; fuerit, consimilem conuenientemque specifitam victus rationem desiderat, & demonstrat; quando vnumquodque suum proprium, conuenientemq; viuendi modum, suum proprium, conuenientemque victus rationem, quam specificam nominamus, appetit, & manifestat. Accidentalis verò virtutis qualitas consimilem alimenti accidentalem qualitatem expetit, & declarat; quoniam singula suo simili gaudent, fruuntur, & delectantur; atque id ipsum, vt conuenienS monstrant. Morbi autem substantialis qualitas per se primò remedij substantialem qualitatem ostendit, quæ alterandi, permutandique rationem habet. Præternaturalis nanque animantis dispositio actionem lædens, quæ alterant, & permutant, cupit, & postulat. Substantialem verò alimenti qualitatem, quæ conseruandi, augendique viuentis substantiam vim habet, per se despicit, & spernit: secundariò tamen appetit, quatenus ad esse virium facit, sine quarum substantia, nec ipsi subsistere, nec curari valent. Specifica verò morbi qualitas, quæ specificum essendi, existendique modum intra viuentis substantiam dicit, specificam victus qualitatem secundariò demonstrat: qua subsistens viuentis substantia alitur, & qua commodè & bene morbus ipse propulsatur, & fugatur. Et quoniam specifica hæc victus qualitas à morbi specie per accidens designata specificæ virtutis qualitati multoties non omnino consentit; proinde mens, quæ singulorum dispares distantias regulat, eorundem dissensionem moderabitur. Accidentalis autem morbi qualitas victus dissimilam accidentalemque qualitatem per se ostendit. Et quoniam à virtute accidentali qualitatem victus similem qualitatem indicari diximus; at similes, & dissimiles dispares qualitates sunt, si forte naturæ, & alicui virtuti molestæ fuerint, ratio cunctas diuersitates temperans, illas moderabitur. Accidentalis itaq; qualitas præternaturalis affectus siue fuerit prima, siue secunda, seu manifesta, seu occulta, aut simplex, aut composita; qualiscunque fuerit, semper oppositam qualitatem ostendet in regimine sex rerum non naturalium, & præcipuè in cibi, ac potus ratione, quam in præsenti docere instituemus. Atque huius est ratio; quoniam accidentales alimentorum qualitates verius medicatricem, quàm altricem naturam sapiunt: ac ideo rectius iure medicaminis, quàm alimoniæ disponuntur: quo enim iure morbus contrariam medicamenti qualitatem ostendit, eodem etiam oppositam alimenti qualitatem declarat; quando hæ vbique eandem semper alterandi, permutandique naturam seruant; idque Hipp. 6. Epid. particula 5. aph. 36. apertè

testatur,

testatur, contrariā morbo victus rationem adhibendam esse docens: quod quidem febriū exemplo declarat 1.aph.16. vbi dicit. Victus humidus omnibus febricitantibus cōpetit; ex quibus sanè sequitur, quod cibaria, quæ eliguntur in morborū curatione, dicuntur esse cibaria medicinalia; cuiusmodi sunt, quæ à qualitate operantur, & non à materia solum: eo quia cibus in eo, quod cibus est, non operatur à qualitate, sed à propria substantia: alimentum nanq; lib.5.simpl.med. c.1. & lib.1. de facul.alimen.c.1. inquit Gal. est quicquid substantiam augere valet: sicut medicamentum id, quod naturam alterare potest. Debent igitur adhiberi in ægrotorum corpore nutritiones, quæ sint à qualitate operantia, sicut sunt olera, fructus, & similia; quæ cum hoc quod nutriunt, corpus & nostrum alterant: nutrientia autem pura, quæ à materia solum operantur, maximè conueniunt pro valetudine seruanda. Si verò his ægrotantiū corpora debilia, malaq; qualitate affecta indiguerint, cùm ea cibaria expertia sint qualitatum alterantium, & corpora illa indigeant; his igitur artificialiter acquiri debet qualitas contraria corporis affectui, puta cum eis decoquendo medicinalia cibaria, contrariam ipsi morbo qualitatem habentia. Accidentalis itaque cibi qualitas ab accidentalis affectus qualitate sumitur; vt 11. meth. cap. 5. affirmauit Gal. & Auic. quarta fen. primi libri cap.primo, dum scribit. Et iudicia quidem regiminis ex parte qualitatum earum sunt proportionalia iudicijs medicinarum. » »

Virtus vt fortis debilisque dicatur: qualiterque debilis adiectionem, fortis subtractionem cibi declaret. Cap. XVIIII.



FORTEM debilemque virtutem Medici dicunt, aut comparatam ad ipsammet sanitatis tēpore, aut ad morbi, morbificæq; caussæ vires collatam: Ipsimet sanitatis tempore cōparata debilis semper nominatur: quoniā ęger, vt inquit Auic. est læsus: & læsus omnis est debilis. Ac ideo lib.1. de crisi.c.11. bene dixit Gal. virtutem semper imbecillam iudicari, si ad pristinū sanitatis statum referatur: at si cū morbi morbificæq; caussæ viribus conferatur, modo fortis, modo debilis asseritur; fortis dum morbū spernit, viresq; eius prosternit, & vincit; imbecillis, dum ab illo profligatur, & vincitur. Medici autem vt plurimū virtutem cōparant cum rebus præter naturam: quoniam eorum studium est per virtutē illas vincere; cum rebus & non naturalibus conferunt; sed tunc præcipuè cùm morbificarum caussarū ratio nem tenent. Sed quoniam virtutē pluribus de caussis imbecillam fieri contingit; harum aliquas recensere ex Hipp. & Gal. mente vtile esse ducimus. Hipp. ait lib.4. de ratione vict. in acut. tex. 47. Neq; sanè horum ita peritos video Medicos, qui, vt oportet, dignoscant eas, quæ in morbis » contingunt, vitium imbecillitates; & quæ ob vasorum inanitionem; & quę ob aliam quampiam » irritationem; & quæ ob laborem; & quæ ob morbi acumen fiunt. Gal. in comm. Cæterum vir- » tus exolui videtur, & ob euacuationē; quæ fit, vel sanguinis eruptione, vel vomitu, vel deiectio- » nibus, vel sudoribus; & ob longiotē, quàm par sit, inediam; & propter tum dolorem aliquē, tum » vigilias, tum assiduas purgandi ventris suscitationes, atq; & cùm os ventris ita affligatur, vt syn » copas minetur, idq; vel propter grauantis alimoniæ multitudinē, vel contristantē quandā ipsius » qualitatem, nempe hæc virtutem celerrime, tum fatigant, tum dissoluunt. Dissoluitur quoq; vir » tus, acutie, malignitateq; morbi, necnō ardore, & acredine febris ardentis, imbecillis quoq; redditur ob intemperaturam principis vnius partis affectæ. At præcipuè offenditur virtus debilisq; euadit veneni assumptione, quomodocunq; sumpserit. His vtiq; modis omnibus virtutē imbecillem fieri contingit. Quæ verò debilis est virtus, ad pristinū statum comparata, talem profectò diætam exposcit, qualis re vera eius debilitas existit, & morbi ratio postulat. Debilis aūt ex vasorum inanitione, & ex longa ciborū abstinentia, plenioré victum semper desiderat. Quę verò ex dolore, labore, materiei grauedine, ac morbi sæuitia, & malignitate vires depascente debilis est circa morbi initia, vbi vires non sunt admodū cōsumptæ, tenuem victū, simul cum medicaminū præsidijs exposcit. Mox afflictione perseuerante, pleniorem vult victum, & quæ vires vndiq; foueant. Quæ verò ex intemperatura principis partis, simul cum paulò pleniori victu pristinæ salubris temperiei restitutionem exclamat. Quæ verò ex veneno assumpto facta est debilis virtus, alexiterīu, alexipharmacumùe, quod veneni vires frangat, impetumq; corrumpendi quàm primum inhibeant, postulat; mox nutrientia pauca; sed quæ celerrime vires restaurent. Debilitas itaq; ex inanitione vasorum est illa apud praxim exercentes Medicos, de qua intelligitur, cùm absolute profertur, quòd ab ipsa propriè sumitur indicatio de refectione virtutis: Ab alia verò contraria habetur indicatio, de inanitione scilicet, & euacuatione, maximè circa morbi principium; sic enim prima debilitas, vt repletioni solum vacemus, omissa potione, & chirurgia, admonet: altera indicat, vt tenui diæta neglecta, potioni, & chirurgiæ vacetur. Multi verò sapienter dixere: quòd virtutis defectus duobus fit modis; vnus dicitur nu-

trimenti defectus; alter ex mala complexione, pura, vel materiali: propterea dixit Auicenna, si inueneris virtutem deficientem, sis occupatus in æquanda complexione contraria ei; & viuifica virtutem cum cibo: & similiter scripsit lib. 3. fen. 16. de fluxu ventris. Si contingat quòd virtus cadat; tunc æqua complexionem: nam fortitudo virtutis insequitur temperamentum complexionis: & viuifica virtutem cum exercitio, quod ipse tolerat saltem frictione: nam vt ipse dixit decimaprima fen. tertij libri tract. 2. c. 10. de subito casu virtutis: Frictio est ex eis, quæ viuificant calorem innatum; & quandoque ambi prædicti duo modi defectionis virtutis, nutrimenti scilicet, & malæ complexionis simul in eodem morbo reperiuntur, & morbus tunc difficilis est curatu, & peritum expertumque Medicum in eius curatione exposcit. Fortitudo autem virtutum, quæ præcipuè à Medicis attenditur, & similiter debilitas, est virtutis vitalis infirmitas, & robur deinde naturalis, & vltimo animalis: in morbis enim materialibus maximè obseruatur virtus naturalis, sicut supra retulimus, cuius munus est morbosam materiam concoquere, & expellere. Prædictarum verò virtutum operationes quandoq; omnium omnes læsæ sunt, & quandoq; omnes, at non omnium: sed vnius earum, aut duarum; & quandoq; sunt læsæ operationes plures vnius, aut duarum virtutum ex eis, & è contrario; quandoq; paucæ, & multoties operationis, vel operationum læsio est magna, aliquando parua, & quandoq; mediocris: & quæ mediocris est, aut est verè in medio; aut attinet ad latus magnitudinis, aut paruitatis; & ad quodcunq; latus pertineat, habet latitudinem magnam, quæ non nisi coniectura comprehendi potest. Notandum, quòd virtus fortis potest stare, non tamen absolutè fortis cum humorum corruptione, non totali, sed particulari in aliquo membro corporis, alijs non corruptis; & contra virtus debilis potest stare cum humorum bonitate; aut quia aggrauatur sub multitudine bonorum, vt sub multo sanguine, solo peccante quanto; aut quando caussa antecedens in corpore multa est, sed nondum venit ad eam caussa corrumpens, vel putrefaciens ipsam; quamuis caussa coniuncta in aliqua corporis parte sit iam putrida, & pauca. Vnum item animaduertimus; quòd reperitur fortitudo alicuius virtutis, quæ potius ægritudo, quàm fortitudo dici debet: sicut quando virtus expulsiua in fluxu fortificatur; cui fortitudini perseuerante fluxu, sæpenumero succedit mors infirmi. Ad hæc animaduertimus, Medicos sæpè ambiguos esse de virtutis esse, an scilicet fortis, debilisùe sit; solicitos quoq; esse de esse morbi, an breuis, longusùe futurus sit. Si verò ambiguitas accidat ex parte virtutis; tunc studiū sit; vt nunquam subtrahatur, sicut bene dixit Haliabbas 3. pract. St dubitatio incidat de robore virtutis, & futuro statu, custodia habeatur de virtute. Si verò ambiguitas oriatur ex parte ægritudinis, tunc sit studium subtrahere alimentum, sicut nos bene docet Rasis. 16. continentis ex libro signorum. Quoties accidis febris in aliquo; & non cognoueris cuius speciei sit, attenue inr regimen, dum transeat dies quartus; & Auic. dixit prima quarti tract. 2. cap. 8. Si ambigua sit tibi dispositio ægritudinis; tunc vt declines ad subtiliationem est melius, quàm ad directionem, te obseruante virtutem, & tolerantiam, idest si virtus sufficiat tolerare subtiliationem.

Virium fortitudo, calidique innati copia alimenti copiam demonstrant. Cap. X.



ROBUR nanque virium, siue sit corporis virtus, siue melior virtutis dispositio, siue spirituum vnio, siue naturalis potentia ad facilè agendum, qualecunq; fuerit, cùm natiui caloris debitam copiam consequatur, multum quidem, tum mole, tum facultate per se expostulat alimentum. Insiti nanq; caloris copia vt consectetur, parem alimenti copiam desiderat; alioquin absumitur, & deficit. Mediocres autem vires, mediocrem expetunt cibum, sicut exiguæ exiguum, sed tantum, quantum par sit, pro earum virium in naturali statu, seruatione. Caloris itaq; innati copia, viriumq; robur, duplici ratione multū cibum exposcunt, tum propter fortitudinem concoctionis; tum propter multum defluxum, quem moliuntur: vbiq; nanq; plurimus calor plurimam absumit substantiam; multumq; illam depascit: ac ideo plurima indiget refectione: calor itaq; absumens, ac depascens, vera ratio est plurimæ indigentię, plurimæq; exhibitionis; eoq; maior erit, quo cū humidiori substantia vinctus fuerit, & proinde quę augentur corpora (inquit Hipp. 1. aph. 14.) plurimo indigent alimento; quoniā eorum calor cū fluxili magis, magisq; difflabili iungitur substantia; quæ ex sui natura facilè absumitur. Quod verò aquosā & aereā substantiā plus defluere sit necessariū, quàm terrestrē, ēt si ambæ sint æqualiter calidæ, secūdū qualitatē, neminē arbitror dubitare, ait Gal. quare si necessariū est alimentū, vt quod defluxit de corpore, suppleatur: ex humidioribus verò, & plus aeris participātibus multo plus effluit sit; vt huiusmodi corpora plurimo egeāt alimēto. Puerorū verò corpus tale existit, plus humidę & aereę substātię obtinens, nō sicut iuuenū, & declinantiū, ac senū

siccæ

siccæ atque terrestris: propter hanc igitur præcipuam rationem crescentia corpora, quoniam de ipsorum substantia plurimum defluit, plurimo egent nutrimento, alioquin corpus tabescit. Vbi enim, ait Gal. id quod defluit, multum est, quod verò influit, paucum, ibi necesse est subiectam corrumpi substantiam. Id quoque asserimus de mediocri, & pauco corporis affluxu, & de mediocri, & pauco eiusdem innato calore; nam quæ huiusmodi extiterint corpora, moderato vel pauco indigent fomento, iuxta mensuram & caloris, & effluxus. Concludimus igitur qualis fuerit virium, calidique innati quantitas, aut magna, aut parua, aut mediocris, tantam etiam semper alimenti vim, & copiam demonstrare.

Quomodo anni tempora, ætas, sexus, consuetudo, & similia alimenti quantitatem declarent. Cap. XI.

Res autem secundum naturam, vt anni tempora, ætas, sexus, exercitium, genus vitæ, & consimilia, indicationes faciunt, & ratione materiei, quæ his temporibus in animantium corporibus vigent, & præcipuè quatenus hę res calidi innati, & virium naturas redolent: quod verò anni tempora suas edant indicationes, quatenus & virium & calidi innati naturas sapiunt, apertè declarat Hipp. primo aph. 15. vbi ait. Ventres „ hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta co- „ piosiora sunt exhibenda: etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & plurimis egent alimen- „ tis; indicio sunt ætates, & athletæ. Et paulò inferius addit: æstate, & autumno cibos difficile „ ferunt, hyeme facillimè, secundum locum ver habet. His enim verbis clarè nos admonet Hipp. anni tempora, prout virium & calidi innati differentias in animantibus connotant, differentias quoque victus, quæ eisdem animalibus tribuuntur, demonstrare. Quòd verò hæ diuersæ conditiones temporum, ratione differentiæ connati calidi id significent, exponit Gal. nam calor innatus multus, vel paucus, multo, vel pauco indiget alimento: multus enim calor cum virium robore multam defluxionem facit, paucus verò paucam: at multa defluxio multam repositionem; pauca verò paucam exposcit: siquidem nutritio est eius, quod in viuentium partibus euacuatur, à nutritiua facultate facta repletio: oportet igitur alimenti quantitatem esse eius, quod difflatur, quantitati proportionalem; quoniam obiecta suis potentijs æquantur, nisi per accidens aliud contingat. In hyeme itaque ex Galeni, & Hippocratis sententia, plurimus cibos exhibetur, sed rarò: plurimus quidem propter virtutis fortitudinem ad concoquendum: rarò verò propter raram dissolutionem, quæ non frequenti indiget refectione. Duæ etenim sunt caussæ exhibitionis multi cibi hyeme: vna est caliditatis innatæ multitudo, quæ nisi multus daretur cibus, emarcesceret, sicut magnus ignis, nisi multa ei apponantur ligna, cito extinguitur: secunda caussa est multa frigiditas exterior, quæ indicat calorem innatum confirmandum esse, ne ab ea extinguatur. Quamobrem & bene ibidem recensuit Gal. quòd si non paria viribus offerantur alimenta hyemali tempore, tunc ab aere circumambiente frigido refrigerantur vires: offenduntur concoctrices expultricesque virtutes coactæ. In æstate verò cibus sæpius est dandus, sed paucus; sæpius, quia virtus eo indiget, propter creberrimam dissolutionem; paruus verò propter virtutis infirmitatem ad digerendum multum. Et Auic. dixit prima fen. quarti tract. 2. c. 8. Aestas propter resolutionem, quam facit in corporibus, indiget cibationis additione, & sparsione, ac partitione. Innatus namque animantium calor æstatis tempore exiguus euadit propter humorum, spirituumque exhalationem per cutis ambitum factam ab ambiente æstiuo calido dissoluente; qui quidem exiguus factus exiguã molitur concoctionem, & digestionem: & proinde proportionale paucum exposcit alimentum: nam multum difficulter tolerat, cùm sit suis viribus impar; Penuria enim copiam exigit: defectus verò adiectionem postulat; quam tamen virium imbecillitas, cùm totam insimul ferre non possit, diuersis quidem corporibus statutisque horis sibi subministrari desiderat. Ferè tamen æstas minus nutrimenti exigit, quàm hyems, vt bene primo aph. testatur Hipp. inquiens, Aestate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, secundum locum ver habet. De febrientibus autem inquiunt multi; hos in æstate, & si per vices paulatim esca distribuatur, nihilominus per vniuersam diætam copiosius alendos esse, quàm in hyeme, propter geminatam resolutionem, quam tunc temporis patiuntur, & à calido ambiente, & à febrili feruore: quod in hyeme non contingit, vbi minor est resolutio, & virtus validior existit, aptior ad ferendam inediam; id quod Gal. primo de vict. in acut. comm. 44. in fine, & Auic. etiam visus est annuere prima fen. quarti tract. secundo cap. octauo. vbi habet. Et æstas quidem propter resolutionem suam indiget adiectione cibationis, & in hyeme est res in contrario: quoniam ob paruitatem resolutionis eius non facit indigere multo. Subsequuntur Autumnus, & ver, quæ

quidem tempora & ratione virium, & materiei his temporibus redundantis indicationes edunt; quamobrem inquiunt, quòd Autumnus est tempus malum propter duo, quia scilicet virtus debilitatur in ipso, quare indicat, vt detur cibus; & quia in eo mala materia multiplicatur; quæ indicat, vt cibus abscindatur. Cum verò debilitas virtutis cum materia corrupta est coniuncta, secto iudicio procedere debemus, an plus sit attendendum defectioni virtutis, an plus corruptioni materiei. Quamobrem benè 17. com. primi aph. Gal. Autumnum morbis, qui ex corruptione fiunt, comparauit: & proinde optima adiectione bonæ substantiæ continuo indigere dixit; et si vires validæ fuerint, sæpè multa; si verò imbecilles, pauca, & sæpius afferimus, cui Auicenna assentitur in prima fen. quarti tract. 2. cap. 8. vbi ait. Et Autumnus quidem est tempus malum, & propter hoc oportet, vel subtilietur in eo inter conseruationem virtutis, & inter dominium materiæ, & partiri paulatim in eo est melius, & prorsus partiri cum debilitate virtutis est melius ægro. Ver autem secundum locum ab hyeme tenet in exhibendo cibo: nam in primis eius partibus, inquit Galenus, quando frigidum fuerit: eandem rationem victus hyemi adhibebimus; in posterioribus autem, maximè si fuerit calidius, æstati similem; quòd si mediam seruauerit temperaturam, illi victum proportionalem instituemus. Medici tamen morbis plenitudine illum assimilant propter multas in eo hyemis tempore congestas humiditates, quæ veris calore fusæ morbos pariunt, & proinde paulò tenuiorem victus moderationibus exposcere aiunt. Dicunt etiam Medici, hyeme & æstate indicationem de diæta magis sumi à virtute, vt ea vel magis, vel minus resoluitur. In Autumno verò sumi à virtute, & à materia, illas inter se comparando. Vere autem, quia virtus est fortis, indicatio præcipuè sumitur à materia. Est hoc loco animaduertendum, auctores intellexisse prædicta omnia de cibo tantum, & non de potu: quoniam æstate, & autumno potus debet esse amplior, quàm hyeme & vere; & intellexerunt prædicta regulariter in vniuersalitate corporum, non autem in particularitate: quoniam multoties experitur contrarium in particularibus naturis: & rursus intellexerunt diætam prædictam seruandam fore, si tempora suam seruabunt naturam; quam si non seruauerint, tunc ordinandam esse secundum constitutionem præsentis aeris. Simile iudicium sumitur in diætando à regionibus & sitibus terrarum, & domorum secundum proportionem, quam habent cum naturis temporum anni. Etenim diæta regionum Septentrionalium similis esse debet diætæ hyemis; & Meridionalium diætæ æstatis; Orientalium veris; & Occidentalium diætæ Autumni. Diæta quoque terrarum vicinarum mari similis est diætæ æstatis, & regionum meridionalium; & quæ sitæ sunt in montibus diætæ hyemis comparantur; & quæ in planitie sitæ sunt, & vallibus, similes sunt veri, si liberæ fuerint à paludibus, & stagnis, & aggregationibus aquarum. Si verò liberæ non fuerint ab illis, eorundem diæta similis erit diætæ Autumni, propter debilitatem virtutum habitantium has plures partes, & multiplicationem materiæ prauæ. Quod autem de regionibus & quatuor anni temporibus asseruimus, illud idem & de quatuor hominum ætatibus Medici statuunt; sicut primo aph. 13. Hipp. testatur his verbis. Senes facillimè ieiunium tolerant, secundo loco qui ætatem consistentem habent; minus adolescentes; omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores. Quæ enim augentur corpora, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento: nam validiora sunt ad cibos assumendos: & ipsos magis possunt concoquere: propterea multo egent alimento: & si tantum non assumunt, plus offenduntur. Fortitudo etiam virium, quæ cum calidi innati copia iuncta est, ipsa quoque eadem de caussa plurimo eget nutrimento, & si non parũ offertus, plurimum læditur: quod de ætate explicauit Hipp. illud idem & de sexu indicauit, masculos quàm fœminas plura exposcere alimenta, pluribusq; indigere: quoniam calidiores sunt, præcipuè qui sunt natura viuidiores. Genus quoq; vitæ, quod aut otio, aut exercitio detinetur, quantitatis alimenti differentias demonstrat, virium calidiq; innati differentias ostendendo. Qui nanque otium detestantur, hi exercitio vires adaugent; quæ auctæ plurimum appetunt, plurimumque exposcunt cibum: qui verò otio fruuntur, quo calor marcescit, viresque torpescunt, vnde imbecilles, exiguæque fiunt, parum desiderant, paucumq; cibum expostulant. Vt enim nimia quiete ignis extinguitur; quoniam fumis crassis oppressus extinguitur, flatu verò & spiritu extrinsecus agitatus reuiuiscit: sic in animalibus otio degentibus contingit: nam intra eorundem vasa ex crassis, viscidisq; fumis, & vaporibus magnæ fiunt obstructiones; quæ connati calidi euentationem transpirationemq; prohibent, quare facilè postea marcescit. At exercitatio corporis respirationem, corporisque transpirationem auget, qua quidem aucta, & exhalationes cunctæ excernuntur: quare expurgatus calor augescit, quemadmodum crescit flamma vaporibus crassis follium inflatu, ac spiritus impulsione remotis. Atque ideo secundo de tuend. sani. dicebat Galenus; Exercitium moderatum spiritum intrinsecum, & innatum calidum adauget, & superfluitates nutrimenti

membrorum

membrorum dissoluit; necnon & substantiam eorundem multiplicat. Consuetudo item, multum, parum, moderatéque comedendi ex eo, quod huiusmodi adscititiam naturam naturalibus membris comparauit, eadem ratione ostendit, eam seruandam esse; consueta multum, aut parum, moderatéque exhibendo iuxta eorum, qui assueuerunt, appetitionem.

Materialis, immaterialisque morbus, vt cibum indicet; & quomodo quantitas morbi quantitatem victus demonstret.

Cap. XII.



Orbi à Medicis distinguuntur in materiales, qui ab effectrici materiali caussa dependent: & in immateriales, qui à nulla dependentes caussa, sed proprijs innixi radicibus subsistunt, & vnusquisque suam regulam in victu seruat. Immateriales autem vt hectica, phthisis, & marasmus, quæ consumptionem substantiæ, atque alimenti inopiam dicunt, verius cibi adiectionem, quàm subtractionem demonstrant, quando cum his vnà semper adsunt alimenti inopia, atq; carnosæ substantiæ defectus, vnà cum virium imbecillitate: penuria verò copiam exigit: defectus adiectionem postulat: & virium imbecillitas per vicem paulatim illam distribui petit. Sic quippe immaterialis morbus, communiter suum pleniorem victum per vices distributum demonstrat. Materialis autem morbus, materiam sui effectricem, adiutricem caussam dicit, quam remoueri omnino debere exclamat, vt pristina reuocetur sanitas; illius verò remotionem molitur diæta, primum artis medicæ instrumentum; mox eam ipsam perficere tentant reliqua duo, potio inquam, & chirurgia. Qua nam autem ratione diæta id moliatur, dicamus. Materialis morbus quantum ad præsens institutum pertinet, in tres distinguitur differentias, penés eius magnitudinem, paruitatem, & mediocritatem: paruus morbus dicitur, qui aut nulla, aut pauca, aut benigna habet symptomata, vnde benignus denominatur morbus. Magnum autem morbum dicimus, qui magna affert symptomata; magna symptomata sunt, quæ vehementia, forma, insigniaque à Galeno dicuntur: hæc quidem & ægrum, & Medicum semper terrent. Qui verò inter paruos, benignosq; & acutos, malignosque medij sunt, aut horum negatione, aut participatione, vtriusq; medij censentur. Magni itaque, acuti, & maligni morbi, ac parui & benigni, & qui horum mediam naturam sapiunt, vniuersam morbi latitudinem metiuntur, & victus quantitatem in morbis cunctis præscribunt; vt enim morbum in supradictas has tres differentias distinximus, sic & eiusdem morbificam caussam in has easdem distinguimus. Atq; hæ omnes quantitatis differentiæ sunt, vt ad quantitatem referuntur, quantitas enim morbi & suæ caussæ, vt infra quoque explicabimus, dicit eorundem magnitudinem, paruitatem, & mediocritatem. Quantitas igitur materialis caussæ cuiuscunque morbi consistit, in pauca materia, tum molis, tum virtutis; quæ paruum benignumue parit morbum; & in multa, vel mole vel virtute magnum, malignumue procreante morbum: & tandem in media quadam materia noxia, tum ob molem, tum ob virtutem. Et quoniam morbus omnis, & affectus præter naturam (vt ante dictum est) non primò & per se, sed secundariò & per accidens cibum indicat, per vires scilicet ipsas, sine quarum existentia nec subsistere nec curari potest; Sic morbi, morbumque creantis caussæ differentiæ, ab huius, de qua nunc dictum est, quantitatis partitione sumptæ quantitatis victus differentias secundariò, & per accidens monstrabunt. Nam, vt simpliciter quantitas morbi, & suæ caussæ simpliciter victus quantitatem ostendit, ita eorundem quantitatis differentiæ differentias quantitatis victus declarabunt. Differentiæ autem morbi eius caussæ, penés quantitatis diuisionem desumptæ, sunt eorundem differentiæ modi lædendi, secundum vehementiam, exiguitatem, & mediocritatem. Vehementes itaque, leues, mediocresque & morbi & caussæ secundariò & per accidens singulas quantitatis victus differentias, plenitudinem inquam, exiguitatem, & mediocritatem præscribunt. Qualiter verò id agant breuiter ostendemus. Animantium vires, quæ affectibus præter naturam subijciuntur, eisdemque affliguntur, sicut iam scripsimus, præter proprium nutriendi munus, aliud quoque functionis genus exercent. Nam noxia superuacaneaque cuncta è corpore pro suis viribus, sanitatis vitæque tuendæ gratia expellunt. Atque hæc ipsa functionum genera, nutrire inquam, & mala propellere, modo vnum magisquàm alterum, modò æqualiter à viribus absoluuntur, vt rerum ipsarum natura exigit. In sæuis namque, & continuis conflictationibus, si vires fuerint firmiores, tunc morbi expulsioni magis vacant. Si imbecilliores, aut timor imbecillitatis adfuerit, tunc ambabus æqualiter, aut vni magis quàm alteri, pro eorundem necessitate, indulgendum

est. Si verò morbi molestia pauca, aut per interualla fuerit, sic quòd non multa nec continua adsit pugna; tunc suppeditante otio, nutritioni vires magis incumbunt. Tres vtique superius dictæ morbi, morbificæque caussæ differentes conditiones, vehementia scilicet, exiguitas, & mediocritas, quæ robur virium ad morbi, & suæ caussæ expugnationem, aut plurimum, aut parum, aut mediocriter aduocat, vniuersam quantitatis victus rationem definiunt, penès plenitudinem, tenuitatem, & mediocritatem. Magnitudo nanque & vehementia morbi, & suæ caussæ, quoniam plurimum roboris virium accersit, ad horum expugnationem tenuem declarat victum exhibendum esse: quoniam tunc viget pugnæ necessitas, & salubrius oppugnationi, quàm nutritioni vacatur: paruitas verò, & imbecillitas morbi, morbumque gignentis caussæ, cum parum, leuiterque offendat, paruum quoque virium robur exigit, ad mali expugnationem. Cum itaque non tanta sit pugnæ necessitas, ne calor feriétur, plenum demonstrat victum. Mediocris autem morbus inter paruum & magnum, & mediocris caussa, vt mediocriter se habent in lædendo; ita mediocriter quoque in accersendo vires ad pugnam se habent: quare vtrique tam pugnæ quàm nutritioni victu mediocri indulgendum suadent. At si morbi, morbificæque caussæ vehementia, & magnitudo, cum virium imbecillitate vniatur; sic quòd hæc cibum exposcat, illa verò contemnat; tunc mente, & ratione lis dirimitur: pariter si longitudo morbi cum virium debilitate iungatur, iudicio res discernitur: si autē simul consentiant, sic vt vires per se affirment, quod per accidens à morbo declaratur; tunc res tuta vndique conspicitur, per se, & per accidens confirmata.

Vt diuturni acuti, mediíque morbi plenum, tenuem mediumùe demonstrent victum. Cap. XIII.



IAm ostensum est, quemadmodum in ægritudinibus vires cum morbo, morbumq; gignente caussa coniunctæ, duas perpetuò edant actiones, nutritionem inquam, ac morbi expugnationem; per se enim primò cibum & escam concoquunt, pro animantis alitione: secundariò ac necessariò contra inimicum & insultantem morbum pugnant, morbique furori resistunt; ac illum fouentem caussam abijciunt. Harum verò necessariarum functionum, tum nutritionis, tum expugnationis modo vnam, modo alteram magis, modo vtranque æqualiter explent. Vbi nanque acerrimus est morbus, acriter vires affligens, tunc valida oppugnatione contra morbum opus est; & nutritioni parum indulgetur; vbi verò mitior fuerit morbus, mitiorque læsio extiterit; tunc certamen mitius erit, minusque vires in expugnatione occupatæ erunt. Quamobrem æqualiter pugnæ & nutritioni, aut vni plusquam alteri poterunt satisfacere, Epicrasim exercendo. At vbi continget, vt ex longa ægritudine, aut quouis alio casu alimenti sit defectus: & vires sint imbecilles, ita vt alimento indigeant; tunc nutritioni summopere vacandum; & expugnando morbo parum indulgendum.

Verum si eodem tempore acciderit, vt & multa sit opus impugnatione propter acerrimi morbi pugnam, & multa nutritione ob maximum alimenti defectum; vtrisque supremis in suo propriu genere contraria expuscentibus; vtri nam plurimum satisfaciendum? Hanc profectò difficultatem videtur Auic. significasse 4. fen. primi cap. primo cùm dixit, ipse quoque semper sis sollicitus de eo, quod magis suspectum est, & est virtus: si fuerit valde debilis; aut ægritudo, si fuerit multum fortis. In his itaque supremis affectibus, & indigentijs, vbi hinc & inde indifferenter interitus timetur, iure ambigunt, vtra naturæ operatio, nutritio an impugnatio magis exuptetur, atque vtilior existimetur. Antiqui responderunt Epicrasi vtendum esse, modo vni, modo alteri vacandum, aut vtrique mixto munere indulgendum: quando quidem aut inedia, aut vi morbi perire, vnus est interitus. Nos verò dicimus, semper aliquid plus nutritioni esse condonandum; primoque incumbendum: quoniam natura ad nutritionem ordinatur, & per se primò illam respicit; secundariò noxiorum expulsionem, dum prauè scilicet afficitur; & si vnus sit interitus siue cibi inopia, siue morbi violentia intereat, hic tamen violentus & extraneus; ille culpa & proprio defectu accidit. Itaque si virtus imbecillis fortem expugnauerit morbum; aut eius ferociæ resister, siue pugnet, insterque vincere, & morbosam concoquat materiam; in ipsa resistentia, pugnaque, & concoctione, uixuque victoriæ si indigentia adsit, cibus est exhibendus, vt vires in pugna reficiantur: quocirca & primo aph. comm. 9. nos docuit Gal. vt in ipso morbi vigore, vbi casus aliquis interuenerit robur naturæ dissoluens, plene nutriamus. Tempus est; vt quando diuturni morbi plenum ostendant victum, declaremus: longi, extensique morbi siue continuo progressu, siue per tempus

molesti

molesti sint, diutius viuentia corpora detinent & affligant. Qui per interualla affligantes sunt morbi, hi minus læuiusque ferè; Qui verò perenniter nocent, hi modo sæuius, modo mitius affligunt, iuxta morbi naturam. At vires non admodum patiuntur: quoniam non perpetuò detinentur in sæuitiæ morbi expugnatione, grauiumque symptomatum mitigatione; licet sint occupatæ in concoctione materiæ morbosæ, quæ contumacem se præstat ad vincendum, non tamen inde multum læduntur. Vires itaque longo morbo sic tentatæ, cùm ob morbi violentiam non sint imminutæ, sed in suo robore medio quodammodo constantes sint, plenam, seu mediam ægrotantium diætam expostulant; vt foueantur, & in suo seruentur robore, sic quòd longè morbi molestiæ resistant, & dum symptomata sæuiunt, horum sæuitiem reprimere possint, & tandem morbum ipsum morbosamque materiam profligare. Acuti autem morbi contrario modo se habent: nam continuis, magnis, sæuisque symptomatibus grauiter, celeriterque animatum corpus infestant: & longum molestiæ onus vehementia, celeritateque compensant. Vt igitur acuti morbi secus, quàm chronici, corpora affligant; sic alio etiam modo ipsum esse virium, ac consistentiam in corpore demonstrant. Vires nempe in acutis ægritudinibus toto ægritudinis tempore sunt agitatæ multitudine casuum; & multo labore robur amittunt, debilesque euadunt: Morbo namque appetente, & se sequ principio ostentante, & acrius insultante, & congrediente tristantur, patiunturque. In augmento cum symptomatum accessione contrapugnando compatiuntur. In statu cum vehementia symptomatum de victoria certant cum summo nixu, & labore. In declinatione verò victoriæ incumbunt reliquias profligantes. Sic itaque vires per vniuersum acuti morbi tempus in continuo sunt certamine: vnde nulla concessa quiete continuo exercitæ labore, defatigatæ reperiuntur; aut debiles effectæ non multum cibi possunt assumere, quem etiam si eum conficere possent, propter aliam tamen rationem prohibentur, ne scilicet ab incepta pugna naturæ vires distrahantur. Proinde tenuis, aut paulò plenior illis designatur diæta, quæ satis sit pro debilium lassarumque virium conseruatione. Hæc enim diæta nullum incommodum affert: nam & vires seruantur, vt possint morbum fugare, & eius propellere caussam, nec per eam à pugna retrahuntur. Sic vtique acutus morbus tenuem sibi præscribit diætam. Qui autem vltra decimumquartum, & intra quadragesimum diem terminantur morbi, communem vtriusque & acuti & diuturni morbi consequuti sunt naturam, medijque dicuntur. Qui autem horum communem mediamque participant naturam, sic mediam virium consistentiam connotant, inter ipsarummet virium consistentias, acuto diuturnoque morbo comprehensas. Has nempe medijs morbis vires detentæ mediam quoque merito consequuntur constitutionem; media igitur est consistentia virium, quæ medio detinentur morbo inter acutum, & diuturnum. Et sicut media est harum virium consistentia, æquè distans ab extremis, seu vtriusque particeps, sic cibo ipsi mediam quoque inter tenuem & plenam constituit diætam; quæ idonea sit virium constitutionem sic alere; vt neque à pugna, neque à victoria distrahantur. Sicquippe medius morbus inter chronicum & acutum mediocrem diætam, qua virium consistentia conseruetur, desiderat, iuxta mediam dispositionem, æquè distantem ab extremis, seu penès constitutionem, à qua vtriusq; extremi natura participatur. Et quoniam Hipp. & Gal. acutum morbum in tres distinxerunt spacies, in simpliciter acutum, decimaquarta die terminandum; in peracutum septima finiendum; & in exactè peracutum quatuor diebus iudicandum: ideo sciendum est, simpliciter acutum tenuem exposcere diætam, quæ augendo morbo ansam non præstet: sed potius vires parum debilitatas conseruare possit, non adeo tamen debiles, quin morbum superare possint, qualis erit vsus hordeaceæ ptisanæ per integros quatuordecim dies, vt primo aph. quarto recenset Gal. Huic addit Auicenna prima fen. quarti tract. secundo cap. 8. Olera frigida & humida, sicut atriplicos, spinachia, bliti, & similia. Atque hic omnis vsus practicantium adiungit brodium paruæ pullæ, & vnum seu alterum oui recentis vitellum. Peracutus autem morbus, qui septima iudicatur, exquisitè tenuem, seu tenuissimum declarat victum, qualis erit vsus mellicrati, & cremoris ptissanæ per integram hebdomadam, quibus ibidem adiungit Auic. vinum granatorum, iulab subtile, & aquam hordei subtilem. Recentiores autem his eddunt aquam stillatitiam ex carne pulli arte paratam; exactè peracutus morbus, qui & acutissimus dicitur, exquisitè tenuissam exposcit diætam, integram scilicet mediam, de qua scripsit Auicenna, & subtile vltimum in subtilitate est prohibitio cibi, & Hippocrates primo aph. septimo. Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est.

Quantitas

Quantitas diætæ maior, vel minor in morbis qua ratione ex Hippocratis sententia decernatur. Cap. XIIII.



GALENVS primo aph. com. 4. tres diætæ species recenset, plenam scilicet, tenuem, ac mediocrem. Plenam autem illam nominat, quæ vires augere potest. Mediocrem quæ seruare; quæ verò imminuere, tenuem. Hanc autem in exquisitam tenuem, aliter tenuissimam; ad extremumque tenuem diætam distinguit. At tenuis simpliciter, quam nos condecentem dicimus, Hipp. verò paulò pleniorem victum appellat, illa dicitur, cuius modus est vires paulum debilitatas conseruare. Tenuis verò in extremo terminus est virium exolutio, sicut plenæ est virium amplificatio & perfectio. Ex his profectò quatuor à nobis elicuntur diætæ species, plena, media, paulò plenior, ac exquisitè tenuis: hanc quippe, inquit ibidem Gal. semper fugere oportet, alias verò vt præsentia exigunt, vti. Condecens autem, ac tenuis diæta, paulò plenior ab Hipp. dicta, ea est, qua communiter Medici in morbis acutis decimaquarta, vel vigesima die terminandis, vtuntur. Hunc tempe victum vires ferunt, nec pro tenuitate deficiunt, nec pro multitudine obruuntur: & inter tenuissimam, & mediocrem diætam media existit; & hunc Hipp. acutis morbis congruum, appositumque indicauit. Eam ipsam nomine paulò plenioris primo aph. aph. 5. exquisitè tenui conferens illis anteponit, vt tutiorem & meliorem, dum ait in tenui victu ægri delinquunt, quo fit &c. Ibidem namque clarè pronunciat, paulò pleniorem victum minus periculosum esse, quàm valde exquisitè tenuem, dum inquit; ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquisitus eo, quòd sit paulò plenior, magis periculosus; quoniam hic vires dissoluit, quæ dissolutę grauius errores in morbis contingentes ferunt; atque errata in hisce viribus, euenientia immota euadunt: ideo ipse dixit, quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulò pleniori. Dixit magnus, quia paruus parui est momenti. Tenuis itaq; ad extremum diæta mala est apud Hippocratem; quoniam omne nimium est naturæ inimicum, & omne extremum est infestum: namque infestat, & opprimit. Propterea bene scripsit Galenus, hanc semper vitari oportere, siue in vniuersali, siue in particulari versetur diæta. Secundo autem libro de ratione vict. in acut. text. 30. Hipp. hanc ipsam tenuem condecentem diætam, quam paulò pleniorem in aphor. nuncupauit; conferens in acutis morbis cum plena, mediaúe diæta, plenam, ac mediam, quæ vires seruare augereque habent, vt noxias damnat, & condecentem

» tenuem, quæ vires parum debiles seruat, commendat: loquitur enim his verbis. Ciborum au-

» tem adiectioni intendendum multo minus: subtrahere verò omnino sæpenumero expedit,

» cum æger sufficere possit, donec morbus maturescat. Ibidem Hipp. speciem condecentis tenuis diætę & speciem crassę, mediæue diętę inuicem comparat in regimine acutorum morborum: & plenam, ac mediam, vt plurimum in his morbis noxias damnat, illam vt sæpissimè salutarem commendat, dum ait, sæpenumero expedit omnino cibum subtrahere: mox hanc cibi subtractionem terminat, & ait, dum æger sufficere posit, donec morbus maturescat; hæc etenim acutis diætæ tolerantia docet; si vires parum debiles sint, nihilominus ab ea non lædi, & si erratum aliquod in morbo contigerit, facilè quoque illud fieri. Quare dicimus istam subtractionem cibi, quatenus vires ferre possint, esse ipsammet paulò pleniorem diætam, quæ vires parum debiles seruare debet, de qua in aph. mentionem fecit.

Dum igitur Hipp. sciscit ciborum repletioni minus incumbendum esse, sed eorundem subtractioni plurimum indulgendum, Hipp. tenuem condecentemque diætam cum media conseruante seu vulgari plena comparauit in morbo acuto: & quoniam hanc sæpissimè insalubrem expertus est, illam verò frequenter salubrem inuenit; idcirco illi minus vacandum, huic plurimum indulgendum esse censuit. Cur verò ciborum subtractionem sæpenumero, & non semper, Hipp. scripserit; Respondemus, quòd ciborum imminutionem bene, maleque contingit fieri; bene si rectè facta fuerit secundum speciem morbi, & vires ægrotantium: at si non rectè instituta fuerit, longè forsasse deterior, & magis detestanda, quàm adiectio & repletio, est. Quærere autem quænam extremarum diætarum detestabilior sit in morbis acutis, an tenuis exquisita, an plena vulgaris: quando vtraque harum in morbis minus conueniat, curiosa est quæstio, paruique momenti, cùm clara experientia notum apertumque sit, vtrunque malum perniciosumque esse: siquidem ab vtroque mortes accidunt, ineuitabilesque noxæ, atque difficiles curationes. Sed præter experientiam, ratio istud idem sordet; nam cùm duo tantum sint constituta capita, diætam ordinantia, ægri inquam virtus, & morbus; tenuis victus magisquàm conueniat, virtutem tollit, vires dissoluendo; plenus morbificam augendo caussam morbum auget, qui acutus mortem affert. Concludimus itaque ex Hipp. senten-

tia, tum tenuem in extremo diætam, tum vulgarem plenam, non nisi cum timore & periculo in his morbis a Medicis ordinari. At tenuis condecenter, paulò plenior nuncupata, vbique locorum & in libro aph. & libro de ratione vict. in acut. ab Hipp. commendatur, cunctisque præponitur. Si autem morbus vigesimam superet diem, & acutus per circuitionem, longusque euadat; tunc non amplius paulò plenior ei expedit diæta, sed mediocris, quæ vires conseruare habet, & media existit inter paulò pleniorem, & plenam vulgarem. Hæc itaque quæ vires seruat, morbis diuturnis congrua, propitiaque iudicatur. Quamobrem inter quatuor à nobis superius diætæ species explicatas, duæ extremæ in hisce morbis vbique semper periculosæ iudicantur, & duæ mediæ feliciter adhibentur. Quæ paulò plenior dicitur, in morbis acutis decimaquarta, vel vigesima terminandis, salubriter exercetur. Quæ verò media mediocrisque dicitur, ad vires seruandas idonea in diuturnis morbis, qui ab acutis originem trahunt, feliciter administratur. Nec tamus inficias, diætæ plenæ plurimum esse vsum in progressu regiminis chronicorum morborum, & quartanæ, & melancholiæ, morbique Gallici, & similium. Nec pariter negamus in acutis morbis tenuissimæ diætæ suum vsum extare, dicente Hipp. vbi morbus peracutus est, extremos habet labores, & extremè tenuissimo cibo vtendum est. Proinde dicimus Hipp. & Galeni sententiam in his locis fuisse de ratione victus in morbis acutis, decimaquarta, vel vigesima die terminandis, atque etiam in longis ex his oriundis, acutis scilicet per conuersionem. De his quidem Hipp. & Gal. ibidem sermonem habent. De istorum itaque morborum diæta quæ plurimum Medicos fatigat, & quorum vsus frequentissimus est apud omnes gentes, fuit sermo noster in præsenti capite; vbi intermedias præcipuè diætas in hisce morbis commendauimus. Quamobrem vnà cum Auic. 4. fen. primi cap. primo de ratione victus cuiuscunque generis morborum sermonem habente dicemus; quòd nutriens quandoque prohibetur; quandoque minuitur; quandoque equatur; quandoque augetur; quod perinde est, ac si dicamus, tenuis diæta vires imminuit; paulò plenior parum debilitatas seruat; mediocris seu media conseruat, & plena omnino anget; inter quas præcipuè intermediæ a nobis fuerunt discussæ; quarum vsus frequens est; atque ob id frequenter Medicum ad aegrorum perniciem aberrare contingit. Sed in his omnibus dictis difficultatem affert Hipp. sententia secundo de regimine acut. tex. 48. vbi errata plenioris, tenuiorisque victus comparans, maiora facit errata plenioris, quam tenuioris, dum ait. Maius malum est, si quis aegro ob dolorem, aut morbi acumen imbecillo, potum, aut sorbitionem plurimam, aliudue esculentum propinauerit, ob vasorum inanitionem imbecillum factum esse arbitratus: turpe quoque est non aduertere eum, qui ob vasorum inanitionem laboret, atque inde victus genere affligere; hoc enim erratum periculi non nihil affert, sed longè minus altero. Ad haec respondemus, quòd cùm duo superius bene ordinatae diaetae sint constituta capita, morbi scilicet constitutio, & aegrotantis virtus; Morbus victum, illumque pleniorem, tanquàm morbi caussam adaugentem, tenuit; tenuem verò, vt tutiorem, recipit; sicut id, quod virtutem à pugna non distrahit. Aegrotantis virtus tenuem victum odit, tanquàm id quod debiliter alit; pleniorem verò amat vt vires adaugentem. Errata itaque ibidem Hipp. comparans in tenuiori, plenioriique victu contingentia, longè maiora facit plenioris, quàm tenuioris. Si ergo retineamus veritatem distinctionis supra declaratae, de condecenti tenui diaeta, & non condecenti, dicemus quòd Hipp. comparans tenuem & plenam diaetam, per tenuem non intellexit in extremo tenuem, quae vires dissoluere habet; sed condecentem tenuem, quae plerunque nomine paulò plenioris ab auctoribus explicatur. De hac profectò ipse scripsit; minus malum afferre, minusque periculum apportare: quoniam eius peccatum facilius corrigitur, quàm plenioris diaetae: quoniam in hac specie diaetae vires non admodum offenduntur: & ideo eius noxa facilè emendatur. At in diaeta tenuissima, quae tenuis in extremo dicitur, vbi vires dissoluuntur, secus dicendum: nam huius erratum aegris vt plurimum perniciem, & mortem affert; & ideo semper mala iudicatur, malumque semper affert, de qua quidem Hipp. iudicio quidem nostro, nullo modo loquutus est, dum illas inter se comparauit.

Modus morbi, atque eius caussa modum diata declarat.

Cap. XV.



MODVM autem morbi, eiusque caussæ præter morem, quæ nomine benignitatis, malignitatisque vacantur, nos dicimus eorundem modum essendi, quem seruant cum dispositione virium, vt est Acutus, Diuturnus, Mediusque morbus; seu vehemens, parua, mediaq; morbifica caussa, quem modum tenent cum fortitudine, imbecillitate, mediocritateque virium. Modus enim morbi est modus essendi, quem habet

morbus

morbus cum virium constitutione; & pariter quem virium dispositio seruat cum morbi, & illius caussæ constitutione. Modus autem iste essendi morbi à specie morbi differt; quoniam simul & suam, & virium dispositionem explicat. Erunt itaque modi morbi, & eius caussæ certæ determinatæque species morbi, suarumque caussarum, proprias virium corporis dispositiones connotantes, vt infra suo loco clarius exponetur. Acutus morbus quarta, aut septima die terminandus, cum robusta, seu mediocri virtute iunctus; suum tenuis diætæ modum ostendit, vt primo aph. com. 4. refert Gal. vbi integram inediam seruare admonet in morbis primis quatuor diebus finiendis: In ijs verò, qui non vltra primam hebdomadam protrahuntur, forti existente natura, solius melicrati vsum commendat, aut ptissanæ succum, seu parum ptissanæ hordeaceæ, eorundem diætam dixit esse. Cùm imbecilla verò virtute acuti morbi coniuncti suum quoque modum plenioris victus declarat, qualis describitur ab Auic. prima fen. quarti tract. secundo cap. 38. in cura febris syncopalis humorosæ, vbi inquit. Et vinum aquosum confert eis in principio, & propriè si fuerint febres eorum fortes, & necessarium est eis vinum post cibum: quod de vino scripsit, idem innuit de consimili, quod multum citoque nutriré habet. Diuturni verò morbi cum valida, seu mediocri virtute iuncti; vbi cruda multa materia fuerit, suum plenioris cibi modum, atque illum moderatum demonstrant, cuiusmodi ab Auic. describitur fen. prima quarti libri tract. secundo cap. 65. de cibatione patientium quartanam: sic enim ait. Rectius est, vt inclinetur regimen eorum in primis septimanis vsque ad tres septimanas ad subtiliationem quandam, præter quòd destruat virtutem: & post illum necessarium est virtutem viuificare cum eis, quæ sunt sicut pisces saxatiles, oua sorbilia, pulli, & huiusmodi. Modus verò chronici morbi cum debilitate virium coniunctus, peculiarem modum mediæ diætæ demonstrat; illumque per vices exhibitum expostulat: illud idem asseritur de modo essendi mediocris morbi cum fortitudine, aut imbecillitate virium; quoniam vnusquisque eorum suum peculiarem plenioris victus, mediocrisùe diætæ modum demonstrabit. Modus autem essendi morbificæ caussæ, quem seruat cum viribus, suum diætandi modum manifestat; vt bene Gal. super aph. 17. libri primi recenset, vbi habet. Si enim vires laborantis debiles fuerint; & ea, quæ in corpore est dispositio, sit ex corruptione humorum vel defectu; parum alimenti & sæpius talibus afferemus; parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimenti sostinere; sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio temperamentum. Si verò cum virium debilitate, nec defectus aliquis adfuerit, neque corruptio; humores autem naturales se modice habuerint; vel etiam superabundauerint; his rarò & pauca afferemus, & multo magis istud agemus; si cum naturæ robore humores superabundauerint. Si verò cum humorum defectu, vel corruptione vires validæ fuerint, tunc multos cibos, atque multoties his, qui ita laborauerint, dabimus, vtputa exigente dispositione, & natura robusta potente illos concoquere. Si verò accessiones non permiserint, nec multas alimenti offerendi occasiones præstiterint; tum multum, & rarò exhibemus. At si vires validæ fuerint, cum plethorica dispositione, rarò, & pauca afferemus: nam etsi id quod cibum debet concoquere, robustum habemus, quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est, vt pauca afferamus; si quidem oportet, & à morbo & à viribus ægrotantis ad ea, quæ proposuimus, sumere indicationes. Mox ad anni tempora, quæ morbificæ caussæ speciem gerunt in eodem contextu, descendens Gal. ait. A tempore autem, & ætate, & alijs, quæ sunt his proportionalia, hoc modo. Aestiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt: quoniam & pluri egent adiectione, vt qui sunt dissoluti; & vires habent imbecilles. Hyberno autem tempore multa quidem propter robur virium, sed rarò quia non valde multa egent adiectione laborantes; vt quibus non multa fiat euacuatio. Vere adhuc medio atque adhuc magis æstati proximo paucis, & ex longo interuallo nutriemus: nam tempus id periclitatur, ne proximè accedat ad plethoricam dispositionem, propter humorum, qui hyberni temporis frigore concreuere, fusionem. Quemadmodum ergo in plethoricis dispositionibus, si vires validæ fuerint, paucum cibum, & ex longo temporis interuallo damus, sic & vere faciendum, præsertim in febricitantibus. Autumnus verò morbis, qui ex corruptione fiunt, assimilatur: quapropter, qui eo febricitant tempore, continua boni indigent adiectione; & si vires validæ fuerint, sæpè & multa; si verò imbecilles, pauca, & sæpius afferemus: Hæc eadem ab Auic. habentur libro 4. fen. prima tract. secundo cap. 8. de cibatione febricitantium in generali, vbi ait: Et æstas quidem propter suam resolutionem indiget additione cibationis, & separatione eius: nam virtus non sufficit ad digerendum illud, quod multum est semel. Et in hyeme res est è contrario, quoniam propter paruitatem resolutionis eius non facit indigere cambio multo. & quæ sequuntur, apud eum legere poteris. Simili modo quispiam & ab ætatibus, & à consuetudine,

& à regionibus sumet indicationes, ad duas primas redigens intentiones singula, quæ sunt dicta, aut ad fortia seu debiles vires, corpus custodientes; aut ad bonorum humorum superabundantiã, aut ad eorundem carentiam, seu malorum, vitiosorumq; humorum deprauationem. Redundantia enim, & defectus bonorũ, & affectio, & mala dispositio prauorum humorum, simul cum validis debilibusque viribus, corpus regentibus, hæc quippe ipsa sunt, quæ à nobis & modus morbi, & suæ caussæ, atque virium quoque modus nominatur. Ad modum etiam diætæ atque morbi modum indicantis spectanc quæ ab Auic. quarta fen. primi cap. primo scribuntur. Et nobis quidem est necessarium nutriens, quod cito penetret: cùm casus virtutis vitalis succurrere volumus, & ipsam viuificare; & non est tempus, aut virtus sufficiens seu potens tolerare; vt nutriens digeratur, quod tarde digeritur: & nos quidem à nutriente terremur, quod cito digeritur, cùm accidit, vt nutriens præcedat, quod tardæ digeritur: & timemus ne cum eo misceatur: & terremur etiam à nutrimento grosso; cùm pro certo scimus; quòd accidunt oppilationes: sed eligimus cibum fortis nutrimenti, & tardę digestionis propter eum, quem confortare volumus, & exercitijs fortibus præparare; rarum quoque nutriens eligimus propter illum, cui velociter accidit pororum spissitudo. Ad hunc eundem modum diætæ, & modum morbificæ caussæ indicantis pertinent, quæ ab ipsomet in eodem libro & cap. traduntur, dum inquit. Nobis quoque quandoque est necessarium, qualitatem minuere, & in quantitate augmentum facere: & hoc quidem est, cùm desiderium fuerit superans, & in venis crudi fuerint humores; & voluerimus desiderium sopire per stomachi repletionem, & à venis multam prohibere materiam; ideo vt prius minuaretur illud quod est in venis, aut propter intentiones alias ab istis; & quandoque necessum est nobis in qualitate augmentum facere, & minuere quantitatem: & hoc quidem est cùm voluerimus virtutem confortare: & stomachi natura rem multam digerere non valet. Hactenus Auic. de modo indicationis diætæ.

De temporibus morbi, eorumque appellatione. Cap. XVI.

MORBI omnès penès suæ agitationis longitudinem, breuitatem, atque medium inter horum vtrorunque statum mensurantur, vnde longi, breues, & medij status dicuntur morbi. Breues acuti sunt, qui infra vigesimum diem terminantur. Chronici dicuntur, qui vltra quadragesimum, aut sexagesimum diem finiuntur. Medij sunt, qui mediam naturam sapiunt, & intra quadragesimum, aut sexagesimum diem soluuntur. Hos nempe morbos cunctos dimetimur penès quatuor differentes motiones suarum efficientium caussarum, aut penès quatuor diuersas agitationes ipsorummet morborum, seu suorum accidentium, quæ agitationes, & motiones morbi tempora à Medicis asseruntur. Atque hæc ipsa sunt, quæ aut vniuersas, maioresque totius morbi partes partiuntur: vnde vniuersales, maioresque motiones, aut vniuersalia, maioraque morbi tempora dicuntur; aut minores singularesque morbi particulas metiuntur: vnde minores particularesque motiones minora, particulariaque morbi tempora appellantur. Hæ ipsæ quatuor differentes motiones, quæ tempora quoque dicuntur, singulariter vnaquæq; à Medicis suo proprio nominatur vocabulo. Dum enim morbi caussæ tam secundum maiores, quàm minores partes agere incipiunt, ac corpus adoriuntur, principium id prorsus nominatur: quoniã tunc primum morbus gignitur. Cùm vehementer morbosæ caussæ vim suam exercent, aut dum afflictatio, exagitatioque morbi crescit, incrementum dicunt. Cùm verò & caussæ, & morbi, ac symptomata eundem tenorem, vigoremque seruant, statum appellant: declinationem autem vocant, quando eorundem vis minuitur, ac frangitur. Sic quippe morbi cuncti, diuturni, acuti, & medij indifferenter in hæc quatuor diuiduntur motiones, ac tempora, principium, augmentum, statum, & declinationem, tam secundum vniuersales, maioresque eorundem partes, quàm secundum minores, & particulares; vnde vniuersalia particulariaque morbi tempora communiter dicuntur. Superest, vt exponamus qualiter vniuersalia hæc tempora morbi diuersis appellentur nominibus: nam ex ijs quædam defluxus tempora dicuntur, quæ fluxionis partes metiuntur; quædam accidentium, quæ eorundem agitationem mensurant; quædam concoctionis materiæ appellantur, quæ concoctionem ipsam in imminutam, manifestam, ac completam distinguunt. Dicimus itaque, quòd internæ corporeæ morbi caussæ dupliciter efficiunt, aut cum fluxu, & motu, aut absque fluxu & motu. Cùm fluxu & motu, dum cum impulsu suoúe impetu mouentur, & ad partem aliquam fluunt, ibidemque consistentes putrescunt, morbumq; faciunt: sine fluxu autem, & motu, dum detentæ clausæúe intra corporis vasa, aut in aliqua parte corporis congestæ, ibi putrescunt, & febrem tandem efficiunt. A morbi caussa cum fluxu & motu, morbum efficiente, tria morborum tempora Medici sumunt; primum penès tres fluxionis

partes,

partes, dum ſcilicet parum, aut mediocriter, ſeu valde fluit humor, fluxionis principium, incrementum, ſtatumque diſtinguunt. Secundum morbi tempus cernitur; dum fluentes fluxæq; materiæ, ac partibus affixæ, ſui copia & putredine dolores febresque faciunt: & vehementer æger perturbatur: & ex hac perturbatione accidentium tempus naſcitur. Quod perficitur ab vltima principij concoctionis parte ad augmenti partem primam vſque. Tertium verò tempus, dum eędem, quæ confluxerunt materiæ putridæ, ac ſemiputridæ, concoquuntur: & ad commodam expulſionem præparantur. Hæ profectò materiei præparationes concoctionis tempus nominantur. Ex morbifica cauſſa abſque motu & fluxu morbum cauſſante, dum ſcilicet intra corporis vaſa humores mali clauduntur, aut in aliqua congeruntur parte, morbumque faciunt, duo tempora à Medicis cognoſcuntur, & ambo concoctionis tempora dicuntur; ſed non eodem modo: nam tempus vnum eſt, quando cum adauctione concoctionis augentur ſymptomata, & morboſam materiam in morbi ſtatu deuictam vniuerſam expellit: atque tempus iſtud in febribus præcipuè acutis cernitur. Alterum concoctionis materiei tempus obſeruatur in reliquis ab acutis febribus, intermittentibus ſcilicet, & quotidianis, vbi materia morbifica paulatim concoquitur, paulatimque expellitur, atque inſenſibiliter diſperditur. Concludimus igitur morborum tempora quatuor ad ſummum à Medicis obſeruari; Tempus inquam humorum defluxus, atque accidentium tempus, & tertium concoctionis materiei, diſtinctum in ſeruans materiam ad vnicam expulſionem in criſi, ſtatuque morbi; atque in illud quod eandem morboſam materiam paulatim per partem poſt partem concoquit, digerit, & expellit, donec morbum finiat. Hactenus de morbi temporibus, eorundemque agitationibus. Sequitur vt diſquiramus; quemadmodum quatuor vniuerſalia morbi tempora quatuor victus differentias demonſtrent, atque vt ſingula ſingulas declarent; mox vt quatuor particularia tempora debitum exhibendi cibi tempus manifeſtent.

De vniuerſalibus morbi temporibus diuerſas victus differentias declarantibus. Cap. XVII.

EX ijs igitur, quæ ſupra poſita ſunt, principijs dicimus, vires ægrotantium, & morborum ſpecies totam victus rationem in cunctis ægritudinibus præſcribere vires ſimpliciter alimoniam, & victum per ſe primò demonſtrant: earundem autem virium differentiæ victus differentias declarant: nam aut imbecilles, validæúe exiſtunt, aut multum, aut parum otiantur, aut plurimum, aut modicè contra morbum pugnant. Si nanque fortes ſint, fortiterque pugnent, in acri, & breui morbo; nullusque ſit locus otio, tunc tenuem oſtendunt victum. Si imbecilles vires extiterint, tunc paulò pleniorem poſtulant cibum, pluribus tamen eum temporibus diſtributum. Si nanque validæ fuerint vires in morbo diuturno, non admodum moleſto, vbi vires plurimum otiantur, parumque pugnant, tunc plenum expoſcunt victum, vt vires ipſæ ſeruentur, ac longi morbi moleſtiæ reſiſtant: & dum ſymptomata ſæuiunt, eorundem ſæuitiam leniant; Si verò enim huiuſmodi longo morbo imbecilles fuerint vires, tunc moderatum, ſeu infra mediocritatem cibum expoſtulant, ſed frequentius exhibitum. Mediocris autem virtus inter validam & imbecillem in mediocri morbo inter longum & acutum, mediam quoque victus rationem inter craſſam & tenuem exhibebit. Morbus autem ex altera parte victus rationem præſcribit, non per ſe vti ſupra dictum eſt, ſed ſecundariò; cùm nec ſubſiſtere, nec curari poſsit abſque virium conſiſtentia. Hanc vt conſeruet, per accidens victum demonſtrat; & vt per accidens morbus victum declarat, ita & morbi differentiæ per accidens victus differentias declarabunt. Breuis itaque, longus, mediocrisque morbus, quas ſupra morbi differentias fecimus, ob multam, vel paruam, vel longam, vel breuem, mediamúe pugnam, quam vires oppugnando exercet, plenum, tenuem, mediocremque victum, quæ victus differentiæ traduntur, per accidens manifeſtat. Ratio itaque morbi per accidens victus differentias diſponit, ex eo, quod multum, vel parum, vel mediocriter, & breui, ſeu longo, mediocrique tempore ægri vires impugnat, & laceſsit: longiuquus enim morbus, ac diſtans ſtatus ob diuturnitatem longam, ſed paruam exercet pugnam: nam vires non diu tolerant fortes ſimul, & diuturnas paſsiones. Ipſe igitur longus morbus plenam ægris præſcribit diætam: vt perdurare vſque ad morbi ſtatum poſsint. Morbus autem breuis, & ſtatus propinquus, qualis ſemper eſt in morbis acutis, ob inſtantem, multamque expugnationem, tenuem definiunt victum, ſed quo perſiſtere vſque ad morbi ſtatum vires valeant. Medius autem morbus inter acutum & diuturnum, medio quoque modo ſe habebit, inter tenuem & plenam diætam præſcribendam. Maior itaque & minor & mediocris impugnatio, & magis & minus

minus remotus & propinquus expugnationis & victoriæ terminus, & inter horum vtrunque medius, & vnà cum his multa paucaue morbi materia est tota morbi ratio, per accidens diætæ differentias omnes, & plenam, & tenuem, & mediam ritè disponens, ac dirigens. Virium autem ratio, vti iam diximus, easdem victus per se differentias demonstrans, & ordinans est, prout illę validæ infirmæque fuerint, & prout multum, vel parum, aut mediocriter pugnauerint, seu plurimum, aut modicè otiatæ sint. Ex his omnibus concludimus, quòd vniuersalia morbi tempora victus differentias secundum plenitudinem, tenuitatem, & mediocritatem præscribunt, primum penès maiores differentias morbi, breuis, diuturni, & mediocris, ac penès virium dispositiones in eo, quod vires fortes, debiles, mediæúe sunt, & in eo quod parum, multum, mediocriterúe pugnant, vel parum, vel multum, mediocriterúe otiantur.

Vnumquodque vniuersale morbi tempus quas victus differentias præscribant. Cap. XVIII.



PRAECEDENTI capite quatuor genera temporum vniuersalium numerata fuere, defluxus inquam humorum tempus vnum, atque accidentium alterum, & concoctionis materiei tertium, materiam ad criticam expulsionem referuans; quartum illam paulatim concoquens, & euacuans. Ex his quatuor generibus temporum, duo, defluxus inquam humorum tempus, & concoctionis materiei, materiã in statu seruans vincendam, conformia sunt in diætæ obseruatione; reliqua duo, accidentiũ scilicet tempus, & concoctionis materiei, alterum materiã paulatim digerens, & euacuans, pariter conueniunt in institutione diætæ. Principium vniuersale temporũ accidentium, atque materiei paulatim concoquendæ, & vacuandæ, tenuiorẽ victum, quàm incrementum, & status morbi, semper desiderant. In quotidiana itaq; febre, & tertiana notha, & similibus, in quarum sanatione Medici paulatim concoquendo, & euacuando progrediuntur; nec crisis vlla expectatur, ob materiei copiam, & cruditatem, quæ in principio maximè vigent, ex cuius putredine nouoque aggressu mala nascuntur symptomata, & periculum deteriorum imminet in futurum, in morbi principio tenuis imperatur victus; postea cùm concoctio augetur, & morbus ad salutem tendit, cibus quoque adaugetur. Pestilentes autem febres, & malignæ ob lethalem, quam viribus statim in primo aggressu pugnam inferunt, tenuem in morbi principio declarant diætam; vt virtus omnis conatu pugnæ vacet: sed quoniam earundem liuores in ægrorum vires grassantur, easq; perdunt, propterea pleniorẽ victum extra principiũ volunt, & amant, vt bene nos Gal. admonet in lib. 3. de morbis vulg. com. 3. tex. 58. Fortiores ergo, qui vim sibi ipsi afferẽtes cibũ oblatum assumpserunt, omnes ferè superstites fuerunt. & Auic. lib. 4. fen. prima tract. 4. c. 4. de cura febris pestis, addit. Et quandocunque cadit appetitus, cogantur ad comestionem; nam plurimi eorum, qui viriliter agunt super illud, & comedunt violenter, absoluuntur, & viuunt; quare necesse est cogere eos ad cibum. In morbis autem acutis, ex inflammatione exortis, quales pleuritis, phrenitis, perineumonia dicuntur, & consimiles omnes, qui ex inflammationibus internis nascuntur, qui quidem duo tempora à Medicis possidere asseruntur, accidentium vnum, concoctionis alterum, licet accidentium tempora breuissima fiunt; nam ferè status omnia videntur, hæcq; cum principio concoctionis materiei, seu augmento tantum visuntur, & non vlterius progrediuntur; in hisce, inquam, acutis morbis, vbi duo morborũ tempora conueniunt, concoctionis scilicet, & accidentium; Medici dicere consueuerunt; q horum acutorum morborum concoctionis principium tenuem victum semper exquirit; Augmentum verò, & status, pleniorem exposcunt diætam: atq; huius ratio est; quoniã tunc temporis materia est multa, & multum rebellis, & magnæ pugnæ vestigia adsunt; propterea natura totis viribus ei occurrit, & ad vincendum laborat. In concoctionis verò augmento paulò crassiorem optat cibum, in statu similiter, vbi perfecta est concoctio adhuc crassiorem; & hoc ideo, quoniã materia magis, ac magis virtuti obediens redditur; & successiuè morbus magis remittitur: & natura minus concoctioni materię intenta, tutò ciborũ concoctioni vacare potest, absq; nocumenti suspicione. De istorum itaq; morborũ diæta verba faciens Auic. 1. 4. trac. 2. c. 8. in hunc modum scripsit: Quando virtus est „ fortis, tunc fortasse facit necessarium dispositio, vt sis contentus iuleb, & similibus. Et si non „ plus saltem hebdomade vna, & propriè in febribus apostematum, quorum scilicet terminatio „ est per viam resolutionis; & si timueris debilitatem in exhibitione iuleb solius, sis contentus „ aqua hordei, quæ scilicet aliquantulum nutribilior est quàm iuleb. Et si adhuc ex aqua „ hordei timueris debilitatem, da, cibum aliquantulum ea nutribiliorem. Hactenus Auic. „ qui ab Hipp. hæc omnia habuit lib. 1. de vict. in acut. tex. 23. vbi ait: At si os madefiat, & quæ „ è pulmone expuuntur talia sunt, qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem (vt dicam sum- „

matim) augere conuenit: nam quæ citius, magisque madescunt, iudicationis denunciant celeritatem: quæ verò tardius, minusque, tardiorem significant iudicationem.

Tempora autem morborum, quæ materiam ad vnicam in statu expulsionem seruant, contrarium profectò cibandi modum demonstrant; quoniam principium crassiorem, augmentum tenuiorem, status verò tenuissimum exposcit victum. Morbi verò, qui his temporibus mensurantur, sunt acuti, quorū morbosa materia inter magna vasa putrescens, ardētes accendit febres, septima aut decimaquarta terminādas. Harum aūt febrium vniuersale principiū suo incremento, aut statui cōparatum ex propria natura semper minorem pugnā dicit, & propterea cōparatione sui incrementi, & status crassiorē semper victum postulabit; similiter & incrementū morbi principij collatione tenuiorē, status verò cōparatione minus tenuē exoptat dietam: quoniā incremēti pugna maior est, quàm principij pugna, & minor quam status. Morbi aūt vigor & status ob maximū certamen, & conatum victoriæ, tenuissimū omnino exclamat victū, nisi viriū imbecillitas obstiterit. De his quippe morborum temporibus hunc cibandi ordinē præscribentibus Hipp. 1. aph. 10. sermonē habuit, dū dixit: Prius verò vberius agendū, vt æger sufficiat. Et lib. 2. de vic. in acut. tex. 15. Melius siquidem esse dico, protinus vt à morbi initio sorbere incipiat, quā inanitis, vacuatisq; vasis. Et de eodē quoq; Gal. 1. ad Glauc. c. 13. ait: Quibus verò vel status totius morbi vltra septimanā, & vires inualidæ, hi à principio solidiori cibo sunt reficiendi, propè verò statū tenuiori. Cum aūt iam adest status, tenuissimū victum seruare oportet, deinde rursus assidue solidiorē, ac simile augmentū efficere illi, quod ante statū fiebat, decremento. Hæc eadē Hipp. 1. aph. 8, confirmauit: Cùm morbus in suo vigore cōsistit; tunc tenuissimo victu vtendum est, tum propter casuū magnitudinē, subdit ibidē in cōmentario Gal. tum propter morbi concoctionem: neq; enim distrahere oportet naturā ad aliā nouā concoctionē, cum eo tēpore vni humorum noxiorū concoctioni fortiter vacet. Hæc eadē vidit Auic. 1. fen. 4. tract. 2. c. 8. Et subtiliationē quidē regiminis significat natura materiei. Et hæc quoq; confirmauit 4. fen. 1. c. 1. Et quanto ægritudo plus principio propinqua fuerit, & reliqua. Hanc aūt tenuissimam diætam Halabbas 3. suæ practicæ determinat qua rōne per breue & longū tempus sit constituenda; vbi scripsit. In statu quidē oportet esse dietā in vltimo tenuitatis, vt est prandij dimissio, ne forte virtus occupetur in digestione cibi: sed conuertat totā curam suā ad resistendum morbo, & ipsum expellendū notabiter. ibidem in breui statu temporis dedit exemplū de prandij dimissione, & nō dixit, & cœnæ, quia si status esset longinquus, nō posset virtus tanto tempore sine cibo stare. In statu igitur longo diæta debet graduari: nam penès eius primam partē plenior esse debet, circa mediā subtilior, apud crisim tenuissima, quæ est omnimoda cibi abstinentia: nam per paruum temporis spatium faciliè patitur. Vnum animaduertendum in rōne victus morborum materiam ad vnicam expulsionem seruantium; quòd nulla est ratio dicentium, quòd in morbi principio, vbi virtus est fortis, tenuius est diætandū, quàm in augmento, & statu, vbi vi morbi illa est defatigata. Dicimus nō satis esse, virtutem in principio esse fortē; sed vlterius in morbi progressu, in statu scilicet, quærimus, vt illa perseueret fortis ad morbi violentiā expugnandam; plenius itaq; cibatur, non pro præsentis, sed futuræ dispositionis ratione, vt virtus scilicet in statu fortis conseruetur, ac ideo bene 1. aph. 9. dixit Hipp. Coniectari aūt oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat. Pariter dicimus illorum quoq; vanā esse rōnem, qui aiunt in statu vbi maior est dissolutio, plenius esse reficiendum, quàm in principio, & augmento, vt dissolutioni satisfaciamus. Dicimus, istud in sanis, & non in ægris habere locum, quòd scilicet vbi est maior dissolutio, ibi magis sit reficiendum. Nam virtus in morbis debilitatur propter multam dissolutionem, debilis autem facta non potest cibum multum concoquere, & cibus non reficit, nisi concoquatur. Præterea in statu, & augmento magna est pugna inter naturam & morbum, & eadem est virtus, quæ impugnat morbum, & cibum concoquit: vnde si cibus detur, & natura ei vacet, sic distrahitur à pugna; & si pugnæ incumbat, cibus incoctus relinquitur, & morbosam adauget caussam. Concludunt itaque omnes, in hisce prædictis morbis nihil esse in statu dandum, nisi virtus sit admodum defecta. Ad argumentum autem, vbi est magna dissolutio, ibi copiosior refectio esse debet, dicimus, verum esse, vbi virtus sit potens concoquere, aut alibi non sit distracta: at in morbi statu virtus facta imbecillis impotens est concoquere cibum; & ad morbi materiam digerendam distracta est. Cùm autem dicimus, in crisi tenuius esse diætandum, intelligimus de crisi in fieri, & non in facto esse, siue completa, siue incompleta illa fuerit. Penès autem tempora defluxus materiei, dicimus, quòd in principio, vbi materia pauca, lentoque motu defluit, naturam parum infestans, tunc vberius corpus alimus: vbi verò in augmento, statuque defluxus plurima materia, citationisque motu fluxio ægrum aggrauat; tunc tenuissimè illum nutrimus. Hæcque de salubri, & non lethali morbo intelliguntur. Nam in morituris prædictione

vtimur,

vitimur, id quod futurum est pronnntiantes: at si cogimur merituro cibum dare, plenius illum cibamus; sperantes ex cibo virtutem subleuari, validumque fieri, ac morbi conatui resistere. Vnum animaduertimus in principio inflammationum, vti diximus, tenuius esse diætandum, propter impetum symptomatum; procedente postea inflammatione ad resolutionē, tunc plenius reficiendum esse asserimus. At si inflammatio suppuretur, tunc iterum circa suppurationem oportet diætam attenuare: nam tunc accidentia intenduntur, dicente Hipp. In puris generatione dolores, & febres fiunt. Et sic extenuando procedere oportet, vsque ad factam saniem, & vsque ad apostematis rupturam; & propterea Auic. 14. tertij tract. 3. c. 14. ait. Oportet vt administretur in principio subtiliatio cibi. Hæ profectò suppuratarum inflammationum febres similes sunt morbis reseruantibus materiam ad vnicam expulsionem; & in eis status quoad accidentia concurrit, cum statu quoad digestionem materiei: & sic in harum inflammationum febribus ratione inflammationis in principio tenuis diæta est necessaria, propter caussas dictas. Deinde iterum & in statu suppurationis. Quidam comparantes febres ad morbos alios in tenuitate & crassitie diætæ: dixerunt quòd in acutis febribus tenuis diæta magis expedit, quàm in alijs morbis: propterea quòd earum læsio maior est, & maius imminet periculum. E contrario in chronicis febribus; nam earundem diæta minus tenuis esse debet, quàm in alijs morbis, quia maior fit in eis resolutio, & ideo plus virtuti est indulgendum in febribus, vnde Auic. 14. tertij tract. 4. cap. 33. dixit. Et minoratio cibi, & subtiliatio eius valde est melior cura; & nonnulli addunt, quòd in morbis peracutis, in quibus non læditur virtus naturalis, quamuis naturalis et ab operatione sua distrahatur, vt in apoplexia, & similibus, cibus potest, aut in totum prohiberi, aut multum minui. In quibus autem virtus naturalis læditur, vt in febribus putridis, & alijs morbis ex putrefactione, cibus non sic diminuendus est. Dolores autem & symptomata ægrum affligentia perpetuò mitigantia exposcunt remedia: at si vires certe dissoluerint, tunc cibum exquirunt, & volunt, & Auic. prima fen. quarti tract. secundo cap. 8. dixit, De ijs, quæ indicant subtiliationem regiminis, est si fit necessitas phlebotomiæ, aut solutionis ventris, aut clysteris, aut sedationis doloris, tunc oportet vt des operam ad expediendam, vel complendam illam necessitatem scilicet de vacuatione, & sedatione doloris, & similibus: deinde cibū, si necessarius est cibus, nisi sit prohibens aliud; quod scilicet prohibeat cibum dari post vacuationem & sedationem doloris: & istud prohibens posset esse noua accessio, aut nouum symptoma superueniens, aut aliud simile.

Particularia morbi tempora debitum cibandi tempus ostendunt.
Cap. XIX.


PARTICVLARIA morbi tempora, principium, augmentum, status, & paroxysmi declinatio, atque interuallum, quod inæquale etiam tempus dicitur, ipsa quoque suas pariunt indicationes; nam particulares ciborum oblationes ipsa demonstrant; hæc enim morbi tempora, quibus particulares morbi motiones metimur, in duplici cernuntur differentia; aut enim motiones ipsæ continuæ indeficientesque sunt, aut interpolatæ, atque intermittentes; qualescunque fuerint, semper breues citòque terminabiles sunt; quamuis continuatione successioneq; protrahantur. In particularibus quidem temporibus intermittentium morborum, cum accessiones agitationesq; ipsę breuiter iuxta suam periodum corpus oppugnent; tunc vt vires quiete & absq; molestia cibo vacent, non nisi expleta pugna, idest in hora quietis accessionis cibus est exhibendus, ne à pugna virtus distrahatur: & ne cibus derelictus inconcoctus permanens, in morbificā caussam transeat. Principiū nanq; paroxysmi propter suū aggressum, & insultum, cibum prohibet dari; & robur virium exposcit, vt insultus impetū retundat; augmentū inchoatæ exortæq; pugnę caussa cibū fugit, ne à pugna vires diuertantur. Status verò ob conatum nixumq; assequendæ victoriæ cibum omnino refugit, & vires omnes ad morbum expugnandum expostulat. Quamobrem bene dixit Hipp. primo aph. 11. in accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocuum est: & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. Per accessionem autem te oportet intelligere (inquit Gal. in comm.) deterius tempus totius circuitus, quod est à primo insultu vsque ad tempus consistendi; sicut reliquum tempus declinationis est melius. Dicit igitur Hipp. simul cum Galeno, quòd accessiones, principium inquam morbi, augmentum, & status prohibent exhibitionem ciborum; ne vires ab eo, quod cum morbo & symptomatis certamen constituerunt, tum distrahantur. Id quod in libro acut. 4. tex. 36. conformauit, cùm dixit. Quod neq; cùm adsunt, neque haud ita multo post affuturæ sunt accessiones, cibus dandus est, sed cùm declinant, aut cessant. Declinatio itaque & quies paroxysmi iure cibum exposcunt, cùm tunc

vires otiosæ sint, atque illi commodè indulgere possint. Si verò continenter paroxysmi affligant, & nulla sit intermissio; nec vllibi detur à pugna locus quieti, tunc nullum extat tempus tutum securumque à noxa; non principium, propter nouitatem insultus, vnde natura terretur, & imparata est ad cibi assumptionem; non augmentum cum incępta pugna efferuescat; non status, vbi acerrimum est prælium: sed pro magis congruo eligimus inæquale tempus, quod vltimam principij, & primam augmenti partem complectitur: pariter & remissionem accessionis, & febris. Hæc duo tempora, vt minus mala, & magis apta, quæ necessitati nutritionis satis faciant, eliguntur. Tempus igitur opportunum cibandi in sanis erit, cùm virtus appetit cibum, illumque postulat, & cùm adest hora solita & appetentiæ, & assumptionis cibi. Aegris verò illud congruum, opportunumque cibandi tempus asseritur, quod in intermittentibus inquam morbis declinationem accessionis, seu intermissionis quietisque horam nominamus; in continuis continentibusque febribus, & paroxysmis erit congruum tempus vnum illud interstitium temporis, quod interiectum est inter vltimam principij partem, & primam augmenti, vbi nondum symptomata creuerunt. Alterum verò erit vltima pars status, cùm incipit declinare, & deferuescere, ac distat à futuræ accessionis principio, præcipuè si fuerit consueta hora, & aderit fames & appetitus comedendi.

Quidam scripserunt, cibum in paroxysmo datum tria facere nocumenta, primum est angustia propter læsionem, quæ cordi, & stomacho communicatur ex cibi corruptione; secundum est prolongatio paroxysmi, propterea quòd virtus concoctrix distrahitur à pugna accessionis & insultus. Tertium est protractio ægritudinis totius, quoniam ex cibo corrupto materia corrupta generatur, ægritudinis materiam adaugens. Hipp. autem libro primo de ratione victus
» in acut. horam congruam dandi cibum febrientibus præscribens tex. 46. sic ait. Tempus au-
» tem dandæ sorbitionis, tum per initia, tum per omnem morbi decursum, hoc maximè seruare
» oportet: nam si pedes frigidi fuerint, non à sorbitione modo, verum quoq; & maximè à potu
» temperandum. At cùm caliditas ad pedes descenderit, tunc dare expedit; quibus Gal. ibidem
» in comm. subscribens inquit. Quodnam igitur optimum languentibus ipsis dandæ alimo-
» niæ tempus? Sanè cùm moderatissimè se habuerint, tum thorax, tum venter; deterrimum ve-
» rò, cùm ea deterrime habuerint. Deterrimè autem habent in accessionum principijs, mode-
» ratissimè verò in declinationibus. Constat igitur optimum cibi ministrandi tempus in ægro-
» tantibus declinationis esse. Accessionis autem principium fit calore omni toto ex corpore ad
» cor thoracemque concurrente. Incrementum cùm paulatim ad extremas corporis partes se se
» expandit. Status cùm æquè corpus totum occupat. Verum declinatio contrarium principio
» modum habet, perspirante scilicet caliditate, atque medium corpus relinquente, quod vno
» verbo ostendit, inquiens. Cùm ad pedes calor descenderit. Hactenus Galenus. Ex quibus facilè colligimus quàm bene ipse etiam alibi scripserit, deteriorem horam ad cibum exhibendum esse morbi principium, tum quia eius nocumentum temporibus alijs omnibus communicatur: tum quòd intempestiuè in principio cibus assumptus grauius naturam premit, & molestat: nam nulla refectione indigens, quicquid pro tunc assumit, onerosum illi existit. In statu verò propter multos labores natura resoluta suo iure iudicat cibum & alimentum. Neque enim in exhibitione cibi tempora particularia vniuersalibus similantur. At dices, vniuersale apud Philosophum nihil aliud dicit, quàm sua particularia: & si particularia principia cibum renuunt, pariter & vniuersalia, & si vniuersalia admittunt, pariter & particularia. Ad hæc dicimus; quòd vniuersale tempus longè quid diuersum significat à particularibus, Particulare nanque dicit insultum huius singularis accessionis, ad quem immediatè sequitur pugna; & huiusce pugnæ acutio mox morbi vigor, & tandem declinando finitur. Vniuersale autem tempus aliud continet; nam ratio vniuersale formans, singulas accessiones, quæ vniuersum morbum constituunt, contemplatur; & tres primas (vt ita dicamus) mitiores principium; tres alias vehementiores augmentum; alias tres maximas statum; reliquas inclinantes declinationem Medici nuncupant. Principium itaque temporum vniuersalium dicit tres primas exiguas totius morbi accessiones, quæ in comparatione harum, quæ augmentum & statum efficiunt, paruæ debilesque sunt iudicatæ. Exiguæ itaque & debiles accessiones comparatione maiorum, & maximarum, quæ in augmento & statu cernuntur, pleniorem semper vberioremque demonstrant victum. At accessionis insultus, qui describit principium particularis accessionis, qualecunque illud sit, in comparatione ad statum, semper inhibebit cibum; nam immediatè ad insultum sequitur pugna, & morbi adauctio & vigor eiusdem pugnæ. Nocumentum itaque in accessionis principio factum communicatur omnibus temporibus; nocumentum verò in statu effectum solum ipsi & declinationi est commune. Ad argumentum, quòd vniuersale nihil aliud sit, quàm sua particularia; di-

cimus

cimus Philosophi propositionem veram esse; sed particularia principij vniuersalis morbi non sunt simpliciter principia accessionum, sed tres tantum exiguæ primæ accessiones, sic indicatæ, comparatæ accessionibus augmenti, & status. Principium autem particulare dicit insultum accessionis, ad quem immediatè sequitur pugna: ac ideo istud renuit cibum, illud verò admittit: & huius vtriusque rei clara est ratio; sed, vnde digressi sumus, reuertentes, dicimus paroxysmi principium deterius omnibus alijs temporibus ad cibum exibendum iudicari, propterea bene inquiunt, minus errare eos, qui à principio discedunt paroxysmi futuri, exhibendo cibum, quàm qui à fine præcedentis eo, quod cibationi ante paroxysmum subsequitur pugna; ei verò, quæ post paroxysmum, quies succedit. Tempus verò determinatum elongationis cibationis à principio, vel à fine paroxysmi, non est limitatum, nec certum; nec Auctores id verè rescribere possunt. Si febrium paroxysmi subintrantes fuerint, sic vt in declinatione primi statim succedat secundus, ambigua tunc est hora cibi: nec enim expedit, dum primus declinat, cibum dare, quoniam imminet principium alterius: etsi expectetur declinatio secundi, nimis longè protrahitur hora cibi: quare restat vt circa augmentum secundi, quod inæqualitatis tempus à nobis fuit nuncupatum, salubriter cibus exhibeatur: istudque melius existimatur, quam in principio vel statu. Dum febris aduentus inordinatus, incertusque extiterit; & hora pariter cibandi inordinata, incertaque erit.

Ab inanitione verò, & repletione indicationem cibandi sumentes aiunt, quòd non nisi eiectis fœcibus, ventreque inferiori expurgato, cibus est dandus, vt bene nos admonet Auicenna prima fen. quarti tract. 2. cap. 8. Cum accidit febris, & natura est sicca, non cibes penitus, donec egrediatur fœx perfectè. & primo de Regi. acut. text. 32. Hipp. scripsit. Quibus enim cibus statim inclusus, si quis non euacuato eo sorbitionem dederit, dolorem, si adest, adaugebit, si non adest, protinus inducet, frequentiorque redditur spiritus, quod malum est. Et infra text. 42. Si nuper pasto cuipiam, & alui oneribus haud quaquam purgato, febris vel cum dolore, vel sine dolore incœperit, à sorbitione tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partem descendisse coniectum est. Et infra in eodem libro text. 45. subdit. At, si nuper cibato non descenderit cibus prior, virtusque valida fuerit, effloueritque ætas, subluere oportet. Si verò virtus imbecilla sit, glande est vtendum; nisi aluus sua sponte probe eiecerit. Accidentia naturalem, vitalemque virtutem defatigantia cibi exhibitionem monstrant; at quæ in statu animalem virtutem perturbant, id minimè exposcunt, ne virtus hæc, quæ in crisi expellendo materiam, laborat, ab opere distrahatur; Notandum quod diæta, quæ subtilis dicitur ratione temporum vniuersalium, comparatione particularium plena multoties existit, vt notat Auicenna prima quarti tract. secundo cap. 2. vbi respectu paroxysmi regimen grossum esse dixit aquam hordei cum saccaro, & iuleb, quæ tamen subtile regimen dicitur ratione totius morbi. Ab anni insuper tempore hora diei, & afflictionis, ægrique consuetudine indicatione sumpta, cibandi ægrum, dicimus; si æstas fuerit, cibandi horam fore, antequàm meridies transeat, quod tunc temporis aeris caliditas est moderata, & naturalis calor validus existit. Si verò hyems, circa meridiem cibationis hora erit: nam tunc naturalis calor fortis est, & in omnes diffusus corporis partes. Ex horis diei meliores sunt horæ frigidæ, scilicet mane & vespere. Ex horis verò afflictionis morbi quietior semper est eligenda. Et si illa fuerit hora diei frigidior, optimum erit. At longè melius, si adhuc consueta illa extiterit, hæc enim frigidiori præponitur. Hæc cuncta, quæ diximus, maximè veritatem habent ex parte morbi, qui caput vnum diætam ordinans, à nobis fuit superius declaratum, ratione itaque pugnæ, quam morbus cum natura exercet, quæ scripta fuere vera traduntur. Ex parte autem virtutis, quæ fuit alterum caput diætam confirmans, ac stabiliens, secus res se habere cernitur multoties: nam ex varijs eius dispositionibus varia, atque etiam opposita ijs, quæ dicta sunt, Medici facienda imperant, & quæ à morbo ordinata fuere, cuncta spernuntur & reijciuntur, quemadmodum bene nos admonet Auic. fen. prima quarti tract. secundo cap. 8. de cibatione febricitantium in gene. vbi inquit. Et de corporibus sunt corpora cholerica, quæ requirunt regimen diuersum ab illo, quod diximus; & propriè quando sunt assueta comestioni plurimæ; ipsi enim cum non cibantur, etiam in ipso principio febris, immo in hora, quæ est deterior ea, & est hora status; non vacuæ sunt dispositiones eorum à duabus rebus: quoniam ipsi cùm sint debilium virium, superuenit eis syncope, & moriuntur in paroxysmo: & si sint validarum virium, cadunt in extenuationem, & apparent super eos signa ariditatis ex subtiliatione nasi & profundatione oculorum, & quòd tempora sunt depressa, & fortasse superuenit eis syncope per effusionem choleræ mordicatiuæ ad os ventriculi, & sunt de hominibus, qui sunt exuberantis

betantis carnis, sed cum abscinditur ab eis cibus, debilitantur, & extenuationem incurrunt: quare non tolerant prohibitionem cibi: & omnis cuius calor innatus fortis est valde, aut plurimus, aut calor innatus est valde debilis, paucus, non potest dimittere cibum: & de his sunt quibus accidit dolor & læsio in stomacho: & dolor capitis propter communitatem, & isti sunt de hoc genere, & istis fortasse sufficit aqua hordei, & fortasse egent, vt misceant succum granatorum, & similia illi, vt confortetur os stomachi; & quandoque est nobis necessarium, vt faciamus eos vomere cum facilitate ante cibum. & paulò inferius: Et senes quidem, & debiles, & infantes sunt de genere eorum, qui non tolerant famem. Hæc & plura ibidem traduntur ab Auicenna, quæ omnia à Galeno habuit 10. meth. cap. 4. & 5. vbi ipse, tum ratione, tum experimento demonstrat, nonnunquam vtile esse ante accessionem, & in ipsa accessione cibum dare, atque etiam in ipso summo morbi vigore, sicut ibidem apud eum quisque plenè legere poterit. Ex his vtique facilè colligitur, quòd quemadmodum præternaturales res, variæ, dubiæ, incertæque sine firmo rerum fundamento sunt; ita & earundem curationes variæ, dubiæ, ac incertæ sine fixa radice cernuntur. Ac de temporibus morbi victus differentias distinguentibus, debitamque horam exhibendi cibum demonstrantibus satis sit dictum.

Vinum quid sit, & à quibus indicetur, inhibeaturque in morbo acuto. Cap. XX.




INVM est liquor potabilis, ex vuis maturis domesticæ cultæque vitis expressus, propria concoctione hominis nutritioni, nutrimentorumque delationi congruus: cuius quidem temperamentum in actiuis potentia calidum existit, in passiuis verò dum recens est, humidum, tum actu, tum potentia. Dum verò vetus illud fuerit, potentia siccum probatur. Ex his profectò, quæ ex vsu hominibus sunt, nihil vino, quod magis iuuet, ac delectet, experimur; nec mirum, cum cibi, & potus, & medicamenti fungatur officio; prositque, tum foris infusum, tum ore haustum, maximèque nos delectet, atque exhilaret, soloque odore recreet. Ex ipsius nempe substantiæ, qualitatisque familiaritate, quam cum humanæ speciei sanguine tenet, inter omnia nutrientia plurimum, celerrimeque nutrit. Proinde Gal. 3. libro de Temp. cap. 2. de eius nutrimento sic scripsit. Vinum verò vt assimiletur, opus desiderat minimum; quo fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrime. Tertio autem lib. de ratione vict. in morb. acut. com. 1. præcipuas vini differentias Gal. recenset, vbi ait: Est siquidem vna ipsorum vinorum differentia in colore; alteram qualitas in gustatu facit; tertia consistentiam respicit; quartam odor progignit; & quinta in virtute reperitur, quas quidem singulas ibidem licet inspicere. Com. autem 8. eiusdem libri vinũ febribus maximè congruum describens, ait. Est autem vinum hoc album colore, substantia tenue, nullam earum, quæ cæteris vinis insunt, habens qualitatem, neque austeritatem, neque acerbitatem, neque dulcedinem, neque acrimoniam, neque odorem; nempe vino huic omnium soli, vt tum aquæ, tum vini mala effugeret, est datum. Prodeunt autem talia in vnaquaque gente aliqua. In Italia imbecillum, sabinum, quod febricitantibus administrant; in Asia &c. Huic conforme scripsit Auic. tertia fen. primi doct. 2. cap. 8. vbi ait. Et scias etiam, quòd ex vinis illud est melius, quod inter vetustatem, & nouitatem est æquale, & est clarum, album, quod ad rubedinem trahit, bonum habens odorem, æqualis saporis, & quod neque est acre, neque dulce. At iuhet capita, quæ ægrorum potum ordinant, & terminant, perscribere. Hæc quatuor communiter traduntur, temperatura inquam, consuetudo, virtus, atque morbi conditio. Morbi autem conditio, per quam & morbi speciem, & eiusdem caussas, & tempora nos intelligimus, vt vinum in morborum curatione denaget, primum inquiremus; febris nanque cordis, totiusque corporis calida & sicca intemperies vinum, vt insalubrem caussam distrasiam adaugentem, conspiciens, renuit; & non adhibendum esse omnino suadet; si nanque vt salutarem morbificam caussam concoquens, putredinique resistens, contemplatur, tunc id amat, appetit, & exhibendum esse admonet. Virtus verò quam temperatura, consuetudoq; concomitantur, id ipsum vinum, vt alimentum & victum conspiciens, exoptat & exposcit semper; si verò vt morbi remedium salutaremque caussam illud respiciat, modo prohibet, modo admittit, modo parcè exhibendum esse ait. Inter morbi verò species, quæ in sui curatione vinum modo vult, & exposcit, modo renuit, & reijcit, febris maximè recensetur. Ipsa etenim ex propria natura, cum calida & sicca sit passio, vinum vt intemperiem adaugens, odio prosequitur, ex Gal. sententia 8. meth. cap. 4. & aquæ potum, vt eius perpetuum remedium; diligit, & optat, & vnà cum febre numerantur dolor capitis contumax, somnus profundus, vigiliæ superfluæ, delirium,

atque conuulsio; & vt refert Gal. in libro 8. de Comp. med. secu. locis cap. 7. Quælibet, intemperatura calida & sicca, interna inflammatio, erisipelas, ac abscessus, præsertim circa morbi initia, augmentum, & statum vbi caussæ agitantur, ac mouentur ad morbos adaugendos, & confirmandos, vinum odit, & fugit; & aquam appetit, & exquirit. Si namque febris caussa bilis extiterit, cuius munus est ex Gal. sententia 4. & 7. libro aph. acutas ardentesque febres accendere, siue flaua, siue pallida vitellinaúe illa fuerit, hæ profectò singulæ, dum putredinali calore in morbi principio irritantur; & ad febrem efficiendam, ac seruandam mouentur, aquæ potum desiderant, vt pristinum salubrem statum consequantur; & vinum renuunt, & tanquam inimicum euitant, per totum inquam tempus, quo bilis cruda, tenuis, acrisque extiterit. Quod erit in acutis vsque ad septimum, aut quod longissimum est ad nonum diem. Vbi autem acutæ ardentisque febris crassa bilis caussa fuerit, hæcque ex pituitæ melancholiæúe in fectione, seu permistione, crassa existat, & febris inde exorta protrahatur, sic quòd timor nascatur, ne æger cum potu aquæ sufficiat perdurare, donec morbus consistat; tunc de aquæ potu suspicio exoritur, & disquiritur; an vini potio congrua sit pro materiei concoctione, ac corporis nutritione: nam vt bene refert Gal. 8. de Comp. med. secu. locis cap. 7. Vinum ægrotantibus conuenientissimum est: nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni resistit, & si intemperies ex humiditate, & frigiditate facta fuerit, eam citra omnem molestiam, ac securè persanat. At præter bilem tenuem, aut crassam, acutum morbum prægignentem, vbi materia multa sit, plurimo agitata motu, cuiuscunque generis fuerit, consimilem acutum morbum procreans, vini potionem formidat, eamque fugit, vt materiam magis excitantem, morbumque adaugentem; ita bene quidem scripserunt, febrientes vinum non bibant, nisi corporis plenitudine careant. At vbi febris intermittens fuerit; & accessiones, exacerbationesque habuerit, vinum maximè prohibendum est prope accessionis tempus; & non solum prope, sed & toto tempore exacerbationis, seu paraxysmi; & si necessarius fuerit potus, tunc aquam hordei, aut iuleb aqua cocta perfusum, vel consimilem potum sumant. His prædictis scopis à diæta eorum, qui acutum morbum patiuntur, vinum auferentibus consentiunt, & subscribunt infrascripti cuncti, calida & humida temperies totius corporis, valida virtus, spirituum copia, complexio radicalis fortis, bona corporis habitudo, ætas iuuenilis, & quæ est ei propinqua, & consuetudo parcè bibendi vinum, tempus æstiuum, regio calida, & regimen præteritæ vitæ calefactorium. Non immerito igitur quidam scripserunt, quòd calidæ temperaturæ, tum humidæ, tum siccæ, vbi cum acuto morbo vehementique febre detentæ sint, aquæ potione reguntur; nam vt 6. de morb. vulgat. com. 4. partic. 15. bene refert Hipp. calidis naturis aquæ potio congrua est; his igitur acutis febribus detentis per vniuersum morbi tempus satisfaciet aqua: dummodo virium imbecillitas, ventriculi infirmitas, & consuetudo bibendi vinum non reclamauerint. At ad ea, quæ vinum in morbo acuto exposcunt, progrediamur. Eadem enim capita, quæ in diæta acutè febrientium vinum inhibebant, eadem inquam, sed alio modo disposita, vinum in eorundem victus ratione exquirunt, & vt à morbi specie, à febre scilicet ipsa de qua præcipuus est sermo, eiusdemque caussis exordiamur; dicimus, quòd pusillæ, lenesque febres, nullis annexæ symptomatibus, & diuturnæ pariter ex frigidis, humidis, crassis, viscidisque humoribus exortæ, vinum, vt salutare præsidium amant, & desiderant; necnon malignæ pestilentesque febres, vires absumentes, vena prius secta, imminutaque per pharmacum materia, morbi prima quaternione transacta, vinum similiter exposcunt; Intermittentes verò tertianæ, atque etiam continuæ, vbi morbificæ caussæ vinci, & concoqui manifestè cœperint, vinum expetunt: & securius exhibetur; si corpus prius à communibus excrementis purgetur, venaque secetur, vbi secari opus fuerit. De intermittente verò biliosa febre primo ad Glauc. cap. 9. Gal. verba faciens, sic scripsit: A vino autem antea quàm morbus concoquatur, omnino abstinendum; at vbi concoqui cœperit, dandum est ab initio tenue aquosum, & paucum; vbi verò iam propè est, vt morbus soluatur, amplius est offerendum. Consimile ferè repetit 9. meth. cap. 3. vbi inquit: Vinum verò ipse conscius et omnibus me eiusmodi naturis calidis minimum concedere; sed quod tum aspectu, tum viribus sit aquosum: id enim ad omnia vtilius, quàm aqua est, vt pote quod & concoctionem iuuet, & vrinas, ac sudores prouocet. Constat autem & Hippocratem non in diarijs modo febribus, verum etiam in acutis ex ijs, quæ in acutorum victu prodit, vinum dare. His dictis simile scripsit Auic. prima fen. quarti tract. 2. cap. 7. Non est malum apud declinationem, & apparitionem digestionis, & euacuationem humorum, si administretur potus vini permisti. Gal. 12. meth. cap. 4. Vinum, quod & calidum natura sit; & deductionem in corpus promouet, omnibus, qui syncope malè se se habent, offerre conuenit; dicunt enim quidam, quòd si contingat simul adesse aptitudinem ad syncopem, & ad phrenesim, tunc in exhi-

bendo vinum aptitudo ad syncopem præualet ei, quæ est ad phrenesim, & vinum salubriter exhibetur. Sed eligitur quod minus capiti nocere possit. Longa, vetustaque vinum bibendi consuetudo, in quocunque morbo etiam illud prohibente, suo iure vinum postulat, ipsique facilius à Medico assentientibus omnibus conceditur. Vbi autem febrientes ad frigidiorem lapsum ruunt, atque ad malum declinant habitum, vinum omnino volunt, siue coctæ fuerint, siue crudæ morbificæ eorundem materiæ: nam huiusmodi ad frigidum naturalium membrorum lapsa conditio vinum, vt summum auxilium, summopere postulat: aquamque vt inimicam odio prosequitur. Virium autem imbecillitas vbique locorum vinum, vt potum, ac proficuum medicamentum appetit, & amat. In Pleuritidis, peripneumoniæque declinatione Gal. 3. libro de victus ratione in morb. acut. com. 2. vini potum summopere laudat, vbi ait,
» Post melicratum ptyssana est, atque ab ea vinum dulce, si coctis iam tum peripneumonia, tum
» pleuritide propinetur, amplius non vexatis inflammatione corporibus, quod si vinum huius-
» modi epotum sitim faciat, ad expuitionem minus idoneum redditur. Verum vt vno verbo
» absoluam, vinum dulce in acutis morbis ad expuitionem, tum propter dictas operationes, tum
» quia vires roborat, idoneum existit, & maximè ijs, qui quæuis humida, quæ tum in thorace,
» tum in pulmone continentur, expuunt. Insuper animaduertendum, quod Hipp. & Gal. libro primo de ratione vict. in morbis acut. com. 22. admonent, in pulmonis, succingentisque membranæ inflammatione, vbi oris fauciumque siccitas aderit, os vino lymphato abluendum esse, ad fauces humectandas, & præcipuè ante sorbitionum assumptionem, & nihil inde mali formidant. Ventriculi autem cruditates, & vtriusque visceris, iecinoris inquam, & lienis imbecillitates, frigidus vteri affectus, atque meseraicarum à crassis humoribus obstructiones, necnon intestinorum rugitus, aquæ potionem odio habent, vinumque exoptant, nec absque ratione 3. de ratione vict. acut. text. 8. Hipp. scriptum reliquit; Quòd meracius vinum intestina, vt concoctionis sedes iuuat. Vinum autem, quod acuti morbi, internæque inflammationes, atque mali capitis affectus, abhorrent, est quod Galenus potens, mediumque nominat, scilicet id quod aquam cito euincit, & quod vehementer, celeriterque corpus calefacit, caputque ferit, quod vinosum aliàs dicitur: medium verò intelligit, quod inter hoc & aquosum vinum medio modo se habet. Aquosum nempe nominat, quod aquæ maximè in omnibus simile existit, tenuitate scilicet, & colore, & odoris carentia, & non insigniter calefacit. Vbi itaque Hipp. & Gal. in libro de morbis vulg. & in libro de ratione vict. in mor. acut. vinum concedunt, & exhiberi iubent, non nisi de imbecillo, aut medio, multa aqua persuso, ita vt viribus aquoso correspondeat, intelligunt; de quo quidem vino aquoso scripsit Hipp. 3. de ratione
» vict. acut. text. 20. his verbis. Cæterum multa vino albo, tenui, paucifero, & inodoro quo-
» dammodo fortior est, quodam modo imbecillior. Dum itaque Hipp. 3. iam citato lib. tex. 41.
» ait; Cùm verò in huiusmodi morbis fortem capitis grauitatem, vel mentis læsionem suspicatus
» fueris, à vino penitus est abstinendum, aquam tum dare oportet, vel vinum aquosum, flauumque
» & prorsus inodorum, atque ab ipsius potione aquæ exiguum superbibendum; nam hoc modo
» vini potentia caput, mentemque minus tentabit. Pariter & quod quarto libro de ratione vict.
» acut. text. 41. scripsit, Quibus per febres aluus liquida est, & mens turbatur, horumq; multi
» floccos vellunt, naresque fodiunt, & parum quidem interrogati respondent, sed ex se nihil,
» quod compositum est, dicunt, talia ijs melancholica esse arbitror. His igitur ita habentibus, si venter liquidus fuerit, & colliquans, sorbitiones frigidiores crassioresque exhibendas esse puto; potusque, qui sistant, vinosioresque, vel etiam altringentiores. In his, & similibus sententijs, vbi vinum Hipp. concedit, semper de aquoso, seu medio valde diluto intelligit: potens & vinosum semper fugiens, & detestans, neque existimat, quòd huiusce vini potio tenuis diætæ terminum frangat. An verò in augmento, & statu morborum acutorum, vbi manifestæ &
« perfectæ videntur concoctiones, & morbi ad salutem progrediuntur, oligophorum vinum,
« seu medium, quod isti nominant, vinum multa aqua perfusum, salubriter dari possit, ambi-
« gunt multi. Illud etiam quærunt in eorundem acutorum incremento, ac statu, vbi mala, cru-
« da, lethaliaque cernuntur signa, & morbi ad perniciem tendunt, an idem potus absque calum-
« nia sit exhibendus. In læthali autem casu isto nos dicimus, melius esse cum benigna spe vi-
« num experiri; quàm cum aqua, aut alio simili potu ægrum certò perdere. In morbo autem,
« vbi salutis spes adest, dicimus si æger acuta febre correptus calidæ sit temperaturæ, bonæque
« corporis habitudinis; nec ventriculi imbecillitas, aut angustia, seu tristitia adsint; per vniuersum morbi tempus à vino abstinere, esse salutare. De potione autem puræ aquæ, quod est al-
« terum extremum in genera potuum, potenti medioque vino oppositum, in morbis acutis hæc
» vtilia dignaque scitu Hipp. tradit libro 3. de ratione vict. acut. text. 40. Aquæ, quæ in acutis
» bibitur morbis, nullum sanè aliud habeo, quod illi concedam officium; neq; enim in peripneu-

monicis tussim sedat: neque sputum educit; immo cæteris minus, si quis aquæ potione prorsus vtatur. Verum si inter oxymeli, & mulsam paulum aquę instilletur, ob qualitatis potionum transmutationem, sputum educit: nempe intus inundationem quandam parit, aliàs neque sitim sedat, sed amarescit nempe ei qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa. Hypochon duo præterea est infesta, malaque, atque etiam pessima, biliosissimaque, & vires maximè labefactat, vbi in vacuitatem venerit. Adde quòd lienem auget, iecurque; vbi phlegmone obsidentur, fluctuatque, & innatat. Tardè siquidem meat; quòd frigida & incoctibilis sit: neque aluum deijcit: neque vrinas mouet: atque ex eo quoque vacua est; quòd stercoris suapte natura expers sit, quàm si pedibus frigentibus aliquando quis biberit, ea is omnibus multo magis nocebit ad quod vis eorum venerit. Hactenus Hipp. Ac ideo bene Erasistratus memoriæ prodidit; quòd fortes, tum ciborum, tum potuum facultates tempestiuè quidem assumptæ, maximum iuuamentum; intempestiuè verò maximam offensam afferunt. Hipp. præterea atque Gal. vnà cum antiquioribus pro potu eorum, qui morbis acutis affliguntur, vltra aquosum vinum, communiter mulsa oximeliteque vsi sunt. Nos verò in his consimilibusque casibus longè delicatiori, vtilioríque potu vtimur; nam & aquam cum sacharo, iulepo, acetosoque simplici, ac de acredine citri, necnon vino granatorum, simul perfusam non minus salubriter quàm suauiter exhibemus. Multa pulchra scribuntur de vino in libro Galeno adscripto, cui titulus est de vinis ex Galeno, & est cap. 6. libri 5. collectionum Medicalium Oribasij, ad Iulianum Imper. quem si videre volueris, legere poteris.

Finis Secundi Tractatus.



TRACTATVS TERTIVS,

DE SANITATE ET MORBO, MORBIQVE INDICATIVA CVRATIONE, ET COMMVNI, ET PROPRIA; VTQVE CONTRARIA CONTRARIORVM SINT REMEDIA.



DE SANITATE, PROXIMISQ. EIVSDEM effectricibus caußis. Cap. I.



SANITAS est animati corporis proprium, & peculiare accidens, in similaribus dissimilaribusque eiusdem partibus, atque in earundem partium coagmentatione æqui inhærens, à Græcis eucrasia, symmetriaque, à latinis æqualitas, temperies nuncupata. Vt enim animatum corpus ex tribus compositionis generibus constat, ex similarium, dissimilariumque partium compositione, atque ex earundem coniunctione, & compagine; sic in vnaquaque harum compositione suum congruens, proficuumque accidens reperitur; quod sanitas seu valetudo à Medicis, & à Philosophis nuncupatur. Symmetriam namque, & Eucrasiam pro eadem re Medici vsurpant. Symmetron enim (inquit Gal. libro primo de Temper. cap. 6.) est medium inter extrema; vnde & Medici sanitatem, mediocritatem, æqualitatemque quandam esse dicunt. Aristot. quoque in prima sect. problem. problem. 3. eam mediocritatem quandam esse dixit, quam

quam ipsam Gal. in primo libro de differen. mor. cap. 2. hoc modo definiuit. Sanitas est symmetria quædam. At in primo de sani. tuen. cap. 5. absolutiorem attulit eiusdem definitionem, dum ait. Sanitas omni sectæ symmetria quædam est: nobis calidi, frigidi, humidi, & sicci; Alijs corpusculorum, & meatuum; Alijs insectilium, vel incompactilium, vel minimorum, similariumúe, vel denique primorum cuiuscunque elementorum. Propterea à natura, & secundum naturam, conueniens, & vtilis vbique sanitas nominatur. Nam ea, quæ à natura fiunt, moderata, & singulis rebus amica, conuenientiaque sunt. Quamobrem & bene 14. libro meth. cap. 14. scripsit Gal. Dixi hoc loco conuenientem; quòd si conferentem, vel conducentem, vel secundum naturam, vel vtilem alibi vsurpauero, eadem sermonis vis erit. Est itaque sanitas accidens naturæ amicum, ac familiare, de genere relationis & qualitatis; quoniam ipsa sanitas est quid compositum, & aggregatum ex relatione & qualitate. Relatio quidem est; quoniam vt aiunt, commensuratio corporis existit; Est etenim commensuratio calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum secundum debitam proportionem humorum ad inuicem, & ad continens, idest ad totum corpus, quod continet humores, vel aerem continentem, secundum omnes aeris qualitates; Et illa commensuratio humorum ad aliquid dicitur: quia eadem commensuratio, quæ est sanitas in leone, non est sanitas in homine, sed potius morbus, vel eius interitus; cùm humana natura minimè eam sustineat. Similiter eadem humorum commensuratio, quæ est sanitas in vno continente, vtputa in aere aliquo, est ægritudo in altero, & hoc pacto sanitas ad aliquod dicitur: Qualitas verò ipsa nominatur: quoniam ex qualitatibus, quæ absolutæ res sunt, inuicem commensuratis, vt à constitutricibus caussis procreatur, & efficitur, æqualis inquam & commensurata suis æqualibus, commensuratisque effectricibus caussis: ex illa ergo qualitate genera commensurata, & qualitatibus inuicem commensuratis, illamque constituentibus, sanitas quid compositum & aggregatum dicitur ex qualitate, & relatione. Hoc ipsum magnus Albertus comprobauit 7. Physico. cap. 7. vbi ait. Omnis virtus talis est permixta secundum suas essentias, & essentialem rationem cum relatione. Aequalitas igitur seu symmetria (vt Græci aiunt) quam Medici sanitatem faciunt, ex relatione, & qualitate compositum quid dicunt esse: quando apertè explicat genitam, commensuratam corporis qualitatem, atque commensurationem qualitatum, humorumque inuicem æqualium, illam constituentium; quæ duo simul iuncta compositionem ex qualitate, & relatione apertè significant. Huiusmodi verò composita non sunt per se, essentialiterque in aliquo determinato genere secundum Auicennam; sed dicuntur esse in diuersis generibus, ratione suarum partium: quia ratione materiæ, quæ est fundamentum, sunt in genere qualitatis: at ratione formæ in genere relationis traduntur esse, Nec propterea quòd dicimus sanitatem materialiter considerari, materiam verè illam facimus; cùm vndequaque, & tota sit forma, eorum inquam, quæ in alijs insunt: sed secundum similitudinem, & comparationem quandam, & non vera est materia. Et iuxta hæc prædicta aiunt Philosophum 7. Physico. scripsisse, ad corporis habitum, & dispositionem per se alterationem non esse: nam habitus, & dispositiones corporis sunt virtutes, & vitia eiusdem; quæ, vt modò retulimus, aggregatæ res sunt ex qualitate, & relatione. Et prout ad aliquid sunt, ad ea non est nec motus, nec alteratio, vt 5. Physi. apparet: quatenus verò qualitates quædam existunt; tunc ad eas est motus, & mutatio, vnde motu mutationeque in dies illæ fiunt, & gignuntur. Sed ad rem nostram redeamus. Sanitas igitur, quam nos symmetriam, æqualitatemque nominamus, formaliter ad aliquid est; fundamentaliter verò qualitas asseritur de prima, de secunda, vel de tertia qualitatis specie. Si namque consideretur, vt passionem, affectionemúe gratam, & iucundam sensui infert, in tertia qualitatis specie reponitur, passio, passibilisque qualitas dicta: Si verò consideretur, quatenus naturalem potentiam habet, nihil patiendi, seu difficulter à caussis scilicet morbificis & contrarijs; tunc in secunda specie collocatur. Alij verò non sanitatem, & ægritudinem, sed salubritatem, insalubritatemque in hac specie reponunt. Verum si habeatur ratio, vt ab ea breui, longoque tempore affecti, dispositique sumus, & vt ea in nobis parum, multumúe fixa est, & faciliter, difficulterúe separabilis, seu vt alij inquiunt, vt secundum eam conuenienter, & salubriter afficimur, dispositique sumus; in prima specie collocatur. Qui autem aiunt sanitatem habitum virtutemque esse, & isti sanitatem compositum quid faciunt, ex aliquo, quod formæ rationem habeat; & aliquo, quod materiæ ratione teneat; idest ex ratione formali, & materiali: materialis quidem ratio est qualitas sub porportione fabricata, & in æqualitate virtutis posita, quæ id ipsum, cuius est virtus, perficit; & eius opus perfectum reddit: Formalis verò ratio & si relatio sit, & proportio; quæ, vt huiusmodi, non agit, nec operatur, formæ tamen officio fungitur ex eo; quòd qualitatem sub proportione collocatam ad bene perfecteq; agendum præfinit. Hæc itidem sanitas, & constitutio, & compositio secundum naturam di-

citur à

citur à symmetricis, inuicemque contemperatis humoribus iuxta naturæ ritum illam constituentibus. Hæc & perfectio quoque dicitur ab eisdem humoribus, seu humorum qualitatibus secundum omnem æqualitatem inuicem compositis perfectè constituta. Hæc quidem symmetria à Gal. in primo de sani. tuen. cap. 5. duplici ratione distinguitur, vna est quæ ad summum peruenit; & verè prorsusque symmetria est: Alia quæ ab huiusmodi absolutione, perfectioneque paulum deficit. Similiter & sanitas duplex dicitur, & est; vna quidem exacta, optima, absoluta, ac summa; altera paulum ab hac deficiens, non tamen ita, vt animali sit grauis. Hæc insuper sanitas alio modo triplex quoque recensetur, penès tria compositionum genera superius dicta; quæ in animantium corporibus reperiuntur, in similarium, dissimilariumque connexione, & dissimilarium partium compositione. Vnde & similarium æqualis temperies, dissimilarium æqualis structura, & coniunctio, & vtrarumque harum partium æqualis vnio, & compago nominatur. Quamobrem & bene vniuersi corporis sanitatem describentes dixere, Sanitas est æqualitas, temperamentumque totius corporis, similarium inquam partium æqualis temperies, instrumentorum æqua iustaque structura, cum vtrarumque partium æqua iustaque vnitate. Hæc profectò similarium partium temperies, tum prima, tum secunda qualitas à Medicis nominatur: prima enim dicitur; quoniam ex primis efficitur, & potentia, & virtute illis quodam modo correspondet. Secunda autem qualitas appellatur, quoniam ex primis refractis, & temperatis est constituta: & virtute illis, & non re, æquipollet. Similiter æqualitatem structuræ, & compaginis secundam qualitatem facimus, in prima, seu secunda, vel in tertia qualitatis specie collocandam, secundum variam eius considerationem: hæc profectò ex debita, decentique coniunctione, & vnione harum partium exoritur, & subsistit. Huiusce autem sanitatis proximas constitutrices caussas in libro de humoribus perbellè Gal. explicauit, dum ait. Videtur autem valetudo in animantium corporibus charactere obsignari, humorum æquabilitate, ac symmetria. Non solum dixit æquabilitatem, nam æquabilitas propriè solam attingit quantitatem, licet impropriè pro qualitate etiam vsurpetur; sed & symmetriam adiunxit; vt expressius complecteretur ea omnia, quæ debent habere ipsi humores, vt valetudinem constituere possint. Symmetria nanque humorum comprehendit eorundem quantitatem, qualitatem, locum, & ordinem, & si quæ sunt generis eiusdem. Aequabiles igitur, & symmetrici erunt humores in constitutione sani corporis, & vniuscuiusque partis non simpliciter, & absolutè, sed comparati naturæ corporis, & partis, quæ constituuntur ad actiones explendas; ita vt humores naturæ corporum, quæ componenda sunt, sint iustè accommodati; vt & corpus, & vna quæque pars ritè componatur: & suam actionem vel exerceat, vel exercere possit; quæ naturæ illius sit conueniens, & propter quam huiusmodi est fabricata. Hipp. autem in libro de natura hum. tex. 19. constitutrices sanitatis caussas sic descripsit: Sanum equidem maximè est hominis corpus; vbi temperamentum quatuor humores inter se habuerint moderatum, tum facultate, tum copia: & vbi maximè fuerint permixti. Quam sententiam, vt fusius in commentarijs de Natura Humana explicauimus, Auic. prima fen. primi doct. 4. in fine primi capitis visus est exponere ad hunc modum. Sunt nonnulli, qui dicunt, quòd licet humores crescant, vel decrescant in corpore, dummodo seruatur inter eos ea proportio, quæ humanis corporibus debetur in sua quantitate, sanitatem quidem seruari. Verum id non ita se habet: quoniam oportet cum hoc ipsos humores habere adhuc certam quantitatem, ac mensuram, non in relatione ad alium humorem, sed in se ipsis, seruata tamen mensura, quæ eis debetur in relatione ad alium humorem inter se. Ibidem Auicenna in hominis sanitate conficiendam iustam, debitamque qualitatem, & quantitatem vniuscuiusque humoris desiderat; & quò ad maximum, & quò ad minimum speciei humanæ congruam: & cum hac iusta singulorum mensura exposcit quoque debitam ipsorum proportionem ad inuicem, & ad totum, eorundem verò optimam permixtionem ipse subintelligit. Geometriam verò excolentes Medici ostendere conantur; quemadmodum singuli quatuor humores, humanum corpus constituentes, multiplici commensurantur proportione, & inter se, & cum toto hominis corpore, & ambiente etiam aere, vt hominis sanitatem ritè constituant. Inter se verò multiplici detinentur proportione, & dupla, & tripla, & sextupla, & nonupla, ac decotupla: quare aiunt iustam, commensuratamq; humorum quantitatem intra humanum corpus sic constitui, puta sanguinis libræ 18. assignantur: Pituitæ sex; melancholiæ duæ; flauæ bilis, cùm feruentissima sit, libra vna tantum. Horum enim huiusmodi est ratio; quoniam sanguis in dupla proportione continet reliquos; pituita pariter dupla proportione continet cæteros duos; & melancholia in dupla proportione se habet ad bilem: inuicem aût proportionabiliter se habent, & dupla, & tripla, & sextupla, & nonupla; & decotupla proportione. Quamobrem inquiunt, quòd bilis cum melancholia sub dupla proportione familiariter se habet, & sub sextupla cum

pituita, & sub decotupla cum sanguine. Pituita autem sextupla proportione conuenienter stat cum bile, & tripla cum melancholia, & subtripla cum sanguine: pituita insuper amice conspicit flauam & atram bilem, simul in dupla proportione; sanguis quoque 10 dupla proportione amice pituitam, fluam, ac atram bilem contuetur: atque familiariter stat in tripla proportione cum pituita, & in nonupla cum melancholia, & in decotupla cum bile flaua. Qualiter verò massa sanguinea ad totum comparetur, nunc explicabimus; totum enim compositum, idest hominis vniuersum corpus, quod manibus, ac pedibus extensis quadratum constituit, à quo cubus componitur, numerum vigesimum septimum connotat. Qui quidem numerus cubus perfectè existit, atque sub hoc numero hominem constitutum esse antiquiores scripserunt. Vt enim sanguis, pituita, flaua, ac atra bilis totum hominis constituant corpus; sic & eorundem numeri, videlicet decimus octauus sanguinis; senarius pituitæ; ac ternarius flauæ & atræ bilis, ex quibus vigesimus septimus numerus resultat, id ipsum totum constituere asseruntur, prout scilicet & numerum, & rem numeratam significant. Massæ itaque sanguineæ proportionem ad totum sic isti aiunt se se habere. At sanguis sexquialtera proportione ad totum se habet. Pituita autem totum conspicit proportione quadrupla sexquialtera. Atra bilis ad totum se habet proportione terdecupla sexquialtera, at bilis totum conspicit multiplici proportione viginti setupla: vt enim humoralis massa sexquialtera proportione, & quadrupla sexquialtera cum terdecupla sexquialtera, atque viginti setupla totum conspicit; sic & totum, vniuersum inquam corpus, ijs proportionibus humoralem massam contuetur. Massa autem sanguinea ad ambientem aerem salubriter comparatur, vt ad conseruantem, fouentemque caussam: ambiens enim ea familiari conuenientia & congruitate humores conspicere, continereque debet, vt eorum inuicem, & ad totum proportio integra seruetur. Verum de sanitate eiusdemque proximis caussis hactenus.

De morbo, eiusdemque proximis constituentibus caussis. *Cap. II.*



MORBVS autem est, sicut & sanitas, de genere eorum, quæ in alijs insunt, atque animato corpori, eiusque particulis, non propriè, & amice, sed impropriè, ac inimice inhæret. Nam vt contraria sunt sanitas & ægritudo, ita contrario modo se habent. A Græcis itaque morbus Ametria, à latinis inæqualitas, incommensurationque nuncupatur. Hic profectò sicut & sanitas, tum similaribus, tum organicis propriè, vtrisque verò communiter inesti vnde & harum proprij, & vtrarunque partium communes, morbi nuncupantur. Et sicut sanitas similarium, dissimilariumque particularum, ac earundem coniunctionis, & vnitatis æqualitas nominatur; (æqualitatis vocem ad quantitatis, qualitatisq; nomen extendendo) sic morbus, harum partium, & earundem vnionis inæqualitas appellatur. Itaque & vniuersi corporis morbum ita describunt: Morbus est totius corporis inæqualitas, seu incommensuratio, similarium inquam partium inæqualis temperies, organicarum inæqualis structura, & harum vtrarunque inæqualis vnio, & compago. Hanc autem inæqualitatem, & incommensurationem ab inæqualibus, incommensuratisque partibus illam constituentibus, sic nuncupatam, aggregatum quoddam, compositumque ex relatione, & qualitate facimus; sicut superius æqualitatem, quam sanitatem dicebamus, compositum ex eisdem diximus. Relatio nanque dicitur quatenus incommensuratio est primarum qualitatum ad inuicem, aut ad compositum corpus, aut ad ambientem aerem. Qualitas autem asseritur, prout in sua inæquali prauaque constitutione absolutè realis qualitas existit. Ac ideo dicimus, quòd sicut sanitas ratione suarum partium in diuersis constituitur categorijs; nam proportionis ratione formaliter ad aliquid dicitur, quandoquidem proportio ad proportionatas constitutrices caussas relationem habet; qualitas autem affirmatur, quatenus ipsa à realibus constituentibus, proportionatis caussis, realiter constituitur; sic & morbus in diuersis collocatur prædicamentis, ratione partium constituentium. Nam improportionis gratia, quæ vicem formæ gerit, in relationis categoria formaliter locatur: ratione verò materialium improportionatorum partium, illum constituentium, in qualitatis prædicamento materialiter reponitur. Et vt illa fundamentaliter sumpta sub varijs conceptibus in diuersis qualitatis speciebus fuit reposita; sic & iste secundum varias considerationes in his eisdem qualitatis speciebus reponitur. Nam quatenus hac ipsa inæquali, incommensurataque qualitate, longo, breuique tempore malè afficimur, dispositique sumus, in prima qualitatis specie collocatur: prout verò per natiuam qualitatem naturaliter inualidi, imbecillesque sumus ad resistendum caussis corrumpentibus,

& prout

& proni promptique sumus ab eisdem faciliter pati, in secunda recensetur specie. At quatenus passionem, affectioneque malam sensui infert, corpusque alterat, & afficit, sic in tertia reponitur specie: & affectio, ac passio, passibilisque qualitas nominatur. Nec propterea qualitatis species confundimus, & alteram in alteram transponimus; quoniam varij sunt conceptus eiusdem rei, variæque rationes, qui varij conceptus, & rationes varium modum essendi, & operandi rei dicunt; varius igitur modus essendi, & operandi rei varias profectò qualitatis species asserit, & declarat: quamobrem bene ex iunioribus quidam scripserunt, qualitatis species non dicere te vera species, ex opposito distinctas, sed modos tantum qualitatis essendi; quæ quidem non ex opposito seiunguntur, sed secundum varium contemplandi modum, varium quoque modum essendi denominationem recipiunt: vt exempli gratia: Idem est calor numero, qui & in prima, & in secunda, ac tertia qualitatis specie recensetur. Idem nanqua calor in comparatione ad subiectum quod mobiliter, vel immobiliter perficit, in prima qualitatis specie statuitur. In comparatione verò ad actionem realem, cuius est principium actiuum, in secunda specie qualitatis esse dicitur: at in comparatione ad illud, quod immutat, vel immutare potest, in tertia specie qualitatis recensetur. Propterea quatenus perficit subiectum, est in prima specie qualitatis; & in quantum est principium realis operationis, in secunda specie traditur esse: In quantum autem principium est spiritualis, vel sensibilis actionis, in tertia collocatur specie. Hactenus isti. Quòd autem de calore isti dixere, idem quoque nos de sanitate, & ægritudine dicere possumus. Sed ad morbum reuertentes dicimus; quòd qui morbum priuationem faciunt, propterea quòd à sanitatis meta lapsus est, atque ea priuatus reperitur; hi compositum morbum faciunt ex priuatiuo, & positiuo; positiuum nanque materiæ rationem habet; priuatio verò formæ officio fungitur; vt secundo Phy. ex Ar. & Auerrois mente tex. 15. habetur. Nam priuatio sanitatis in morbi constitutione vicem formæ gerit, ex eo quòd inæqualem qualitatem genitam, quæ positiua res est, materiæque rationem tenet, determinat ad sic malè agendum, & patiendum. Vnde aiunt, Morbum vt aggregatum ex positiuo, & priuatiuo, actionem lædere, atque noxiam actionem ab eo proficisci, vt à qualitate agente, non vndequaque absoluta, sed cum respectu iuncta, cum lapsu scilicet, & defectu.

Compositum itaque morbum dicunt, tum ex diuersis categorijs, ex qualitate scilicet, & relatione, tum in eodem qualitatis genere, ex priuatiuo & positiuo. Quæ quidem priuatio vicem formæ gerens, positiuam subiectam qualitatem determinat, disponitque ad malè, peperamque agendum. Quamobrem & bene concludunt, sanitatem, & ægritudinem vtranque formaliter sumptam, illam pro qualitatum, partiumque commensuratione, hanc pro earundem incommensuratione, priuatiuè opponi; & secundum magis, & minus tantum distingui, & non specificè: Materialiter verò vtranque acceptam, illam non pro commensuratione, sed pro qualitatibus, partibusque iustè commensuratis, & ægritudinem, non pro improportione, sed pro eisdem malè coniunctis qualitatibus, & partibus, tunc positiua contrarietate opponi, inuicemque specie distingui affirmant, & vt huiusmodi actionis, passionisque principia traduntur esse. Quamobrem & bene 2. de anima tex. com. 143. scripsit Auerroes, proportiones, in eo quòd sunt proportiones, non sunt agentes, sed in eo quód qualitates. Si autem vtraque harum, & sanitas, & ægritudo pro aggregato quodam etiam accipiatur, siue ex relatione & qualitate, siue ex priuatiuo & positiuo, ex formali videlicet, materialique ratione; cùm actionem, operationemque significet, positiuè verius, quàm priuatiuè opponuntur, & specie inuicem distinguuntur. Hic itidem ipse morbus mala, ineptaque constitutio aliàs nominatur à caussis producentibus; quæ vicissim malè, ineptèque sunt constitutæ, malè ineptèque illam constituentes. Item excessus, ac defectus appellatur, veluti à suis constituentibus caussis; quando vbique, ac semper, aut per excessum, aut per defectum ab æqualitate, & commensuratione procreetur. Quare & bene primo de diff. morborum scripsit Gal. symmetriam duobus modis labefactari, excessu scilicet, ac defectu. Quod enim à re discedit in mediocritate constituta, non nisi per excessum, & defectum ab illa discedere necesse est. Ipse itidem morbus ab euentu priuatio, & lapsus vocatur, quoniam ab æquo & recto est lapsus, & æqui & recti est priuatio. Morbi autem proximas constitutrices caussas Hipp. in libro de Natura Huma. tex. 20. apertè explicauit, vbi ait. Aegrum autem est animatum corpus, cùm humorum quid minus, aut amplius fuerit, aut separatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus contemperatum. Vt enim Hipp. plura ad corporis symmetriam & æqualitatem constituendam exposcebat, iustam scilicet, & conuenientem humorum mensuram, corporis æqualitate commensuratam, atque eorundem inuicem debitam proportionem eidem æqualitati condecentē ad suas functiones edendas, siue illa similarium, siue dissimilarium, aut vtrarumq;

partium compaginis æqualitas extiterit; ſic contra res ſe habet, in ægritudine ſanitati oppoſita; nam ſicut ad illam conſtituendam multa requirebantur; ſic ad hanc moliendam vnum, ſeu alterum ſufficit: & ſi plura fuerint, id fortius moliuntur. Vt igitur in ſanitatis conſtitutione coniunctim Hipp. loquutus fuit, ſic in ægritudinis conſtitutione disiunctim ſermonem protulit, & ait: Quòd vbi humorum menſura in animati corporis fabrica, aut ad plus, aut ad minus declinauerit, tum in qualitate, tum in quantitate; morbum efficit: Exceſſus enim ac defectus quantitatis, qualitatiſque humorum ſimilarium, organicarum, & vtrarunque harum partium inæqualitatem pariunt: Vt enim horum æquabilitas ſanitatem; ſic eorundem inæqualitas, aut ad plus, aut ad minus morbum facit. Similiter vbi humorum portio, ſi à iuſta eorum menſura ſubtrahatur, cùm compaginis, vnionisque inæqualitate, & ſimilarium, organicarumque partium quoque Ametriam efficit, conſimiliter vbi humores vicisſim non fuerint optimè permiſti, harum omnium corporis partium inæqualitatem conſtituunt. Has eaſdem proximas conſtitutrices cauſſas morbi Gal. in libro de humoribus manifeſtè declarat, vbi inquit. Deficientibus autem iiſdem humoribus, aut exuperantibus prætermodum, vel quantitate, vel qualitate, vel locorum mutatione, vel coniunctione ordinem non habente, vel putredine vitiatis, morbi naſcuntur. Plato verò in Timęo morborum cauſſas in elementis collocans ſic loquitur; Morbi autem vnde naſcantur, quis dubitet? Nam cùm quatuor illa ſint, ex quibus compactum eſt corpus, Terra, Ignis, Aqua, Aer, horum non naturalis exceſſus, defectuſque, & ex loco proprio in alienum tranſlatio, per quam quod ſibi conueniens eſt, non teneret, inteſtinam quandam ſeditionem & morbos inferunt. Vt igitur humorum ſymmetriam ſanitatis conſtitutricem cauſſam ſuperius Galenus fecit; ita ſupra citato loco eorundem humorum exceſſum, ac defectum morbi effectricem cauſſam conſtituit. Quare vt in moralibus 2. ethi. ſcripſit Philoſophus, Mediocritas in rebus agendis virtutem moralem procreat; exuberantia autem, & defectio eandem labefactant, & vitium gignunt; ita humorum ſymmetria ſanitatem efficit. Exceſſus verò & defectus eorundem ſanitatem eripiunt, morbumque procreant. Exſuperantia itaque humorum, atque defectio in qualitate, & quantitate corporis æqualitatem tollunt; morbumque conſtituunt; & in ſimilaribus, & in organicis, atque in eorundem compagine communem his vtriuſque. At præter quantitatis, qualitatiſque humorum exceſſum, vel defectum corporis, inæqualitas, & morbus efficitur mutatione locorum; vbi humores loca mutauerint: dum illi à proprijs ſedibus recedunt; & à ſuis ſeiunguntur locis, ametriam, inæqualitatemque pariunt: & primò compaginis vnitatiſque ametriam, mox in organicis inæqualem malamq; ſtructuram, ac in ſimilaribus malam, inæqualemque temperiem efficiunt. At præter exceſſum, & defectum, locorumque mutationem, morbus, inæqualitaſque corporis procreatur coniunctione, ordinem non habente, ideſt mala inordinataque humorum commiſtione; ex mala nanque inordinataque commiſtione, vt ſuperius ex Hipp. mente recenſuimus, & inæqualis ſimilarium partium temperies, inæqualiſque pariter organicarum ſtructura, atque inæqualis etiam vtrarunque partium coniunctio enaſcitur. Vltimò addit, ametriam corporis fieri putredine, ob malam ſcilicet collationem. Putredo nanque Ametriam facit: propterea quòd in putredine humores malè collocantur, qui malè collocati Ametriam faciunt. Ipſa nanque putredo, natiuum calidum corrumpens, miſtionis nexum ſoluit; vnitoſque humores fundit, ac diſſoluit; qui quidem fuſi, perperamque collocati totius corporis Ametriam gignunt. Sic ergo ſentiendum eſt; quot proportionum ſpecies & differentias in proximo ſuperiore capite numerauimus, vnde ſanitas pendet, tot item improportionum differentias, ac ſpecies reperiri, vnde morbi variæ ſpecies, ac differentiæ exiſtunt. Sanitatis autem, & ægritudinis materiales cauſſas Auicenna prima fen. primi doct. 1. cap. 2. de ſubiectis medicinæ, ſic recenſuit. Cauſſæ materiales in medica facultate ſunt quidem ipſa ſubiecta; per quæ ſanitas, & ægritudo conſiderantur. Subiectorum autem propinquius eſt membrum, aut ſpiritus: remotius verò ſunt humores: remotiſſimum ſunt elementa ipſa, quæ quidem tum effectricis, tum materialis cauſſæ rationem tenent. Ac ideo ibidem ſubdit Auicenna. Porrò hæc duo poſteriora ſunt ſubiecta, & conſtitutionis, & etiam alterationis: ex horum nanque compoſitione, & alteratione reſultat vnum quoddam, iſta ſingula complectens; quod quidem aliàs temperatura, aliàs formatio eſt. Temperatura quidem ratione alterationis; formatio verò propter conſtitutionem.

Quot ſanitatis, tot ægritudinis ſpecies recenſetur, atque inuicem contrariæ poſitiuè aſſeruntur. Cap. III.

POSTQVAM ſanitatis & ægritudinis proximas conſtitutrices cauſſas expoſuimus; & quomodo formaliter fundamentaliterque conſideratæ & in relationis, & in qualitatis categoria æquè reponantur; & quomodo materialiter etiam ſumptæ, ſub diuerſis conceptibus, in diuerſis qualitatis ſpeciebus ſtatuantur; Inſuper quomodo etiam apud quoſdam formaliter illæ ſumptæ, vt perfectæ, imperfectæque res dicuntur, ſecundum magis, & minus non ſpecie diſtingui tradantur: At fundamentaliter acceptæ, vt poſitiuæ res, & qualitates ſunt, ſic & ſpecie diſtinguuntur: & vera contrarietate opponuntur; mutuoque ſe tollunt; & plurimum diſtant ſub eodem conſtitutionis genere poſitæ: Reliquum eſt, vt oſtendamus, quot ſanitatis ſpecies ſub eodem conſtitutionis genere ſunt, tot etiam ægritudinis ſpecies enumerari. Eſt nempe conſtitutio ſanitatis & ægritudinis proximum genus, generalius inquam ſumpto conſtitutionis nomine, pro ſimilarium ſcilicet, diſsimilariumque, atque vtriuſque harum compaginis conſtitutione, & non pro organicarum tantum compoſitione, vt à Medicis omnibus communiter vſurpatur. Eſt etenim ſanitas apud cuiuſque ſectæ Medicos, ſimilarium, organicarumque partium, atque earundem vnionis æqualis conſtitutio. Similiter morbus earundem partium inæqualis compoſitio dicitur. Conſtitutio autem materialiter ſumpta in præſentia qualitatem denotat, quæ fit ex mixtione partium componentium corpus noſtrum: proinde inquiunt, quòd ſalubris conſtitutio, quam ſanitatem facimus, materialiter aſſumpta, eſt qualitas naturæ familiaris, ex conſtitutione conſtituentium partium exorta. Similiter etiam & inſalubris conſtitutio, quam morbum dicimus, materialiter accepta, eſt qualitas naturæ inimica, ex conſtitutione conſtituentium partium effecta. At inquiunt ipſi, qualitatem hanc ex harum partium compoſitione genitam, & ſi poſitiua res ſit, non tamen ſimpliciter rem abſolutam nominari; quando (vt ante docuimus) cum relatione, priuationeúe coniuncta reperitur. Hæc enim ſic conſtituta, procreataque qualitas, vbi ſymmetrica extiterit, bonarum; vbi verò Ametrica fuerit, malarum functionum principium exiſtit. Vt igitur ſanitas communiter ſumpta, & totius corporis, & ſingularum partium æqualis eſt conſtitutio, & bonarum operationum totius, ac ſingularum partium principium eſt; ſic morbus; & totius, & ſingularum partium inæqualis eſt conſtitutio, malarum operationum totius, & ſingularum etiam partium principium affirmatur. Quamobrem & bene Medici aiunt, quòd pari ſemper numero & ſanitatis, & ægritudinis ſpecies reperiuntur. Nam ſi ſanitas in ſimilarium partium æqualitate extiterit; & ſuus contrarius morbus ibidem erit: & ſi in diſsimilarium æquali ſtructura reperiatur; & in eadem ſimiliter illi oppoſitus aderit morbus: Et ſi in vnitate, continuitateque partium adherit; & in hac quoque contrarius morbus erit: & ſic vniformiter ſemper in ſingulis horum ſpeciebus aſſeritur. In quacunque enim determinata ſpecie, ſiue temperiei, ſiue ſtructuræ, ſiue vnitatis, ſanitas fuerit; in eadem contraria aderit ægritudo, actu vel potentia; probè itaque æquali ſemper numero numerantur. Et ſi enim ſanitas coniunctim per plurium conſenſum conſtituatur; morbus verò diſiunctim per vnius, ſeu alterius tantum diſſenſiunem efficiatur: non propterea obſtat, quin ſuæ vnicuique particulari ſanitati, ſuus particularis reſpondeat morbus, quando vna, & eadem ſit ſanitatis, & ægritudinis conditio; dum materialiter ſumuntur; quòd videlicet ab eiſdem efficiantur cauſsis: atque in eiſdem reſiderant ſubiectis, licet modo oppoſito, & contrario: nam contrarijs contraria conueniunt. Sed quoniam contrariorum natura eſt, vt vnum habitus, & perfectionis, alterum priuationis, & imperfectionis rationem habeat; Sapienter enim Ariſtoteles in 10. Metaphiſic. text. 26. concludit; ſemper alterum contrariorum ſecundum priuationem dici, & in ſecundo etiam de Cœlo text. 18. loquitur his verbis. Et priuatione prior affirmatio, dico autem veluti calidum frigido &c. Cùm igitur morbus priuationis rationem obtineat, ſub hac profectò ratione formali priuationis, & lapſus morbum conſiderantes, dixerunt ad illum conſtituendum, vnum ſeu alterum ſufficere; vt bene ſcripſit Hipp. Aegrotat verò cùm horum quid minus, aut amplius fuerit, aut ſeparatum in corpore; & non fuerit reliquis omnibus cõmixtum; Materialiter verò morbus ſumptus, quatenus qualitas & res poſitiua eſt ex cõſtitutione conſtituentium partium exorta, tunc ex ijs eiſdem humorũ, elementorumq; qualitatibus, ex quibus

sanitas conficitur, & ipsa quoque constituitur, aut paulò pluribus, aut paucioribus: quando, vti diximus, horum vtriusque eadem conditio sit, vt ab eisdem efficientibus efficiantur caussis, atque particulis ab his eisdem confectis, vt in subiectis subsistant; modo tamen diuerso, at contrario. Alterantur autem, inquit Arist. in primo de Cœlo tex. vltimo, contrarijs, & ex quibus constant, quæ naturæ sunt, & ab eisdem ipsis corrumpuntur. Hæ quidem eadem sanitatis & ægritudinis materiales constitutrices caussæ, alio oppositoque modo se habent, dispositæque sunt, dum morbum, sanitatemuè faciunt: & proinde contrarij nomen consequuntur. Similiter & hi affectus alio oppositoque modo se habent, & subsistunt in subiecto corpore, vel membro, ab eisdem efficientibus caussis effecti. Quare vniuersaliter fatemur, suæ vnicuique particulari sanitati, actu, vel potentia, suum particularem actu vel potentia respondere morbum. Ac ideo bene Auerroes
» 3. colliget. scriptum reliquit: quòd numerus specierum ægritudinis est sicut numerus spe-
» cierum sanitatis: & à cognitione sanitatis cognoscitur ægritudo; quamuis existimatur,
» quòd nosiores sint species ægritudinis speciebus sanitatis: propterea quòd multæ ægri-
» tudines habent nomina; & sanitates oppositæ illis sine nomine sint: impossibile tamen est
» ægritudines perfectè cognoscere, nisi per oppositorum suorum cognitionem; proinde est
» dictum, quòd contrariorum eadem est disciplina. Hactenus Auerroes, qui apertè declarat, species ægritudinum numero specierum sanitatis mensurari; sic, vt particulariter tot sanitatis, quot ægritudinis species recenseantur: & ipsæ quoque singulæ contrariæ positiuè statuuntur mutuo se interimentes, materialiter inquam sumptæ, sicut diximus. Cùm enim positiuę sint res, & contrariæ; iure positiuè contrariari asseuerantur: quemadmodum apertè Aristoteles in Postprædicamentis cap. de oppositis testatur: vbi sanitatem, & ægritudinem in eo contrariorum ordine reponit, quæ positiua, & absque medio contraria sunt: ac mutuo se tollunt. Cui ibidem consentit Boetius; quamuis in libro de diuisione dubitet, an sanitas & morbus opponatur positiuè, vel priuatiuè. Nec obstat, quòd idem Aristoteles in Topicis scripserit, febri, & ophtalmiæ nihil esse contrarium; Nam cùm febris & ophtalmia morbi sint: & sub ratione formali morbi ad aliquid dicantur; ita considerati non positiuè, sed priuatiuè opponuntur, & gradu perfectionis secundum magis & minus tantum seiunguntur. Alij verò aliter inquiunt, quòd febri, & ophtalmiæ nihil est contrarium, idest nulla species sanitatis distinctè nominata est his contraria: sunt profectò ibidem sanitates, quæ suis oppositis ægritudinibus opponuntur, sed quoniam hæ proprio nomine non nominantur, proptereà dixit Philosophus, affectus illos non habere contrarium; non quòdre vera non habeant. Concludimus tandem, quòd tot singulares ægritudines in animato corpore insunt actu vel potentia; quot singulares adsunt sanitates actu vel potentia: & materialiter sumptæ positiuè inter se contrariæ sunt, sub eodem constitutionis genere positæ, æquales atque inæquales nuncupatæ, ac inuicem agentes, & patientes. Superest, vt declaremus, qua ratione morbus curationem, suumque corrumpens contrarium demonstret.

Morbus vt curationem, suumque corrumpens contrarium demonstret. Cap. IIII.



MORBVS autem, qui & constitutio mala, præternaturalisque dicitur, indicans sit, indicationemque curatiuam præstat; prout est mala constitutio; & prout praua qualitas est ab eadem constitutione exorta, idonea & apta semper, vt animantis operationes lædat, ac offendat. Hæc vt mala, & noxia, malum semper communicans, sui remotionem, & curationem demonstrat. Neque enim morbus (vt a suis principijs res explicetur) sub ratione entis, vt ens est, quod cum bono conuertitur, curatiuam indicationem dicitur quoniam nihil suam corruptionem, suumque corrumpens demonstrat: neque quatenus est inepta constitutio, aut lapsus, & defectus nominatur: nam sic ad aliquid dicitur, formaliterque priuationem dicit; quæ cum sit non ens, non potest quicquam ostendere: non entis enim nullæ sunt partes: sub ratione autem materiali, seu (vt alij dicunt) quatenus connotat subiectum sanitate priuatum, aptum natum illam suscipere, ita indicare dicimus, suamque indicationem facere: sic nempe corpus membrumuè subiectum indicat. Nam cùm sit sua pristina sanitate priuatum, & noui mali adiunctione praue affectum, annuit, ac petit, vt amissa sanitas, tanquàm

proprium

proprium bonum, sibi restituatur; & morbus inimicus clam exortus lædens, & affligtans profligetur; atque, vt bene Iurisperiti aiunt, restitutionem petit in integrum: atque hæc petitio, & insinuatio formaliter morbi non est, sed subiecti corporis, vel membri sanitate priuati. Addidimus autem in eius indicationis explicatione, quòd id sit aptum sanitatem suscipere: nam vbi subiectum fuerit impotens sanari, sicut cœcitatis, marcoris, & consimilium, morbosa subiecta, sanandi potentia priuata, nunquàm talia indicationem facient. Per se autem propriaque natura morbum indicare Medici inquiunt, dum materialiter ipse capitur; quatenus est qualitas noxia, nocumentum corpori inferens, aptaque inferre, siue in prima, siue in secunda, siue in tertia qualitatis specie ille extiterit; hic profectò vt animantis inimicus est; ita perpetuò satagit illi nocumentum inferre: quare sicut inutilis, & mala, malùmque continenter impertiens, sui ablationem demonstrat. Vt enim sanitas, & quæ naturæ nostræ amica sunt, & familiaria, ac vtilia, omnia huiusmodi, quoniam bona sunt, sui conseruationem ostendunt: ita morbus, & consimilia, quæ naturæ inimica sunt, aliena, ac nocua, cùm mala sint, malumque afferant, sui remotionem, ablationemque indicant. Quoniam vt bona appetenda, amanda, & consequenda; sic mala renuenda, odio habenda, fugiendaque sunt. Vt enim affirmatio est per se affirmationis caussa; ita negatio negationis. Morbus itaque cùm animantium naturæ inimicus sit: eidemque semper perditionem minetur; iure ipsi quoque perditio infertur. Nam quod quis alijs facit, ipse sibi etiam idem expectet. Vt viperæ, & scorpiones, ac perniciosa cætera animalia, quæ alijs perniciem machinantur; hæc eadem ipsis perpetuò struitur: Nam quàmprimum hæc conspiciuntur, vt alijs exitiosa sunt; ita & sui exitium dicunt, & ostendunt: vt mala malis perdantur: & quæ perniciem inferunt, pernicie digna censeantur: & quæ tandem alijs nocent; eisdem noceatur: sicut bene lex nos docet, quod quisque iuris in alium statuerit, & ipse eodem iure vtatur. Consimile profectò exemplum in inimicis licet videre; qui in agone ad pugnam conueniunt, vbi quisque victoriam appetens, alter alteri inuicem mortem indicat: Et hic remedij, ille verò morbi; aut ille remedij, & hic morbi rationem habere videtur. Indicatio autem curatiua est vitiata, vel læsa actio, à morbo profecta, non vt symptoma est; symptomata enim ex Gal. ad Thrasyb. ad docendam curatiuam indicationem inutilia putantur: sed prout vitiata, ac læsa, actio à noxio proficiscitur morbo, propensoque, atque apto semper corpori malum inferre, ciusdemque actiones lædere, indicatio statuitur. Sic vtique indicium facit, ipsum auctorem morbum, vt malum, malumque semper afferentem, & natum afferre, esse abijciendum, & depellendum. Praua itaque morbi actio, & operatio, vt à morbo inimico inimicè cum impetu dolosè agente, & operante proficiscitur, extera, realisque indicatio à Medicis nuncupatur; quæ significat inimicum morbum, nocumentum afferentem remedio curandum, abijciendumque esse; quod bonum iuuamentumque naturæ apportet, quæ morbo priuari sanitatemque potiri amat, & exoptat. Curatiua nanque indicatio mente concepta, infra statim suo loco explicabitur.

De curatiua indicatione mente percepta. Cap. V.



NTERIOR mente concepta curatiua indicatio est lædentis, affligtantisq; morbi, seu læsionis, affligtationisque eiusdem, curationem, iuuansque præsidium demonstrantis, cognitio. Cognita nanque praua morbi constitutione cum impetu, propensioneque lædente, & affligtante, quæ morbi natura dicitur; simul & curatio, & iuuans remedium cognoscitur. Similiter læsione, affligtationeque morbi percepta, non vt simpliciter est accidens, & symptoma; sed vt coniuncta, & nexa cum naturali inclinatione ipsius lædentis, & affligtantis morbi, apti nati semper lædere, sic quippe læsio & affligtatio nomen naturæ sortitur; pariter etiam & iuuans remedium, & curatio ipsa percipitur. Cognita igitur morbi natura, siue praua ipsa constitutione lædente, siue eius offensione, ab ea dependente; quarum vtraque nomen morbosæ naturæ sibi vendicat; vnà etiam cognoscitur, & curatio, & salutare remedium; at non per se primò, vt antea docuimus, sed secundariò, interuentu scilicet suæ oppositæ sanitatis. Percepta nanque natura morbi nocentis, iure contrarietatis illico percipitur natura opposita sanitatis iuuantis; quæ est ratio, & forma salutaris remedij, & curationis. Forma etenim, & ratio sanitatis, vt exemplar, & idea, formam, & rationem præsidij, ac curationis manifestat: quod certum, verumque sit contrarium morbum expugnans. Cognitio itaque naturæ morbi lædentis, non immediatè, vti diximus, sed mediatè, per contrariæ scilicet sanitatis cognitionem, & remedium, & sanationem declarat. Quamobrem & bene Gal.

in libro de optim. sect. ad Thrasyb. cap. 11. Indicationem singulis præter naturam affectibus
„ communem describens, ait: Est igitur indicatio iuuantis comprehensio, adueniens simul
„ cum comprehensione nocentis, sine obseruatione, & ratiocinio. Per cognitionem nempe morbi nocentis docet nos in cognitionem iuuantis præsidij peruenire; ad quod immediatè perueniamus per rationem oppositæ sanitatis, sicut per notitiam sui immediati contrarij. Percepta itaque conditione morbi nocentis, simul cum ea percipitur, quod sibi confert, & vtile est. Quod autem confert, & iuuat, est suum contrarium indicatum remedium, & morbi ablatio, & expulsio, quæ curatio dicitur. Remedium nanque contrarium nominatur: quoniam sua violentia, & contrarietate morbum vincit. Quatenus verò per morbi victoriam pristinam sanitatem restituit, vtile, ac proficuum nuncupatur: vnde & hæc indicatio vtilis à multis nominatur, ijs eisdem rationibus vtilis, & proficua curatio dicitur: quando per morbi mutationem, sanitatem reponit. Morbus itaque & iuuans remedium, & certum contrarium, atque sui ablationem per se indicare asseueratur. Sed quoniam iuuans præsidium sua vi morbum abijcit, sanitatemque restituit; proinde antiquiores per iuuantis expressionem, indicationem explicarunt, tanquam per id, quod & contrarietatem, & morbi expulsionem virtualiter contineret, dum dixerunt: Indicatio est comprehensio iuuantis per comprehensionem nocentis. Iuuans enim expulsiuum morbi contrarium dicit, simul cum eiusdem morbi expulsione.

Communis ratio morbi communem medendi rationem dicit, particularis particularem. Cap. VI.



MORBVS nempe pro communi generalique notione, materialiter scilicet sumptus communem quandam in potentia naturam dicit; quam genericam specificamque morbi naturam nominant. Hanc explicat eius definitio, & in hac notione acceptus morbus per se actu non subsistit: sed per solam mentis abstractionem: & dicitur de omnibus morbis singularibus. In particulari autem morbus consideratur, vt est hic, vel ille; & hic est, qui actu existit in hac, vel alia quadam certa corporis parte. Morbus itaque primò dicitur de natura communi; qua nocere lædereque communiter dicitur. Postea de indiuidua, ac singulari; qua indiuiduè, singulariterque particularia subiecta læduntur. Particularis nanque ea est morbi natura, quæ suis differentijs omnibus singularibus est prædita, qualitate scilicet, quantitate, modo, & tempore. Hæc nempe indiuidua morbi natura singulariter hominem lædit. Communis verò ea dicitur morbi natura; quæ simplicem, puramque morbosam lædentem naturam significat, singulis particularibus morbis eandem, qua vnusquisque particulariter lædi dicitur. Participatione enim communis naturæ morbosæ singuli morbi sunt morbi. Morbum semper pro suo materiali significatu capiendo. Cùm itaque morbus naturaliter, vt ita dicamus, has duas habeat notiones; quas nunc liceat appellare naturas, simplicem vnam, pluribus communem; particularem, suis differentijs signatam alteram: penès duas istas naturas duas naturales edit indicationes; communem videlicet vnam, particularem alteram. Morbus itaque sub communi, genericaque natura sumptus, qua communiter damnum inferre asseueratur, vt vniuersale nocumentum nuntiat; ita sui remotionem vniuersaliter monstrat; vniuersaleque declarat remedium. Hæc communis remedij, communisque curationis monstratio ab vniuersali morbi natura exorta communis nominatur indicatio; quæ vt communis nota, & signum hæc eadem communiter denotat, & significat. Generica itaque morbi notio, & natura, atque eius indicatio, vt regula, & norma curatrices singulares actiones omnes regulat, & moderatur: est enim communis indicatio morbosæ naturæ, veluti maximum principium curatricum particularium indicationum omnium. Et si enim hoc primum commune remediorum principium, hæcque prima communis ratio medendi cæteris cunctis particularibus remedijs & curationibus mensuram, & regulam imponat, & sit medicationis, medicationumque omnium, sicut metrum, & mensura; non propterea sub hoc conceptu communi morbus curationem propriam dicit: quoniam, vt vniuersaliter sumptus, non subsistit actu; ita nec actu curatur. Nec etiam particularis affectus à communi iuuatur præsidio; sed à suo proprio, & peculiari, particularis quisque propriè curabitur. Cùm itaque communis ratio medendi, communeque indicatum remedium nulli particulariter iuuamentum præstet, subsidiumque præbeat; sed tantum vniuersalitatem communitatemque dicat, ac statuat medendi principium: propterea Gal. in lib. de opt. sect. ad Thrasyb. & 3. meth. cap. 1. morbum secundum communem naturam contemplans, medelam conducibilemque remedium minimè indicare asseuerauit: sed caput, regulamque tantum facit.

Vnde

Vude particularia iuuantia præsidia hauriuntur, regulanturque, dum inquit. Si igitur Hyero, indicatio, quæ ab ipsa rei natura primum oritur, quid agendum sit inuenit; necesse est remediorum inueniendorum initium ex morborum ipsorum natura sumi: siquidem absurdum sit, aliud esse, quod rationem curandi præscribat, & aliud, quod curetur; etenim indicare de se quidque magis potest, quàm de alio. At quoniam Methodici hanc communem morbi indicationem, vel totam curationem esse, vel magnam partem asseuerabant: ob eam rem Gal. aliter sentiens, contra hos arguit paulò inferius, & inquit. Illud potius monstrare tentemus, neq; totum hoc esse, neque prorsus magnam aliquam partem, veluti methodici putant; sed minimam, & tantum initium. Idem ibidem paulò infra repetit inquiens. Itaque indicatio, quæ à morbis sumitur, principium tantum est, & vt sic dicam, carcer, vnde medendi ratio promouetur, nulla prorsus ipsius medicinæ artis adhuc portio, aut certè neque magna, neque propria; sed quæ etiam plebi sit cõmunis. Hæc eadem ferè in lib. de opt. sect. ad Thrasyb. repetens cap. 24. ait. Illud autem aduersus Methodicos dicendum est: Affectus, non quid agendum sit, sed suam ipsorum sublationem, destructionemque indicare: id verò neque vulgus, neq; brutæ animantes ignorant, morbos sublationem, sanitatem conseruationem indicare. Hucusque Gal. qui apertis verbis testatur, morbum vniuersaliter, generatimque sumptum neque medelam, neque medicationem aliquam ostendere, sed sui tantum ablationem dicere; quæ notitia non plurimi in arte facienda est: quando & vulgo, & priuatorum cuique sit nota. Erat & altera morbi contemplatio secundum propriam, singularemque naturam; quæ est ipsamet communis, suis proprijs differentijs circumscripta, qualitate inquam, quantitate, modo, ac tempore. Qui nanque huiusmodi particularem morbi naturam spectat; is eam suis differentijs, caussis, symptomatibusque omnibus præditam coniunctamque spectat, vnà cum parte affecta, & compatientibus locis: hæc nempe particularis natura sic considerata, ipsa inquam est, quæ sanatur, & curatur, atque iuuans, & conducibile ostendit remedium, & quod à communi morbi ratione fuit indicatum, ad vsum redigit. Proinde is meritò morborum est curator, inquit Gal. & artis practicæ propriam partem callet; atqui per id artifices vulgo præcelluut; quòd ea percipiunt, quibus particulatim remedia patefiunt. Hæ quippe sunt motiones singularum differentiarum, morborum, caussarum, symptomatum, atque locorum affectorum, & compatientium: Quæ cùm indiuiduæ, propriæ, actuque subsistentes sint, ita indiuidua, propria, actuque subsistentia remedia ostendunt, naturalem seruantia potentiam morbum propellendi; sanitatemque inducendi, atque curationes perficiendi. Hæc quidem singularia, actu subsistentia remedia conducibilia, ac iuuantia, à Galeno nominantur præsidia; quoniam sui præsentia actu iuuant, & conducunt: & à particulari & minimè à communi indicantur naturæ quando & particulares homines sanantur, & particularium remediorum sunt actiones, & motiones: Nec Galenus aliud intelligit in libro de opt. sect. ad Thrasyb. cap. 25. dum scribit. Non morbos, sed caussas medelam indicare; atque non morbos, sed morborum caussas, quod conducit, nobis aperire; quasi velit his verbis, morbum secundum communem sui notionem conceptum, medelam minimè indicare, sed quatenus hic, vel ille & actu existit in hac, vel alia quadam certa corporis parte, qui & caussas, & symptomata, & partem affectam, & compatientem complectitur. Hic, inquam, ipse est, qui iuuans, conducibileque remedium declarat, & aperit. Nam cùm affectus iste suum esse à continentibus caussis obtineat; ac vnam consistentiam dicat; tunc ea iuuantia indicat præsidia, quæ & caussam, & morbum simul auferant. Huc spectant ea, quæ Gal. libro primo de locis affectis cap. 4. scripta reliquit. Quòd scilicet quilibet præter naturam affectus suo auferatur contrario, communissimo Hippocratis decreto, quod quidem affectus ipse indicat; vt si calidus frigidis, frigidus calidis; at quonsque, quomodo, aut qua materia id exequi liceat, non solum affectus ipse indicat, sed & ipsa pars affecta commonstrat: Quare ad vsum dextrum remediorum, necessarium esse, exactè scire partis curandæ substantiam, formationem, ac situm, libro de const. art. med. cap. 17. decretum reliquit. Morbus itaque, vt res ad calcem perducatur, pro communitate supponens, & inueniendorum remediorum, & curationis cuiuscunque principium dicit: Prout verò hic, aut ille singulariter subsistit, suis differentijs signatus, tunc quid particulariter agendum sit, & particulare iuuans declarat remedium. Meritò igitur morbi cognitio, principium & finis inueniendorum remediorum, atque curationis asseritur. Sic vtique Gal. varijs in locis varium morbi conceptum contemplans, variè loquutus fuit; Vbique tamen semper verum dicens, penès subiectam materiam verba faciens.

Communis curationis indicatiua multa genera. Cap. VII.

C OMMVNIS morbi indicatio in tria prima indicationum genera diuiditur, quæ infra ſtatim exponemus, in ſimpliciter curatiuam vnum, quod curationem docet, & in alterum, quod curationem terminat, & ſimul eius facilitatem, difficultatemq; dicit: At tertium, quod neceſſariò, & ſemper grauiorem, leuioremque curationem declarat, atque ſimul etiam agendi occaſionem demonſtrat. Atque hæc ipſa tria indicationum genera ex tribus primis indicantium principijs deſumuntur, quæ ſunt ſtatus præter naturam, ſecundum naturam, atque aer ambiens. Mox iterum ſtatus præternaturalis curatiuam indicationem in tres etiam ſubdiuidimus ſpecies, in curatiuam, præſeruatiuam, ac mitigatiuam, iuxta tres primas affectus præter naturam differentias, morbi videlicet, cauſſæ, & ſymptomatis: iſti nanque præternaturales affectus, vniuerſaliter ſui ablationem indicant. Vnuſquiſque tamen horum per ſe ſuam peculiarem, & propriam oſtendit remotionem: ſicuti morbus curationem, cauſſæ præſeruationem, ſymptomata (quæ vehementiora ſunt) mitigationem expoſtulant. Atque hæc omnia, vt dicemus, per ſua contraria explentur. Denuo hæ ſingulæ prædictæ indicationes curatiuæ, morbi ſcilicet, cauſſæ, & ſymptomatis, in quatuor proprias ſubdiuiduntur indicationum differentias, qualitatis inquam, quantitatis, temporis, ac modi; de quibus omnibus ſuo loco abundè dicemus. Quartò & vltimò vnaquæque harum ſingularium indicationum, & qualitatis, & quantitatis, & modi, ac temporis in duas etiam ſecatur differentias, ſimplicem videlicet, & compoſitam indicationem; vt nono meth. cap. 12. teſtatur Galenus, dum inquit. Nam quidquid pro ſui natura indicat, id vnum ſemper indicabit, ceu quod vnam habeat naturam: atque id vnum, ſi quod indicationem facit, ſimplex eſt, ipſa quoque ſimplex erit; ſin illud eſt compoſitum, hæc quoque erit compoſita. Vnde & locus, affectus, & pars ægrotans, vt compoſitum, & complicatum indicans, compoſitam, & complicatam parit indicationem. Cùm nanque natura morbi cum membri natura, in qua reſidet, complicata ſit, indicatio, quæ è complicatis his naturis proficiſcitur, complicata exiſtit. Quare & bene libro primo de locis affectis cap. 4. dicebat Galenus, non ex ipſo duntaxat morbo curationem indicari: ſed quouſque, & quomodo, & qua materia id exequi liceat, ab ipſa parte affecta commonſtrari. Pars itaque affecta, vt compoſitum indicans, hæc ſimul cuncta indicabit, & terminum, & modum, ac diuerſam medicamentorum materiam; vt bene docet Gal. 13. meth. medendi cap. 16. & pluribus ſequentibus, quemadmodum & quarto eiuſdem libri cap. 7. Sic quippe verificatur axioma illud. Vnum vnum indicat, & vnum ab vno indicatur, & quod varijs eſt præditum differentijs, præditum quoque varijs differentijs indicabit, & quæ indicantur communia, non niſi ab eo, quod communem habet naturam, indicantur. Supereſt, vt declaremus, quid ſit curatio; quodque remedium curans; quid particulare indicans curationem; quidque particularis curatiua ſit indicatio, ac tandem quomodo ſingularis morbus propriam curationem, propriumque demonſtret remedium: ſingillatim cuncta breuiter exponentur: & prius quid ſit curatio indicatione excerpta, dicemus.

Quid curatio; quid medicamen curans; quid particulare indicans; atque indicatio: & vt ſingulari morbo ſua tribuatur indicatio. Cap. VIII.

C VRATIO, quæ indicatione habetur, eſt morbi ad contrariam ſanitatem retrograda mutatio, à ſalutari cauſſa facta. Et ſi enim pluribus mutationum differentijs perficiatur; dummodo contrario itinere ad ſalutem directo nitatur, verè poteſt curatio dici, vel curatio eſt mutatio in eodem propinquo genere morboſæ factæ conſtitutionis, ad ſalubrem contrariam conſtitutionem, à ſalutari cauſſa, per contrarium inſalubris cauſſæ mutationem ſemper faciente. Salutare verò medicamentum dicitur, quod potens eſt in eadem proxima materia, malam morbi conſtitutam formam permutare, ad contrariam ſanitatis formam permutans, tum modo, tum progreſſu contrario à morboſa cauſſa; vel ſalubre medicamentum eſt, quod morbi formam corpori eripere, & formam ſanitatis contrariæ reſtituere, cauſſæ morbificæ, tum agendi, tum progrediendi modo aduerſum. Particularis autem morbi ratio particulare indicans à Medicis nominatur; quod proprium auxilium propriamq; curationem, non primò & immediatè, ſed ſecundariò, & mediatè, per particularis inquam ſanitatis rationem, vti per regulam, & exemplar demonſtrat. Propria nanque particularis morbi læſio & offenſio cum impetu ab eo proficiſcens, propria appellatur indicatio; quæ, vt

nota, &

nota, & signum prius contrariam valetudinem, vti obliquum rectitudinem, denotat; mox eius imagine, & remedium & curationem significat. Particularis autem morbus suæ particulari oppositæ sanitati contrarius sub eodem proximo genere, cùm particulariter noceat; & in caussa sit; vt malæ edantur actiones, particulariter etiam sui curationem, & suum iuuans demonstrat remedium, non primò & immediatè, sed secundò & mediatè, per opposita, scilicet suæ sanitatis rationem; quæ per se primò demonstratur, & scitur notitia proxima, & immediata sui proximi, immediatique contrarij. Particularis autem morbosa constitutio, sanitatem lædens & corrumpens, est morbi particularis ratio, sicut particularis salubris constitutio è contra morbum offendens & corrumpens est sanitatis particularis ratio. Aequè enim se offendentes & interimentes hæ constitutiones asseruntur. Particularis nanque morbosa constitutio sanitatem corrumpens sub suo proximo genere notitia propriæ contrarietatis, particularem salubrem ei contrariam constitutionem, vicissim morbum corrumpentem sub eodem genere per se primo demonstrabit. Morbi itaque particularis cognitio, sub proprio genere sure proprij contrarij cognitionem suæ oppositæ sanitatis immediatè per se affert. Consimiliter & eius singularis & propria ratio, quæ singulariter huiusmodi sanitatem lædere, & immutare iure contrarietatis habet: & suæ singularis oppositæ sanitatis rationem per se primò explicat; quæ est huiusmodi morbum offendere, & permutare: per morbum verò, & sanitatem, similiter per propriam morbi & sanitatis rationem, non formaliter, nec priuatiuè, nec relatiuè, vti retulimus; sed materialiter hæc tantum in præsentia sumi dicimus, sub conceptu inquam materiali superius declarato; quatenus qualitatem dicit principiumque actionis. Sanitatis itaque propria ratio, & idea, quæ & oppugnandi, depellendique morbum imaginem præsefert; hanc eandem, seu consimilem & oppugnandi, & depellendi imaginem in medicamentis dictat, & ostendit; quoniam ratio, & forma particularis sanitatis, rationem, & formam particularis salubris, medicamenti expromit, & dicit; quod cùm sanitati conforme, consimileque sit, morbo aduersatur, eundemque propulsat. Vt enim sanitas est contrarium expellens morbum; sic medicamen contrarium dicitur, quod morbum depellit. Hoc nanque non per se facit, sed naturæ interuentu, & calidi innati; quæ & si veræ sanitatis rationem non habeant, cùm eidem tamen familiaria sint, eamque virtualiter contineant, iure eius salubri officio funguntur. Primùm itaque, atque immediatè particularis ratio morbi sanitatis particularem rationem ostendit; postea per illam, vti per exemplar, secundariò medicamenti rationem explicat & docet. Quòd verò medicamen non per se primò, sed mediante calido innato, & natura, quæ potentia propinqua virtualiterque est sanitas, morbum propulset, ac vincat; primum ratione, mox Hipp. auctoritate comprobabimus. Ratio ea est; quoniam vnum vni recta contrarietate opponitur; obliqua verò contrarietate plura eidem opponuntur. Si igitur sanitas per se primò morbo aduersatur; remedium igitur secundariò illi aduersabitur. Auctoritas autem est Hipp. sexto epidim. parte 5. aph. primo, vbi ait. Morborum naturæ medicatrices, & Galenus in arte medica cap. 87. ait, operationum omnium natura opifex; medicus verò minister. Ac propterea Medici naturam, calidumque innatum morbi primum depulsiuum intrinsecum, & immediatum contrarium nuncuparunt; Secundum autem medicinale contrarium morbi depulsiuum extrinsecum, ac mediatum dixere; quod ideo contrarium statuitur; quoniam virtute, & potentia sanitatis est particeps. Hoc quippe duplex fecerunt; Vnum dictum organicum, seu instrumentale, materialiter consistens in rebus medicinalibus, appellatis alteratiuis, & euacuatiuis, ac in rebus, quas non naturales Medici vocant; atque istud contrarium in tria diuiditur medica instrumenta, diætam scilicet, potionem, & chirurgiam. Alterum contrarium morbi depulsiuum extrinsecum & mediatum, quod à nonnullis contrarium dispositiuum appellatur, consistit in omni eo, per quod dictum contrarium extrinsecum instrumentale congruè admouetur ipsi contrario intrinseco supradicto, videlicet naturæ, & calido innato. Hoc autem est triplex, nempe fortuna, medicus, & assistens. Particularis igitur morbi ratio, per se immediatè primum intrinsecum, proximum contrarium corrumpens demonstrat, particularis videlicet sanitatis rationem per calidum innatum, & naturam descriptam: per illam deinceps secundariò, vti per regulam docentem ostendit medicinale contrarium extrinsecum morbi depulsiuum, tum organicum, tum dispositiuum. Medicinalia autem organica contraria apposita ægro corpori cum bona fortuna à Medico, atque assidentibus adhibita, illique adiuncta, & actuata à natura, seu ab arte, morbi curationem explent, & perficiunt. Morbi autem curationem, quam nos descripsimus esse permutationem, sub eodem genere ad sanitatem retrograda omnino mutatione, qua ille affectus fuerat, libro primo de art. comm. 7. pulchrè describit Gal. vbi inquit. Quæ præter naturam sunt, »
ea in naturalem statum reducere nitimur. Necesse est autem id, quod in antiquam sedem, »

vnde

„ vnde excessit, reuersurum est, rursum idem iter facere; quod perinde est, ac si dicam, con-
„ trarium iter facere: ijs enim, qui Athenis Eleusinem proficiscuntur, iter contrarium non
„ aliud appellari potest, quàm Eleusine Atheneas; quanquàm primum iter, quod fecerunt,
„ Athenis abeuntes, postremum est, vbi redeunt. Considera igitur in vnaquaque luxatione,
„ vnde nam articulus expelli cœperit, quo progressus fuerit, vbi constiterit; oportet enim finem
„ excidendi, principium reditus fieri, atque inde retro ad principium vsque luxationis progre-
di. Idem in libro de constit. art. medi. cap. 12.

Internæ indicationis munus, atque curatiuæ indicationis indicata. Cap. IX.

AD mente perceptam indicationem sequitur exequutio; quæ bona, rectaque denominatur indicatio; hæc quippe intellectus practici indicatrice cognitione præditi functio, actioque existit; actio nanque, & operatio intellectus cognitionem indicatricem habentis rei exequutio à nobis & vera, certaque curatio nuncupatur. Quidam verò hanc exequutionem, & actionem secundum indicatricis cognitionis peritiam factam impropriè, abusiuèque indicationem nominarunt, nomen caussæ ad effectum extendentes. Peritus nanque medicus per effectiuum indicationum habitum, quo præditus est, in artis medicinæ opera descendit: & vtilem, ac necessariam, tum dictæ, tum remediorum inuentionem, distributionemque per naturalis status, nocentiumque morborum cognitionem disquirit: atque eorundem rectam, & debitam dispositionem, administrationemque exercet. At hæ functiones, & operationes secundum artem, & indicationis scientiam factæ, rectius exercitia, & studia habitus indicationum, quàm indicationes nuncupantur. At si illas voluerìs quoquo modo indicationis nomine nuncupare, non ibimus inficias. Curatiuæ autem indicationis indicatum triplex facimus. Primum nanque eius indicatum est sua vnicuique morbo indicanti opposita sanitas, per naturæ, calidique innati nomen circumscripta, intrinsecum, immediatumque contrarium morbi depulsiuum à Medicis nuncupatum: sæpè autem ars naturæ æmula primum indicatum erit; præsertim vbi natura in sanatione morborum nihil, aut parum agit, sicut in artuum luxationis curatione euenit, & consimilium; vbi artificis magis, quàm naturæ opificium desideratur. Secundum in ordine exequutionis indicatum est iuuans remedium morbi propulsiuum extrinsecum, ac mediatum dictum; quod duplex asserimus esse, organicum vnum, dispositiuum alterum. Tertium in exequutionis ordine, sed primum in intentione indicatum est ipsa sanatio, salubris curatio dicta, morbi scilicet expulsio, ac sanitatis restitutio: in hanc quippe primò intendimus: vltimò tamen nos ipsam consequimur. Indicata autem hæc cuncta iuuantis rationem habent, quoniam apta nata sunt iuuare; ac ideo vt bona, & vtilia demonstrantur.

Contraria contrariorum sunt remedia. Cap. X.

CIRCA initium libri de flatibus Hipp. singularum ægritudinum curationes tradens, colligit tandem; quòd vnusquisque corporis affectus suo semper sanatur contrario. Quare & vniuersalem conclusionem infert, contraria contrariorum sunt remedia. Hæc percelebrata sententia, & si à Medicis vt axioma recipiatur; nihilominus ad sua principia eam reuocantes clariorem reddere nitemur: & primum rationem modi actionis, & mutationis ostendemus: secundò rationem extremorum terminorum. Rationem nanque modi actionis, & mutationis ita ratiocinando colligimus. Quæ vna esse nequeunt, sed sibi inuicem vim inferunt, ac mutuo se expellunt, contraria à Philosopho asseruntur: morbus & remedium simul stare nequeunt: sed inuicem vim sibi inferunt, ac se expellunt: inre igitur contraria dicentur. Medicamen autem, & si extrinsecum sit contrarium: est tamen naturale, & secundum naturam: nam dum iuxta morbum ponitur, naturaliter agunt, & patiuntur, vt libro de flatibus testatur Hipp. Eatenus itaque remedium morbo contrarium dicimus, quatenus vim suam illi infert, vincit; & ad sanitatem permutat; si non permutat mancum dicitur; sicut & superfluum, si alterum inducat excessum. Ratione verò extremorum terminorum morbus, & remedium appellantur contraria, remedium capiendo vt à natura, seu ab arte intra corpus est actuatum. Distantes enim, & longinqui sub eodem genere termini mutuo se expugnantes contraria à Philoso. nominantur. Quòd morbus, & remedium extremi termini sint inuicem se expugnantes, declarat Gal. in arte medic. cap. 89.
„ & de const. art. medic. cap. 12. dum argumentatur. Porrò si omne immoderatum est præter naturam;

naturam; moderatum verò secundum naturam; necesse est omninò, vt immoderatum ab im- „ moderato contrario ad mediocritatem redigatur. Sanitas verò est quod moderatum, morbus „ autem quid immoderatum; cùm sit aut excessus, aut defectus libro de differen. morb. cap. 4. Horum autem vtriusque æqualitas moderantiaque sanitas existit. Cùm itaque morbus immodestus, atque inæqualis ad æqualitatem, moderantiamque conuerti debeat; necessarium est, vt hoc fiat ab eo, quod vim habeat immoderantiam permutandi; & ad mediocritatem perducendi; quale est suum extremum contrarium scilicet remedium; quod potentiam habet immoderatum permutare, & ad æqualitatem conuertere: id quod simile, & mediocre assequi non potest, cùm non sit tanti valoris. At extremum, quod extrema potentia est præditum, & potens est suo contrario violentiam inferre, huius profectò est munus, & opus illud corrumpere, & ad moderantiam permutare. Meritò igitur remedium, vt extremum contrarium potens, validumque est morbum ad pristinam sanitatem permutare. Quòd verò remedia vim corporis affectibus præter naturam inferant, eosque permutent, testatur Hipp. in libro de locis in homine, vbi dicit: Medicamenta sunt omnia, quæ præsentem statum transmouent: & Galenus libro primo de simpl. facul. cap. primo. Medicamentum omne id dicimus, quod naturam nostram alterare potest, & 3. libro de Temper. cap. 4. Medicamenta itidem sunt ea, quæ nulla substantiæ suæ mutata parte; sed tota seruata integra corpus ipsum afficiunt, & mutant. Remedium autem (vti diximus) hic sumitur, quatenus est actuatum, & naturæ artisúe organum factum. Quod morbus, & remedia sint contraria, & simul esse nequeant, sed mutuo se expellant, & destruant, naturales Philos. altius progredientes à caussis proximis, vsque ad remotissimas ascendentes, & ad vltima sua principia illa reuocantes sic demonstrant. Morbus, & remedia sunt contraria, quia mutuo se expellunt: inuicem autem se propellunt; quoniam mutuo sibi vim inferunt: Quæ inuicem sibi vim inferunt, simul esse nequeunt. Quod confirmantes ascendunt, quia quod alterum efficeret; alterum euerteret. Quod confirmatur; quoniam motus eorum sunt contrarij, & ex terminis contrarijs: Motus autem contrarij, quia facultates contrariæ; sic quippe naturales Philo. axioma nostrum ad vltima sua principia reuocant, & completa explicatione illud dilucidant. His vtique caussis omnibus motus Gal. 11. meth. cap. 12. ita scripsit: Nunquam tamen propterea præceptum illud, „ quod contrariorum contraria remedia sint, aliquando verum, aliquando falsum erit, immo id „ perpetuò verum est. Quando fieri non potest; vt eorum, quæ præter naturam sunt, quicquam per aliam vllam remediorum speciem curentur. Et hoc intelligitur de contrario secundum potentiam, & non secundum imaginationem, vt mox infra explicabimus.

Obiectionum quarundam solutiones. Cap. XI.

AT dubitandi ratio occurrit, nam medicamentum, & morbum hic contraria extrema facimus: superius verò cap. 5. & 8. medicamen morbo contrarium diximus esse, non sui sed sanitatis ratione. Et propterea curatiuæ indicationis indicata nos docentes non remedium, sed sanitatem sub nomine naturæ explicatam; primum indicatum recensuimus esse. Si igitur medicamentum aduersatur morbo, vt extremum extremo, & sanitas eidem est aduersa, vt medium extremo; Tunc remedium magis illi aduersatur, quàm sanitas: extremum enim magis opponitur extremo, quàm medium; & si magis opponitur magis, etiam illum expellit; quando expulsio fit ratione contrarietatis. Quod enim magis repugnat, magis quoque expellere asseritur. Si itaque remedium magis repugnat, & expellit, quàm sanitas; sua igitur, & non alterius ratione id agit, & operatur, & propter hanc eandem rationem non naturam, nec sanitatem sed remedium curatiuæ indicationis primum indicatum esse isti concludunt. Ad hæc dicimus, quòd sanitas, & ægritudo, seu symmetria, & Ametria (vt Græci inquiunt) materialiter sumptæ, inuicem principaliter contrarietate directa aduersantur, & sub eodem genere constitutionis corporis animati, vt immediatè contraria mutuo se destruentia collocantur, quæ si formaliter non extremorum terminorum oppositione opponuntur, illi tamen æquipollent, ac præualent. Alij verò aiunt sanitatem centri, morbum verò circumferentiæ rationem habere: at circumferentia centro vti suo extremo opponitur; nam magis illi, quàm alteri circumferentiæ parti opponitur. Morbus itaque circumferentiæ rationem habens sanitati vti suo centro in extremo opponitur termino. Ad hæc dicimus remedium bifariam à Medicis considerari: vno modo simpliciter, vt est ens talis naturæ ab animantis corpore seiunctum; & vt huiusmodi morbo minimè est contrarium, nisi in potentia, & remotè: Et sub hoc sensu à nobis in præsentiarum non capitur. Altero modo consideratur remedium, vt animato corpori est adiunctum, & actuatum à natura, seu ab arte: diximus

diximus autem à natura, ſeu ab arte actuatum propter ea remedia, quæ ab artifice extra corpus adminiſtrantur, dum ſcilicet luxatos artus reponit, diſiunctaque vulneris labia coniungit; in quibus natura nihil, aut parum operatur. Et ſub hoc conceptu in hac tractatione noſtra remedium accipitur. Tunc naturæ, artiſúe organum effectum, morbo immediatè, & vt extremus terminus opponitur: At non primò, & per ſe contrarietate directa illi opponitur, ſed oblique & ſecundariò, interuentu ſcilicet naturæ, & ſanitatis, quæ principaliter illi aduerſatur; & cùm vnum vni tantum per ſe primò aduerſetur, Natura per ſe primò, remedium ſecundariò, & per accidens ei aduerſabitur. Ars nempe naturam æmulatur, & vt æmula ſicut illa primò aduerſatur morbo; ſic & ipſa primò illo ſuo modo aduerſari dicetur: & vt per accidens, & ſecundariò eſt illi aduerſum, ita per accidens, & ſecundariò illum expellit, & corrumpit. Hi verò, qui aiunt; Morbum circumſerentiæ, ſanitatem verò centri rationem habere, ac inuicem ſecundum extremos terminos opponi, cùm fateantur ſanitatem morbo ſummopere aduerſari; contra hoſce profectò nulla eſt argumentatio. Nos autem quamuis ex multorum ſententia affirmemus, ſanitatem, & naturam, non vt extremum, ſed vt medium terminum morbo opponi, illumque propellere; non propterea ſequitur quin ad ſummum ei aduerſetur, eumq; enixè vincat. Nam cùm principaliter, rectaque contrarietate illi opponatur; hac profectò contrarietate obliquè in extremo contradicenti æquipollet: illique præualet, quando principale inſtrumentali ſemper præponitur. At ex hoc quòd ad ſummum morbo aduerſatur: eumq; ipſum expugnat; non propterea ſequitur, id propria ratione, propriaque virtute agere. Nam vti diximus, naturæ, ſanitatiſque interuentu, & aliquando arte media iſtud agere affirmamus. Fatemur equidem remedium, quatenus eſt actuatum, & organum naturæ factum in extremo, & ad ſummum (vt aiunt iſti) morbo repugnare, & per conſequens, qualecunque illud extiterit, vt reuera per ſanitatem, & naturam; atque in multis etiam caſibus per artem, ita per ſanitatem, & naturam, ac artem morbo aduerſari; eumq; ipſum expugnare. Ad argumenta itaq; breuiter reſpondemus, remedium vt actuatum eſt, & naturæ, artiſque organum effectum, ſummopere morbo repugnare: ergo morbo magis opponitur, magiſque illum expugnat, quàm natura? Negamus conſequentiam: & negationis ratio eſt; quia non per ſe propriaque ratione, ſed naturæ, artiſúe opera id agit, & operatur. Quare, & oppugnatio, & expugnatio morbi, primò, atque magis naturæ, & arti, quàm remedio referenda eſt. Eodem modo ad alterum reſpondemus obiectum: quamuis enim remedium morbo ad ſummum repugnet; eumque prorſus expellat; non propterea curatiuæ indicationis primum indicatum facimus; quando non vt principale, ſed vt ſecundarium agens, & non propria, ſed naturæ, artiſúe opera curationem perficit. Erat aliud argumentum, omne quod agit, & operatur, quatenus eſt in actu, agit, & operatur: At natura, ſeu naturale membrum morboſum factum, quatenus actu eſt morboſum, perpetuò morboſè agit, & operatur: At ſic agendo, & operando in deteriorem ſtatum ſemper progreditur, & nunquam ad priſtinum ſtatum reſtituetur; neque erit quod illud reſtituere poſsit. Huic reſponſum eſſe volumus; quòd morbus, morboſaque affectio apud Medicos, dum corpus, aut aliquod eius membrum aggreditur, & occupat, nunquam ægrum illud denominat; niſi tantam obtinuerit eius partem, quòd corporis, ſeu membri actionem lædere poſsit. Tunc enim, & ſi nec corpus, nec membrum totum obtineat; quia tamen eius operationem offendit: proinde vniuerſum, tum corpus, tum membrum morboſum denominat. Natura itaque, ſeu (vt rectius loquamur) naturale membrum, dum à ſanitatis termino ad ægritudinis terminum prolabitur, non illico, ac immediatè totum inſalubre euadit, & ſi pro aliqua ſui parte morboſa effecta morboſum totum denominetur. Nam cùm ipſum membrum ſit quantum, ſuamque magnitudinem habeat: prius pars vna, mox altera morboſa fit: & contraria reſiſtens ſanitatis forma, cùm & ipſa in ſubiecto, quanto etiam ſubſiſtat, prius pars vna, mox altera ſucceſsiuè pariter deperditur: & nunquam tota ſimul amittitur. Vbi igitur tanta membri portio morboſa ſit effecta, vt membri actionem offendat; tunc vniuerſum membrum morboſum denominat: & ſi non omnino, & vndequaque præter naturam ſit effectum: denominatiuè tamen ægrum huiuſmodi membrum ab omnibus communiter dicitur. Et re vera non totum, ſed ſecundum partem tantum ægrum exiſtit. Atque hæc ægritudo, tum fiens, tum in fieri communiter à Medicis nominatur: nam ſanitatis portio aliqua adhuc ſuperſtes permanet. Quæ igitur incolumis ſuperſtes eſt ſanitatis pars in membro, & ſi fortaſſe alteratione aliqua ſit alterata: ſuam tamen adhuc ſeruat formam; ſuumque agendi robur conſeruat. Atque hæc ipſa ſanitas, & hæc ipſa corporis incolumis pars eſt; quæ actu, formaliterque contra morbum pugnat, & ſi validior extiterit, illum propellit, & vincit; & corpus, & membrum, ac naturam ipſam, morbum expugnans ad priſtinum ſalubrem ſtatum reſtituit. Falſum itaque eſt dicere in morbo in fieri, ſeu fiente, (vt iſti inquiunt) quòd vniuerſa membri

natura,

natura, vniuersaque eiusdem corporea substantia omnino, atque vndequaque sit præter naturam, morbosaque effecta; licet communiter sic denominetur.

Ammonij rationes arguentis non semper, ac vbique verum esse, quod contraria contrariorum sint remedia.

Cap. XII.



MMONIVS summo cum honore à nobis, vt præceptor, semper nominandus, & si in rerum naturalium cognitione maximus extiterit, in re tamen medica parum versatus contra hoc Hipp. perpetuæ veritatis præceptum: quod contrariorum contraria sint remedia, duobus innititur argumentis in Introd. lib. Porphy. vbi ait: Medicinæ verò rationes immutantur, vt enim dicimus contraria suot contrarijs medicamina; id quod fit, quoniam medicina non semper in eodem existit. Ac primum propterea quod non in omnibus morbis remedium inuenitur. Quid si quispiam mortifero morbo vrgeretur? Præterea morbi non semper contrarijs, sed plerumque similibus curantur; vt in iis, quæ accidunt, vsu venit. Nam sæpe homines ægri morbo graui cum æstu, febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, prius releuari videntur; deinde multo grauius, vehementiusque affligantur. Hactenus ipse qui duabus rationibus, & vno exemplo contra verissimum, clarissimumq; medicinę præceptum ratiocinatur; quod contraria scilicet non suot contrariorum remedia. Et primum quoniam non omnes morbi sanantur, vtputa, qui valde admodum sunt lętales, & mortiferi; hi neque simili, neque dissimili curantur præsidio. Ad istud Hipp. in libro de art. respoodit dum inquit. Medicinæ munus est morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere: at eorum, qui à morbis victi sunt curationem non aggredi, cum id in confesso sit; quòd medicina tales sanare non possit: atque huius ratio est; quoniam vbi virtus succumbit, cuius munus est pugnare contra morbum, vana est omnis medela, cum tunc victorem se morbus ostendat. Ac ideo bene dicebat Auic. tertia sen. primi libri cap. 5. Medicina non est, quæ nos à morbo securos faciat, & ob eam rem dicebat Gal. 4. de vict. in acut. comm. 12. qui perniciosè habent, eos neque per aliud quicquam, neque per aquam seruari est possibile, quibus neque administrare sum conatus. Quod & 11. meth. cap. 9. asseruit sic scribens. Profecto nos tempora, præsidiaque ijs, quos seruari spes est scribimus; quando ægris, qui insanabiles sunt, his neque tempus vllum opportunum, neque præsidium est. Rursus ibidem. In quo desperata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit, apud vulgum infamare præsidia; quæ multis saluti fuere. Erat alterum argumentum, quod morbi non semper contrarijs, sed plerumque similibus curantur. Hoc idem quoque Hipp. in libro de locis in homine testatus fuit dum dixit. Curatio nempe aliquando fit per similia. Et Auic. in quarta sen. primi cap. 1. confirmauit, vbi inquit. Amplius scire debes; quòd non omnis repletio, neque omnis militia complexionis suo medicatur contrario ex euacuatione, & oppositione; immo multoties sufficit multa regiminis bonitas in repletione, & malitia complexionis.

Ad istud argumentum respondemus, si per similia Ammonius intelligit regimen vitæ, & bonam victus rationem, vt Auic. tunc dicimus, quod morbi, qui bono regimine vitæ tolluntur & ipsi potissimum contrario auferuntur; quandoquidem, vt iam ostendimus, virtus, corporisque complexio sunt morbo summopere contrariæ, vnde qui à virtute, corporisque complexione morbi tolluntur suo contrario præcipuè auferri dicuntur. Virtus nempe, & corporis complexio cum suis instrumentis morbo effectiuè contrariatur. Præterea eadem etiam contrarietas bonitatis regiminis, quæ morbo contrariatur in quantum virtutem confortat, & in quantum ipsa habet qualitatem cootrariam ipsi morbo, & directè potest dici contrarium ratione suæ oppositæ qualitatis; & indirectè, in quantum corroborat virtutem, quæ primo opponitur morbo. Si per similia intelligit medicamenta calida, aut frigida; quibus consimiles calidæ, & frigidæ ægritudines sanantur; sicut Scamonium, & Reubarbarum, quibus medicaminibus calidis febres calidæ sanantur, & frigidæ neruorum, & articulorum distensiones, quæ aquæ frigidæ conspersione sanantur: Si verò mauult per similia intelligere consimiles præter naturales affectiones; quæ à coosimilibus præternaturalibus affectionibus curantur, vtputa dolor, dolore sedatur, & fluxus fluxu, ac vomitus vomitu; quomodocunque ipse simile capiat, quod per se, & primo morbum curet; perperam, & male, cùm reuerentia tanti viri sit dictum; sentit, & intelligit. Et primum ad Reubarbari, & Scamonij exemplum dicimus; quod licet Scamonium non contrarietur febri, contrariatur tamen eius caussæ; quæ eam facit, & conseruat; quoniam caussa corpus replet, multitudinemque dicit: Scamonium verò illam

euacuat, & corpus inanit: & quia in remotione caussæ remouetur febris; inde euenit, quòd Scamonium primum suum contrarium replentem caussam remouet, secundariò & per accidens ipsam febrem.

Ad alterum exemplum de frigidæ aquæ aspersione super frigidas membrorum distensiones, Hipp. ipse respondet, quòd per accidens, & secundariò affectus isti frigidi à frigido sanantur
„ medicamento lib. 5. aph. aph. 21. vbi habet. Est tamen, vbi in tetano sine vlcere, iuuene bene
„ carnoso, media æstate frigidæ aquæ multa fusio calorem reuocat: calor autem tunc exoluit,
„ & sanat. His porrò verbis eos redarguit, qui distensionem, morbum per se frigidum, à frigido, atque adeo simili auxilio curari posse putabant. Non enim aqua frigida corpori largè infusa vi sua morbum hunc curat; sed calor, cuius reuocationem aquæ frigidæ occursus facit. Ad experimentum de dolore; quòd minor à maiori sedatur, & auctoritatem Hipp. secundo aph. aph. 46. vbi ait, quòd maior dolor minorem obscurat; dicimus: hæc ipsa per accidens, & secundariò contingere: Nam humores, qui minorem producebant dolorem, à vehementiori dolore attrahuntur, distrahunturque à minori: & ad maiorem colliguntur, vniunturque, vnde hunc extollunt, & exasperant; illum verò obscurant, ac mitigant. His addit Gal. quòd vis sensibilis tota ad vehementiorem ducitur, ac distrahitur. Præterea sexto epydi. par. 5. comm. 9. diffuse Gal. contra antiquiores inuehitur, probans dolorem à dolore per se non curari, siue dolor solus per se extiterit, sicut modò nos diximus, siue fuerit cum medicamine aliquo coniun-
„ ctus; sic enim loquitur: Sed qui maiore dolore minorem curari arbitrantur, mirificè falluntur;
„ neque enim dolor dolorem curat, sed remedium, quod cum dolore, affectum doloris aucto-
„ rem delet: Nam alibi didicisti nulli symptomati primario, sed ipsum creanti affectui curatio-
„ nem semper deberi. Quòd si quis neutiquam primò, sed ex accidenti, interdum similia simi-
„ libus curari per media illa, quæ primò contraria sunt, dixerit; iste vera dicit, idque ita esse &
„ ex libris de arte curandi, scientificè didicisti; & adhuc ex nostris in aphorismis commentarijs.
„ Quod verò aliqui dicunt quempiam coxa adusta vt in coxendicis morbo contingit, dolorem
„ dolore sanauisse; nimirum perspicuè absurdum est: neque enim à dolore, seu ab exustione,
„ cui forte dolor adiunctus erat, ægritudo sanata fuit. Et paulò inferius, eodem modo & dentem
„ dolore vexatum, si quis euellens hominem dolore liberaret, non per dolorem in extrahendo
„ dentem concitatum, sed per extractionem, cui dolor coniunctus erat, id assequutus fuit: Dolo-
„ re itaque concludit Gal. quantum in ipso est inutilem esse dolentibus, & sua pte natura non
„ dolorem sedare; sed contra omnino irritare idoneum esse. Prosequitur & hos Gal. redarguendo, & inquit: Verum ad alterum quoddam eorum, quæ isti dicunt, transeuntes, illius quoque absurditatem contemplemur: Dicunt igitur vomitum vomitu, & acri clysteri mordaces deiectiones sæpè curari, est verò & in hoc casu vna sanè curatio, effectum excindere, ob quem vel nauseabundi sunt, vel crebro intestinorum morsu stimulati ad exonerandum ventrem consurgunt: id autem vt didicisti, bifariam fit; vno quidem modo nobis eos humores euacuantibus, qui & ipsa secum stomacho, & intestinis morsum inferunt: altero verò eos concoquentibus, & in optimam qualitatem mutantibus; & contemperantibus: Ostensum verò est, & in his medicationem per contraria fieri: Nam prorsus euacuare aliquem, naturæque inimicum humorem eiusdem retentioni contrarium est, & qualitatis mutatio per contrariam qualitatem fit. Hæc omnia Gal. quibus & Ammonij, & antiquorum rationes omnes arguentes morbum nō semper contrarijs, sed aliquando similibus curari satis superque refellit: & si id fieri aliquando contingat, non nisi secundariò, per alterum, & ex accidenti, veluti caluus Medicus caluò ægrotanti similis simili mederi potest: & oblongi, acutique capitis medicus, oblongi, acutique capitis ægrotantem, & claudus, claudum curare potest, & sic etiam sententiam Hipp. in libro de locis in homine interpretamur. Superest ad Ammonij exemplum de potu aquæ frigidæ respondere, qui febricitanti sitienti exhibitus & prodesse, & obesse indifferenter conspicitur. Dicimus itaque remedium istud aquæ frigidæ in æstuantibus tantum eos insalubriter experiri; qui morborum complicationes, & horum contraindicationes, atque earundem vires non animaduertunt, nec discernunt; qui verò hæc obseruauerit, fœliciter istud semper experitur. Vbi nanque in febrientibus æstuantibus nihil obstiterit, & reclamauerit; tunc potus aquæ frigidæ est perpetuò præsidium erit; vt rectè 11. meth. cap. 9. recenset Gal. dum dicit: Febris, prout febris est, aquam frigidam semper esse remedium; quod verò ad alia spectat, non semper: veluti cum ex obstructione glutinosi, & crassi humoris putredo oritur: His ergo Ammonij rationibus hunc in modum responsum esse volumus.

Curatio omnis fit per contrarium. Cap. XIII.

POSTQVAM demonſtrauimus, quòd contrariorum contraria ſunt præſidia: conſequens eſt, vt oſtendamus morborum curationem per contrarium exerceri. Hoc quippe quatuor medijs aperire conabimur; contrarietate ſcilicet extremorum terminorum, & contrarietate medij ad extremum, & permutatione eorundem terminorum, extremi inquam ad medium, ac extremorum ad inuicem, & denique ratione actionis ſimpliciter, ac propriè. Prima autem contrarietas ſtatuitur ratione terminorum extremorum; qualis eſt medelæ contrarietas cum ſuo oppoſito morbo. Hæc autem teſte Philoſopho in prędicamento quantitatis, eſt maxima diſtantia ſub eodem genere. Alia eſt contrarietas extremi ad ſuum medium, à malo ſcilicet, & immoderato morbo ad bonam, & moderatam ſanitatem. Curatio igitur primò contraria erit, tum ratione termini extremi vim inſerentis, ac permutantis, tum ratione termini medij terminantis, & perficientis. Dicitur inſuper per contrarium fieri curationem ratione contrarij progreſſus, contrariæque motionis; quæ fit à termino extremo contrario ad ſuum medium, à morbo ſcilicet ad ſanitatem; vt nono meth. cap. 15. confirmat Gal. dum inquit. Quoniam ſanatio nil aliud eſt, quàm præſentis in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum mutatio. Quum verò contrarij hi affectus ſint, neceſſe eſt per contraria fiat eorum alterius in alterum tranſlatio: idemque paulò infra repetit. Quoniam id, quod ægrotat, ei quod valet, eſt contrarium; vtique per contraria eſt ab illo in hoc via. Sed pręter hanc extremi termini mutationem ad ſuum perfectum medium, permutatione quoque extremi ab extremo, quæ peremptio, & corruptio dicitur, curationem per contrarium fieri conſtat. Si itaque curatio eſt morbi deſtructio, & peremptio; & quæ ſe mutuò deſtruunt, & perimunt, ſunt contraria: manifeſtum eſt curationem omnem fieri per contrarium: & ſicut morbi ſublatio fit per contrarium, ita & cauſſæ eum producentis, & ſymptomatis inſequentis ablatio fiet per contrarium. Atqui huius eſt ratio, quia ideo morbum tolli, auferrique contingit, quoniam eſt quid præter naturam, & immoderatum. At cauſſæ, & ſymptomata æqualiter præter naturam ſunt, ac immoderata, quæ & conſimiliter & ipſa eadem ratione abolentur per contrarium. Hoc ipſum, quòd curatio fiat per contrarium, medio ipſius actionis comprobatur. Nam cùm omnis actio fit à contrario, vt Ariſtotelis eſt ſententia primo de generat. & corruption. text. comm. 50. & curatio ſit quædam actio; neceſſum eſt, vt per contrarium ægritudinis curatio quoque ſit. Medio quoque propriè actionis extremi, ac medij termini, morbi inquam, & calidi innati, hoc idem affirmamus: illius namque munus, & actio eſt perdere, & corrumpere temperiem; huius autem eam tutari, ac immunem ab omni læſione ſeruare. Dicitur vltimò curatio per contrarium exerceri iuxta Medici propoſitum ad finem, qui in omnibus affectibus præter naturam ſemper his oppoſitam diſpoſitionem introducere proponit, ſtatum inquàm ſecundum naturam. Qualiter verò curatio per contrarium fiat æquale in gradu, (vt inquiunt Medici) ſuo loco, vbi de indicatione quantitatis ſermonem habebimus, explicabitur.

Contraria curationem perficientia. Cap. XIIII.

CONTRARIA autem ea nominamus, quæ facultate, & potentia talia verè exiſtunt, & non ſecundum imaginationem; vt in art. med. cap. 89. affirmat Galenus. Hęc quippe ſecundum virtutem eſſentialiter, & exiſtenter, & à principio intrinſeco talia ſunt. Quapropter aqua calida non niſi apparenter, ideſt ſecundum ſenſum, contrariatur malę complexioni frigidę; quia à principio intrinſeco habet infrigidare. Similiter medicina à falſis Aromatariis virtute expoliata, vt lignum Aloes coctum, & ſimiliter Reubarbarum; aut adulterata, ſicut Turbit, ſuper cuius extrema diſtillatur Gummi arabicũ, vt gummoſum appareat; de quo contrario non verificatur Gal. dictum; ſed de contrario ſecundum potẽtiam: propterea quòd ſecundum virtutem eſſentialiter, & exiſtenter, & à principio intrinſeco eſt tale. Nec ſolum, quę propriè dicuntur contraria reperta in ijs, quæ ſunt de prædicamento qualitatis, intelligimus; ſed & quodcunque contrarium largè, & impropriè ſumptum, quod verius oppoſitum nominatur, vt 15. meth. cap. 13. declarat Gal. Atq; hæc contrarietas & in qualitate, & in ſubſtantia, & in aliis prędicamentis reperitur. Quare & vnumquenq; morbum ſuum habere contrarium, per quod is permutari, curariq; poſſit, aſſeuerant. Contraria itaque, quę morbos expellere, expugnareque habent, ſub eodem proximo genere ſunt eligenda. Ex quo enim ęqualitatis genere eſt lapſus, ex eodem petenda contraria ſunt: vt ſi mala temperatura frigida & humida, contraria calida & ſicca aſſumenda. Si in compoſitione vitium extiterit; idq; & obſtructio-

ne, aperientibus, sed si ex magnitudine, minuentibus malo obuiandum. Sin in solutione continuitatis, & ea quidem ex dissectione fit; vnione, consolidationeque subueniendum; & sic in reliquis cunctis affectibus præter naturam suum certum, determinatumque contrarium opponendum; sicut vbique locorum testatur Gal. At primo libro de arte com. 7. id clarè nos docet exemplo, dicens. Nihil ex ijs, quæ secundum naturam se habent, emendatione indigere; conseruare enim id, non remouere proposuimus; sed ea, quæ præter naturam sunt, in naturalem statum reduci debere. Necesse autem esse, vt qui in pristinum statum rediturus est, is eadem via, vnde digressus est, reuertatur; quod perinde est, ac si dicamus, vt contrarium iter faciat: Ibi nanque Gal. duobus claris exemplis docet certam curationem adhiberi per contrariam motionem morbum expellentem, sanitatemque introducentem, & ait: Quòd à fine, quo morbus progressus est, sanitatis exordium capiamus; indeque retrograda via per idem ipsum iter quo fuit morbus profectus ad initium vsque vnde principium sumpsit, recto tramite progrediatur, ibidemque suæ motionis, sanationisque finem faciat; vt supra etiam annotauimus; hic quippe ad lineam ad suum principium regressus, est directa ad sanitatem mutatio, atque sanatio certa nominatur, & totum quod à fine ad principium vsque per sua recta media corpori adiungitur, suum certum, verumque contrarium remedium nominatur.

Contrarietas, & indicans & indicatus dicitur scopus. Cap. XV.



ORBVM affectum præter naturam omnem sanitati, vt extremum medio contrarium esse diximus, medium verò, & perfecti, & moderati sapientes rationem habere dixerunt, extremum autem immoderati, & imperfecti. Vnde ire ad medium, est ad perfectionem ire; & discedere à medio, est à perfectione discedere. Affectus itaque præter naturam medio, & sanitati contrariatur, vt extremum inæquale, & imperfectum suo æquali medio, atq; perfecto. Morbus insuper, & affectus præter naturam remedio contrariatur, sicut extremus terminus suo extremo termino opposito potentiam habenti ipsum permutandi, atque expellendi. Remedium nanque, prout terminus morbo oppositus facultatem habens eum expugnandi, contrarium dicitur; quoniam permutandi corrumpendiq; vim habet; est vtique ei contrarium ratione modi mutationis; quæ corruptio, permutatioq; dicitur. Si nanque superfluè permutat, superfluum dicitur; si debiliter, ac imminutè, debile, ac mancum nominabitur; si iustè & terminatè morbum expellit, & sanitatem restituit, terminatum, & iustum appellatur remedium, & contrarium. Hanc autem terminationem, & iustitiam suæ permutationis consequitur ex habitudine, quam habet ad sanitatem, & statum salubrem. Vnde terminatum, iustumque remedium, & contrarium dicitur ex eo, quod iustè, terminatèque morbum ad sanitatem vsque permutat, non infra subsistens, nec vlterius progrediens. Contrarietas itaque vniuersaliter, communiterque sumpta & de remedio determinato contrario, quod aliàs indicatus nuncupatur scopus, & de morbo, temperamento, atque aere ambiente, qui indicantes nominantur scopi, æqualiter dicitur, & prædicatur; quando his omnibus communis existit, & vt subiectas continet species. Quòd verè contrarietas communiter sumpta, nobis abstractum pro concreto accipientibus, de contrario remedio, vt de supposita specie prædicetur, facilè patet; cùm sit quid superius, communiusque. Quòd verò de morbo, statu salubri, aere ambiente primis curationem indicantibus scopis etiam dicatur, facilè ostendimus. Nam morbus, vt immoderatus, seu à medio recedens, vt malus, & inæqualis, suo medio & bono, & æquali contrarius afficitur: contrarium quoque suo corrumpenti remedio ipsum fecimus. Status autem salubris, & temperamentum, prout est morbi mali, & imperfecti terminus bonus & perfectus, & prout mutationis permutati morbi mensuram præscribit, contrarium & ipsum nuncupant terminum, & mensuram contrarij, pro contrario capientes. Aer autem ambiens, cùm sit necessaria caussa perpetuò alterans corpora nostra, sine qua morbus minimè tolli potest; si concors erit cum morbo, & adiumentum ei præstabit; tunc vt morbosa caussa consimilem contrarietatem possidebit, quam internæ morbi caussæ possidere dicuntur. Si verò est discors à morbo, & concors cum medicamine; eique auxilium afferat; tunc vt salutaris, & curatiua morbi caussa se habet. Quare eandem, quam medicamen contrarietatem habet, & ipse sibi præscribit; & indicati, & non indicantis rationem obtinet. Sic vtique planum fecimus, has contrarietates omnes, & morbi, & temperamenti, & aeris ambientis quodammodo partiales esse respectu genericæ cõmuniterque dictæ. Meritò igitur generica contrarietas de his omnibus, vt de suis inferioribus speciebus


prædicabitur. Ad contrarietatis namque rationem, quæ ad remedium indicatum scopum refertur, Hipp. in libro de flat. respiciens sic artis curatiuæ primum axioma promulgauit. Contraria contrariorum sunt remedia; quem Gal. insequens secundo artis med. cap. 89. dixit. Curatio vnam præcipuam, ac communissimam habet indicationem ad id, quod est dispositioni auferendæ contrarium: idem scriptum reliquit in libro de const. art. med. cap. 13. dum ait. Primum ad medendi methodum pertinet reperire communem omnium scopum; contraria contrarijs esse remedia: mox sua ad vnumquodque genus aptare contraria. Id ipsum 11. meth. cap. 2. retulit, dum inquit. Prima omnium indicatio curationum, quæ ex ipso, qui curatur, morbo accipitur, contrarietatem præscribit. At quoniam morborum plura sunt genera, cuique horum sua erit contrarietas: vt primo cap. eiusdem libri scripsit: dicimus vnam esse omnium morborum communem curationis indicationem, nempe contrarietatem ipsam. Ad contrarietatis verò rationem, quę ad tres primos indicantes scopos refertur, morbum scilicet, aerem ambientem, & temperamentum Gal. 9. meth. cap. 15. conspiciens longa verborum serie sic scripsit. Quare rursus ad has disputationem reuocemus, doceamusque quemadmodum & paucæ, & multæ pro diuersa sectione curatoriæ indicationes sint: quando & tres vniuersas (vt proximè docuimus) facias, licet in pauca capita tota summa redacta, & qualibet earum rursus diuisa ex ipsis multa efficere. Id quod etiam iam monstratum est. Quin & ipsarum sectionum quamlibet rursum diducas in membra licet; donec ad insectile venias. Iam primas quoque illas tres, quas memorauimus, fieri potest, vt redigas ad pauciores sic, vt duo eorum scoporum, qui curationem indicent, omnino capita sint; nempe præsens affectus, quem morbum nominamus; & qui prius fuit, quem sanitatem, & naturalem habitum diximus. Neque enim aliud est ipsa sanatio, quàm præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio. Cùm autem contrarij hi affectus sint, necesse est per contrarium fiat eorum alterius ad alterum translatio; atque ita rursus vna sola erit curationum maximè generalis indicatio, nempe contrarietas; & sic tres primos curationem indicantes scopos inuicem distinctos, morbum scilicet, temperamentum, aerem ambientem ad vnum primum communissimum insectile genus, nempe ad contrarietatem reducit Gal. Contrarietas itaque sola, ac generalis indicatio curationum omnium iure nominatur sola; quoniam in se ipsa reliquas cunctas vnit. Generalis verò, quia & morbi, & temperamenti, & ambientis curationem complectitur. Explicuit autem primum, ac communissimum indicantem scopum per indicationem eius inhærentem passionem, atque indeficientem actionem: fecitque Gal. in hac enuntiatione prædicationem denominatiuam dicens, contrarietas est indicatio, idest indicationem faciens: Indicatio namque est actus ipsius indicantis, atque ei perpetuò coniunctus, vt vegetatio vegetanti. Erit itaque hæc prædicatio per propriam, perennemque actionem, seu inhærentem passionem enuntiata. Alij verò non indicatio, sed scopus, hanc Galenus græcam vocem *Scopos* interpretatur, & inquit. Atque ita rursus solus vnus erit curationum maximè generalis scopus, nempe contrarietas. Sic vtique clarum fecimus, quòd contrarietas ab antiquis, & primis Medicis, & indicans, & indicatus scopus, atque etiam indicatio nuncupata fuit. Quòd verò scopum pro indicante, & non pro indicato ibidem Galenus capiat, subiecta materia, de qua loquitur, quæ est de indicantibus primis scopis, quomodo plures, pauciores ne esse possunt; facilè id nos docet. Placuit autem Galeno in præsenti capite tres nominatos curationis vniuersales scopos, morbum, inquam, temperamentum, atque ambientem ad vnum communissimum insectile genus redigere; atque illud sub contrarietatis, & non sub contrarij nomine pronuntiare; quoniam contrarij nomen vnum, seu alterum contrarium dicit. Contrarietas verò contrariorum omnium rationem dictat; eorundemque naturam communem explicat; quam quidem communem naturam vnumquodque supradictorum suo modo participat.

Finis Tractatus Tertij.



TRACTATVS QVARTVS,

VT QVISQVE PRAETER NATVRAM AFFECTVS, PARSQ. AFFECTA COMMVNITER SVI CVRATIONEM DEMONSTRANT.



STATVS OMNIS PRAETER NATVRAM sui curationem indicat, & vnusquisque suam propriam, & peculiarem dictat. Cap. I.



TATVM præter naturam nominamus affectus præternaturales omnes, & caussas producentes, & morbos productos, & symptomata consequentia. Hæc profectò omnia cum aliena, inimicaque nostræ naturæ sint, atque actionibus nostris semper officiant; sui ipsorum curationem demonstrant. Curationem autem dicimus eorundem affectuum ad statum salubrem permutationem; quæ per contrarium iuuans remedium fit, quod iuuamentum præstet propellens morbum, ac sanitatem restituens. Omnes autem isti affectus præter naturam, & caussa, & morbus, & symptoma (vti diximus) sui per contrarium sublationem indicant: Vnusquisque tamen horum separatim peculiarem, ac propriam ostendit remotionem; sicut morbus factus, ac præsens, qui actu lædit, & offendit; huius præsentis læsionis, & offensionis curationem ostendit. Curare igitur omnes dicunt præsentes iam affectus tollere, siue amouendis ijs, quæ naturæ opus impediunt, id fiat, siue per medicamenta quid ipsi moliamur. Quare Gal. libro 4. meth. cap. 3. & 2. libro aph. aph. 22. Quod iam factum est ex morbo, propriam exigit curationem, & libro primo de ratione victus acutorum com. 3. Curationem intellige in præsentia ablationem morbi, non eius quidem, qui adhuc fit, sed qui iam factus est. Et libro tec. cap. 88. Facta autem ægritudo curabitur soluta ea dispositione; à qua primum naturalis operatio læditur, quam quidem & ipsam morbi essentiam dicimus esse. & secundo libro meth. med. cap. 2. docuit curationem principaliter ipsius affectus esse, qui actioni officit; & ab ipso indicationem curatiuam sumendam esse, & rationem reddens ait. Quippe si id quod curatur is est: ratio profectò est; ab ipso quoque indicationes esse incipiendas. Idem & 3. meth. cap. primo affirmauit. Curatio igitur rei factæ, & præsentis est; eius verò quod futurum est, præ custodia. Quare & morborum caussæ, quæ in potentia quadam sunt facere, fouereque morbum, prouisionem indicare asseuerantur. Nam vt caussa non per se, sed per aliud, scilicet morbi interuentionem nocet; ita non curationem, sed præseruationem à malo futuro indicat. Morbi enim caussæ, cùm præternaturales res sint, & paratæ ad corpus offendendum, suo iure indicationem faciunt, auxiliumque exposcunt; per quod è corpore remoueantur: sed quoniam earum simpliciter remotio non dicit morbi expulsionem, licet illum futurum esse prohibeat: proinde non curatiuam, sed præseruatiuam indicationem facere asseruntur. Quæ verò caussæ actu morbum efficiunt, seruant, & augent; hæ indicationem ex curatione, prouisioneque mistam monstrabunt. Quæ omnia à Galeno eodem libro art. med. cap. 88. habemus. Hæc enim eius sunt verba: Iam enim factam, & existentem ægritudinem curare oportet; sed quæ nondum quidem adest, at futura est, prohibendum est, ne fiat ab ea quæ est in corpore dispositione: eius autem, quæ adbuc fit, quod quidem factum, est curare opus est; quod autem futurum, prohibere ne fiat. Curari tamen & caussæ dicuntur, quæ morbos committunt, 2. aph. aph. 22. Ibidem refert Gal. curationem esse non solum mor-

borum

borum, ſed & cauſſarum morbos efficientium, ablationem. Symptomata verò, quæ à morbo, aut à cauſſa effluunt, neque curationem, neque præſeruationem poſtulant; ſi quidem ex morbi, cauſſæque remotione remouentur; ſed tantum mitigationem, & lenitionem expoſcunt. Cùm igitur ipſum præter naturam ſit, animantiumque corpus affligat, indicationem faciens præſidium eius moleſtiam leniens expoſtulat: cùm enim ſit in fieri, ab alteroque dependeat, & non niſi à remotione alterius remoueatur: cùm ſui remotionem oſtendere non poſſit, ſuæ malitiæ lenitionem, mitigationemque poſtulat: ac ideo mitigatoriam facere indicationem aſſeritur. Quæ igitur à morbo eſt indicatio, curatiua dicitur; quoniam rei per ſe nocentis per ſe expetitur remotio, quæ à cauſſa præſeruatiua: per aliud nanque nocumentum inferenti prouiſio debetur. At mitigatio ei conuenit, quòd non niſi per alterum tolli poteſt. Præſeruatio itaque, ac mitigatio à nonnullis curationis ſpecies dicuntur, vnde fuſo vocabulo ſine diſcrimine nomine curationis cuncta appellantur; quando & ſuo modo, tum cauſſa, tum morbus, tum ſymptoma curari dicuntur. Concludimus igitur ex Gal. ſententia ſecundo aph. cap. 22. & in libro 15. meth. & de natura humana; quòd ea omnia, quæ præter naturam ſunt, ſui ablationem indicant; & curatiuam faciunt indicationem. Quæ quidem curatiua indicatio primò dicitur de morbi præſentis, & iam facti curatione, & de morbo in fieri, & eiuſdem cauſſæ coniunctæ remotione; ſecundò de antecedentium cauſſarum ablatione, atque de ſymptomatum mitigatione: dicitur vltimò de miſto munere præſeruationis, & curationis, ſiue prouiſionis, & mitigationis: dicitur quoque de complicatis, & compoſitis medicationibus ab indicationibus deſumptis; quæ à partium affectibus proficiſcuntur; quas tantas facit Gal. & tantum extollit 13. meth. cap. 2. vbi inquit. Nihil obſtat, quo minus medicinam non ſex menſibus tantum, ſed ſex diebus totam addiſcas; ſi quis eam, quæ à partibus ipſis præſtatur, indicationem adimat. Cùm autem medicatoriæ indicationes, & curatiuæ, & præſeruatiuæ, ac mitigatiuæ, & quæ ex his miſtæ ſunt, atque ab ægrotantibus partibus proueniunt per contrarium ſemper abſoluantur, & non niſi à contrarijs finiantur; nam & morbus calidus ſuo frigido contrario tollitur, & reliqui ſimiliter omnes mala qualitate affecti ſuis contrarijs curantur, & quæ incraſſando morbum intulit cauſſa attenuantibus remouetur, & quæ replendo per euacuantia, quin etiam ſymptomata ipſa contrarijs mitigantur; vigilia ſiquidem, ſomno tollitur; ſitis humore, qui eam extinguit, & denique contrariorum contraria ſunt remedia: ſequitur omnino, tum curationem, tum mitigationem, præſeruationemque vſu contrariorum exerceri. Proinde bene in libro de flat. pronunciauit Hipp. quòd contrariorum contraria ſunt auxilia: id quod in libro de conſt. artis med. cap. 13. comprobauit Galenus, dum dixit, Primam itaque eſt curatiuæ methodi communem ſcopum omnium, vti dictum eſt, reperire; nempe contrarias eſſe contrariorum medelas; mox ſua ad vnumquodque genus aptare contraria. Notum itaque principium eſt apud Medicos; quòd curatiuæ indicationes cunctæ proprijs contrarijs inſtitui, & perfici debent.

Morbus factus quam indicationem pariat. Cap. II.



ORBI omnes in eſſe exiſtentiæ, productæque eſſentiæ, quam primum orti ſunt, facti dicuntur; præcipuè ſimilarium partium, qui protinus ab initio ſuæ generationis propriam obtineut naturam, & eſſentiam. Res nanque ſimilares, quæ partes non habent, niſi in potentia breuiſsimo quodam temporis ſpatio, vel etiam propemodum in inſtanti generationem, ſuamque naturam ſortiuntur. Quare præclarè Galenus dixit in libro de totius morbi tempore cap. 2. Morbi principium, quatenus aliquando ſalubri ſtatu corporis labeſcente inuadit, in omnibus ipſis eſt ſine temporis productione æſtimatum. Penè eandem ſententiam expreſsit lib. 1. de locis affect. cap. ſecundo. In modo verò exiſtendi, atque eſſendi, quem in ſubiecto morbi tenent, & ſeruant, diuiſionem morbi ſuſcipiunt. Nam facti alij, & fientes alij nominantur. Facti autem morbi vocantur, qui exiſtentiam, diſpoſitionemque in corpore, ſeu membro habent firmam, ſuiſque radicibus fixam nullibi dependentem; Fientes autem nominantur morbi, qui neque firmam, neque fixam diſpoſitionem habent, ſed ſucceſsiuam, & in continuo fieri. Facti itidem morbi aliam ſuſcipiunt diſtinctionem; nam alij ſine vlla materia, cauſſaúe aliqua firmiter ſubſiſtunt, & permanent; ſicut ſunt quatuor malę complexiones abſque materia, tum ſimplices, tum coniugatæ, videlicet calida, frigida, humida, & ſicca tantum; & calida, & humida, & calida, & ſicca, & frigida, & humida, & frigida, & ſicca abſque vllo materiei conſortio: aut facti morbi erunt cum materia, cauſſaúe alia fouente, atque augente; ſicut eſt Hectica; quæ eſt mala complexio procreata à febre putrida remanente, & conſeruante, augenteque eam; & veluti Hectica ſenectutis dependens à

mala complexione ficca ventriculi; seu, vt Hectica, quæ à pulmonis vlcere dependet. Hæ hæcticæ omnes facti morbi dicuntur, nihilominus conseruantes, augentesque caussas retinent. Fientes autem morbi nominantur, qui non permanentem, sed successiuam naturam seruant; quæ in continuo est motu, & fieri, & in esse, & conseruari à sua afficiente, continenteque caussa semper dependent. Hi profectò simpliciter curationem indicant, ac mutationem in naturalem habitum insinuant. Factorum enim, & permanentium propria est curatio: ab ijs curatiua indicatio capitur, vt bene ait Gal. 2. aph. 22. & 4. meth. cap. 3. Præsentia siquidem, & non præterita, ac futura sunt indicantia; nam ab eo, quod præterijt, & non existit, nihil potest desumi, & à nullo eorum, quod adhuc non permanet, indicans aliquid concipitur. Et propterea Gal. 9. meth. cap. 15. curationem describens dixit esse præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutationem, quam symptomatum amotio sequitur. Idem a 1. meth. cap. 12. affirmauit. Morbi igitur facti, firmi, ac stabiles absque vllius corporeæ caussæ dependentia, sicut malæ complexiones simplices, ac coningatæ absque materia vnicam tantum intentionem curatiuam faciunt; vt alterentur, & permutentur ad contrarium per contrariam qualitatem: atque huius ratio est; quoniam curatio non est nisi inductio dispositionis contrariæ ægritudini, verbi gratia: Essentia ægritudinis est sola; sola igitur est ibi intentio curatiua, quæ sumitur ex contrarietate ad essentiam morbi; & quia alteratio, seu permutatio est, quæ directè contrariatur essentiæ malæ complexionis; iccirco sola intentio curatiua in ipsa est alteratio, seu permutatio in contrarium per qualitatem contrariam. Quoniam (vt Galeni est sententia in arte med. cap. 89.) Intentio curatiua est morbi destructio cum contrario: quare inueniens ei auxilia contraria secundum potentiam, non autem imaginationem: cui subscribens Auerroes 7. colliget. cap. 1. in hunc modum dixit. In complexione mala non mali intentio est vnica sola; & hoc est, vt ad suam reuertatur naturam; quod non fit primò, & substantialiter, nisi per contrarium, per quod malæ complexionis species remouetur. Vnica igitur erit intentio curatiua in complexione facta absque materia: quoniam vnicum tantum est indicans, mala scilicet ipsa complexio facta, & vnum tantum indicat vnum. Sin autem ipsa mala complexio facta caussam fouentem, aut augentem habuerit, sicut Hectica ab vlcere pulmonis, seu à ficca ventriculi temperatura, procreata; Hæ profectò intemperaturæ factæ, atque habituatæ, non vnicam tantum, sed duas præstant intentiones curatiuas, vnam ad morbum factum, alteram ad caussam conseruantem, seu adaugentem; nam cùm duæ sint res præter naturam, quæ sui remotionem ostendunt, suo iure duas indicationes faciunt. Cùm igitur in malitia complexionis factæ caussa conseruans fuerit complicata; ad illam profectò intentionem habere, vt auferatur, oportet, atque principaliter: & si conseruantes, adaugentesque tantum sint caussæ; quoniam caussa est prior morbo; & continuè illum fouet, & adauget; & sic se habet in corpore, vt sine eius ablatione morbus tolli non posuit: Vbi caussa abscissa, remotaque fuerit, siue conseruans, siue adaugens illa fuerit; mox ad derelictam in corpore, vel membro discrasiam factam, est deueniendum; atque ad illam per suum verum contrarium remouendam. Atque id ipsum scripsit Auicenna quarta fen. primo Can. cap. 2. vbi ait. Et quandoque non sufficit nobis istud; si complexionis dimiserit malitiam, immo erit nobis necesse complexionem permutare; cùm in euacuando finem fecerimus. De quibus quidem morbis Gal. in arte med. cap. 89. sic loquutus fuit. Eadem ratione in alijs tribus intemperaturis, si vnum commune præceptum obseruabimus; vt vnamquanque prius, quæ efficit, caussam rescindamus; deinde ita ad illam, quæ ab eadem caussa facta est, ægritudinem accedamus, caussarum salubrium inuentionem faciemus. Qui & si de efficienti caussa sermonem habet, idem nos tam de conseruante, & augente caussa intelligendum esse asserimus; quando vna, & eadem horum omnium est ratio. Quod autem de morbo facto in membrorum temperie dicimus, illud idem in morbo facto in structura partium, atque in soluta continuitate intelligendum fore arbitramur.

Morbus fiens quam indicationem faciat. Cap. III.



ORBI autem fientes successiuam naturam habentes in esse, ac in conseruari à sua efficienti, continentique caussa semper dependent. Horum profectò morborum partes aliquæ in fieri, aliquæ in facto esse consistunt; & duas naturas simul iunctas connotant, morbosam vnam, vnde morbus fiens est, actionesque lædit; Caussalem alteram, vnde est eius effectrix, conseruatrixque caussa, quæ in continua est morbi effectione. (Nihil enim in præsentiarum nos curamus, an morbus fiens dicatur à parte tantum facta, an à parte facta, futuraque fieri simul.) Cùm igitur hi morbi fientes duas has simul naturas coniunctas con-

ctas contineant, morbosam vnam, qua corpus offendit; caussalem alteram, per quam gignuntur, in esseque conseruantur; ex consequenti etiam habetur, quòd morbi omnes fientes non simplici, puraque consistunt essentia, sed cõfusa, & permista ex prædictis duabus semper. Vnde ex antiquioribus multi coniunctam, continentemque caussam fientis morbi rationem formalem esse scripserunt, seu eius vicem gerentem. Nec fortasse longè à veritate Iacobus de partibus in quarta sen. primi Canonis Auic. in expositione secundi cap. tradidit; Quòd morbus, & eius immediata caussa vterque principaliter lædunt operationem: Morbus immediatè, & eius coniuncta caussa mediante morbo. Vt igitur horum morborum essentiæ, & existentiæ permistæ, complicatæque sunt; sic permistam, complicatamque pariunt indicationem; curatiuam scilicet, ac præseruatiuam. Morbus nempe curationem, caussa præseruationem declarat, & exposcit: ac ideo huiusmodi permista actio non simpliciter curatio, aut præcustodia nominatur; sed curatio, cui adiuncta est præcustodia, & præseruatio. Cùm autem esse morbi fientis totum dependeat à sua effectrici, continentique caussa; meritò eius remotio & sanatio à Galeno in arte medi. cap. 88. nuncupatur prouisio, cum curatione iuncta. Prouisio enim caussa, curatio verò morbo medetur. Et quamuis hæc medicatio hoc composito nomine denominetur, actus tamen curatiuus est opus partis præseruatiuæ. Concoctio enim, & euacuatio, per quas corporeæ morborum fientium caussæ tolluntur, & morbi ipsi auferuntur, præseruatiuæ artis sunt actus, & actiones, sicut bene nos docuit Galenus in arte medici. cap. 89. in hunc modum scribens. Quæcunque verò, vt ad eam quæ adhuc fit, & hac eadem via, atque illa præterea, ex qua ægritudinum caussæ inueniuntur. Esto enim, si ita contigerit, ex humoribus putrescentibus accendi febrem; Indicatio in eiusmodi est euacuatio, atque alteratio; hæc quidem, quæ putredinem finiat manente adhuc caussa; euacuatio verò, quæ totam è corpore substantiam educat. Sed dicta quidem alterationis species, concoctio existit; quam vbi inuenerimus à quibus nam causis fieri contingat; tunc vtique eorum, quæ hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus. Et 11. meth. cap. 2. concoctionem prætermittens, euacuationem solam referens sic ait. Earum verò, quæ ex putrescentibus excitantur humoribus, vocata curatio prophylacticen quoque sibi adiunxit; cuius officium est, caussam, quæ morbum creat, adimere, præmissa scilicet concoctione, vbi opus fuerit. Dicimus itaque, quòd in febre putrida, atque in mala complexione fiente à materiaque dependente, sicut in his intemperaturis duæ res præter naturam adsunt, caussa inquam, & morbus, sic duæ pariter aderunt indicationes, præseruatiua vna, quam caussa parit; curatiua altera, quam morbus efficit. Et quamuis hæ indicationes simul iunctæ semper à Medicis recenseantur, inter se tamen differunt; nam quæ à morbo habetur intentio curatiua, nisi magnitudo, vehementiaque eius vrgeat, negligitur, ac omittitur semper. At si vrgeat, leuitur, mitigaturque tantum eius vehementia, cùm prorsus tolli non possit, nisi per caussæ remotionem. At quæ à caussa sumitur indicatio, tum ordinis, tum perfectionis gratia semper prior, præstantiorque existit. Et hæc ipsa est, quæ curationem omnino complet, & absoluit. Et si aliquando in febre ardenti ab eo ardore curationem auspicemur; eidemque plurimum indulgeamus; nihilominus nunquam eius sanationem perficimus; nisi ad eius materialem effectricem caussam nos vertamus illam concoquendo, atque euacuando. Et hoc ideo, quia effectus malæ complexionis fientis est à sua effectrici caussa; qua cessante, & illa omnino cessat, & licet in mala ista complexione fiente sit aliquid factum semper, quia tamen illud factum est pars fieri; & sicut fieri totum dependet à caussa, & remouetur à remotione eius; similiter & factum illud se habet. Et hæc est differentia, quantum ad modum curationis inter factum, quod est pars sicutis, & factum quod est distinctum contra fiens; quia factum, quod est pars fientis, remouetur à remotione caussæ, nec indiget altera permutatione; sed factum quod distinguitur contra fiens supposito, quod componatur cum caussa consequente, vel augente, quia non dependet in esse ab illa, remota caussa, non remouetur, & adhuc ipsum exposcit, vt alteretur, ac permutetur. Et hoc est, quod Auicenna quarta sen. primi Canon. cap. secundo scripsit, vbi ait.

Et plerumque quidem eis sufficit sola euacuatio; si complexionis malitia non relinquetur ab ea propter moram ipsius præteritam.



Morbifica

Morborum caussæ antecedentes, & coniunctæ, quas indicationes edant. Cap. IIII.



MORBIFICAE caussæ morbos parturientes, antecedentes, & coniunctæ, dum eos edunt, noxamque corpori inferunt, aut aptę natę sunt illos edere, noxamq; inferre, indicantis naturæ sunt, quæ & scopi, & res indicantes aliter dicuntur. Vt enim hæ naturę naturaliter malę sunt; ita à corpore, quales, quales sunt, se abiiciendas esse declarant: sed quoniam immediatè corporis actionem non lædunt, sed morbi interuentu; ideo inter res præseruationem, & non curationem indicantes recensentur, præsertim antecedentes. Nam coniunctæ (vt infra statim dicetur) vnà cum pręseruatione curationem etiam dictant. Hæ profectò indicatrices naturæ, dum animo concipiuntur, nomine scopi, intentionisue à Medicis nominantur: scopum enim non pro fine amato consequendo, sed pro efficiente caussa finem satagente, seu pro noto principio, quod ad finem nos consequendum dirigat, & impellat, capimus. Pariter intentionem non pro re indicata, quam assequendam esse mēte concipimus; nec pro indicatione mente comprehensa rem iudicatam demonstrante, sed pro re ipsa indicante rem ipsam indicatam appetente in præsentiarum sumimus. Harum profectò morbificarum caussarum propensio ad agendum, monstratio indicatioque à Medicis dicitur; quoniam monstrat, & indicat, quòd morbifica caussa, vnde ipsa emanat, vt mala est, & malum corpori infert, vt apta nata est inferre è corpore, est abiicienda; & vt effectrix huius indicationis caussa, natura inquam ipsa vitiata, naturæ nomen amplè capientes, iodicans præseruatiua nominatur: ita & eius indicatio præseruatiua dicetur; siquidem præseruantis indicantis indicatio est. Antecedentem autem caussam Medici nominant, quæ morbum præcedit, & apta nata est in coniunctam conuerti, atq; morbum efficere, aut proximè, aut remotè. Hæc quippe antecedens caussa virtute, & potentia morbum cōtinens proximè illum continere dicitur, dum in morbo fiente reperitur, ac propioquius accedit ad coniunctam caussam, vt in eam conuertatur, & morbum procreet, & foueat. Remotè autem antecedens caussam morbum continere asseritur, dum longinquè morbum respicit, & per plures transmutationes ad illum caussandum venit; sicut in antecedente caussa morbi futuri fieri, qui nondum est, licet inspicere; quæ non nisi longo tempore, & per plures mutationes ad illum procreandum peruenit. Et vt differenter hæ caussæ in fiente, futuroque morbo insunt; ita differentes parturiunt indicationes: in morbo nempe futuro fieri, simpliciter, & absolutè præcustodiam tantum dicunt: & vt innuunt futurum morbum, sic omnino eum procauendum, prohibendumque esse affirmant: in fiente autem morbo, etsi præcustodiam declarant, ne ipsæ in coniunctam conuertantur caussam; non tamen absolutè, & simpliciter præcustodiam tantum dicunt: sed vnà cum præcustodia curationem quoque morbi fientis respiciunt, illamque obseruant. Etsi enim in curatione malæ complexionis fientis principaliter intentio sumatur à caussa; tamen quia ibi est dispositio morbosa in actu, quæ etiam aliquid indicat, non debet sic haberi inteotio ad caussam, quin etiam habeamus intentionem ad morbum. Præterea in mala complexione fiente, vt in putrida febre, caussa antecedens est propinqua putredini; in futura verò fieri, antequàm scilicet fiat putrida febris, prædicta caussa est remota à putredine. At caussa propinqua, & remota à putredine, alio atque alio modo indicationem parit. Continens autem caussa, quam conteotiuam, immediatamque alii dicunt, & morbi, & caussæ rationem obtinere videtur. Quod enim in superiori capite de morbo fiente asseruimus, mistam, confusamque naturam habere; istud idem de cootinente caussa dicimus. Caussa nempe est; quia efficit, & efficiendi vim habet: morbus verò dicitur; quia potestate illum continet; & quia sua præsentia adest, suaque absentia abest. Iure igitur mistam naturam possidet; & morbi, & caussæ rationem habere traditur. Vt igitur caussa continens in re existentiæ duo dicit, & morbum, & caussam; ita in sui sanatione duo simul explicat, caussę scilicet, & morbi abolitionem; quam Galenus non simpliciter curationem, aut præcustodiam nominare voluit; sed curationem, cui adiuncta est præcustodia, & præseruatio. Ablatio nanque contentiuæ caussæ est, & præsentis fientis morbi curatio; & cum hoc prohibitio futuri fieri, ne fiat: libro 4. meth. cap. 3. & lib. 13. meth. cap. 2. De hac quippe coniuncta, continenteq; caussa, pariter & de antecedente, atque etiam de morbo iam facto sermonem habuit Galenus in arte med. cap. 88. vbi ait. Hic verò prius distinguamus, quæ omnes ferè Medici prætermittunt, Alias quidem esse salubres caussas eius temperaturæ, quæ iam facta est; alias autem illius, quæ & adhuc fit, sicut etiam alias eius, quæ futura est. Huius itaque postremæ, hæ quidem in præseruatiua artis parte continentur; hæ verò in salubri: primæ verò inter omnes in curatiua tantummodo; sed eius, quam mediam inter vtranque locauimus in præser-

uatiua, & curatiua: Iam enim factam, atque existentem ægritudinem curare oportet; sed quæ nondum quidem adest, aut futura est, prohibendum est; ne fiat ab ea, quæ in corpore est dispositione. Eius autem, quæ adhuc fit, quod quidem factum est, curare opus est; quod autem futurum, prohibere ne fiat. Hactenus ibidem Gal. qui hanc eandem sententiam 2. aph. 22. clarius explicauit; vbi scriptum reliquit. Vbi enim caussa non adest, quæ morbum efficiat, hæc sola curatio factorum relinquitur. Vbi verò ea, quæ inest corpori, dispositio nondum aliquid facit, veluti quæ plethorea, idest plenitudo vocatur, hoc ad præseruatiuam artis partem attinet; si huiusmodi caussæ destruuntur. Cùm verò iam aliquid agit, mistum est iam huiusmodi opus ex præseruatione, & curatione. Nam quod facturæ erant caussæ illæ, prohibitum est fieri, & hoc ad artem attinet præseruatiuam. Quod verò iam factum est ex morbo, propriam exigit curationem. Quapropter cùm ista sint talia ex præseruatione, & curatione, proprio careremus nomine: Atque ideirco alia, & alia vtimur appellatione, nonnunquam præseruari dicentes, ne morbus, qui iam incipit generari, ad complementum perducatur. Nonnunquam verò curari; quemadmodum in his, quos canis rabidus momorderit: Quæ enim ipsis adhibentur medicinæ, duplicem habent appellationem: nam & nonnunquam ad rabiem remedia dicuntur, acsi ad rabiem facientes dispositiones dicerentur; nonnunquam verò non remedia præsentis dispositionis appellantur, sed à rabie futura præseruantia. Hucusque Gal. cuius sententiæ Auic. subscribit sub alijs verbis libro primo fen. quarta cap. 1. vbi dicit. Dicimus ergo, quòd malitiæ complexionis medicatio tribus fit modis: Complexionis namque malitia, aut erit firma seu impressa, & erit ipsius medicatio ex contrario absolutè; & hæc est medicatio absolutè; aut erit in termino; vt ipsa generetur, seu in termino generationis: & erit eius sanatio medicatio cum præmissione seruationis prohibendo caussam, aut ex ea est, quæ vult fieri, seu quæ est futura fieri, & oportet in ea vt prohibeatur caussa solummodo, & nominatur præmissio seruationis. Hucusq; Auic. Ex ijs namque facilè conijcitur, quæ à Galeno ad Thrasy. scripta sunt in libro de opt. sect. cap. 8. vbi inquit. Inter methodicos igitur & rationales eatenus conuenit; quatenus vtrique ex indicatione vtile percipi arbitrantur: quatenus verò à diuersis accipiunt eatenus dissentiunt, siquidem methodici ex euidentibus quibusdam vtile putant indicari: At rationales ab huiusmodi quidem minimè, sed ab occultis: nam & ipsis à causis indicationes creari censent; caussæ verò, vt caussæ sunt, euidentes non sunt: Iam constat apud eos ab euidentibus indicationes non fieri, sed ista esse praua, & veluti manuducere, ad eorum, quæ indicare possunt, notitiam asserunt. Hactenus ipse, qui de indicationibus quæ à morbis fientibus passim, & vbique vagantibus, atque à caussis antecedentibus, & coniunctis ibidem sermonem faciens, inquit; quòd præseruatiua, & quæ ex præseruatione, & curatione mista est indicatio, ex caussis sensum latentibus ortum habet; quales morborum contentiuæ sunt caussæ, necnon externæ corporeæ, quas antecedentes Medici nuncupant. A caussa itaque, & præcipuè contentiua præseruatiua, & curatiua indicatio sumitur. Et bene Galenus 10. meth. cap. 1. ait. In reliquis febribus, quæ accensionis suæ caussam intus habent, prima indicatio ab ipsa sumetur caussa, prima, inquam, non ratione dignitatis; nam in dignitatum ordine virtus est omnium prima; nec pariter est prima in ordine hauriendarum indicationum, inuentionisque auxiliorum, nam morbus in hoc ordine primas tenet, vt bene ipse tradidit 4. meth. cap. 4. vbi dicit. Auspicari perpetuò oportet, & ab indicatione, quæ ab affectu, cui mederi paramus, accipitur. Morbus itaque est primum indicans in ordine inuentionis indicationum, & auxiliorum; at vbi indicationes elicitæ sunt, & præsidia sunt manifesta; primum locum obtinet caussa in ordine scilicet executionis, applicationisque remediorum, atque in ordine perficiendi, absoluendique curationem in morbis fientibus. Et propterea Gal. in arte med. cap. 89. bene scriptum reliquit. Vnum commune præceptum obseruabimus, & vnamquamque prius, quæ efficit, caussam rescindamus: deinde ad illam, quæ ab eadem caussa facta est, ægritudinem accedamus. Et 4. meth. cap. 4. in omnibus morbis, quibus effectrix caussa adhuc manet, ab hac curatio est inchoanda. Septimo verò meth. cap. 1. scripsit. Non potest perfectè vllus effectus sanari manente adhuc ipsa, vnde natus est, caussa. Primo autem libro de arte curandi ad Glauc. cap. 15. sic ait.

Rursus ad primum institutum redeamus, vnam in omnibus communem intentionem habentes, caussas nimirum, à quibus fiunt eorum singula, considerare, hæ siquidem tibi conuenientem curationem indicabunt. Cùm igitur omnia distinxeris, caussam, ex qua horum singula fiunt, considerare oportebit: illa enim tibi modum curationis ostendet. Item libro 11. meth. cap. 10. dixit. Quod vltimum in resolutiua methodo inuentum, primum omnium in curatione est peragendum. ibidemque subiungit; quòd vbi est febris cum putredine, subouenda est in primis putredo. Ordo enim regulans curatiuarum intentionum in eo est, vt

primò

primò antecedens caussa secundò coniuncta, tertiò morbus obseruetur, atque auferatur; licet aliquando irregulariter, & coactè peruertatur ordo prædictus. Incipiet enim aliquando Medicus ab alteratione: deinde euacuabit, & sic in vehementia caloris febrilis processit Gal. 10. meth. cap. 1. & Auic. fen. quarti tract. 2. cap. 7. Et aliquando exorditur ab euacuatione caussæ coniunctæ prætermittendo euacuationem caussæ antecedentis; rediens deinde ad antecedentem. Et hoc si materia venenosa, aut turgens fuerit. De extrema autem caussa eiusque indicatione 4. meth. cap. 3. Galenus scriptum reliquit. Quod ab ipsa nulla sumitur indicatio, quæ fit ex vsu; quoniam indicatio vtilis sumitur à re permanente: Si verò contingat, quòd ipsa sit permanens, ac perseueret; augeatque morbum, ab hac profectò vtilis indicatio habetur, & ante omnia primitus statim est submouenda executionique mandanda. Quæ autem à Medicis communes vocantur materiæ, nec inter internam, nec externam connumerantur caussam; licet vtranque augeant, & foueant: vti sunt feces, vrina, chylus, chymusúe in ventriculo corruptus, qui ante omnem caussam antecedentem primò sui expurgationem perpetuò exclamat. Sed ad internam corpoream materialem caussam reuertentes dicimus; quòd interna corporea caussa, siue antecedens, siue coniuncta fuerit, duas perpetuò vniuersales parit indicationes, concoctionem scilicet, atque euacuationem. Particulares deinceps multas edit, prout multiplices affectuum differentias. Nam cùm plurimis modis affici contingat; & in qualitate, & in quantitate, & in his vtrisque; atque etiam in propria substantia: his vtique modis omnibus indicationem præstabit. Si nanque materialis corporea caussa in primis qualitatibus deliquerit, in calido, vel frigido, in humido seu sicco; tunc ad contrariam qualitatem permutationem faciendam esse declarat: Si verò in secundis qualitatibus peccauerit; similiter oppositam insinuat qualitatem; nam si crassa fuerit, attenuandum, si tenuis, incrassandum; si viscida, incidendum esse demonstrat; & si naturæ rebellis, subputridaque extiterit, concoctionem desiderat; si omnino putrida, & mala, expulsionem exclamat; si in quantitate internam caussam labi contingat, si imminuta illa extiterit, accretionem desiderat; sin aucta superfluaque fuerit, tunc diminui, euacuarique exoptat: si in vtrisque, & in quali, & in quanto illa peccauerit; tunc & alterationem, & euacuationem demonstrat, modo per venam sectam, modo per medicamen purgans iuxta dominium modi excessus in qualitate, & in quantitate. Si in propria substantia illam affici contingat; ita vt omnino fiat præternaturam; tunc omnino euacuari postulat, & præcipuè per purgans medicamentum, necnon per venæ sectionem, si vires validæ fuerint. Concludimus itaque quòd morbificæ caussæ omnes, quatenus suapte natura infestæ corpori sunt, & aptæ natæ per se nocumentum inferre, morbumque parere, & augere; ea sunt; quæ à nobis superius explicatæ fuere, naturæ scilicet, & scopi indicantes; quæ vt malæ; & perniciosæ, malum, & perniciem alteri prædicentes, ac infligentes, malum, & perniciem sibi quoque prædicunt, & dictant. Harum verò caussarum indicantium indicatio erit earundem natiua propensio lædendi, nocumentumque inferendi, declarans; quia mala noxiaque est, pronaque semper ad malum inferendum; vt aut ad bonum permutetur, aut à corpore vniuersim auferatur.

Quo pacto symptomata indicationem præstent. *Cap. V.*

SYMPTOMATA autem dum sæuiunt, modumque excedunt, ita vt morbi, morbificæque caussæ rationem subeant; & corpori grauia, molestaque sint, vt huiusmodi è corpore se amouenda esse monstrant. At cum horum existentia ab alterius rei dependeat essentia, morbi scilicet, aut morbificæ caussæ; nec per se esse in corpore habeant: ideo suæ existentiæ ablationem minimè ostendere possunt; sed ipsorummet tantum lenitionem, mitigationemque: sin verò sæuiant, modumque excedant; ita vt morbi, morbificæque caussæ speciem teneant; tunc vt huiusmodi indicationem faciunt, & curatiuam, & præseruatiuam, prout huius, aut illius rationem obtinent. sic enim symptomata considerata quocunque ingenio, quo à corpore tolli, auferrique possunt, tollenda, auferendaque sunt, aut proximè, aut remotè, aut mediatè, aut immediatè, vt Iuniores aiunt. Horum autem prauorum symptomatum praua actio, propensioque ad offendendum indicatio, monstratioque nominatur; quoniam monstrat, ac manifestat ea, quæ mala sunt eaque vt lenienda, aut è corpore abijcienda. Atque huiusmodi indicatio, & mitigatoria, & curatiua, & præseruatiua erit, prout huius, aut alterius horum affectuum propensio, actioúe est, & prout hunc, aut illum, suum opificem testatur, morbum scilicet caussam, vel symptoma. Vt enim vario, diuersoque modo suum esse possidet; sic varia, diuersaque demonstrat, & declarat. At lubet in præsentiarum Galeni sententiam percurrere 12. meth. cap. 2. vbi longo verborum progressu ostendere

dere conatur; quemadmodum symptomata suas pariant indicationes curatiuas, vbi ait. Sic & cum fabre incidunt quædam grauiora symptomata, quibus prospici maiore medentis solicitudine debent. Nam de leuioribus, quæ febrium generationi necessariò succedunt, adeo omnino non meminerunt; vt etiam ceu prorsus non sint, innominata ea reliquerint. At quæ vel rarenter febricitantibus incidunt, vel communem magnitudinem excedunt, seorsum ab alijs tradenda censent. Sunt porrò eorum primę differentiæ tres: Aut enim in actionum offensa consistunt; aut in retentorum, vacuatorumue immodico excessu; aut corporum ipsorum affectu. Quartum enim genus numerandum inter symptomata non est; etiam si inter symptomata quàmmaximè non pauci id posuere, sicut erisipelata, ophthalmias, vlcera, parotidas, reliquasque eiusdem generis. Ex prædictis verò tribus actionum quidem offensæ, si contristant, solicitudinem Medici ad se conuertunt, affectumque deserere cogunt. Idem faciunt & eorum, quæ retinentur, vel expelluntur excessus. At genus symptomatum, quod in affectibus consistit, alterius quidem, quem curare oportet, affectus est signum: ipsum tamen nullam seorsum curationem exigit, vtpotè cum affectu, vnde nascitur, vnà cessans. Vt enim in summa dicam, nullum symptoma, qua symptoma est, nec curationis rationem indicat, nec primum immutat. Monstratum enim est ex morbis ipsis curationis indicationem præstare; veluti ex caussis ipsis prouidentiæ. Dictum præterea est & quomodo prouisio ipsa cum medendo simul fit mista. Ex accidenti tamen symptomata quoque curandi rationem aliquando mutant, caussæ scilicet locum eo tempore habentia. Eorum omnium cum veluti caussæ curationem immutant, vnum caput est. Dico id vnum lęsionem; siue ea ipsius virtutis sit, siue affectionis; quando, si nihil ijs officiant, curationem non interpellant; lædunt autem vires, vigiliæ, dolor, & immodica euacuatio. Affectui verò eadem, non vtique semper, cæterum magna ex parte nocent; ac potissimum cùm fuerint immodica. Ob hæc igitur sola curandi ratione, quam ab initio institueramus, ad præsens mutata, symptomata submouere primum cogimur. Ergo si resoluantur vires, non tamen vehementer sunt iam resolutæ, sed adhuc resistunt, ad symptoma tantum sumus attenti: atque id cum primum submouere maturamus: si in iam resolutæ vehementer vires sunt; non modo symptoma sedare, sed etiã illas firmare properamus. Quòd si non vno remedio, tum symptoma leniri, tum morbus curari queat; id vtique non fuerit symptoma respicere, aut symptomatis caussa remedia sumere; sed omnis eiusmodi auxiliorum species planè morbi curatio est. Neque enim cum lateris dolorem in pleuritide, misso sanguine, vel corpore purgato sanamus; nec cum abscessu distentum, & cum dolore pulsantem diuidimus, ac plus emittimus; eiusmodi curatio symptomatis est; sed cum exempli gratia, in dysentericorum deiectionibus, vbi vehementer rodunt, vel tragi succum, vel hircinum seuum, vel rosaceum ceratum per inferius indimus; quibus vtique præsidijs ipsa exulceratio intestinorum non sanatur; maximè si putredinosum aliquid habeant, sed vires interim conquiescunt. Atque id est contra symptoma instare morbo ad id tempus neglecto. Hactenus Gal. qui longo sermone declarat; quemadmodum symptomata indicationem præstent, & primò dicit, quòd symptomata, quatenus talia nunquam indicationem exhibent curatiuam; quoniam sunt entia dependentia, & successiua, & vt 4. meth. cap. 3. ipse scripsit ab eo quod non existit, nihil potest desumi, à nullo enim eorum, quæ adhuc non permanent, sumitur indicatio curatiua; sed sub morbi, morbificæque caussæ indicatione spectantur; & simul cum curatione eorundem ipsa curantur. Mox symptoma distinguit iuxta eorundem antiquam diuisionem in actionem lęsam, vel abolitam, in excrementa vacuata, vel retenta immodicè, seu præter naturam, & in corporis affectus, quem qualitatem mutatam aliqui nominant. Istud autem genus symptomatum ait Gal. quod in effectibus consistat, & alterius quidem, quem curare oportet, affectus est signum, ipsum tamen nullam seorsum curationem exigit, vtpotè cum affectu, vnde nascitur, vnà cessans. Actionum autem offensę si consistant, solicitudinem Medici ad se conuertunt; affectumque deserere cogunt. Idem faciunt & eorum, quæ retinentur, vel expelluntur, excessus. Actiones itaq; læsæ, sicut dolores, vigiliæ, & huius generis reliqua, pariter excretionum suppressiones, atq; immodicæ euacuationes omnes cum excesserint, immoderatæq; fuerint, ita vt vires lædant, aut morbum adaugeant: vnde & vires etiã offendantur: hęc profectò symptomata ordinariam Medici solicitudinẽ à morbi curatione ad eorundem mitigationem conuertunt; & cogunt relinquere morbum, symptomataq; lenire. Huiusmodi igitur vigentia symptomata ordinariam Medici intentionẽ à morbi, morbificæq; caussę curatione traducunt, & propterea subdit Gal. ex accidenti tamen symptomata quoq; curandi rationẽ habent, & tunc caussæ, seu morbi rationem obtinent, & consistentiam quandam videntur habere (seu morbi, caussæue intuitu; per quam corporis viribus lęsionem inferant, seu morbum adaugeant) nam (vt benè inquit ipse) Si nec viribus, nec morbo officiant, curationem

HH non

non interpellant; postea addit: si iam resolutæ vehementer vires sunt, non modo symptomata sedare, sed etiam illas firmare properamus, cibo, potuúe congruo, ac illo pleniori. Quamobrem & bene inquiunt, quòd syptomata duobus modis vires lædere possunt, mediatè, & immediatè: mediatè illas lædunt, dum morbum augent, & per morbi auctionem vires offendunt. Immediatè verò hæ læduntur ab immodica omni euacuatione, intensoq; dolore, superfluaq; vigilia: ab istis vtique symptomatibus vires per se primò offenduntur. Subiungunt iterum, & aiunt, symptomata, quæ vires lædunt, & indicationem exhibent, si per se primò vires offendant, illa vtique semper curationem indicare, & mitigationem omnino vbique locorum declarare. At quæ mediatè, per medium scilicet morbi vires lædunt, hæc aliquando indicantia sunt, aliquando minimè. Dum enim morbus idem auxilium exigit per symptoma, tunc symptoma ipsum minimè indicare dicunt; nam vt bene ibidem docet Gal. si vno remedio, tum symptoma leniri, tum morbus curari queat, id vtiq; non fuerit symptoma respicere, aut symptomatis caussa remedia sumere; sed omnis eiusmodi auxiliorum species planè morbi curatio est. Dum verò & morbus, & symptoma contraria exposcunt remedia, si quod morbi remedium symptoma adaugeat, & symptomatis præsidium morbum intendat; huiusmodi profectò symptomata per medium morbi vires offendentia contrariaq; à morbo remedia exposcentia, hæc profectò vltra lenientē, mitigantemq; indicationem curatiuam, præseruatiuamq; alterando etiam præstant; sed adest ratio dubitandi; quoniam vnum symptoma, quod affectus corporis, seu qualitas mutata dicitur, licet intendatur, ægrumq; offendat; indicationem nō facit apud Galenum in præsenti cont. cùm tamen Auic. in tract. de febribus scribat, curationem nigredinis linguæ, & ictericitiæ, quæ sunt corporis affectus, qualitatesq; mutatę pariter vbiq; locorum à Medicis curatio fœtoris, narium, oris, axillarum, atq; aurium describitur, quæ inter symp. affectus corporis recensentur. Ad hæc dicimus, quòd huiusmodi genera symp. quantuncunq; adaucta, magnaq; fuerint, nullatenus eò perueniunt, vt vires adeo lædant, vt vitæ periculū creent, quod de excuntibus mutatis, actionibusque læsis dicere nō contingit. Et si Auic. aliiq; auctores horum symp. curationem tradiderunt, non à qualitate mutata corporisq; affectu indicationem sumpsere, sed aut à morbo, aut materiali eorundem caussa, vnde illa procreata fuerunt. Etiam vnum superest inquirendum in Gal. dictis de natura symp. & quomodo vtilem indicationem præstat, in lib. de opt. sect. ad Thrasyb. c. 18. & 19. vbi contra empiricos inuehitur, dum ait. Itaq; symptomatum aliqua caussas, aliqua passos locos, aliqua facultate aliqua ægrotantes ipsos subsequi statuimus: hæc rationalis omnia distinguit nosstq; vbi obseruandum sit, nec ne. Asserit itaq; ibidem ipse dari symptomata caussæ, loci affecti, facultatis, atq; corporis ægrotantis; verbi gratia, symptoma caussæ est dolor, qui symp. dicitur solutionis vnitatis, vel materiei soluentis: symptoma loci affecti, dolor pungitiuus membranæ, panniculiúe; symptoma facultatis erit pulsus debilis; patientis verò corporis symptoma est conuulsio, in qua corpus deprehensum modo ad posteriora, modo ad interiora compellitur. Dicit itaq; Gal. non esse hæc omnia symptomata vtilia; sed ea tantum, quæ sunt, vel caussæ, vel loci, vel facultatis; nam ratione caussæ desumitur, quid agendum; ratione loci cognoscitur modus, vsus facultatis verò ratione medicaminis mensura cognoscitur: Sciens nanq; hoc symp. à caussa nasci; istud à loco, id verò à facultate: inde profectò vtilia dixit illa nuncupari; quæ vt signa ostendentia, ostendunt illud, à quo sumitur vtilis indicatio. Symptoma enim caussæ vtile dicitur, quia est signum caussam denotans, à qua sumitur vtilis indicatio de eo, quod agendum est; sicut ob doloris caussam proximum ventrem secare Hipp. iubet, ita symptomata loci affectus, & facultatis, sunt vtilia, quia indicant illa, à quibus sumantur vtiles indicationes, tum modi, tum mensuræ medicaminum. At corporis symptoma inutile ad indicandum dicitur. Nam cùm commune indeterminatumque sit, communiter, indeterminateque tantum indicare dicetur, & nihil proprium monstrare. Hactenus dictum sit, quatenus symptomata sunt indicantes scopi, indicationemq; præstant. Symptomatis nempe indicatio est impetuosa eius læsio, propensioque ad lędendum, & offendendum, attestans se è medio tolli oportere; sicut alium è medio tollere satagit, aut si tolli, & auferri minimè possit, leniri, & mitigari saltem expostulat. Inter symptomata, quæ medicationem, & lenitionem desiderant, ea, quæ dolorosa sunt, præcipuè recensentur; omnia vires prosternunt, & quæ ex inflammatione, & fluxione oriuntur, illas adaugent, & tum morbi, tum morbificæ caussæ rationem habent; dolores enim, qui ex inflammata parte oriuntur, tales sunt, necnon qui ex flatu particulam violenter distendente ortum habent, & qui ex frigidæ, pituitosæ materiæ præsentia fiunt. Hi quidem diaphniuoonis purgationem amant, flatuosi verò, qui ex flatu excitantur, flatum discutientia, necnon etiam purgantia medicamenta volunt; quando absque materia raro flatus consistit; qui autem ex inflammatione nascuntur, venæ sectione salubriter curantur. At si nec phlebotomia, nec purgatione

dolores sedantur, tunc mitigantia lanientiaq; medicamenta desiderant, sicut benigna temperata mèdicamina nobis familiaria, & domestica intus, & extra applicita; quæ tum his, tum à flatu excitatis doloribus, summopere conducunt. Hæc enim cutis meatus aperiendo, humores, flatusque per halitus discutiendo (qui in loco inclusi impactique partes distendunt, & solutionem continui moliuntur) dolores sedant; & si hæc non satis fuerint, tunc torpifera, narcoticaque præsidia expetunt; quæ sensus torporem inducentia symptomatum sæuitiem mitigant, impetumq; compescunt: hæc enim sensum sua frigiditate mortificant, & ita locum affectum stupefaciunt, vt amplius propriam iniuriam non percipiat. Vterini verò in mulieribus geniti dolores purgatione hyero hermetis, atque magnæ triferæ exhibitione curantur. Qui verò vel à veneno, vel à punctura venenosa intus necantes fiunt dolores, qui dolorificas caussas cunctas complectuntur: Alexiterijs, Alexipharmacisque curantur; sicut qui à membri corruptione caussantur, causticis, aut candenti ferro sanantur.

Pars affecta, quas prabeat indicationes. Cap. VI.



CORPORIS partem, quam alij membri naturam dicunt, hic intelligimus partem viuentem, quæ ad operationem ordinata est: hæc quippe, vbi morbo, morbiúe caussa, seu symptomate detenta fuerit, sic vt ægra dicatur, medicationeque indigeat, multiformes edit indicationes: primum enim horum præternaturalium affectuum gratia particularem, singularemque curatricem, præseruatricem, mitigatricemque indicationem, præstat. Siquidem huiusmodi affectus, ratione particulæ affectæ, proprij, peculiaresque iam euaserint: parit itidem pars affecta ratione propriæ constitutionis indicationem, ex natura scilicet suæ temperiei, ex modo substantiæ raræ, vel densæ, ex vsu, actione, & passione, ex sensu exquisito, vel obtuso, item ratione situs, figuræ, consortijque harum; itaque omnium conditionum partium pars affecta indicationem præstat indicando modo præsidij materiam, modo qualitatem, quantitatemúe, modo medicamenti varium vsum. Alij, & forrasse rectius, inquiunt, quòd hæ partium circumstantiæ, verius sunt moderantes, determinantesque indicationes indicantium per se, quàm verè indicantes. De his profectò partium conditionibus indicantibus, moderantibus, quouis modo illas appellaueris, sermonem faciens Gal. 4. meth. cap. vlt. scripsit: opus esse in parte considerare temperiem, situm, figuram, actionem, atque sensum exquisitum; proinde septimo meth. cap. 13. de methodo indicationum, quæ à læsę partis natura sumuntur, sermonem habens, sic ait. „Prima quidem indicatio à laborantis loci temperie sumitur; quæ calefaciendi, refrigerandi, siccandi, vel humectandi, vel aliquod horum coniunctæ cum alio faciendi mensuram præscribit; secunda ex eo sumitur, quod actio eius omnibus animalis partibus sit communis; aut quòd communem virtutem subministret: tertia ab ipsa partis figura; quarta ab ipsius positura, cuius portio est ad vicinas animalis partes societas; tum præter hæc omnia ipsa sentiendi, vel acrimonia, vel hebetudo. Secundo autem libro art. cur. ad Glauc. cap. 2. inquit. Quatuor verò sunt ab affectis partibus indicationes, ab earum temperatura, à formatione, à situ, atque à virtute, quod etiam confirmauit 4. meth. cap. vltimo. Demonstrat quoque pars affecta sui conseruationem, eaque medicamina permittit adhiberi; eorumque tantum vsus concedit, quæ affectus præternaturales expugnent, expugnareúe possint; nec membri tamen patientis particulæ virtutem offendant, aut offendere valeant. Quam verò magnam affectorum locorum notitia in curandis singulis corporis membris vtilitatem afferat, vbique locorum Galenus ostendere conatus est; sed præcipuè in libro primo de locis affect. cap. 4. vbi docet, quemlibet præter naturam affectum, communissimo Hipp. decreto suo auferri contrario, quod affectus ipse indicat, vt si calidus, frigidis, & si frigidus calidis. At quo vsque modo, aut qua materia id exequi liceat, affectus ipse non indicat duntaxat, sed ipsa pars affecta commonstrat; quemadmodum de phlegmone in diuersis partibus orta pro ipsarum partium diuersitate libro 13. meth. cap. 17. & 18. docuit terminum, modum, ac diuersam medicamentorum materiam, quo pacto eligi oporteret, definiens. Quare ad vsum dextrum præsidiorum necessarium esse, exactè scire partis curandæ substantiam, formationem, ac situm lib. de const. art. med. cap. 17. decretum reliquit, & 3. meth. medendi cap. 1. asseruit primum artis opus esse, vt intelligas sperare, ne id, quo tendis, debeas, an secus, cuius rei cùm duplex possit haberi cognitio, altera per experientiam, cui longo vsu est opus; altera per ipsis rei naturam. Hæc siquidem cuiusque particulæ substantiam æstimabit, tum actionem, tum vsum, situmque, à quibus procedens non solum quod sanari non potest, præuidebit; sed etiam quod recipere sanitatem potest, de inueniendis ei remedijs deliberabit.

Similaris pars, & temperiei & modi substantiæ raræ, vel densæ, & acuti, obtusique sensus gratia curatiuas indicationes præstat. Cap. VII.



CORPORIS partem Medici dicunt, tum similarem, tum dissimilarem viuentis particulam functioni, seu functionis vsui destinatam; necnon harum vtriusque partium virtutes; à quibus functiones ipsæ per se primò proficiscuntur. Primum itaque, vt similarium partium naturales affectus curatiuas præbeant indicationes, deinde istud idem de dissimilaribus, organicisque partibus quæremus. Simplex enim ac singularis viuentis corporis pars, suarum qualitatum temperie, cum temperata, & debita partium vnione coniuncta earundem qualitatum temperiem, atque suarum partium vnionem, sui custodiæ gratia per se primò desiderat. Secundò curatiuam etiam exhibet indicationem; prout temperies æqualitatem, terminumque dicit; qui distinguit sanum ab ægro, lapsumque morbi mensurat: eiusdemque ab æquali, & recto discessum secundum magis & minus describens, & sub hac ratione similaris pars medicaminis quantitatem, mensuramque declarat. At præter temperiem, per modum etiam suæ substantiæ raræ, vel densæ, duræ, vel mollis similaris pars indicationem facit: necnon etiam ex eiusdem sensu exquisito, vel obtuso. Complexio autem sub termini, mensuræque ratione; qua lapsum, paruum & magnum mensurat, medicaminis quantitatem declarat; nam & alterantis gradum, & euacuantis pondus, dosimque edocet: atque in his omnibus terminum medicationis præscribit. Ac ideo bene Auic. quarta fen. primi cap. 1. dicebat, & complexionis quidem membri; quoniam cùm naturalis eius complexio scita fuerit, & ipsius complexio ægritudinalis scietur per mensuram existimatiuam, quantum eius complexio naturalis elongata fuerit. Scietur ergo mensura quantitatis; qua ipsa reduci possit ad ipsam sanandam. Quod quidem Gal. 9. meth. cap. 15. prius docuit in hunc modum. Naturam curandi corporis scias oportet; quo quantum morbus ab illius symmetria discesserit, intelligens mensuram refrigeranti præsidio imponas: at fieri non potest, vt quantum à se inuicem distent inuenias; nisi compertum habeas, quàm esset corpus, aut humidum, aut frigidum, aut calidum, aut siccum cùm valeret; quantumque ex ijs excesserit, postquàm ægrotauit. Quippe quod plurimum à naturali habitu recessit, id vehementibus eget contrarijs; quod non plurimum, lenibus. Quantitas nempe medicinæ quantitati morbi correspondere debet; vt bene idem mes notauit tertio de simpl. med. facult. cap. 12. vbi scribit. Vt autem vno verbo exprimam, tanto abesse à medio, quod medebitur, quanto ipsum, cui medela adhibetur, oportet, nimirum cùm in contrarium vtriusque vrgeat excessus. Idem profectò nos docuit Gal. in art. med. cap. 95. ad finem, & & 7. meth. cap. 13. eius verba, quia eandem ferè repetit sententiam, breuitatis caussa prætermimus. Concludunt tandem recentiores, temperiem (quatenus est accidens) duplici nomine curatiuam indicationem docere; vno modo per se, altero per accidens: per se autem curationẽ demonstrat; quatenus est terminus terminans res naturales, & præternaturales: præscribit namque finem sanitatis, principiumque ægritudinis. Et quatenus terminus est pars rei terminatæ, eatenus temperies, vt terminus indicans, erit pars rei, quæ curatur, & sic per se curatoriam indicationem facere asseritur. Per accidens autem hæc ipsa temperies curatiuam indicationem edere dicitur; quatenus admittit remedium, illique assentit; vt vendicetur ab iniuria morbi; vt ille expellatur; cuius expulsio est eius salus; & sic per accidens remedium, curationemque temperies demonstrat. Per temperaturam autem intelligimus, vt bene docet Galenus 9. meth. cap. 14. Et eam, quæ est à principio generationis, & eam, quæ ascititia est, vel ratione ætatis, vel consuetudinis, vel alterius similis rei. Temperies verò, quæ est morbi, sanitatisque terminus, & per se curationem demonstrat, est temperies; qua æger, quo tempore cœpit ægrotare, salubriter degebat; siue natiua, siue ascititia fuerit, siue æqualis, siue inæqualis; quæ præsens à Medicis dicitur; non quòd re vera sit præsens; quando vt morbi iam sit amissa; sed quia iam proxima est tempori, quo æger cœpit laborare: & si præterita sit, ratione alterius antiquioris præsentis rationem habet. Temperaturam verò similarium partium 8. meth. cap. 9. scripsit Gal. Iuuamentum præstare ad inueniendum auxilium, atque ad eiusdem etiam mensuram, & gradum indicandum. Nam prout in parte est maior recessus à temperie; ita iudicabitur auxilium, magis alterans; & quanto pars fuerit siccior 3. meth. cap. tertio, inquit ipse, tanto siccioribus indiget medicamentis, sumpta itaque indicatione à temperie partis, vt huiusmodi, indicat

similia.

similia. Quare in cicatrice cutis inducenda, oportet vti ficciori medicamento, quàm in generatione carnis; quoniam cutis temperies carne ficcior est. Si autem contingat, quòd & totius, & partis temperatura æqualis sit, & moderata; tunc iuxta morbi exigentiam alterantia medicamina sunt adhibenda. Si verò euenit, vt intemperies sit, & secundum totum, & secundum partem; aduertere oportet in ipsa intemperie sit ne similitudo, an dissimilitudo: si fuerit similitudo, vt totum, & pars excedant secundum siccum; hæc similitudo facit, vt tanto ficciora exhibeantur medicamenta, quantum & totum, & pars recedunt à temperie; quòd si fuerit dissimilitudo, vt totum excedat per humidum, pars per siccum. Aduertendum etiam, an iste excessus sit æqualis, vel inæqualis. Si fuerit æqualis, ait Galenus, Medicamentum esse constituendum eodem modo, ac si morbus esset in parte temperata, & in toto temperato; quia hic excessus est æqualis. Quòd si accidat, vt sit inæqualis, verbi gratia totum excedat per humidum tribus numeris, pars verò per siccum excedat quatuor; tunc oportet conficere medicamentum, quod excedat per siccum à temperie vno gradu; propterea quòd pars excedit totum per gradum vnum; nam vt carnis, cutisque effertrix facultas, congruo tempore hæc reficiat, congruo indiget instrumento. Modus autem substantiæ similarium partium, raræ, vel densæ, duræ, vel mollis, indicationem faciliter, difficulterque sustinendi, & resistendi præbet: rara nanque, & laxa debiliter sustinet; densa verò, ac dura fortiter resistit. Gal. 13. meth. cap. 16. & 22. quemadmodum & libro 14. cap. 5. de parte dura, vel densa sermonem habens dicit, ipsum modum agendi indicare; nam si pars fuerit durior, quæ non promptè à medicamentis patiatur, fortes ictus medicamenti vires faciliter sustinet; quæ licet vti medicamentis in modum stillicidij, propterea expedit vti stillicidijs in capite: laxa autem eiusdem capitis pars, vbi agendum sit demonstrat; ex raritate enim, quæ est in capite, suturarum præsentia oritur indicatio, vt applicentur medicamenta non tantum capiti, sed etiam suturæ coronali; quoniam per eam partem facilè vis medicamenti peruenit ad partem affectam. Sensus quoque exquisitus, seu obtusus similaris partis curatiuæ indicationi deseruit; exquisitus enim sensus, aut lenem medicinam, aut fortis medicinæ moderationem desiderat: obtusus verò cuiuscunq; conditionis pars fuerit, eam admittit. Ac ideo Gal. 4. meth. cap. vlt. ait. Igitur quæ acuti sensus pars est, eam quammaximè citra dolorem curare tentandum; quæ parum acri sensu est, hæc si affectus ita suadet, valentiora remedia recipit: secundo etiam libro ad Glauc. cap. 2. ita scriptum reliquit. In indicatione autem, quæ habetur ex virtute partium, quispiam etiam reponeret & facilitatem, & difficultatem ad sentiendum; nam quæ facilè sentiunt, acria medicamenta non tolerant; sicut neque etiam humores. Nam cùm acris humor in ventriculi ore continetur, sæpius animi defectum patiuntur; quòd si mediocris sit affectus, anxietatem, & nauseam habent. Eandem sententiam tenet 7. meth. cap. vlt. in fine per hæc verba. Non spernenda verò, loquit, indicatio est, & ea, quam sensus partium acuitas, hebetudoque suppeditant; quando omne medicamen contemnunt, quæ tardi sunt sensus, etiam si non leuiter mordeat. At quæ acuti sunt sensus, eorum vires dolore resoluuntur. Expedit igitur, vt has nec confertim, nec semel valentibus auxilijs, mederi tentes, sed tuto potius in tempore. At vbi tardus est sensus, in his etiam celeriter obire, quod iustum est, licet semel vsus remedio, quod sit idoneum. His omnibus subscribit Auic. quarta seu. primi cap. primo, vbi ait. Et semita tertia est habere solicitudinem acuitatis sensus, & eius hebetudinis; debet nanque sibi cauere, ne membris acuti sensus neruosis det medicinas malarum qualitatum, & mordicatiuas, & nocitiuas, sicut sunt Tithymali, & huius generis reliqua. Hæc de sensu tactus dicta sunt; idem quoque dicimus de sensu gustus, dum in affectibus oris administrantur medicamenta; quæ in ore detinentur. Expedit cum medicamentis dulcia misceri, vt cum iucunditate recipiantur. Indicat præterea sensus partis, vbi agendum; quod patet in vulnere ventriculi; vbi sanies non per vomitum est expugnanda; quoniam sensus oris ventriculi prohibet hanc expugnationem; sed per infernas partes est deturbanda; quæ quidem acuitas sensus oris ventriculi quanti facienda sit, facilè quiuis eliciet ex Galeni dictis 6. meth. cap. 4. ita scribentis. Quæ verò in ore ventriculi vlcera sunt, ijs sensus quoque acumen sanationi obstat.

Figuræ partium, & quæ cauitatem habent, & quæ non, particulæ, quas indicationes præbeant. Cap. VIII.


ORGANICAE autem partes suæ conformationis gratia curatiuis indicationibus magnam præbent vtilitatem, & propter figuræ ratione, & qua parte meatus, cauitatesque habent; atque etiam situs partium ratione. Figura etenim membri indicat modum agendi; ubi agendum; & quantum agendum. Ventriculi nanque figura medicaminis modum, & sub liquida, & sub solida, & mediocri etiam forma administrari æqualiter demonstrat: similiter & per vomitum superius, & per secessus inferius materiam euacuari declarat. Tracheæ autem figura lambitiua paulatim deglutienda sub mediocri consistentia medicamina expostulat: atque hæc pluribus vicibus reiteranda esse ostendit; quando loci conditio non permittit tandiu medicamen ei inhærere, quoad persanetur. Ideo cùm vna seu altera applicatio non satis facit, pluribus eidem est occurrendum. Similiter & gula affecta, & lambitiua, & gargarismata; atque hæc pluries etiam reiteranda demonstrat. Intestina verò ex modo suæ figuræ, & capacitatis clysterium vsum manifestant: atque his multum delectantur. Quæ omnia habentur à Galeno libro 4. meth. cap. 7. & libro 7. meth. cap. 13. quemadmodum & 13. meth. cap. 16. cum tribus sequentibus. Corporis autem particulæ, quæ in sui conformatione cauitates, meatusque habent, & per viam obtinent viam, per quam materia, tum alterari, tum euacuari possit, moderatum medicamen demonstrant. Solidiores verò particulæ cauitatum, meatuumque expertes, cùm ad eorum densam substantiam accessus sit tantum per angustos poros; fortiora profectò, & alterantia, & euacuantia exposcunt medicamina. Atque supradictæ hæ particulæ inter forte, leneque medicamen sibi vendicando ordinem inuicem obtinent. Nam quæ in sui conformatione interius, & exterius concauitates habent; & hinc, & inde viæ peruiæ adsunt, vnde excrementa expurgentur, leuia ostendunt medicamina, quibus superflua per apertas vias facilè excernantur. His affinia sunt, quæ rara foraminulentaque existunt, sicut lien, & pulmo; quæ compositionis merito facilè declarant medicamen, licet alterius ratione illud forte desiderent. Quæ verò nec interius, nec exterius loca vacua habent, atque densa in propria substantia existunt, hæc fortia exposcunt medicamenta: propterea quòd intra densam substantiam materia detenta, vijs omnibus clausis non nisi difficulter, magnoque labore extrahi potest. Atque ideo Auic. quarta fen. primi cap. 1. ita de huius

„ rei explicatione sermonem faciens scripsit. Quod autem forti medicina magis indiget, est
„ illud, quod in nulla duarum partium ventriculum habet, neque receptaculum; & post ipsum
„ est id, quòd habet illud in vna parte; & post illud est, quod à duabus partibus habet recepta-
„ culum, sed est solidum, & spissum sicut rigno; postea est illud, quod ea habet à duabus parti-
„ bus, & est rarum, sicut pulmo. His ferè distinctionibus vtitur Gal. libro 2. ad Glauc. cap. 2.
„ At formationes inquit hoc modo, nam quædam ex ipsis intus habent spaciositates, quædam
„ extrinsecus, quædam vtrinque, quædam neutra parte, velut ex simplicibus venæ, arteriæ, ner-
„ ui, & quæ sequuntur.

Situs, vt pars associata, quam indicationem parturiat. Cap. IX.


SITVS autem partium corporis plures curatiuæ indicationis species exhibet apud Gal. 7. meth. cap. vlt. vbi per situm corporis ipse intelligit partem, prout est proxima, vel remota; & prout est sursum, vel deorsum. Cum situ autem isto, addit ipse, oportet considerare societatem, seu consortium, quod est ad partes vicinas. Ac ideo bene scripsit Auic. quarta fen. primi cap. 1. quòd situs, aut societatem, aut locum dicit; quare & seiunctim, per societatem inquam, & per locum; & coniunctim per vtrunque indicationem parit. Societas enim solitaria, tum forte, tum debile ostendit medicamentum, necnon & locum per quem fit euacuatio. Forte dum mandanti particulæ pars associata materiam ad partes longinquas attrahit, & impellit; debile verò, dum per proximam, coniunctamque partem patienti particulæ materiam facilè declinare, deriuareque facit; quod quidem bene animaduertit Auic. quarta fen. primi cap. 1. vbi docuit, quòd societas indicat partem, ad quam medicina trahit, quæ est auersio ad longinqua. & indicat partem, ad quam materiam declinare facis, quę est declinatio ad propinqua; verbi gratia cùm fuerit materia in gibbo hepatis, euacuabis eam per vrinam; (& hoc si materia non fuerit multa; quoniam si multa sit, eam

prius ex parte per secessum euacuamus, deinde per vrinam, vt 7. meth. testatus est Gal. cap. 13.) & si in hepatis concauitate fuerit, euacuamus tam per ventrem; quoniam hepatis gibbositas membris vrinæ est associata, & eius concauitas est intestinis coniuncta, vt ex Anatome patet. Hæc quæ ab Auic. in præsenti textu habentur, Gal. 7. meth. cap. 13. & in arte med. cap. 95. & secundo ad Glauc. cap. 2. his verbis scripsit. Et quidem laborantibus gibbis hepatis partibus, quòd per vrinam trahere oporteat: Concauis autem per excretionem inferiorem, situs ipse visceris indicat; atque etiam thoracem, & pulmones per tusses expurgare; Ventriculum autem, & stomachum per vomitus: Intestina verò per inferiores excretiones, quemadmodum & splenem: & renes per vrinas: locos autem muliebres per menstrua; Cerebrum verò, atque eius membranas per palatum, & gargareonem, & nares. Neque verò est, quòd quis opinetur Galenum sibimet aduersari in expurgatione lienis, vt multis visum est, cùm 13. meth. cap. 17. apertè dicat in liene alteram duntaxat esse superflui vacuationem, nempe per ventrem inferiorem, cùm quæ per renes agatur, nulla huic visceri vacuando via pateat; hic verò asserere videatur, & splenem, & renes per vrinas expurgari; quandoquidem omnis contradictionis suspicio statim cessat, si locus iste interpungatur, & legatur hoc pacto: Intestina autem per inferiores excretiones, quemadmodum & splenem, & renes sanè per vrinas, quem locum ita ex Græco castigandum censet Guinterius Andernacus, dum græcè loquentem Galenum apud Parisios publicè enarraret, vt notat Michael Villanouanus in libello suo de syruppis.

Locus partis quam indicationem edat. Cap. X.



LOCVS autem penès tres considerationis differentias tres medicas indicationes præstat, & primam ex propinquitate, & longitudine loci affecti elargitur; Propinquus enim locus medicinam morbo proportionatam iuxta eius exigentiam æqualem in gradu exposcit; quando non sit timor, vt de eius virtute quicquam in via deperdatur: longinquus verò locus illam vltra mensuram, quam exigit morbus, expostulat; & tantum adijciandum suadet, quantum ex itinere amittere potest, vt ad patientem locum perueniens possit cum suo robore ad opus perficiendum, & hoc duobus exequimur modis, vel addendo in quantitate, & gradu medicinæ; vel admiscendo cum ea aliquid, quod ipsam cito penetrare faciat, anteaquàm eius virtus resoluatur. Altera verò ex loco indicatio habetur, non prout proximus, remotusque ille existit; sed prout tale, vel tale est membrum, talis, ac talis naturæ, & proprietatis; cui vltra morbi expugnationem suis appropriatis remedijs particulariter succurrere intendimus: huiusmodi itaq; locus indicans declarat medicamenti materiam, & ea admiscenda esse medicamentis; quæ cum proprietate, & tertia virtute partem affectam respiciunt; eidemque conducunt, atque ad illam suapte natura diriguntur; sicut in medicinis affectuum cordis crocum, & nuc. musc. in cerebri medicinis Medici quotidie adiungunt, & permiscent. Tertiam, ac vltimam indicationem parit locus affectus, prout ipse sans ductibus, & canalibus huic parti vicinus existit, illi verò remotus; atque ex hac peculiari propinquitate, & distantia annuit partem hanc idoneam esse, vt eidem medicamen applicetur, illam verò minus idoneam. Sic vtique locus suam tertiam facit indicationem declarando locum congruum applicationis medicaminis; quemadmodum bene Auic. quarta fen. primi Can. cap. 1. dixit. Et tertius quidem modus est; vt sciamus qua parte medicinam ad ipsum transire faciamus: Verbi gratia si scìueris, quòd vlcera in inferioribus existant intestinis, per clysteria inijciemus: & si sciuerimus, quòd sint in superioribus, per illud, quod bibunt, afferemus. Id quod docuit & Gal. meth. 5. cap. 11. per hæc verba. Nam quæ vicina ventriculo sunt, his per comesta, & bibita succurritur; quæ verò inferius sunt sita, per ea, quæ iniciuntur; quando neque ad ea quæ vicina ventriculo sunt subire potest, quod per sedem infunditur, nec integris viribus ad inferiora pertingere, quod per os sit ingestum. Quod & libro 6. de locis affectis cap. 2. repetit his verbis. Cæterum non mediocriter conducit ad curationem nosse in que intestinorum parte consistat vlcus; nam si in superioribus intestinis est, ab hepatis medicamentis præsidium petendum est: si verò in humilioribus, clysterem subijcere conuenit.



Locus, & societas simul, quas indicationes parturiant. Cap. XI.

LOCVS autem, & societas, ambo simul indicationes faciunt, atque declarant qualiter materia fluens, & fluxa è corpore salubriter educatur. Per locum enim, tum mandantem, tum recipientem particulam intelligimus: per societatem verò tam parti mandanti, quàm recipienti associatam capimus. Pars itaque recipiens affecta, aut prona affici materiam in ipsam influentem, aut aptam natam influere admonet ad contrarium motum è directo auertendam esse versus partes demandantes, si associata ibidem pars fuerit; per quam è directo materia extrahi possit: sin minus per eisdem associatam, aut à dextris, aut à sinistris, aut interius, aut posterius illam auertendam, expellendamque esse declarat. Atque istud (vti diximus) moliendum esse per membrum mandanti associatum perpetuò expetit. Et hoc nos docuit Gal. meth. 5. cap. 3. his verbis. Antispasis verò in his, quæ supra sunt, omnibus deorsum semper agitur; sursum in his, quæ sunt infra: præterea à dextris ad sinistra; sicut ab his rursus ad illa. Similiter ex ijs, quæ intus habentur, ad ea, quæ foris sunt, contraque ab his ad illa, quòd ad partes longinquas ea fieri debent, 13. meth. cap. 6. sic declarat. Nec si mulieri in vtero, vel pudendo phlegmone insedit, menses huic prouocabis, sed ad partes, quæ maximè longinquæ sunt, semper reuulsionem facies, æstimata, tum phlegmonis magnitudine, tum corporis totius statu. Quòd verò è directo illa fieri debeat, ante docuit Galenus ad Glauc. 2. cap. 2. vbi ait. Quod enim ab ipso Hippocrate catixin dicitur, hoc ipsum est secundum rectitudinem, & quæ sequuntur. Duo animaduertit Auic. in ipsa reuulsione quarta fen. primi cap. primo. Vnum, vt cùm ad diuersum trahere volumus, patientis membri, à quo protrahere intendimus, dolorem prius sedemus; quod vtique insinuauit Gal. in com. 2. 6. epid. super aph. 8. inquiens. Neque enim semper in trahentibus auxilijs permanendum est: sed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet; vt succum, qui affecto membro prius inhæserit, excerni permittamus; in membro enim remanens, ipsum bifariam contristabit, & multitudine distendens, & qualitate discrucians. At si humores in particulam prius illatos exire permiseris, ipsam dolore liberabis: facilius que reuulsorijs auxilijs aliquid proficies, nō amplius in seipsum membro propter dolorem succos prouitante vltra eam, quam à principio non cæcè acceperant, inclinationem. Secundum illud est, quod animaduertit Auic. in tali auersione cauendum esse, ne materia trahatur super principale membrum, tanquam ad terminum; quoniam in transitu trahi potest; præcipuè si materia, neque tanquàm ad terminum, neque in transitu debet super principala trahi, præcipuè super cor. Hoc idem voluit Gal. 1. aph. com. 22. & in arte medicinali cap. 89. ait. Quando effluxus ad principales deferri partes cognouerimus, auertimus; atque ad illas impellemus, quæ nullum habent principatum. Vbi verò materia iam fluxa est, atque in patiente particula recepta, locus, recipiens, & pars eidem associata demonstraut, aut per partem ipsam affectam inde exinanendam abijciendamque esse, aut per eidem coniunctam partem deriuandam, forasque salubriter abijciendam; vt bene nos docuit Auic. quarta fan. primi cap. primo, vbi dicit, Sed cùm accidit, vt tota materia iam sit effusa; vtræque res ei conferunt ex parte; quoniam si voluerimus, accipiemus eam ex ipso membro: & si voluerimus, trahemus ipsam ad membrum propinquum, quod associatum est, & eam ab eo extrahemus. Quemadmodum duas minuimus saphenas, in matricum ægritudinibus, & venam, quæ est sub lingua, cùm medicari volumus apostema duarum amygdalarum. Horum omnium auctor est Gal. 4. meth. cap. 6. & in arte Medicinali cap. nonagesimo quinto his verbis. Per locum verò patientem euacuabitur, partim quidem manifestè, & sensibiliter; partim verò in vapores resoluta; quod fit scarificationum auxilio super patientem particulam, & medicaminum, quæ vim habent dispergendi; vel materiam ad loca propinqua deriuabis partem eidem associatam; vt docet Galenus ad Glauc. 2. cap. secundo. Conditionibus tamen obseruatis; de quibus ibidem Gal. in arte Medici. redundanti scilicet materia è corpore prius euacuata, & quæ ad particulam patientem influit, ad contraria loca omnino retracta.



Natura membrorum principalium, atque etiam eis deseruientium, quas indicationes faciant. Cap. XII.



EMBRA autem principalia, sicut cor, cerebrum, & Iecur, trium principum virtutum corpus regentium sedes, fortia purgantia medicamenta formidant; eorundemque administrationem pertimescunt: propterea quòd præsentia multi spiritus ipsæ indigent, & debita vnione sui natiui caloris; qui quidem spiritus, & calor rebus similibus, & iucundis seruantur; dissimilibus verò, & contrarijs perduntur: & proinde medicamina sicut contraria odio prosequuntur. At vbi his indiguerint, & necessitas impellat; vt medicina sit illis adhibenda non vnica vice, vnicaque purgatione materiam tollendam suadent, sed per vices, & paulatim illam euacuandam, atque medicamen rectificatum, consolatumque diligunt, & vt fortem pertimescunt purgationem; sic & validam, & vehementem abhorrent alterationem, & frigidam præsertim; necnon etiam odio prosequuntur resoluentia, relaxantiaque medicamina, præcipuè Iecoris viscus: at cùm his opus extiterit, admisceri illis admouent odorata, ac stiptica; hæc vt vniant, ac roborent membra; illa, vt virtutem confortent, ac nutriant: propterea bene inferius subiunxit Auic. Quòd dare ea pura, quæ laxa faciunt, principalibus membris, & quæ his associantur, & opus habent toti commune, est valde timorosum in re vitæ; proinde dictum est, quòd semper debent admisceri, quæ vniant, & roborent membra; nam quæ immoderata laxant ex Gal. sententia secundo art. curan. ad Glau. cap. 2. robur resoluunt. De ipsis autem principalibus membris hæc verba habuit Auic. fen. quarta primi cap. primo. Super membra principalia non faciemus aliquod cum fortibus medicinis, in quo sit ambigendum, quanto magis potuerimus, ne nocumentum toti corpori commune faciamus; quapropter ex cerebro, & hepate non euacuabimus illud, quod ab eis euacuare debemus, in vna hora: Neque vllo modo vehementi infrigidabimus infrigidatione: & cùm hepati emplastrum superponemus ex medicinis resoluentibus non relinquemus; quin eo res stypticas, & boni odoris ponamus propter virtutis custodiam. Et similiter in eis quæ propterea ad bibendum damus. Quod aut inter omnia membra hac tota custodia dignius existit est cor, & postea cerebrum, & post ipsum hepar. Deinceps subdit Auic. de membro associato principali verba faciens, & secunda quidem semita est curam habere operationis membro associatæ, licet non sit principale, sicut stomachus, & pulmo. Quapropter in febribus cum stomachi debilitate, aquam frigidam in potu, quæ sit vehementis frigiditatis, non damus. Quod testatus est & Gal. 9. meth. meden. cap. 5. Ab ijs verò, quæ membris principalibus sunt associata, & seruitium eisdem præstant; indicationem sumi debere, & præcipuè eorum, quorum opus omnibus animalis partibus est necessarium; voluit ipsemet Gal. 7. meth. cap. 13. in hunc modum scribens: sin necessarium opus eius sit omnibus animalis partibus, veluti ventris, & Iecinoris, non leuis habenda solicitudo de robore virtutis est, ne hanc magna semel euacuatione vsus dissoluas. Est porrò commune opus, & venarum, & arteriarum, & cordis, & thoracis, & renum, & vtriusque vesicæ, tum eius quæ lotium excipit, tum eius quæ bilem, cum vasis etiam, quæ ab vtraque procedunt: Et paulò post in eodem capite subiungit hæc verba. Ad portionem autem Iecinoris etiam ventris opus se habet. Idem ad Glauc. 2. cap. 2. his verbis testatur. Quoniam ex partibus corporis nonnullæ ab influentibus virtutibus gubernantur, quædam verò à proprijs, atque natiuis: atque ex ipsis, quædam sibi tantum, quædam etiam alijs fons, & origo sunt quarundem virtutum, & aliæ quidem opus habent peculiare, aliæ autem commune; permutare opus est curationis formam pro ratione earum, quas diximus, differentiarum. Nam pleraque ex remedijs morbum quidem finiunt, sed natiuas membrorum virtutes offendunt; quæ quidem offensio ad totum corpus pertinet. Quod dupliciter fit, quatenus aut viscus illud alicuius virtutis est origo omnibus partibus communicatæ; aut ipsius opus toti corpori vtile est; Hepar enim, cor, cerebrum, & testes communes vniuersi corporis principia sunt virtutum; Ventriculo autem, atque locis muliebribus propriæ insunt virtutes, nulli alteri parti communes; opus tamen ventriculi quidem toti corpori confert, &c. Hæc vtique membra principalibus deseruientia, quorum opus singulis partibus communiter est necessarium, fortes iunctas medicinas abhorrent; & illas moderatas, atque rectificatas amant; ne nocumentum eis ab illis illatum toti corpori communicetur.

*

Quomodo

Quomodo morbosa, malaque intemperies absque materia sui curationem declaret. Cap. XIII.



MALARVM autem complexionum quandam esse sine materia, quandam verò cum materia scripsit Auic. quarta fen. primi cap. 2. Quæ autem est sine materia perinde est, vt alij dicunt, ac sine caussa antecedente corporea: hæc quippe est nuda intemperies sola qualitatum alteratione noxam inferens: & ab externis vt plurimum excitatur causis, & simplex puraque dicitur; veluti est frigiditas corporis refrigerati à niue, & caliditas supercalefacti corporis ab igne: hæcque accidentalis substantialisque esse asseritur, vt supra retulimus. Io. Fernelius lib. 2. sui meth. med. cap. 2. Similarium partium simplices morbos recensens perbellè illos sic descripsit. Partis quidem similaris varij, & simplices affectus contra naturam sunt, intemperies calida, aut frigida, humida, aut sicca. Ad hæc substantiæ laxitas, & mollitudo, deinde corruptio, atque putredo. Eadem vitia in humoribus quoque, atque in cæteris contentis insunt, maximè verò intemperies, & corruptio. Præter hæc quoque immodica exuberantia, qualis in plethorica, turbulenta agitatio, atque defluxio, crassities, atque tenuitas, durities, & mollities, lentor, seu tenacitas, & acrimonia. Hactenus ipse. Hoc autem contingit de his dicere, dum per se absolutè considerantur; vt vna ex tribus partibus corpus integrantibus, & non vt caussæ sanitatem, morbumque efficientes, & conseruantes.

Morbosæ autem simplices similarium partium intemperaturæ, si effectrices, fautricesque externæ caussæ superstites sint, intemperiem fouentes, & adaugentes, primò abijciendas esse demonstrant: mox suas salutares contrarias qualitates administrandas esse declarant. Accidentalis nanque intemperatura, calida, frigida, humida, & sicca suam contrariam qualitatem permutantem, frigiditatem scilicet, & caliditatem, siccitatem, & humiditatem demonstrat. Substantialis verò suam reficientem restaurantemque substantiam declarat, exempli gratia exsiccata ex labore intemperies, aut ex longa ætate nutrientia, quæ natiuum humidum restaurant, amat. Quare bene Rinaldus de Villa noua in regu. vniuers. cur. morb. scripsit. Membrum, quod substantialiter exsiccatur, & veluti in senio contabescit, atque destituitur, naturali caliditate lactis alimentum solummodo, vel humectantia similia per se fouent. Calida adurens particularis membri intemperies nutrientia, quæ frigidum, crassumque alimentum præstant, optat: sicuti quarta fen. primi cap. 2. scripsit Auic. vbi ait. Cùmque vehementia sensus membri tibi nocumentum fecerit, nutrias cum eo, quod sanguinem vehementer ingrossat, sicut frumentum coctum: & si ex hoc regimine non alleuiabitur; nutrias cum infrigidantibus, sicut lactucis, & eis similibus, totius verò corporis calida mala intemperies nutrientia, quæ frigidum præstant, succum ostendit, atque balneum aquæ dulcis. Humida verò animati corporis intemperies attenuantem victum desiderat, sicuti & morbi gallici discrasia, ligni sancti, eiusdemque corticis decoctum amat, atque ex mercurio inunctiones. Mala verò frigida intemperies, calidas thermarum aquas, atque earundem duccias diligunt, necnon etiam cauteria, vt bene Rinaldus in superiori libro citato inquit. Signata frigiditas circa cutem ruptorijs, aut profundatis cauterijs extirpatur. Deinceps Auic. cap. 2. inter harum intemperierum indicata remedia, discrimen ponit; penès cito, vel tarde operari, & penès id, quod est operari cum timore, vel sine, vbi dicit. Et debes scire, quòd infrigidationis, & calefactionis est tempus vnum; sed in infrigidando est plus timoris; quoniam caliditas est amica naturæ: & in humectando quidem, & exsiccando est timor æqualis; sed humectandi tempus est longius, quod quidem habuit à Gal. 7. meth. cap. 5. vbi inquit. At tempus quidem caloris, frigorisque reparandi par quodammodo est securitas, tamen impar. Nisi enim cuncta, quæ ei, quod curatur, circundata sunt, corpora valida planè sint, metus est, ne ab his, quæ refrigerent, noxam contrahant non leuem. In reliquis duabus qualitatibus securitas similis est, tempus curationis in sicca intemperie multo amplius; quippe quod senium in sanis est, id sicca intemperies est in ægris; itaque etiam insanabilis est, si prorsus sit consumata; ex ijs quidem vltimis verbis habuit Auic. quod scripsit in quarta fen. primi cap. 2. Et debes scire, quòd infrigidatio quandoque siccitati coniungitur, & quandoque humiditati, & quandoque ab vtrisque separatur. Veruntamen siccitas magis fit confirmans frigiditatem, quæ iam acciderit, & humiditas est magis adducens frigiditatem, quæ accidet. Postremò comparat ipsas malas indicantes temperaturas, prout fientes, factæque sunt, penès earundem facilitatem difficultatemque in permutatione; & dicit, quòd mala complexio frigida in principio, dum fiens, in fierique à Medicis dicitur, facilius, ac citius permutatur ad naturalem statum, quàm calida eiusdem conditionis.

At mala intemperies frigida facta, atque inueterata longè difficilius, tardiusque permutatur, & ad suam pristinam naturam restituitur, quàm calida confirmata eiusdem generis: & caussam huius reddens ait. Quoniam superflua frigiditas est ipsa mors innati caloris, aut ei propinqua: Superioris autem dictæ prius differentiæ ratio est; quoniam tutior, ac mitior est calidorum, quàm frigidorum vsus: nam frigida, dum calorem præternaturalem expugnant, insitum aliquantisper offendunt; calida verò, dum frigus propulsant, insitum calorem excitant, atque fouent. Præterea insitus corporis calor aduentitio, quasi auxiliarius opitulatur, vt facilius, ac mitius externum frigus excludat: ac ideo frigida recens intemperies tutius, ac mitius, quàm calida tollitur: secus autem res se habet in inueterata, & consumata, vti diximus. At ad humorum vitia accedamus. Horum nempe excedentes qualitates æqualitatem desiderant per oppositam qualitatem consequendam; eorundem exagitatio sedans, & reprimens vult remedium. Defluxio tum inhibens, tum repellens: vnde & bene inquiunt. In rehumatismis, propter aquositatem distillantibus in guttur, aut pectus ingrossatiuum syrupum absque mistura limphæ conuenit exhibere. Humorum exuperantia vndequaque euacuans exclamat præsidium: Materiei crassities attenuans, è contra tenuitas incrassans, sicut durities emolliens, atque mollities indurans remedium appetit; lentor verò, & viscididitas materiei detergens, & expurgans amat remedium: & acrimonia illiniens, & glutinosum frigidum desiderat: partium verò laxitas contendens, & corroborans ostendit præsidium. Corruptio quod hanc inhibet, alexiterium, atq; alexipharmacum monstrat: putredo verò concoquens, suppurans, & expurgans interpellat auxilium. Atq; hæc omnia executioni sunt mandanda semper per sua propria, certaque contraria in forma, graduque formæ, tum in vnica, tum in pluribus medicationibus. In vnica nanque, si leuis discrasia extiterit, aut si vehemens sit, & vires calidæ existant, paria profectò contraria administranda monent. In pluribus verò med. hæc ipsa in virtute, & potentia desiderantur; nam cunctæ particulariter administratæ med. per vniuersum morbi tempus punctualiter morbo satisfacere habent; ita prorsus, vt tota medio effectualiter sit tantæ virtutis, vt intemperies ad temperiem reducatur, quod fiet si ipsa contrarietas fuerit æqualis in gradu. Quare Arinaldus de Villa noua in regu. vniuers. cur. morb. doct. 4. cap. 1. bene scripsit. Nihil prohibet vim alterantis adæquare, si leuis extiterit discrasia, & si magna etiam fuerit; dummodo vires fortes sint, & paulò superius dicebat. Morbis malignis, & impetuosis subita, & fortis medicatio correspondet; mitibus verò, atque tardis, debilis, & diuturna: de quibus ibidem doct. 4. cap. 19. scriptum reliquit. Inueterata discrasia transit in habitum, & respuit extirpari. Hæreditariæ autem passiones inextirpabilis sunt radicis, & sufficit, ne pullulet in deterius, conuenienti regimine prohibere. Si discrasiæ contrariæ in diuersis corporis membris extiterint, opposita exposcentes remedia; si extrinsecus circa corporis superficiem fuerint, vt vtrique suum peculiare contrarium dari possit, tunc vnicuique est suum tribuendum. Si intrinsecus intra corporis viscera illæ extiterint; tunc aut alternantis diuersis temporibus propria contraria sunt exhibenda, aut tertius, & melius ex contrariis mista remedia administrantur, & semper vrgentiori est vacandum: Vnde & bene Arinaldus de Villa noua ibidem inquit. Oppositas discrasias interioribus patientes leuiter offenduntur, distincto vsu contrariorum si leniantur interius, & ideo media debent sumi, vel commista contraria: at in oppositis membrorum discrasiis magis nocua semper magis impugnatur.

Morbosa mala temperies cum materia, ac contagiosa, quomodo sui sanationem dicat. Cap. XIIII.

QVAE verò cum materia nominatur mala complexio, hæc composita ex antecedente corporea, coniunctaque caussa à multis nominatur, quod quidem est, vt refert Auic. prima primi doct. 3. cap. 1. Cum corpus non afficitur qualitate huius complexionis nisi propter vicinitatem humoris in ipsum penetrantis; in quo illa qualitas dominatur, veluti cum humanum corpus caussa vitrei flegmatis infrigidatur, aut cholerici humoris prasini calefit. Et est tibi sciendum, quod complexio cum materia duobus modis est; membrum enim quandoque exterius à materia madefactum est; & quandoque materia penetrat, & retinetur in foraminibus, & ventriculis ipsius; & est cum receptio, & penetratio est apostemans; & est quando non. Hactenus Auic. qui à Gal. hæc omnia habuit, cum in libro de differ. morb. cap. 5. tum septimo meth. cap. 12. vbi scripsit. Sæpe igitur in ipso sinu ventriculi contentus humor, qui aut calefaciendi, aut refrigerandi, aut humectandi, aut siccandi, vel etiam horum aliqua per coniugationem efficiendi natiuam obtinet, & intemperiem creat

interim

interim verò & in ipsas ventriculi tunicas, (vt ita dicam) imbibitus seu impactus. Hanc Galeni bimembrem materialis intemperaturæ diuisionem considerat Auic. libro 3. fen. 13. tract. 5. cap. 16. differentiamque illam, quæ materiam imbibitam, & impactam continet, subdiuidens in submersam scilicet, & inhærentem, reddit supradictam diuisionem trimembrem, dum ait. Et quando est cum materia, tunc non euacuatur, quia aut sit cum materia imbibita, in corpore ipsius submersa, aut adhęrens super corpus eius, aut effusa in concauitatem ipsius: infra verò in eodem tract. cap. 33. videtur hanc ipsam diuisionem quadrimembrem facere subdiuidens iterum imbibitam in exuccatam, & submersam, dum inquit. Oportet vt cognoscas dispositionem materiei in stomacho, an sit imbibita, vel exuccata, sicut exuccat spongia aquam; aut sit imbibita, submersa, sicut imbibitur pannus tinctura imbibita submersa in ipso; aut adhærens; aut effusa in concauitate, quæ nominatur apud quosdam natans. Harum verò intemperaturarum materialium initium, generationisque locorum duplicem facit; dum ibidem cap. 16. inquit. Et quandoque est humor inuentus in ipso generatus: & quandoque est effusus ex membro alio ad ipsum, sicut effunditur ex cerebro cum catarrho calido, vel frigido: & proinde infra in eodem tract. cap. 33. subdit. Et oportet, vt cognoscas eius initium, & locum generationis eius, & partem effusionis ipsius; inde Medici aliam sumunt distinctionem harum malarum intemperierum, dicentes hanc per proprium membri peccatum factam esse essentialem; illam verò ex vicinio, consortioue alterius membri peccantis. Vnum animaduertendum; quòd, quæ per essentiam est intemperies, diuturnior, longèque sanatu difficilior existit, quàm quæ per consortium talis dicitur; materia etenim ab essentiali intemperie genita ibidem, vbi oritur, persistens, sua praua qualitate genitricem membri intemperaturam fouet, & mutuò se conseruant, & adaugent. De earundem verò sanatione Auic. verba faciens eodem cap. 33. sic tradidit. Quòd si fuerit eius generatio in ipso, intentio in curando est intentio eius, & rectifica in ipso caussam generantem ipsam; & si fuerit conueniens ad ipsum ex alio membro, sicut cerebro, aut felle, aut hepate, aut splene, euacua illud, quod peruenit, & rectifica membrum mandans materiam ad ipsum, & conforta stomachum, ne recipiat illud quòd effunditur ad ipsum. Hæc vtique mala qualitate affecta materia madidas corporis partes reddens, & sua qualitate mala intemperatas faciens in cerebri spaciositate multum reperitur; necnon in thoracis, ventriculi, intestinorumque concauitatibus, atque etiam in cordis arterijs; sed longè magis, ac sæpius in magnis iecinoris vasis, & corporis venis à Medicis conspicitur; vbi obstructiones, oppilationesque plurimas efficit: hæcque ipsa etiam materia multoties putrescit; & ob talem putredinem, & ob obstructionem, & prohibitam transpirationem, putrida febris, & mala totius corporis intemperies calida exoritur. Aliquando verò hæc ipsa materia venenosa turgens, admodumque exurens conspicitur, at sæpius benignioris naturæ, mitiorisque caloris reperitur. Altera etat intemperiei cum materia differentia apud Auic. dum scilicet materia sua qualitate intemperiem caussans intra membri meatus, & intimas partes recondita, & retenta est; ibidemque malam procreat intemperiem; & quandoque apostema intra ipsum parit, quandoque verò non: Morbosa itaque mala intemperies cum materia, vt mistam, confusamque naturam dicit ex materia, & morbo, ita mistam confusamque indicationem parit, ex præuisiona caussam adimente, & curatione morbum remouente. Communiter itaque indicat morbosa intemperies præuisionem, curationemque simul, materiei inquam, & morbi remotionem. At præuisio hæc vna cum caussa morbum etiam abijcit, & virtute curationem continet; & proinde præuisio cum curatione iuncta à Medicis dicitur, multoriesque simpliciter curationis nomen sibi vendicat; propterea quòd morbum expellit: sed quia non per se primò, sed per caussæ expulsionem; ideo principaliter præuisio sibi debetur, & de hac præuisione, materieique euacuatione in præsentiarum præcipuè sermonem habebimus. Nam materia hæc intemperiei morbosæ, vt multipliciter in multis corporis locis reperitur, ita quoque multiplices suæ euacuationis species declarat; per vomitum inquam, aluum, vterum, per vrinas, & sudores, necnon per venæ arteriarumque sectionem, & quod per os, & nares, aut partem aliam attrahit; & quod per cutim resoluit, digeritque; vbicunque enim ipsa exiuerit materia, ibidem per conuenientem locum sui remotionem ostendit; ita rectè aiunt secundum speciem, & locum peccantis humoris eius exclusionem variari. Quæ verò cum effluxu materia ad alias partes exiuerit, hæc à parte recipiente sui reuulsionem, distractionemque, sicut superius exposuimus, demonstrat. Sed quoniam expedit, vt materiei euacuatio salutaris sit semper & proficua, & cum facilitate extra corpus educatur: proinde alia & Medici, & naturæ desideratur actio, vt materia ipsa præparetur, & concoquatur; si cruda inhabilisque ad euacuandum sit, vt idonea, aptaque reddatur ad facilem, salutaremque euacuationem. Et propterea Medici in materia hac cruda, & inepta ad euacuandum duas erigunt intentiones, vna est, vt cruda,

ineptaque

ineptaque materia concoquatur, & præparetur: Altera vt euacuetur, & extra corpus salubriter educatur. Vnum animaduertit Arnaldus de Villa noua in regul. vniuerſ. cur. morb. doct. 4. cap. 13. in concoquentibus, quòd ſcilicet in materijs aquoſis, vel fluidis vitanda ſunt liquida digeſtiua; niſi vim habuerint educendi peccantem humorem, vt ſerum in hydrope, aut conſumendi, vt aqua ardens in paralyticis non repletis. At ſi materia venenoſa, turgensúe fuerit, ne eius violentia naturam ſuffocet, ac interneeet; tunc præſentaneam ſuadet euacuationem, nulla præcedente concoctione. Nam vrgens neceſsitas, vt bene inquiunt, nec præbet inducias expectandi tempus electionis, nec tardandi opus expediens: præſertim verò exurens materia euacuatur, cùm ſuaptè natura illa mobilis ſit, & trahenti medicamini facilè cedat, ſicut bene 4. fen. primi cap. 5. Auic. tradidit, vbi ait. Aegritudo quoque ſi multæ furioſæ materiei fuerit, in principio eam euacuabimus, non expectantes maturationem: & ſi mediocris fuerit, maturabimus eam, & poſtea euacuabimus. Si verò mala intemperies cum obſtructione iuncta fuerit; vt complicatus morbus exiſtit ex intemperie, & obſtructione; ita complicatum oſtendit remedium, quod pellendæ obſtructionis vim habeat, ac intemperiem permutet; ſicut ſuperius citato libro primo fen. quarta cap. 2. nos bene docuit Auic. vbi inquit. Qui autem caliditatis ſuperfluitatem cum oppilationibus medicatur; ſicut cauere debet ab infrigidatione ſuperflua, ne in conuertendo oppilationem in lapidem augmentum faciat, & ne calidæ complexionis malitiam augmentet, immò paulatim in principio medicari debet cum eo, quod abſtergit, & ſi abſtergens quod infrigidat, ei ſufficerit, ſicut aqua hordei, & aqua endiuiæ, erit conueniens: & ſi non ſufficerit iſtud; tunc cum illo quod temperatum exiſtit; quòd ſi hoc non ſufficerit; tunc cum eo, in quo ſubtilis exiſtit calor: neque ex hoc ſis ſollicitus; quoniam iuuamentum eius apertionis in infrigidando plus confert, quàm ſit nocumentum, quod facit ei calor, qui ad extinguendum eſt facilis poſt apertionem. Materia verò, quæ fuit altera Auic. intemperiei cum materia differentia intra membri meatus, & poros recondita intemperiem cauſſans, ſi in internis corporis particulis fuerit, medicamina, quæ illam inde extrahant, aut quæ diſcutiant, & diffluent, expoſtulat; ſi in extimis verò corporis partibus extiterit, ſudorem prouocantia, & quæ à corporis ſuperficie cuti inciſa ſanguinem extrahunt, optat; necnon diſcutientia, digerentiaque medicamina exterius adhibita: vt rectè nos admonuit Arnaldus de Villa noua in ſuis regul. vniuerſ. doctri. 4. cap. 2. vbi dicit. Intercutaneus humor, ſi ſubtilis fuerit, vel aquoſus, reſoluitur per ſudorem; groſſus verò, atque mediocris cutis inciſionibus, ſanguiſugis, aut ventoſis. Mox addit. Intercutaneus ſanguis nitroſus, aut æruginoſus, vel purulentus ventoſis euacuantibus, conuenienter extrahitur; maximè ſi groſſus extiterit, aut profundus: ſuperficialis autem, atque ſubtilis ſanguiſugis, vel leni ſcarificatione. Mox his ſubiungit. Vbi prauo ſanguine ſola cutis inficitur, ſufficit, vt multis inciſionibus phlebotomi perforetur. Vbi verò materia intemperiem faciens intra corporis meatus recondita, apoſtema fecerit in internis corporis partibus; hæc reuulſionem doloriſque mitigationem, & tandem eiuſdem reſolutionem, diſperſionemque deſiderat. Si autem in exterius partibus illa fuerit; tunc iuxta varias apoſtematum ſpecies, variaque eorundem tempora repercutientia, reſoluentia, atque ex his vtriſque miſta ſimul cum putrefacientibus medicamina varia expoſcit. Quæ verò cum contagio iuncta eſt intemperies, penès contagij ſpeciem, & naturam ſuum alexiterium, & alexipharmacum expoſcit; quod inficiendi efficaciam reprimat, & contagium perdat. Peſtis nanque peſtilensque febris lapidem bezoar, terramque lemniam amat, ac exoptat, & ſimilia, quæ peſtis vitus extinguere habent; lues Gallica ſimiliter cupit, & expoſcit ligni ſancti, ſalſæúe pariglię decoctum, necnon ex mercurio inunctiones, ac ſuffumigia; quæ ſemina contagij gallici extinguant. Et hoc idem de reliquis contagioſis morbis aſſeritur; quòd quiſque perpetuò ſuum alexiterium, quod contrarium imbibeat, expoſtulat.

Quòd vitioſa membri figura ſui curationem demonſtrat. Cap. XV.



M ALSTIAM compoſitionis aut exhibitione medicinarum, aut chirurgia corrigi, aut vtroque ſcripſit Arnaldus de Villa noua in regul. vniuerſ. cur. morb. doctri. 5. cap. primo. De ſpeciebus morborum ſecundum formationem in arte medici. cap. 93. ſermonem faciens Galenus ait.

Nunc verò tranſeundum eſt ad formationis genus, quod in plures ſecatur differentias. Ac ab eo, quod euidentiſſimum exiſtit, exordium eſt ſermonis faciendum; quod ex figuræ permutatione

mutatione contingit. In his igitur, qui adhuc crescunt, possibile est plurimarum partium figuram emendare: In his autem, qui iam aucti sunt, minimè. Bene autem addidit plurimarum partium Gal. Nam in membro, in quo magnum os, vel plura insunt, vt in pectore, vel nuca, etiam in ætate adolendi, si membri figura vitietur, non emendatur. Nam facultas rectificandi figuram ex parte ossium maximè se tenet. Intentio verò in his (addit ipse) qui curationem admittunt, est ad contrarium euersionis adducere. Si autem fractione aliqua non rectè conformata, alicuius membri figura vitiata fuerit, cui substantia callosa innasci præuenerit: si quidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere oportet, aut rursus rectè afformare; deinde callum super inducere. Hactenus Gal. qui vitiatam membri figuram corrigibilem ad pristinam reducere sanitatem docet per contrarium motum ei, scilicet per quem producta illa fuerit: vt puta si per b, signatam viam membrum ad vitiosam figuram permutatum est; per hanc eandem, sed contrario progressionis modo ad natiuam figuram est restituendum; sicut bene Gal. primo libro de artic. com. 7. clarè nos docuit, vbi scripsit: Necesse autem est, id quod in antiquam sedem vnde excessit, redituturum est, rursus idem iter facere; quod perinde est, ac si dicas contrarium iter facere. Ibidem nanque nos admonet, vt à fine, quo vitiosa figura progressa est, sanitatis exordium capiamus; indeque retrogrado progressu per eandem semitam ad terminum pristinæ figuræ reuertendum esse suadet. Vbi verò cum vitiosa membri figura dolor, tumor, durities, mollitiesúe superflua affuerint; quæ ad pristinum statum conuersionem fieri prohibeant; hæc cuncta prius submouenda sunt: mox figura ad suam natiuam effigiem restituenda est, siue per attractionem, siue per impulsionem, siue per extensionem huiusmodi restitutio fiat. Qualiscunque hæc motio fuerit, dummodo ei contraria sit, quæ vitiosam procreauit, salubrem semper illam experiemur. Vitiosa itaque figura contrarium motum ei, per quem fuit inducta, semper exigit; vt pristinum assequatur statum. Rectificata verò figura membri congrua ligatura, inquit Arnaldus de Villa noua, situatio quieta, ac firma parumper constringentia medicamina seruant eam. Mox ibidem addit. Quibuscunque relaxatione ligamentorum spondilia dislocantur, præ cunctis exsiccatiuis, efficacius balnea sulphurea, vel cauteria conferunt iuuamentum.

Viarum membrorum corporis obstructio, atq. cauitatum oppletio, quas indicationes præstent apud Galenum. Cap. XVI.



GALENVS in arte medi. cap. 94. morborum in via, & in cauitatibus intentiones indicatiuas cunctas, quàm breuissimis verbis ita complectitur. Est verò & obstructio ex eodem genere ægritudinum secundum formationem. Quæ quidem ex lentis, & crassis humoribus fit, vnam & ipsa habens intentionem morbo contrariam: dico autem apertionem. Caussæ verò salubres sunt abstergentia, atque incidentia medicamina. Quæ verò fit à stercore duro, quod intersepit intestinum; primum quidem habebit duritiei correctionem ex humidis, pinguibusq; chlysteribus: demum ex acribus euacuationem exposcet: Quæ autem à lapide fit in vesica, in præsenti quidem transpositionem requirit; integræ verò sanitatis caussam, incisionem, & extractionem. Humiditatis autem, quæ præter naturam in parte continetur, sanatio in omnimoda euacuatione consistit, quemadmodum etiam in suppuratis: Immodica autem repletio immodica euacuatione curatur; vt cum sanguis intra venas redundat. Sic & quibuscunque vel in ventriculo, vel in intestinis, vel arteria aspera, vel pulmone, pus, aut sanguis continetur, integra euacuatio est necessaria. Superflui autem cibi, aut potus adhuc recentis assumptio ab euacuatione corrigitur. Quæcunque igitur in pulmone, vel thorace continentur, cum tussi educuntur; sed à medicaminibus extenuantibus. Quæcunque verò in hepate, vel venis, vel arterijs, vel renibus, aut per vrinam, aut per ventrem, sed per vrinam quidem ab ijs, quæ vehementer extenuant: per ventrem verò ab ijs, quæ attrahendi, aut aperiendi ora vim habent. Quæcunque verò in superiori ventre comprehenduntur, per vomitum; quæ autem inferiori, per subductionem: sed quæcunque sub cute, per sectionem, vel ignem, aut per medicamina adurentia. Sic verò aliquando quæcunque in aliqua cauitate naturali, vt in thorace: Et vt summatim dicam, quicquid præter naturam in aliquibus partibus continetur, sanationis intentio est ablatio; quæ si fieri possit, transpositio. Quæ verò non sunt ex toto genere præter naturam, at quantitate damnantur; in his intentio est abuacuatio. At inuentio eorum, quæ ad ipsorum sanationem perducunt, partim quidem ex affectu; plurimum verò ex ipsis affectis particulis sumitur. Auicenna autem quarta fen primi cap. vigesimoquarto earundem oppilationum intentiones curatiuas

describens sic ait. Oppilationes, aut sunt ex humoribus grossis, aut viscosis, aut multis. Et multorum quidem humorum, quando cum eis non fuerit alia caussa, malitia remouebitur extractione ipsorum phlebotomiæ, aut ventris fluxu facta. Et si grossi fuerint, indigebunt eis, quæ resoluant, & abstergant: Et si fuerint viscosi, & maximè si fuerint subtiles, erunt eis necessaria ea, quæ incidant. Et tu quidem iam sciuisti differentiam inter grossum, & viscosum, & quod est sicut differentia inter gluten liquidum, & lutum. Et grosso quidem resolutiuum est necessarium: ideo vt ipsum attenuet, & eius expulsio fiat facilis. Et viscoso incisiuum est necessarium: ideo vt inter ipsum, & id, cui adhæsit, penetret: & inter ea separationem faciat: & vt ipsum in parua secet frusta; quoniam viscosum oppilat, propterea quia adhæret, & propter suarum partium continuationem. Oportet autem vt in resolutione grossi à duabus contrarijs caueatur rebus; quarum vna est resolutio debilis; quæ in raritate materiei augmentum efficit; & ipsius quantitatem augmentat: ita quòd ad resolutionem non perueniet; quare oppilationem augmentat: & altera est resolutio fortissima, qua eius subtile fit vapor, & spissum ipsius fit lapis. Cùm ergo resolutio fortis est necessaria, succedat ei lenificans subtile cum materia; in qua non sit grossities; sed sit in ea calor temperatus; qui iuuet in resoluendo totum illud, quod est oppilatiuum. Et ex oppilationibus quidem, peiores sunt oppilationes venarum, & deteriores eis sunt illæ, quæ sunt in arterijs, & adhuc peiores sunt illæ, quæ in membris existunt principalibus; ergo cùm aperitiuis stypticitas, & subtilitas coniungentur, erit melius; quoniam stypticitas remouebit à membro subtiliatiui grauamen. Placuit nobis totidem verbis duo hæc capita duorum grauissimorum Auctorum in hoc nostrum cap. 16. transferre, quia non tantum eorum probabatur sententia; sed ratio quoque explicandi minimè improbabatur.

Si autem via non obstructa, occlusaque fuerit, sed aperta, & dilatata; atque istud contingat à caussa extrinseca; tunc eius sanatio est constrictio, & occlusio cum stypticis frigidis, & siccis, sicut sunt sumach, & bolus armenus, & huius generis reliqua; vel cum astringentibus siccis, & calidis, sicut nux cupressi, & similia; Si verò talis dilatatio, & apertio viarum fit à caussa interna, ab humoreque vias aperiente, & dilatante, salus & curatio eius est euacuatio humoris fluentis, deinceps membri confortatio cum stypticis; ne iterum humores suscipiant, & dilatentur, & aperiantur. Vbi autem via per longum tempus aperta cum materiei fluxu extiterit; tunc (vt refert Arnaldus de Villa noua in suis regul. vniuers. doctri. 5. cap. 4.) alias curandi intentiones desiderat, inquit enim ibidem. Meatus innaturalis, qui diu manauit, vt in fistulis antiquis, nequit obturari absque timore grauioris incommodi; nisi manatio consueta deriuetur ad proxima, sicut fistula lachrymalis congrue permutatur ad calamos narium in osse corrupto; quæ verò manatio diuerti nequit ad exitum naturalem, vicinis cauterijs abducitur competenter. Cauteria verò, quæ distrahant fluxus inueteratos, efficacius operantur; si propinqua sint magis venis: sicut quæ diuertunt à partibus capitis, cephalæ debent appropinquare. Hactenus Arnaldus, & de morbo in via indicationem curatiuam parturiente.

Morbi secundum magnitudinem, numerum, situm, ac superficiem, quas indicationes parturiant. Cap. XVII.



SECVNDVM magnitudinem morbus dupliciter à Medicis consideratur: pars enim aut grandior magis, quàm par sit, conspicitur; aut minor, quàm suæ naturæ conueniat: atque vtrunque horum dupliciter fieri contingit; nam aut à generationis principio ob naturæ peccatum, aut à caussa noua accidentali, membrum huiusmodi incommoda pati contingit. Grandior enim, quàm par sit, corporis particula vitio naturæ à generationis primordio attenuantem victum, subtractionemq; cibi, atque ea, quæ prohibent nutritionem membri, declarat, sicut sunt frigida, & sicca nutrientia; quæ præterquam quòd paucum alimentum præstant, virtutesquoque concoctrices debilitant. Si verò membrum naturæ vitio imminutum gracileque fit, magis quàm suæ naturæ expediat; huiusmodi conformatio indicat confortantia concoctrices membri virtutes, atq; roborantia eiusdem calidū innatum: atq; huius caussæ salubres sunt exercitiū temperatum ipsius membri, balneū aquæ dulcis, cerotū de pice, & similia attrahentia calorem naturalem, & nutrimentum ad membrum. Si aūt huiusmodi morbi acciderint à caussis nouis accidentalibus membrum præter naturā adaugentibus, imminuentibusúe; tunc ab alteratione, & permutatione caussæ cura est perficienda: mox confortandū est membrū; ne vlterius caussæ nocumentū recipiat. De huiusce verò morbi intentione curatiua in arte medicinali sic scripsit Gal. c. 97. Quęcunq; verò nō integris partibus, sed partiū tantūmodo

particulis deficiunt, aut excedunt naturæ modũ, refectio quidem, vel generatio in ijs, quæ deficiunt, ablatio verò, & abolitio in ijs, quæ superabundant. Arnaldus aũt à Villa noua doct. 5. de reg. vniuers. cur. morbo. cap. 8. de diminutione totius corporis, vel membrorum sic ait. Alimenta relumptiua, & humectantia, balneum, quies mentis, & corporis habitudinem reparat accidentaliter diminutam; & membrum extenuatum diminutione pinguedinis, atque carnis abundantia sanguinis, & quiete perseuerantibus ingrassatur. De excessu verò totius corporis, vel membri sic ibidem cap. 7. scripsit. Exercitari fortiter ante cibum; & fames, & sitis, & duties stramentorum, atque vigiliæ solicitudinis spinis angariantes consumunt excessum pinguedinis, atque carnis. Tenuis diæta concurrens cum balneo thermarum celeriter macerat corpora nimis crassa. Excedens moles vnius membri, vt mamillarum assiduata constrictione seruat humiditatem. Morbus in numero sub duplici quoque nomine recensetur, aut in numero addito, aut diminuto. Morbus in numero addito duplex etiam existit; quidam est additio rei naturalis sicut sextus digitus in manu; alter præternaturalis, vt lapis in vesica, vel tenibus. Morbus in numero ex additione rei naturalis eius excisionem demonstrat; si tuto, atque absque periculo excidi possit: sin minus abstinendum, naturæq; fauendum. Si ex additione rei præter naturam morbus sit, Gal. in lib. 14. meth. cap. 13. tres modos ponit eius, quod excedit ablationis. Nam si illud toto genere præter naturam est, sui ablationem indicat, vt in steatomatis, & atheromatis, & myrmecijs, & acrochordonibus, necnon in calculo, & mola mulierum, & aqua intercutem videre licet. Si verò locus ipse affectus est vna ex naturalibus partibus, & affectus solus sanari non potest cum vitio, pars quoq; ipsa excidenda est, sicuti in cancro fit, & omnibus vlceribus, quæ curationẽ respuunt. Idem in herniosis, & columella putrefacta, varicibus, polypo, & dente perforato conspicitur. Quòd si affectus sanari non potest ablatione eius quod nocet, nec pars cum affectu excidi; translatione, inquit, est vtendum; quod in suffusione obseruamus. Libro autem art. med. cap. 96. Gal. de indicatione morbi secundum numerum sic scriptum reliquit. Cùm verò duplex sit eorum differentia; quibus quidem aliqua particula deficit, his intentio est alterã efficere subministrando naturæ, ex quo diximus paulò ante: dummodo effici possit: at si hoc fieri non potest, alteram illius loco, idest, quæ illi vsum præstet, efficiemus; quòd si nec id fieri possit, arte aliqua machinabimur, quod imitetur naturæ opus, & decorem conciliet, vt lib. 14. meth. medendi, cap. 16. monet Gal. At quibus subdit eodem lib. art. med. cap. 96. superabundant, hanc resecare oportet, vt scalpello, aut igne, aut medicamine, quod adurendi vim habet. Huic Arnaldus à Villa noua subscribit in reg. vniuers. doctri. 5. cap. 7. vbi inquit. „Quicquid præter naturam additur numero, vel mensura; si tutè fieri „queat, totum est auferendum: incisio, vstio, corrosio, & cõsumptio auferunt, quod excedit. Vbi „verò venæ sunt, & arteriæ notabiliter magnæ corrosio, & incisio propter hemorragiam sunt ve-„tendæ. In excrescentijs verò membrorum passibilium, & sensus acuti corrosiua non mordican-„tia sunt applicãda. Vstio, atq; cauterium, vel igne perficitur, aut comburentibus medicinis, me-„tallis ignitis, breuius, & efficacius completur adustio, & certius regulatur. Meticulosos tantum-„modo conuenit vtere medicinis. Ferrum ignitum efficacius auro, & argento resoluit superflua, „pellitq; frigiditatem, & crustam obuiantem hæmorragiæ facit solidiorem. Circa verò membra multis irradiata spiritibus, & resolui promptissima, quales sunt oculi tunicæ, tutius fit auro, vel argento cauterium. Morbus in situ sub duplici differentia explicatur; nam vnus in loco, in societate alter nominatur. Morbus verò secundum locum ostendit, vt ad proprium, debitumq; locum reducatur, atq; ibidem conseruetur, vt patet in discessu intestinorum ad scrotum; nam primò in locum proprium restituuntur mox styptica desuper applicantur; ne iterum faciliter descendant: at longè melius per didimi abscisionẽ, cauterizationemq; cura perficitur. De morbi secundum situm indicatione in art. med. cap. 98. hæc pauca scripsit Gal. sed iam veniendum est ad reliquum salubrium caussarum genus, quod ea corpora emendat, quæ in situ sunt viciata, veluti laxationes, & intestinum in scroto. Fit autem hoc ex violenta contentione, atq, impulsu: hoc verò ex dilatato, ac rupto continente. Quare & duplex sanandi modus; Alter quidem ad oppositam partẽ ei, ad quam facta est permutatio, intendando, atq; impellendo: Alter verò id, quod continet, firmius, solidiusq; reddendo. Si autem humor præter naturam esset caussa morbi in situ, vt in arthetica sæpè euenit; euacuetur humor, postea confortetur membrũ cum stypticis, ne vlterius illum recipiat. Si verò morbus societatis gratia fuerit, & hic duplicitar fieri cõtingit, vel quia membra coniugia inuicem nimis appropinquant, vel nimis distant: si nimis appropinquant, remoueatur caussa faciens appropinquationẽ eorum: & postea fiat elongatio, & cõseruatio ibidem cum ligatura conuenienti. Si verò nimis distant, vt exempli gratia in duobus digitis inuicẽ distantibus, vbi interiacet caro media horũ distantia cõseruans, tunc caro submouenda est postea colligatione cõuenienti stypticisq; medicaminibus, horũ debitus situs est con-

seruandus.

ſeruandus. At horum curatio multoties eſt impoſsibilis, vtputa quãdo morbus ſit diuturnus, vel eius cauſſa admodum fortis. De huiuſce verò morbi in ſitu ſanatione Arnaldus à Villa noua in libro de regul. vniuerſ. duct. 5. cap. 9. ſic ſcriptum reliquit. Cum ijs, qui corrigunt figuræ maliciam, rectificatur in parte membrum innaturaliter ſituatum. Membrum diſcedens à ſede propria ſine læſione figuræ, vel pulſione reducitur ſicut anus, vel humido vapore fugatur, vel allicitur placido, aut ventoſatiuis trahitur ſicut matrix.

De intentione curatiua morbi in ſuperficie lib. art. med. cap. 95. hæc pauca Gal. ſcripſit. Quæcunque partes verò ob id, quòd exaſperatæ naturalem amiſerint habitum, his leuitas naturalis eſt reſtituenda, oſſa quidem leuigando, arteriam autem aſperam, vel linguam leniendo humidis, quæ nihil mordeant, & lentorem habeant. Sed quibuſcunque leuitas præter naturam ineſt, aſperitas eſt reuocanda medicaminibus, quæ ſufficienter abſtergant, & parum adſtringant. Arnaldus à Villa noua in regul. vniuerſ. cur. doctrina. 5. cap. 5. in naturalis aperitatis ſic ſcriptum reliquit. Oſsis aſperitas radendo corrigitur, vel liuiendo: cutis verò innaturaliter aſpera lenitiuis vnguentis, aut balneis, vel mundificatis lotionibus emendatur. Inter lenitiua communia ragadiarum, & vlcerum occultorum poſt lac ptiſana vendicat ſibi gradum. Et infra cap. 6. lenitas innaturaliter, quam mucilagines inferunt, emendatur inciſiuis, & abſterſiuis. Et de his omnibus hactenus.

Inflammatio à copia influentis humoris, quas apud Galenum curatiuas edat indicationes. Cap. XVIII.

IN libro de differentijs morborum cap. 12. phlegmonis eſſentiam explicans Gal.
ait. Quæ igitur exulceratæ ſunt partes, & inflammantur, tripliciter ab eo, quod „
ſecundum naturam eſt, diſcedunt: propter exulcerationem quidem vnitas deper- „
ditur propriarum partium; quoniam autem inflammantur, calidiores, & humidio- „
res eo, quod ſecundum naturam eſt, efficiuntur. Tumor enim in ipſis, quando in tantam qui- „
dem magnitudinem attollitur, vt lædere operationem poſsit, propter hoc ipſum iam morbus „
appellandus eſt: ſi autem membrum ex hoc nullam patiatur iacturam, accidens tantummodo, „
& paſsio ipſa cenſebitur; quemadmodum & dolor. Omnia igitur, quæ ſimul inflammantur, „
atque vlcerata ſunt corpora, tres quidem neceſſariò, nonnunquam verò & quatuor ægritudi- „
nes patiuntur. 13. autem libro meth. cap. 3. eiuſdem ortum, & effectrices cauſſas ita explicat. „
At communis omnium phlegmonarum generatio ex ſanguinis influxu eſt, copioſioris ſcilicet, „
quam pars poſtulat. Sanè copioſior ſanguis influit, alia quapiam alijsúe particulis, aliquan- „
do eum mittentibus, ac ea, quæ phlegmone laborare incipit, recipiente; aliquando particula, „
quæ affligitur, hunc ad ſe trahente: partes, quæ mittunt, alias vt copia ſuperuacuum, vel vt „
qualitate moleſtum; alias vtroque nomine, ſuccum propellunt; quæ attrahunt, ea morboſo „
calore trahunt: porrò in doloribus incipit quidem cauſſa ab eo, quod affligitur. Hæc eadem „
infra cap. 6. ab ipſo repetuntur, dum inquit. Phlegmonis cauſſa duplex eſt; aliquando ex ipſa „
parte, quam phlegmone vexat, oritur; aliquando ex alia quapiam, alijsúe. Ex ipſa, quoties „
aut calidior eſt facta, aut dolore vigetur. Non ex ipſa, quando vel ab alia quapiam, vel ab „
alijs ſuperfluum illi tranſmittitur, vel etiam ex totius corporis affectu. In libro autem artis „
med. cap. 95. modum generationis ſic declarat. Supponatur cuipiam particulæ multitudi- „
nem ſanguinis influere, adeo vt attendantur, quæ in ea ſunt vaſa, non maiora tantum, ſed etiam „
parua, quæ prius ſenſum effugiebant: nunc verò, quia plena ſint viſu comprehendantur, ſicu- „
ti plerunque in oculis ob tunicæ albedinem manifeſtiſsimè patet: par ſiquidem eſt, quod & „
alia vaſa quæ latent ſenſum, iam plena diſtendantur, nondum & ipſa ob paruitatem viſui ma- „
nifeſta, & iam periculum imminet, ne quod ex vaſis exſudat, ad ſpatia, quæ in medio „
ſunt, effundatur; aut ne iam parum aliquod ſit effuſum. Phlegmone enim morbi ſpecies „
tres dicit, magnitudinem inſtrumentarium morbum, calidam, & humidam intemperiem, ſimilarem. Vnitatis ſolutionem, communem dicit præterea dolorem, quod eſt ſymptoma, & redundantis humoris defluxum horum omnium affectuum effectricem, auctricemque cauſſam. Partis affectæ magnitudo cum defluxu redundantis humoris, & dolore ſanguinis miſsionem exclamat; quæ multitudinem tollit, defluxum detrahit, doloremque mitigat. Calida verò, ac humida intemperies, frigida moderatéque adſtringentia ſiccitatis participantia remedia amat, quæ intemperiem reſtituant, diſſolutamque vnitatem vniant, ac dolorem auferant. Quamobrem 13. meth. cap. ſecundo huiuſce affectus curationem perſcribens, inquit. Etenim oſtenſum eſt, phlegmonem omnem è ſanguinis confluxu conſiſtere, qui alijs ſtatim

„ calidior est, quàm pro natura fuit, omnibus certè in ipsa parte, quæ phlegmone vexatur, cali-
„ dior efficitur. Atque hoc omnium sectarum commune est, siue impactum tantum sanguinem
„ in finibus vasorum, phlegmones caussam velint, siue intercidentiam eius in solis arterijs, siue
„ obstructionem aliquam, siue in raritatibus ratione contemplabilibus resistentiam. Quò fit, vt
„ etiam curationis indicatio omnibus sit communis, nempe vacuatio redundantis sanguinis in
„ particula phlegmone obsessa. Inferius autem cap. 6. subdit. Nunc ad sermonem de phlegmone
reuersi dicamus: Communem omnium phlegmonarum curationis indicationem esse vacuatio-
nem; quæ verò adhuc in generatione sunt, in his prior vacuatione est confluentis ad affectum
locum sanguinis inhibitio. Inhibebitur is commodè, si ipsam fluxionis caussam inuenerimus.
Inuenta itaque fluxionis caussa, eam primò auferre oportet, vt confluentis ad affectum locum
sanguinis fiat inhibitio: ita vt si ex calore prorriterur fluxio, ille primò sedetur: si ex dolore,
contrarium quoque alteretur: si verò ab aliquo, vel pluribus partibus superfluum transmitta-
tur; tanquàm robustioribus existentibus, aut etiam ab vniuerso corpore ex eisdem prius
vacuatio molienda erit. Ac attentata fluxionis parte, reuulsio, & deinceps quod in affecta parte
restiti, ac ipsius phlegmonis iam genitum est, suis medicamentis sanare oportet, & frigidis re-
percutientibus, & calidis digerentibus discutientibusue, atque ex vtrisque his permistis. Infe-
rius quoque cap. 8. eiusdem phlegmonis alterantia medicamina explicans ait. Cùm enim
„ phlegmone duplici ratione à natura recessit; & quòd pars ipsa multo sanguine sit referta; &
„ quòd eadem sit calidior: vtique vacuationis indicatio refrigerationis indicationem vincit: con-
„ tra scilicet, quàm in erisypelate. In illo nanque refrigerationis indicatio magis viget, quàm
„ vacuationis. Quanquam vtriusque affectus curandi commune opus est infestantis humoris
„ euacuatio; Ideoque postquàm refrigeratum erisypelas est, ad ea quæ digerunt, medicamenta,
„ conuertimur. In phlegmone igitur tantisper est refrigerandum; quatenus & ad incrementum
„ eius sistendum, inhibendumque est commodum. Et enim cùm immoderatus calor dolorem
„ exciter: atque etiam aliquid ad ægram partem attrahat; vtroque nomine augescere phlegmo-
„ nem accidit. Ergo quantum refrigerationis phlegmonę ceu calido morbo congruit; tantum
„ certè & incrementum eius inhibere est aptum. Idem parem gratiam præstat, & cùm reper-
„ cutit id quod affluit. Quod verò ex eo, quod in laborante membro continetur, quidpiam in
„ proximas partes repellit, hoc phlegmonea iam genitæ medela est. Simili modo, & quæ modi-
„ cè excalfaciunt, vtraque interdum ratione prosunt; quoniam & dolorem sedant; & quod con-
„ tentum in laborante particula est, digerunt. Quippe dolorem mitigando augeri phlegmonas
„ verant, digerendo quod earum iam conceptum est sanant. Hucusque Gal.

Oriente itaque phlegmone, si aliam ad plenitudinem caussam habuerit, ab eius remotione curatio est exordienda: mox plenitudo vacuanda; humorisque cursus diuertendus per sanguinis missionem: post missum sanguinem patienti particulæ frigida adstringentia, ac repercutientia adhibeantur remedia; quæ fluxum retardent, intemperiem refrigerent, partemque roborent. Hæc ipsa repercutientia frigida in hisce affectibus, vbi exigui fuerint, ante euacuationem plerumque administrantur, vt 14. meth. cap. 17. ille refert. Siquidem exiguum vitiosi humoris, etiam si quis ad viscera, & magnas venas retrudat, nullum profectò quod sensu percipiatur malum, committet. His itaque auxilijs inflammationis principio pro eius curatione vtendum. Si verò sanguis in particula, quam phlegmone prehendit, vehementer est impactus, ac coactus, non est amplius repercutientibus vtendum; sed tum digerere est tempestiuum. Etenim in phlegmone tantisper est refrigerandum, quatenus & ad incrementum eius sistendum, inhibendumq; est cõmodum, sicut superius docuit Gal. Verum materia defluxa increscente, tumorem adaugente, vbi fluxio non prorsus constiterit; repellere simul, ac digerere hoc tempore conuenit; quamuis digerere magis, repellere autem minus. Et ob id cum ijs, quæ digerendi vim habent, adstringentia quoque miscenda sunt, exigua tamen: ita quòd digerant magis, repellant autem minus: tum quia magis est opus digerere, quàm repellere: tum quia, vt refert Gal. 3. de simpl. med. facul. cap. 17. Absurdum planè est semel, vnoque impetu ab adstringentibus, contrahentibusque substantiam, ad laxantia, fundentiaque transire: sicut sanè æquum est in intermedio spatio principij & status, dum scilicet fluens, fluxaque materia medio quodam modo se habent: & morbi quo ad magnitudinem molis crescunt: nec planè repellere sicut in principio: nec itidem digerere, sicut in vigore: sed perinde, vt morbi conditio media est inter contraria; ita medicinam mediam esse oportet. Vbi verò morbus in statu, declinationeque fuerit & fluxio prorsus constiterit: corpusque etiam fuerit euacuatum; tunc intra phlegmonem conclusam, adstructamque materiam digerere; & discutere est opus digerentibus, discutientibusque medicamentis. Ea autem euacuatio, quæ extra corpus educit sanguinem in phlegmone contentum sensibili effluxu, vltimo loco molienda erit; quo videli-

cet tem-

eet tempore nec relaxantia, nec discutientia medicamina satis fuerint. Huiusce quoque inflammationis curationem perbellè Gal. descripsit in art. med. cap. 95. Vbi ferè totius curationis negotium reposuit, tum in totius corporis euacuatione per venæ sectionem, tum in materia fluentis retrocessione, vel per impulsa, vel attracta, vel transmissa, vel horum vno aliquo modorum, vel omnibus: tum etiam ex ipsius patientis particulæ expurgatione, partim quidem manifestè, & sensibiliter, partim verò in vapores extenuata materia. Istud idem 13. meth. cap. nono his verbis confirmauit. Quoniam igitur momentum omne curationis laborantis phlegmone partis inredundantis in ipsa sanguinis vacuatione consistit: Vacuatio autem hoc genus affectorum excogitata est duplex; aut translato ad alias partes, qui in ægra continebatur, sanguine; aut foris à corpore expulso: satius profectò est vtraque vti obseruantibus diligenter, ne qua ex accidenti læsio sequatur.

Arnaldus à Villa noua doct. 6. su regul. vniuers. de inflammationibus, & apostematibus plures nobis sententias tradidit, vbi inquit. Diuertendo fluentia, & dissoluendo coadunata, vel extirpando curantur apostemosæ collectiones. Absque cibi tenuitate nunquam humoralis collectio commodè resoluetur. Et vbi calidus mediocris, aut subtilis humor ad collectionem non fluxerit, repercussio fit nociua. Euaporatina moderata caliditate dissoluunt insensibiliter globū collectionis. Magna collectio præcipuè grossi humoris tutius in saniem vertitur, quàm euaporatione dissoluatur. Collectiones quæcunque fuerint intra crandum, & thoracem, nunquam intentione directa vertit in saniem artifex eruditus, sed indirectè, cùm cogitur leniте maturatiuis doloris acerbitatem. Collectio saniosa per incisionem dissoluitur, & saniei exclusionem: ne chordæ, vel nerui putrescant in collectionibus iuncturarum, completa generatio saniei præuenitur incisione. Multa parit incommoda tardare apertionem saniosæ collectionis. Turma scrofularum colli securius extirpatur corrosione medicinali, & saniatione, quàm ferro. Scrofularum extrinseca multitudo dicit earum pluralitatem intrinsecam: & ideo ss ibus scrofulis nihil proficit exterius operari. Bottium colli verendum est incisione, vel corrosione dissoluere, vel extirpare. Vsus aquarum mineralium, & maximè saporis tartarei, vel acuti non solum interiora bottia; sed extrinseca valde extenuare possunt. Glandulosa collectio non inhærens neruis, aut magnis venis, vt nodus extirpari debet incisione cum chisti sua. Hactenus ille.

Solutio continuitatis in parte carnosa, quas edat indicationes. Cap. XIX.



SOLVTIO continuitatis in parte carnosa recens cruenta extrinsecus incidens, si parua extiterit, partium incisarum vnionem veram desiderat. Vnio enim, seu vnitas partium apud Galenum dicit nouæ substantiæ aggenerationem antiquæ per similem, & coæqualem; quasi vna eademque cum prisca substantia fit; quam vnionis intentionem facilè natura assequitur in similaribus partibus per conglutinationem, coalitumq; partium mollium, & carniformium: vbi sanguinis copia adest; virtusq; vegeta existit, in his vtiq; sanguineis, mollibusq; partibus vnio nullo alio heterogenei concurrente, sed eiusdem generis substantia efficitur; aqua enim ab aqua diuulsa ipsamet propria substantia vnitur nullo alio extrinseco medio intercedente. Solutio itaq; partium vniformium suam naturam vnitatem assequendam demonstrat, ab ipsa natura per se primò, secundò à Medico naturæ subministrante, disiunctas partes in vnum coniungente, & simul iunctas conseruante, atq; nihil extrinsecum intra vulnus accidere permittente. Sic vtiq; prima, ac generalis indicatio solutæ continuitatis in paruo vulnere à duobus perficitur, à natura tanquam à præcipuo agente adiuta suis virtutibus, & alimento conuenienti, & à Medico tanquam ipsius naturæ ministro, tres indicationes supradictas eidem subministrante. Si verò vnitatis solutio partium carniformium magna extiterit; tunc complicatus affectus est ex pluribus rebus præter naturam constitutus. Primum namq; concursum sanguinis ad partes incisas violenterq; solutas dicit: deinceps solutarum partium malam intemperiem calidam, & humidam dolore detentam declarat: Tertiò partes ipsas incisas inuicem præternaturaliter diuisas manifestat. Et vt ex pluribus complicatus est affectus; sic & plures parit indicationes curatiuas. Concursus, fluxusque sanguinis ad incisas partes omnimodam retrocessionem exclamat, vel per impulsa, vel per attracta, vel transmissa, aut horum vno aliquo modorum, aut omnibus. De hac quippe prima intentione Auic. quarta fen. primi cap. 28. sermonem habuit, vbi inquit. Intentio autem in medicando solutionem continuitatis, quæ in membris accidit mollibus, est trium princi-

principiorum curam habere. Primum eorum est: quoniam si caussa fuerit fixa; vt abscindatur, vel retineatur, quod fluit; & remoueatur materia eius, si ipsa fuerit extendens, vel coarctans. Mala verò intemperies calida, & humida dolore deterrit medicationem desiderat; quæ temperiem permutet, doloremque sedet: hanc profectò multi multipliciter consequuntur; quidam nempe per frigida præcipuè, vtpote per aquam puram; quidam per sicca, quæ siccandi vim habent, sicut per aquam ardentem, & similia: alij verò per temperata, naturæque familiaria id assequi student; sicuti per oleum rosaceum vitello oui permistū, vel per aliud huic consimile medicamen temperiem permutandi, doloremque sedandi vim habens. Inhibito autem fluxu, sedatoque dolore, atque mala intemperatura ad debitam moderationem redacta; tunc ad partes præter naturam seiunctas vniendas sola restat intentio. Hanc profectò Gal. in arte med. cap. 90. quatuor intentionibus præmissis, & seruatis perpetuò assequi studet: prima quidem est; vt partes distantes simul alligentur, committanturque. Secunda, vt hæ in vnum iam commissæ partes conseruentur. Tertia, ne quid extrinsecus labijs vlceris intercidat. Si verò vulnus profundum fuerit, & multo eguerit tempore ad sui consolidationem, vnde saniei humorisque effluxiones in vulnere fieri contingant, in hoc quidem casu & partis vulneratæ situs commodus, & congrua positionis figura comparabitur; ita quòd vulneris orificium deorsum semper spectet, & eius figura pariter ad imas partes extendatur, sic quòd humiditas congesta faciliter expurgetur. Quarta verò, ac vltima Gal. intentio docet incisarum partium substantiam, atque temperiem per medicamina iam moderata, ad bonamque habitudinem redacta tuendam, ac salubriter seruandam esse, vt faciliter, nulloque negotio à natura vniantur, & ad pristinam restituantur integritatem. Partis autem substantiam salubrem seruare docet Gal. per ea, quæ mediocriter exsiccant; quando hæc superfluitates ibidem genitas cunctas absumunt; atque partes vniendas à sorditie mundas seruant. Hinc profectò inquiunt Medici, quod vlcera non sanantur nisi exsiccentur. Atque Hipp. libro de vlceribus. Vlcera vniuersa, inquit, nisi vino, humectare non oportet, si non in articulis fuerit vlcus; nam siccum sano propius est, & humidum non sano: est enim vlcus humidum, quod verò sanum est, siccum. Sicca verò vlcera saniei nihil continentia non ad bonum, sed ad malum terminantur. Sic vtique & in paruis magnisque vulneribus ambo simul semper concurrunt Medicus, & natura ad vnitatem partium conciliandam, Medicus vt minister opportuna præparans; natura vt opifex vnitionem perficiens, & absoluens. Hæc quidem, subdit Gal. est solutæ continuitatis curatio, cum ipsa sola seorsum in carnosa parte constiterit; quòd si alicui alteri morbo coniungatur, plures sunt indicationum intentiones; quas in compositorum, vel complicatorum, siue vt cuique appellare libuerit, doctrina trademus. At lubet in præsentiarum his addere, quod ipse in 3. meth. cap. 10. de recenti antiquoque vlcere scripsit. Recens vlcus, cùm omnino ab altero quolibet affectu est liberum; nec symptoma vllum habet adiunctum, aliam putant indicare curationem, quàm vetus. Id verò non ita se habet; siquidem quod vlcus tantum est, nec quicquam aliud est porrò eiusmodi, cui nec cauitas adest, nec dolor, nec sordes, quodque & ab omni alio affectu est liberum, ipsam tantum vlceris sanationem desiderat: cuius vtique propositus finis vel vnitio, vel aglutinatio, vel coitio, vel continuatio est, appelles vt lubet; modo rei nihil mutes. Eiusmodi igitur vlcus siue recens, siue antiquum sit, eandem semper curationem requirit, nihil planè proprium indicante discrimine eo, quod à tempore sumitur. Ibidem ipse 3. meth. cap. 8. de eiusdem vlceris sanatione sermonem habens dicebat. Fieri enim non potest, vt in vlcere vel carnis productio, vel sinus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio, rectè vnquam cedat, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat: id quod etiam eodem libro supra cap. 3. explicauit dicens hæc omnia naturæ esse opera. quarto autem meth. cap. primo difficultates sanationis vlcerum sic quoque perbellè descripsit. Nempe ægrè sanabilium, rebelliumque vlcerum, alia propter vlceratæ carnis intemperiem, alia ob affluentem humorem talia fieri: Tum intemperiem rursus ipsam bifariam deduci; cùm aliàs in qualitate sola naturæ modum egressa subdita caro sit: aliàs etiam cum accessorio quodam tumore iam ipsum confluxum bipartito etiam scindi, nempe in confluentis succi, tum qualitatem, tum quantitatem. Interim verò misceri dictorum affectuum, aut aliquos, aut etiam pariter omnes. Porrò tradenda est medendi meth. non omnium simul, sed cuiusq; seorsum. At de his quidem satis, & ad ossis vnitatis solutiones accedamus.

Etiam

Ossium fractura, neruique punctura, quas curationes indicatiuas præbeant. Cap. XX.




OSSIVM continuitatis solutio, quam consequi potest vnionem, coniunctionemúe amat, & exposcit: si in humidis, & mollibus ipsa fuerit, qualia sunt puerorum ossa, veram vnionem desiderat: si in duris, & siccis, qualia adultorum, & senum, cùm verè vniri non possunt; per medium quoddam heterogeneum alligantur, atq; coniunguntur; quod latinè callus, græcè porus sarcotides nominatur. Hanc profectò fractorum ossium per callum alligationem secundum naturæ intentionem nuncupauit Gal. in art. med. c. 91. Nam cùm vnionem illa assequi primò non possit, secundò ad callum gignendum se conuertit, vt per eum fractas partes circumalliget: Ossium itaque fractura omnis, siue per longitudinem, siue per transuersum, seu per obliquum facta, siue magna, siue parua extiterit, complicatus semper est affectus. Primum nanque dicit concursum humorum ad os discissum; secundò circumiacentium partium compassionem malorumque symptomatum, doloris inquam maliq; pruritus, & multoties inflammationis præsentiam; Tertiò verò dicit ossa ipsa discissa, & fracta. Concursus itaque humorum retrocessionem, reuulsionemque omnino suadet: circumiacentes autem particulæ afflictæ iuxta propriam cuiusque affectus afflictionem propriam exposcunt curationem. Ossa verò discissa, & fracta vnionem, siue per callum colligationem, vt amarum, salutaremque finem desiderat. Ad quem quidem finem consequendum, sicut ad partium carniformium vnionem, quatuor vtebamur indicationibus, coniunctione, conseruatione, expurgatione, atque exsiccatione, ita ad calli in osse generationem totidem vtimur. Nequaquam enim fieri potest, vt callus intra ossa discissa gignatur, nisi prius ossa fracta similiter connectantur alligenturque, atque in naturalem situm coaptentur: secundò vt ritè commissa ossis perfracti extrema coniuncta, atque immota maneant; & sic seruentur ad perfectam vsque ipsius generationem: Tertiò ne quid illi extraneum intercidat, euitetur: & si quid puris interius gignatur, commodè situetur, vt sanies inde facilè expurgetur: ac postremo, vt partis substantia salubriter cum moderatè exsiccantibus præseruetur. Verum si os fractum in fragmentum, vel fragmenta abierit vnà cum cutis abscisione; ea fragmenta impossibile est, vt vnà cum osse coalescant. Quare necessum est, si & quatenus fieri possit; vt ea fragmenta extrahantur; quòd si fieri nequeat, tractu temporis à natura extra pellentur. Si verò cutis discissa non fuerit, coalescere contingit congruis adhibitis medicamentis. Quatenus verò vnaquæque supradictarum intentionum exequutioni mandetur, suis proprijs locis eas particulariter explicandas relinquimus. Arnaldus autem à Villa noua in regul. vniuers. doctri. 5. cap. 21. de fractura cranei has protulit sententias. Rimula cranei, quæ interius terminatur, oportet scalpello, & trapano dilatetur; vt possit educi sanies, aut virulentia subdistillans. Saniei autem virulentia distillans in duram matrem incommoda lethifera multa parit. Quod autem Gal. in art. med. cap. 90. scripsit, quòd vnitatis solutionis curatio in partibus instrumentarijs impossibilis existit: hoc ea ratione dixit; quoniam vnitatis solutio, quæ partem instrumentariam lædit, similiter etiam figuram, magnum numerum, & alia, quæ ad partium conformationem spectat, offendit: vnde cùm iam formatrix virtus, quæ hæc omnia finxit, desiuit esse, nec amplius superstes sit: quæ hæc denuo efficere possit, hinc vnio in instrumentarijs partibus est impossibilis. Et de his hactenus.

Nerui, chordæúe puncturæ plures præter naturam affectus continet. Primum nanque dicit vulneris occlusionem, tum in orificio, tum in profundo ob humorum concursum ad angustum vulnus, illud replentem: dicitq; virulentiam, mala scilicet puris qualitatem intra obcæcatum vulnus inclusam morbum adaugentem: dicit tandem neruum ipsum discissum, puncturâ vulneratum, tumore doloreque vexatum, & ad conuulsionem summopere paratum. Vtcunque igitur vulneretur neruus, maioris, minorisúe conuulsionis suspitio semper exoritur. At in punctura maximè ob sensus acrimoniam, & ob consensum, atque coonexionem cum cerebro principi membro; sed potissimè ob denegatam transpirationem puncturæ foramine obcæcato: Occlusio enim foramine mala putredo intus reclusa, cùm euaporare nequeat, ad neruum punctum se conuertit, illumque lædit, doloreque afficit. Cùm itaque in nerui, chordæque punctura tres præter naturam res inueniantur; vulneris inquam occlusio, virus retentum, nerui chordæúe punctura; pariter tres inde nascuntur curatiuæ intentiones. Orificij nempe, & totius vulneris occlusio indicat apertionem faciendam esse; intro reclusum virus transpirationem, extractionemque demonstrat moliendam esse: puncti nerui & chordæ, tumor, & dolor; doloris mitigationem, materieique replentis difflationem, dissolutionemque interpellat.


iuterpellat. Occlusi verò orificij caussa salubris erit manus periti chirurgici nouacula, proflobotomoque reclusum vulnus aperiens, & vbi apertum est, sic ab eodem est conseruandum. Saniei verò retentæ, neruique puncti pariter eiusdem tumoris, dolorisque medicamina dicuntur, quæ tenuium sint partium modicè calida, atque exsiccantia citra morsionem: hæc vtique sorditiem, & pus retentum absumunt; & ex profundo attrahunt: ac materiam intra nerui substantiam detentam difflant, doloremque mitigant; qualia sunt oleum rosaceum, lumbricatum, oleum de perforata, Therebentina, lachryma cyrenaica, & huius generis reliqua. Gal. 6. meth. cap. 2. Therebentina resina vtitur, tum per se; tum cum parua eupborbij portione permista: per se quidem in mulieribus, & pueris, ac generaliter in ijs, qui molli sunt carne: cum eupborbio verò in ijs, qui dura. Idem verò in art. med. cap. 92. de nerui, chordæque punctura hæc pauca tradidit. Nerui verò, & tendouis punctura propter sensus excellentiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta est ad neruorum conuulsionem excitandam; ac tum præsertim, cùm nihil extrorsum exquirat obcœcato cutis vulnere. Aperiendum est igitur, atque exsiccandum substantia tenui, quæ vsque ad ima nerui offensi possit penetrare. Arnaldus à Villa noua in regul. vniuers. doct. 5. cap. 20. de nerui punctura has tradidit sententias. Punctuta neruosi membri fomentis oleorum subtilium perdit doloris acerbitatem. Virulentia, quæ concluditur in puncturis, acerbo dolori potissimè caussam præbet: oleum verò Therebentinæ per se, vel oliuarum cum euphorbio moderatè confectum efficaciter subtrahit eruginem à punctutis. Neruus omnino sectus infrigidatione veloci spasmabitur; nisi cauterio, vel fomentis oleorum subtilium præseruetur: & quilibet vitiatus aquæ infusione celeriter computrescit. Si vulnerati sub humeris à spasmo cœperint apprehendi, cauterium profundum in spondilibus colli mortis periculum aufert, vel tardabit: & vbi spasmus giguitur à punctura, confestim est dilatanda, & fortiter expurganda.

Finis Quarti Tractatus.



TRACTATVS QVINTVS.

DE FEBRIVM INDICATIONIBVS.



Febris quas curatiuas indicationes præbeat. Cap. I.



VM adeo immodicè acutus est calor; 8. meth. cap. 1. inquit Gal. vt hominem offendat, & actionem lædat; febris nominatur: & ex morborum est genere, qui per intemperiem fiunt. Hæc quippe & nomine generis, & nomine speciei sæpius à Medicis nuncupatur: atque hæc ipsa, quæ à propria denominatur specie, suis proprijs etiam, & certis circumscribitur differentijs. Febris itaque quæ in animantis corpore accenditur, & morbus simpliciter dicitur, & morbus intemperie, calidus scilicet, & siccus, & morbus factus cuiusque effectricis caussæ expers, & morbus fiens suam procreatricem adhuc caussam seruans. Hæ profectò singulæ febris denominationes, iuxta vniuscuiusque nominis naturam singulas edunt indicationes. Cùm igitur febris ex numero sit eorum, quæ præter naturam sunt, & actionem lædat; propterea sub nomine morbi, vt morbus est, simpliciter suam primam indicationem edit, & sui ablationem perscribit. Et cùm in intemperie morbus existat, vt huiusmodi,

non simpliciter, sed cum additione, talem fore sui remotionem dicit. Secunda itaque febris indicatio est, vt à tali proficiscitur morbo; quæ non absolutè sublationem, vt prior, sed certain quandam sublationem indicat; nam cum febricitantes ex intemperie laborant; necesse sanationem quoque eorum intemperantiæ depulsionem esse. Omnis autem excessus per contrarium excessum sanatur; quare febrilis quoque intemperantiæ excessus per contrarium excessum sanabitur. Est autem febrilis intemperantiæ excessus in caloris abundantia: huic ergo ad temperamentum via erit per id, quod refrigeret: siue enim dicas per id, quod refrigerat, aut per id, quod calorem extinguit, & contrariam temperaturam inducit; idem profectò semper asserimus, & affirmamus; vt bene refert Galenus 11. meth. cap. 2. his verbis. Nam siue dixerimus absoluto sermone febrem per ea, quæ contraria sunt temperamento, sanandam esse, siue adijciemus per ea, quæ sunt contraria temperamento, nulla pugnantia in sermone erit. Similiter nec si per frigida sanandam esse febrem dixerimus; sed nec si diuidentes id, dicamus aliquando sanare nos febrem per ea, quæ ex accidenti refrigerant, aut etiam ista coniungentes, nulla pugnantia cum his, quæ dicta sunt, in sermone erit. Pari modo nec si quis dicat; quæ actu, potestate, vel ex accidenti calefaciant, ea febres deteriores reddere, quàm prius fuerant. Contra quæ actu, potestate, vel ex accidenti refrigerant, ea febres sanare. Et quoniam febris vnà cum adurente caliditate coniunctam quoque siccitatem habet: quare calida, & sicca denominatur intemperies; vt habetur primo de ratione vict. in acut. com. 18. & 43. & primo aph. 16. Proinde infrigidationem, humectationemque simul demonstrat, & per ea, quæ refrigerant, & humectant, tanquàm per propria contraria sanatur. Hæc itaque in dictis quatuor materierum generibus vestigari debent, siue actu, siue potestate, siue per se, aut per accidens refrigerent, & humectent: indifferenter enim ex his febris sanatur; suntque ei contraria, siue separatim, siue coniunctim ea administrentur. Hæcque perpetuò vti contraria adęquata febri pro eius curatione opponuntur. Hnc ergo tantum eius sanandæ consilium dirigetur; nempe vt eam refrigeres, & humectes; nam febri omni, quatenus febris est, humectatio, refrigeratioque remedia sunt. Si autem febris præsens facta est nullius caussæ fautricis particeps; & caussę, quæ eam excitauit, iam desijt; huc tantum sanandæ eius consilium dirigetur; vt refrigeretur, & humectetur. Quare quęrenda nobis talis est materia, quæ cum redundante caliditate, & siccitate, paria refrigerando, humectandoque faciat. Et hæc vera, & propria curatio dicitur; quæ morbum factum aufert, & euellit. At si febris est fiens, & in generatione adhuc existit, caussa, quæ eam accendit, submouenda est. Sin pars eius iam genita est, pars in gignendo adhuc est, vtrique consulendum est; primum quidem submouendo, quæ eam accendit caussam; deinde extinguendo, quæ ab hac accensa est, febrem. Huiusce verò febris sanatio, curatio cum prouisione mista, seu prouisio cum curatione permista à Medicis nuncupatur. Vnum superest, quod in vera febris curatione dubitationem facit; quoniam Hipp. humidum magis, quàm frigidum febri competere primo aph. 16. visus est asserere, vbi scripsit. Victus humidus febricitantibus confert: ibidem nanque humidum frigido præfert in salubri febricitantium victu; cùm tamen febris ratio frigidum magis videatur sibi vendicare, tanquàm salutare. Ad hæc dicimus, quòd vtrunque, & frigidum & humidum febris sunt remedia, & salutaria; licet frigidum primum ei expediat: humidum tamen febribus omnibus salubrius, ac tutius exhibetur; nam sine alicuius noxæ suspicione febris siccitatem vbique, ac semper corrigit, & emendat: et frigidum in putridis febribus, vbi multæ adsunt obstructiones, non semper calorem mitigat, & refrigerat; sed ardentiorem illum plerunq; reddit, obstructiones factas fouens, dennoq; illas procreans. Propterea 11. meth. cap. 9. bene Gal. dixit. Ostensum enim est ipsius febris, prout febris est, equam frigidam semper essę remedium; quod verò ad alia spectat, non semper: veluti cum ex obstructione glutinosorum, & crassorum humorum putredo oritur. Galenus autem secus, quàm nos supradictam Hippocratis sententiam ibi in fine comm. interpretatur cùm inquit. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, (addit ipse) item & frigidus subintelligitur; & licet Hipp. id non expresserit, hoc tamen quoque fuisse dictum in potentia debemus existimare; quia cùm aliquid ab ipso dictum est; quæcunque idem cum eo iuditium habent, ab eo dicta putanda sunt; quamuis ea silentio præterierit. Si ergo propter id, quod siccus sit affectus, humidum victum requirit, ita quoniam calidus est, frigidum postulat.



Diaria febris quas indicationes curatiuas postulet. Cap. II.



IARTA febris ephemera à Gręcis dicta tria præter naturam dicit, quæ curationem exposcunt. Primum nanque dicit actuatam cordis caliditatem ad igneam naturam conuersam, quæ est ipsa febris essentia. Secundariò dicit, quòd primum calefactum, & prima caliditas in corpore accensa, quæ actuatum cordis calorē in igneam mutat naturam, febremque efficit, est spirituum substantiæ supercalefactio, ephemeram febrem caussans. Tertiò dicit, quòd quæ spirituum substantiam excalefaciunt, & per hanc excalefactionem febrem accendunt, sunt præincipientes caussæ, aliter euidentes dictæ, siue externæ, siue internæ recentes illæ fuerint, quæ essentialiter, accidentaliterque calefaciendi vim habent. Actuata itaque cordis caliditas ad igneam naturam conuersa febrisque facta, cùm simplex præternaturalis sit affectio cordis calida, & sicca, vt simplex existit, sic etiam simplicem parit indicationem, frigidum inquam, ac humidum exposcens remedium, iuxta temporis anni, cœli status, ac regionis conditionem, ægri quoque natura, ætate, & consuetudine obseruata; vt ritè administrato pręsidio ad pristinum cor restituatur statum. Supercalefactio autem substantiæ spirituum ephemeram febrem immediatè caussans, & ipsa spirituum simplex affectio existit, & simplicem parit indicationem, refrigerantia inquam, ac humectantia, tam exterius adhibita, quàm interius assumpta, declarans vt ad salubrem reducatur temperiem exterius quidem per balnea aquæ dulcis, per inunctiones frigidas, ac humidas, & similia: interius autem per cibum, & potum, quæ refrigerent, & humectent. Et quoniam spirituum substantia, quæ animantis virtus existit, male affecta est, propterea hac febre correpti, ægri, læsiq; ab Auic. prima fen. quarto tract. primo cap. 9. dicuntur: vbi curationis febris ephemeræ secundum modum vniuersalem describens ait. In omnibus speciebus febris ephemeræ oportet, vt afferantur super corpora patientium eas ea, quæ nutriant eos nutrimento bono cum velocitate digestionis; quoniam febriens est æger, & æger est læsus, & læsus non digerit, aut tardè digerit. At quibusdam eorum conceditur quiescere, seu delitiari in ea, sicut patienti febrem ex labore, & angustia, & fame, & illis, in quorum corporibus cholera plurima est. Quantum igitur ad cibum spectet, dicimus, quòd ille humectans, & refrigerans sit facilis concoctionis, non excrementosus, neque nutriens plurimum: sit tamen boni succi. Nulli autem ephemeræ per se quidem digestione est opus; quòd si aliquando egeat aliqua discussione; id non est merito sui, sed merito alterius alicuius affectionis cum ea coniunctæ. Præincipientes autem caussæ spirituum substantiam per se, aut per accidens excalefacientes, cuiuscunque generis illæ sint, quæ ephemeram febrem excitant, si abierint, & à corpore remotæ sint; tunc, vt remoueantur, non est amplius laborandum: at si adhuc persistant, & excalefacere perseuerent; tunc studium in eo ponendum est; vt vnamquanque harum per suum contrarium è corpore remoueamus: vt bene primo ad Glauc. cap. tertio affirmat Galenus dicens. Tentare autem oportet, & contrarium semper afferre ei, quod molestat: labori quidem quietem, vigilijs verò somnum. Iræ autem, & furori, atque tristitiæ eam animi iucunditatem, quæ ex sermonibus, actionibus, spectaculis, narrationibus percipitur: Sic qui cogitatione laborat, omnino ratiocinationes omittat: Et qui ex bubone febricitat, prius huius curationi intendat, ac multo prius vlceris, vnde originem habuit. Hactenus ille. Auicenna verò prima fen. quarti tract. primo cap. nono inquit: Et in curatione omnis febris ephemeræ, quæ est ex oppilatione extrinseca, aut intrinseca, fricatio aperit poros habentis eam: deinde si obuiat humiditati plurimæ, resoluit eam; & si obuiat humiditati paruæ, exsiccat corpus. Enacuatione autem non indiget aliquis eorum, nisi habens oppilationem repletionalem, & habens rusticatiuam satietatem, & qui habet febrem ephemeram ex soliditate, cuius corpus est repletum. Vinum autem quibus, & quando in his febribus salubriter exhibetur, plenius à Galeno traditur primo ad Glauc. cap. tertio.



Hectica febris, quas curatiuas indicationes demonstret. Cap. III.

Febris hectica à Medicis dicitur, quoniam fixa, firmaq; corpori inhęret, difficulterq; dissoluitur: propterea quòd suum fundamentum habet in corporis habitu: quod vt tardè recipit, ita tardè receptum deponit. Corporis namq; habitum greci solidas nuncuparunt particulas, ab humidis ex aduerso distinctas. Per humidas intelligendo, tum humores, tum spiritus, vt colligi potest ex Galeno in primum de morb. vulg. com. 2. part. 46. Primum itaq; calefactum, accendens febrem in hectica in corporis habitu inest: vnde & habitualis denominatur. Hæc igitur, quatenus in habitu corporis cõmuniter reperitur, communiter quoq; hectica habitualisq; nuncupatur. Habitus verò corporis, solidæq; partes, in tres subdiuiduntur partes, (quas licet in præsentia species nominare) in roridam scilicet partẽ primam, in adiposam alterã, & carnosam, ac fibrosam, ac membranosam, quæ est tertia: istæ nempe tres supradictæ substantię solidas animantis particulas constituunt, & in has tres illæ pariter diuiduntur. Penès itaq; has tres distinctas habitus corporis species, in quibus hecticæ febris inhærent, ac fundantur, tres hecticę febris species à Medicis numerãtur: primaq; illa dicitur, dum præternaturalis caliditas in rorida cordis substantia primò accenditur: ibidemq; efferuescit, & ebullit, febremq; procreat: secundam speciem dicunt, vbi rorida substancia ab exurente calore iam exusta, ipsa caliditas efferuescens carnosam aggreditur partem: eamq; exurens hecticam continuat febrem: qua iterum exusta, & exsiccata, vlterius exurens caliditas procedens fibrosas cõprehendit partes, illas omnino absumens, tertiam febris hecticæ speciem efficiens. Has vtiq; tres corporis humiditates, & tres hecticæ febris species in his super accensas Auic. 1. fen. 4. trac. 3. c. 1. exemplo olei lucernæ, & ellychnii perbellè declarat, vbi ait. Et similitudo humiditatũ primarum, est oleum lucernæ effusum in lucerna: hęc quippe prima humiditas primò de diff. febr. c. 9. & 7. meth. c. 6. natiua humiditas dicitur; quæ veluti ros quidam existit inspersus in spatijs inanibus partium solidarum, ex quo ipsæ nutriuntur. Et similitudo secundarum (subdit Auic.) est oleum imbibitũ in corpore ellychnii. Hęc à Galeno ibidem carnosa adiposaq; substantia dicitur; & ex humore supradicto concreto constat. Et similitudo tertiæ humiditatis (inquit Auic.) est humiditas, qua continuantur partes eius, de quo factũ est ellychnium: hęcq; à Gal. 10. meth. cap. vlt. fibrosa, membranosaq; substãtia nuncupatur. Subsequitur Auic. Et cùm inflammantur membra radicalia, & propriè cor, est illud ipsa ægritudo, quæ est hectica, secundum quòd sciuisti, scilicet primo de differentijs febr. c. 1. & 8. Verum subdit Auic. Et dum præternaturalis caliditas permanet finiendo humiditates diuisionis primę membrorum, & propriè cordis, tum finis candela oleum infusum in lucerna; tum est gradus primus, appropriatus nomine generis, quod est hectica; & cùm finiuit humiditates, quæ sunt diuisionis primę, & incipit resoluere humiditates diuisionis secundæ, & finit eas, sicut cùm finiuit flamma oleum euacuatum in lucerna; & incipit finire imbibitũ in corpus ellychnii, erit gradus secũdus, & nominatur marasmus, & habẽt latitudinem, & principium, & medium, & statum. Cùm ergo finientur istæ, & incipit finire humiditates, quę sunt diuisionis tertię, sicut incipit flãma adurere corpus ellychnii, & humiditates eius radicales; est ægritudo gradus tertij, & nominatur almeset, & tysis græcè. Hactenus Auic.

Caussa verò febris hecticæ, proxima, & immediata est ipsum esse calefactum solidarũ partium: seu (vt alij inquiunt) præternaturalis caliditas primũ accẽsa in solidis ipsis particulis: hæc nempe actuatum cordis calorem ad igneam conuertit naturam, febremq; accendit. Caussę aũt ipsius calefacti esse solidarum partium, seu præternaturalis caloris primitus in solidis partibus accensi numerantur, tum præincipientes calidæ, quas ephemeras excitare diximus, quæ dum vehementer corpus excalfaciunt, supradictas humiditates accendunt, ac in calefacto esse reponunt; tum corporeæ internæ calidæ antecedentes caussæ; quæ dum ipsę diutius corpus calefaciunt, prædictas tandem humiditates accendunt, in calefactoq; esse illas constituunt. Inter has quoq; recensentur nobilium viscerum inflammationes, prauaq; vlcera, vtpute ventriculi, iecinoris, thoracis, ac pulmonum præcipuè. De his profectò caussis, quæ humiditates dictas excalefaciunt, hecticamq; febrem accendunt Gal. 1. de differentijs febr. c. 8. verba facit, & inquit. Quæ igitur febres hecticæ appellantur, duplici via ortum habent; magna quidem ex parte ex ardentibus febribus; quę tantum protrahuntur, vt longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum cõsumant. Reliqua autem est cùm statim ab initio inuaserint, similem primum sui ortum ephemeris facientes, ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia, vnà cum solis feruore contracta. Auic. verò 1. fen. 4. tract. 3. c. 1. de hectica sic loquitur. Et caliditas quidem hepatis quandoq; perducit ad hecticam: verum non est ipsa hectica, immò hectica est illa, quę est caussa cordis, & similiter dispositio stomachi, & pulmonis; postea subdit. Et febris, quidem putredinis, & apostematis permutatur multoties ad hecticam, propter vehementiam febris, & vehementiam subtilia-

» tionis cibi in ea, & prohibitionē aquæ frigidæ, & peculiarem obseruationis lateris cordis cum » vnctionibus, & epithematibus, & propriè in ægritudinibus membrorū vicinorū cordi, sicut dia » phragmatis. Hactenus ille. Concludunt tandē omnes, hecticæ febris primā efficientem caussam esse omnia calefaciens, & exsiccans, dummodo sit potens ponere caliditatem in facto esse in substantia cordis, & membrorū: siue interna, siue externa caussa extiterit. Primam eūt, ac immediatam eiusdem febris caussam nos facimus substantiā cordis, & membrorū supercalefactā, actuatū cordis calorem in febrē mutantem. Et propterea dicimus, quod hectica febris primò dicit actuatum cordis calorem ad igneum, febrileq; calidum cōuersum à calefacto esse solidarū partium cordis; naq; enim hectica febris effici potest cordis substantia nō patiente. Istud nempe substantię cordis calefactum, vt proxima continausq; caussa perenniter actuatum cordis calorem in febrē vertit, conseruat, & fouet. Dicit insuper hectica fixam supercalefactionem alicuius visceris, quæ cordis humiditates exhausit, hecticamq; produxit, & post hecticam factam adhuc noxia permanet qualitas, ac primum nuncupatur calefactum. Dicit præterea, ac sæpius saniosum vlcus difficilè sanatu in pulmonibus: illud itidem vlcus, sed rarius, denotat in alijs visceribus: hæc profectò inter conseruantes caussas recensentur, quæ ipsum calefactum esse solidarum partium cordis, & totius corporis cōseruant. Dicit deinde hectica frequenter quemadmodum ex male affecta cordis substantia, morbosoq; eiusdē calore, sæpè præternaturalis accendatur calor, & in spiritibus, & in humoribus, vnde ephemeræ, humoralesq; febres nascuntur iuxta cuiusq; horum maiorem propensionem, vt accendantur; qui accensi nouo incendio, & ardore actuatum cordis calorem aggrauant, febremq; duplicant. Postremo ipsa dicit exsiccationē humiditatum, roridę inquam, carnosæ, ac membranosæ internorum viscerum, & primò cordis, mox iecinoris, ventriculi, & pulmonum: et illius visceris maxima iudicatur exsiccatio, quæ morbi origo, occasioq; fuit. Est itaq; hectica febris affectio sicca, siccitate carentiæ humiditatū viscerum, sed longè siccior, quæ in carnea, quàm quæ in rorida reperitur substantia: et omnium siccissima, & pessima est siccitas; quæ in membranosa insidet parte: hæcq; tabida hectica, calidusq; insanabilis nuncupatur marasmus. Hectica namque, quæ omnem respuit curationem, vt marasmus deuenit; vt Paulus c. 32. secundi libri refert. Quando igitur humiditatis aliquid reliquum est, hectica solum febris dicitur: cùm verò periclitatur, ne nihil amplius humoris supersit, absolutus iam marcor constituitur. Neque enim ad hecticæ siccitatem spectat corporis macies, quæ in longis conspicitur morbis; hæc cùm in proprijs cuiusq; particulæ exilibus venis, arterijsq; consistit, ex sanguinis penuria prouenit; & venæ sanguine inanitæ maciem præseferunt. Sanguis itaq; qui in iam dictis exiguis vasis continetur, de propria solidarum partium substantia minimè est: & propterea eiusdem defectus ad hecticam non spectat. Dicimus igitur, quòd hectica febris, siue sit incipiens, siue succedens ad alios morbos, siue à calidis procatarcticis recentibus, siue ab antecedentibus diuturnis fiat caussis, dum intra principij terminum consistit, & roride humiditas solum efferuescit, nec adhuc exusta est; tunc huiusce febris sanatio non admodum difficilis videtur: at si progressa est febris sic, quòd calefactum febrem faciens ad secundam, & tertiam peruenerit humiditatem; tunc valde difficilis, & vt plurimum insanabilis existit; qualiscunq; tamen illa fuerit, siue facilis, siue difficilis ad curandum, siue eius curationis finis sit sanitas, siue vitæ protractio, curationem aggredimur intentiones curatiuas prius elicientes. Vnum animaduertimus, quòd licet febris hectica vbiq; locorum à Medicis simplex appelletur affectio, simplicemq; curatiuam indicationem habere dicatur; Id tamen respectu, & cōparatione putridarum febrium tantum, & non alia de caussa asseritur: nam putredines in corpora exortæ longè à sede febris distantes, longa caussarum serie, multisq; præuijs alterationibus, febrem accendunt, & inde multæ, complicatæq; nascuntur indicationes, vt apertæ, & claræ cunctis patent: secus profectò res se habet in hectica; quæ etsi effectus compositus sit, & plures, ac compositas edat indicationes: nihilominus non apud omnes ita euidens, & perspicuum fit; quando huiusce febris affectus pauciores sint, & consimiles, eiusdem ferè ordinis, & conditionis, consimilem etiam facientes indicationem. Hac igitur de caussa hectica simplex affectus, simplicemq; præbere indicationem à Medicis asseritur: minus nenq; compositum ratione meioris, plerunque simplex nominatur. Sed ad febris hecticæ curatiuas indicationes explicandas accedamus.

Ignea itaque actuata cordis caliditas, animantis functiones lædens, quam hectica febris primum inimicum declarat; frigidum, ac humidum postulat remedium, quod ad contrariam permutet qualitatem, & antiquam salubrem restituat temperiem. Humiditatum cordis nobiliumque viscerum, ac totius corporis exsiccatio, & consumptio, humidum temperatéque frigidum alimentum, quod deperdites reponat humiditates, corpusque reficiat, vehementer optat. Vehemens cordis, aut visceris illius calefactio, & exsiccatio, quæ hecticæ prima origo extitit; & ipsa iam genita, vt mala, & noxia calefacere, exsiccareque corpus perseuarat;

suum

ſuum frigidum, & humidum remedium alterans, quod intemperiem permutet, & pariter ſuum humidum, moderateq; frigidum alimentum, quod ſiccitatis vitium emendet, corpusq; reficiat, deſiderat. Quæ verò ventriculi, meſenterij, pulmonumque, & conſimilium partium vlcere excitatur hectica, & fouetur, primum ſanioſi vlceris, quod hecticæ fautrix, & conſeruatrix cauſſa eſt, curationem dicit: deinde ipſiuſmet hecticæ ſanationem exoptat. Humorum putredo hecticæ coniuncta, putridam accendens febrem, hecticæque diſcraſiam adaugens, ac corporis vires imminuens, hecticæ profectò medicationem retardat: & leuia, benignaque medicamenta, putredinem purgantia, vires minimè offendentia, cupit, & amat. Cùm igitur febris ipſa, ignea ſcilicet actuata cordis caliditas, & celefectum eſſe ſolidarum partium cordis, & totius corporis, & caliditas pariter, & ſiccitas primitus in interno aliquo viſcere accenſa, ſimul in diſcraſia calida, & ſicca conuenient; horum profectò omnium affectuum frigida, & humida erunt auxilia, ſiue alimenta nutrientia, ſiue medicamina alterantia fuerint, aut interius abſumpta, aut exterius applicite. Atque hæc ipſa ita prorſus adminiſtrentur; vt ne debiles factæ virtutee, offendantur: ſummopere enim vires in hiſce morbis ſunt obſeruandæ. Caput igitur hecticæ curationis erit in his remedijs, quæ eam refrigerent, ac humectent, nec vires lædant. Porrò horum præſidiorum prima materia, 10. meth. cap. 7. inquit Galenus, ſub duplici continetur genere. Vna eorum, quæ foris admouentur; altera, quæ intro in corpus ſumuntur; quæ ſumenda vocantur. Extrinſecus corpori inſidunt, tum aer ipſe, qui nos ambit, tum pharmaca quæcunque humectandi, refrigerandique vim obtinent; & tertium præter hæc, dulcis aquæ balneum. Intro in corpus ſumuntur; quæ eduntur, ac bibuntur, & inſpiratus aer. Ab his generibus tentandum eſt propoſitis hoc loco febribus, tum humiditatem, tum refrigerationem comparare. Verum refrigeratio, quoniam per efficaciſſimam qualitatem inducitur, & parui temporis eſt, & periculoſa: contra ſiccitatis per ea, quæ humectent curatio, vt longi temporis eſt opus, ita minori eſt, quàm refrigerati, opericulo expoſita. Hucuſque Gal. Quamuis enim frigidorum vſus ſuſpectus ſit, propterea quòd ſi non in iuſta menſura detur; aut contrariam in membro diſpoſitionem inducet, aut eiuſdem virtutem oſtendet: nihilominus cum hectica via expeditiſſima ſit ad inſanabilem maraſmum, ad quem certiſſimè peruenitur: frigido inhibito remedio alterutrum æger non effugiet, aut frigidi remedij noxam, aut hecticæ damnum incorrigibile. Verum Gal. 10. meth. cap. 10. reſpondit; quòd dummodo error frigidi remedij non ſit mortiferus, aut irremediebilis, melius eſt hominem ad frigidam intemperiem transferre, ad cuius curationem eſt aditus; quàm permittere, vt perſiſtat in hectica mortifera, & tandem ad deſperatam perueniet tabem. Quare & illud ſubiunxit. Quanto itaque ſatius eſt aliquid non nulla fiducia, vel cum periculo facere, quàm ſpe adepta certò perire; tanto profectò ſatius eſt, potentibus præſidijs pugnare, quàm nihil agere; Ergo illico eos, qui hectica febricitant, omni ratione refrigeremus, anteaquàm progreſſi in maraſmum peruenerint. Quem autem maraſmus planè iam occupauit, hunc ſanare ne tentaueris. Hectica igitur, antequàm maraſmus euadat, curabimus frigidis, & humidis præſidijs, tum intra, tum extra corpus adhibitis. Vnum animaduertimus; quòd etſi Gal. aſſeueret, quòd communis vſus medendi in his febribus ſit, vt exterius adhibeentur remedia, dum 10. meth. cap. 8. inquit: Communis autem omnium ſanatio eſt per ea, quæ extrinſecus applicata refrigerant, & humectant; Nihilominus proprius, peculiariſq; horum vniuſcuiſq; vſus eſt iuxta effectus exigentiã. Quare vbi hectica affectio ad muſculorum corporis habitum eſt progreſſa, feliciſsimè per ea, quæ extrinſecus admouentur, curatur, vt bene docet Gal. 10. meth. c. 10. his verbis: Quicunq; hectica febre laborant, atq; ex his præcipuè qui iam maraſmode hectica febricitent, modo his, alia nulla febris, vel ex ſola putredine humorum, vel cum phlegmone ſit adiuncta; eos omnes audacter ſanabis, ſed prorſus citra omnẽ laborem, ne vires reſoluas. Vbi verò hectica ab aliquo calefacto interno originem traxit, ſiue cordis, ſiue iecinoris, ſiue vẽtriculi illud fuerit, & calefecere genita hectica adhuc illud perſeueret; hæc quippe per ea, quæ intre corpus ſumuntur, verius ſanantur; quod citato lib. 10. meth. c. 8. ſcriptum reliquit. Scire tamẽ licet, maius fore ex frigida inſpiratione commodum, quàm ex cute denſanda incommodum. Porrò vtendum maximè ciuſmodi aere eſt in his hecticis, quibus primum quod afficitur, ipſum eſt cor. Aequè vt ſi ventriculus primum eſſet affectus, ipſi per comeſta, & bibita eſſet ſuccurrendum. At iecinori ex inſpirato aere nulla certè vtilites accedit, à comeſtis verò & bibitis minor planè, quàm ventriculo: cæterum aliqua non obſcurè aduenit. Quod de aere, & bibitis, & comeſtis ſcripſit, hæc particulis affectis eſſe adhærenda, iſtud idem & de exterius applicitis medicinis ipſe ſentit 9. c. eiuſdem libri, vbi ait. Porrò vtendum his eſt, non (ſicut vulgus facit) toti impoſitis thoraci, aut toti ventri, immò illi maximè, quod primò eſt affectum: neq; enim neceſſum eſt, vt aut cũ eo, quod refrigerari valenter deſiderat, etiam id refrigeres, quod prorſus nõ deſiderat, aut ante iuſtum tempus refrigerare

 deſiſtas,

desistas, timens vicinam aliquam particulam lædi. Semper autem studendum, ne maximè refrigerantibus, sed quæ modicè id efficiant vtare; præsertim vbi cordi ea adhibueris, eo potissimum non primò affecto: requirit nanque hoc viscus semper in omni hectica præter inspiratum aerem, ea, quæ refrigerant, & humectant: cùm perpetuò ipsum in qualibet earum afficiatur, non tamen immodicè frigida desiderat; cùm sit fons, & principium calidi innati. Auic. prima fen. quarti tract.3. cap.4. De cura hecticæ ait. Intentio in curatione febris hecticæ est infrigidatio, & humectatio: vnaquæque harum completur cum approximatione suarum caussarum, & expulsione sui contrarij; sed obseruandum esse subdit, vt frigida, & sicca, qualia sunt Trochisci de camphora, & de spodio, cum cautela, & timore administrentur, & humida pariter, & calida, sicut vinum, & aqua, carnes, & similia. Concludimus tandem hecticam febrem, & humiditatum cordis fixam caliditatem, & primum calefactum alicuius visceris, (si aliquod tale est, quod cordis humiditates, & febrem accendat.) Hæc omnia in calida, & sicca intemperie simul conuenire, & in frigidis etiam, & humidis indicandis remedijs simul consentire. Et ideo, quòd præternaturales affectus isti omnes in calida, & sicca conueniunt discrasia, & in frigidis, & humidis, pariter demonstrandis præsidijs, antiquiores dixerunt hecticam febrem simplicem affectum esse, simplicemq; parere indicationē. Quòd verò plura electuaria, pluribus calidis aromatibus condita apud Medicos sint, quæ in continuo vsu pro his febribus sanandis habentur, & huiusce affectus verè remedia existunt, nec propterea omnino frigida dicuntur: mirandum non est: virtute enim frigida, & humida sunt; & quòd hæc in compositione calidis, & siccis præualent, & quæ in ipsorum compositione calidæ, & siccæ additæ sunt particulæ, non prima, sed secunda intentione additæ sunt, vt spiritus videlicet iucundo odore recreentur, & calore aperiente, & dilatante obstructæ, clausæque viæ aperiantur, & dilatentur, ac peruiæ reddantur, frigidis, humidisque medicaminum particulis ad intima calefacta, exsiccataque viscera infrigidanda, & humectanda progredientibus. Vlcera putrida internorum viscerum hecticam conseruantia, & adaugentia iuxta eorundem conditionem, locique patientis naturam suis detergentibus, exsiccantibusque medicaminibus primitus ad sanandum proponuntur; vt bene superiori libro admonet Auic. Et si fuerit caussa hecticæ apostema, aut læsio in membro; tunc necessarium est curare ipsum in primis. Putrida, & hectica simul iunctæ, putrida principaliter leuibus alterantibus, & aperientibus curatur; obstructiones, si quæ adsint, aperientur, semiputridusque humor alterabitur, & putridus affectus suo benigno purgabitur medicamine. Hectica verò humidis restaurantibus, frigidisque alterantibus præcipue curabitur. Septimo autem colliget. cap.15. scripsit Auerroes; quòd hæc affectio maiori humectatione, quàm infrigidatione indiget; quod si humectantia in gradu æqualia inuenta non fuerint, addatur in ipsorum quantitate, vel iterentur, donec humectationem sufficientem compleant. Vnum addimus; quòd quæ ex vlcere facta est hectica, aut ex longa ægritudine, longisq; euacuationibus; hæc humidis restaurantibus magis quàm frigidis sanatur; quæ verò ab exurente excitata est caliditate, frigidis verius curatur.

Ambigunt multi, cur putredo, putridusque vapor saniosorum vlcerum pulmonis, magis solidas cordis partes accendat, in calefactoq; esse ponat, quàm eiusdē spiritus; & humores promptiores ad incendium concipiendum, quàm solidæ partes; & cur magis hecticam, quàm putridam, aut ephemeram procreet febrem. Ad hæc dicimus, quòd cum similitudo præcipuè sit caussa, cur res inuicem agant, & patiantur; sicut putredo putridorum humorum contentorum intra exiguas pulmonis venas, inflammationem patiensis faciliter cordis, humores ob eorundem cognationem accendit, putridam efficit febrem; ita putredo, putridusúe vapor vlcerum in substantia pulmonis herentium ob conuenientiam, qua inter se solidæ substantiæ conueniunt, facilius solidas cordis particulas inflammat, quàm humores, seu spiritus, & facilius pariter hecticam, quàm ephemeram, aut putridam progignit febrem.

Febris continens, synochus Græcis dicta, non putrida, quam curatiuam indicationem demonstret. Cap. IIII.



st & tertia febris species, quæ continens, synochusque non putrida nominatur, sub diariæ nomine ab antiquis cōprehensa: quum in duratione, & terminatione febris cum diaria conueniat; eiusq; naturam quodam modo sapiat, vt 9. meth. cap. 2. refert Gal. siquidē in quibus vna accessio ab initio ad finē perpetuò manens in multos dies porrigitur, eas febres synochos, idest cōtinentes appellant. Hæc profectò & cum diaria, & putrida febre cōuenit: in duobus cum diaria cōicat, & quod sine putredine fit, & quod absq;

circuitu ab initio ad finem vna permanet. Cum putrida verò febre tria communia habet: primum scilicet subiectum; nam earum substantia, & tota natura ex genere putridarum febrium est: deinde quod earum effectrix caussa adhuc est: postremo, quod per plures dies durat. Huius nempe febris gemina est natura: quædam enim nullam prorsus putredinis notam obtinet, & synochus sine continens non putrida vocatur, de qua in præsenti est sermo noster: altera synochus putrida dicitur. Et harum continentium febrium tres numerantur differentiæ; nam quædam illarum à principio ad finem æquali magnitudine perdurant; quæ in eodē robore, & vigore permanentes nominantur. Quædam cùm semper augentur, & exiguum aliquod adijciunt, incrementum accipientes, declinantesque vocantur, vt docet Galenus 9. meth. c. 3. & 2. de differ. febr. c. 2. Harum verò continentium febrium absq; putredine, prima caussa, & occasio excitans est meatuum corporis stipatio, quam pluribus modis fieri contingit apud Galenum 9. meth. c. 5. Stipatio enim accidit, vel obstructis exilibus meatibus, vel conniuentibus, vel etiā corpore ipso immodicè densato, à quibus quidem stipationibus, (ibidem addit ipse) fumida, fuliginosaq; excrementa detinentur, & ab his immediatè febris accenditur. Idem ipse superius differebat 8. meth. c. 2. Dictum namq; est, in suis corporibus meatuum constipationē febrem excitare; in quibus quod transpirat, halituosum non est, sed mordax, & acri fumo, fuligini ue non absimile. Has autem meatuum stipationes Auic. ita exponere videtur 1. fen. 4. tract. 1. c. 33. Oppilationes fiunt in poris cutis propter siccitatem, vel asperitatem eius, & paucitatē ablutionis, & multitudinem pulueris, & propter frigiditatem, & propter ablutionem cum aquis frigidis stypticis, & propter adustionem Solis: & quoniam fiunt in villis venarum, & in ramis earum, & in orificijs ipsarum, & meatibus, seu vijs earundem. & paulò inferius subdit: & huiusmodi quidem oppilatio aut fit ex multitudine humorum, & sanguinis, aut crassitie, aut ex viscositate eorundem. Qualiscunq; itaq; illa fuerit, à materia meatus replente illosue densante, & cōstringente, siue à re eorundem orificia claudente; omnis huiusmodi stipatio cōtinentis febris synochi non putridæ occasio existit: nam primum sanguineam stipatam materiam ebullire facit; indeque fumosum vaporem perenniter extrahit; qui in corpore clausus cordis calorem intendit, febremq; efficit. Cùm igitur in corporibus sanguine præditis, & corpulentis, vbi frequenter febrem hanc fieri contingit, huiusmodi stipatio calidam sanguineam materiam aliqua in corporis parte clauserit; vt eam feruere, ebullireq; faciat; ex huius feruore mordaces, acresq; vapores plurimi excitantur; quibus cùm non peruia sit transpiratio; vt liberè extra ferantur propter clausas vias; necessum est, vt intro remeantur, & sursum ad cor repant; illudq; excalefaciant, & febrem accendant; quæ tandiu durat, quandiu supercalefacta stipata materia tota in vapores sit conuersa. Animaduertimus ex Galeni sententia nono meth. cap. 2. & 3. Quacunque stipatione in corpore data, siue in carne, siue in osse illa fuerit, quantumuis angusta, adstrictaq; sit, ab ea semper aliquid effluere, & emanare. Ad hæc ex eiusdem mente notamus; quemadmodum à feruentibus humoribus constipatis, vapor plurimus excitatur, cuius portio aliqua retinetur in corpore, quæ dum sursum ad cor tendit illud accendit, febremque facit; altera verò portio per quantumcunque adstrictam viam, densatosque meatus extra fertur, & dispergitur. Ex hac itaque vaporosa materia, quæ intro continuè retinetur, & quæ continuè extra fertur, tres supradictæ synochi febris species nascuntur. Quæ igitur in corpore retinetur materia vaporosa, subdit idem Galenus, duplici ratione febrem seruat, primum ratione sui; quia ipsa per se adusta excalefacit: deinde ratione coniuncti; quia adurendo ea, quæ proxima sunt, hæc quoque ad febrem seruandam auxilium præstant. Cum igitur tota huiusce febris ratio consistat in his vaporibus, fetuidisque humoribus; qui partim intra corpus detinentur, partim extra per excæcatos poros deferuntur, iuxta tres horum humorum, & vaporum transpirationis, & detentionis modos tres supradictæ huiusce febris differentiæ nascuntur, eundem scilicet tenorem seruantes, inualescentes, & decrescentes. Dum enim intus plurimi detinentur, pauci verò extra feruntur, incrementum accipientes fiunt febres. Dum verò plurimi foras semper transpirant, & pauci intus continentur, decrescentes visuntur febres. At dum sub æquali portione, & intra corpus seruantur, & extra foras transpirant; sub eodem robore febres permanentes cernuntur. Ratio igitur curandi cutis meatuum constipationem habetur ex Gal. 8. meth. cap. 2. quo loco docet cutis stipationibus, in quibus quod transpirat, acre, mordax, fumo, fuliginique persimile existit, commune consilium esse; vt fluxile, transpirabileque vndique corpus reddatur. Quare huic saluberrima erit ex aqua dulci, ac temperata lauatio, tum frictio, quæ rarefaciat, & exercitationes mediocres, & victus, qui dulces efficiat succos: quippe, nisi vitiosus succus penitus transpiret; necesse est vt putris fiat: qua de re ibi diffusius legere poteris: nos enim ad vlteriora properamus. Continentis itaque febris curatio ob acrem, mordacemq; materiam intus clausam exurentem,

febremque facientem frigidæ aquæ potum perpetuò desideret; vt sui incendium febrisque ardor mitigetur, ac temperetur: si nihil eorum, quæ obstiterint, adfuerit; vt nono meth. cap. 5. vberrime legitur apud Galenum. Viscida crassaque materia, cutis meatus, & venularum orificia claudens, & obstruens attenuantia, detergentiaque medicamina, tum intus, tum foris adhibita expostulat: dummodo valde calida non sint; ne suo calore humores dissoluendo obstructiones augeant. Vt tutius igitur hæc administrentur, prius aliquid sanguinis detrahere est opus, sicut 8. meth. cap. quarto Galenus admonet his verbis.

" Vbi robur ægro non deest; secanda vena est, etiam si plenitudinis signa non adsint. Præstat
" enim vitiosi succi maiore parte emissa ad detergendas obstructiones accedere, cùm alioqui me-
" tus sit, si obstructionibus liberandis priusquàm vacuaueris, studeas; ne ipsas magis impingas.
" At soluunt quidem obstructiones, quæ detersoriam facultatem obtinent, seu foris cuti finead-
" mota, seu intro in corpus accepta. Hactenus ille. Hæc vtique venæ sectio in hac curatione per accidens iuuamentum præstat, vt scilicet medicatis detergentibus præsidijs iter sit liberum, & facilius suum detergendi, aperiendique munus expleant. His sanè Auic. prima fen. quarti tract. primo cap. 33. subscribit. Et non properes ante vacoationem ad mundificandos meatus, & apertionem: illud enim fortasse sit caussa ad attrahendum humores subito ad quosdam meatus, & inuiscandum in eis: & illud est res, in qua sunt errores plurimi. & postea subdit. Et si non sentis multitudinem humorum, immò sentis oppilationes, & quòd ipsę sint accidentes à grossitudine eorum, & viscositate ipsorum; tunc fortasse non indiges phlobotomia superflua, & euacuatione superflua: immò indiges apertione; & apertio quidem est cum abstergentibus ex medicinis, & cibis. Hucusque Auic. Humorum autem plenitudo per se sola apta nata est prædictos cutis meatus, per viasque venularum vias opplere, obstructionesque facere: sicut bene confirmat Gal. 8. meth. cap. 4. dum inquit. Cernimus enim aliquando, & quod multum est, cùm simul totum confluit, obstruendo hærere, insigique non minus, quàm ea, quæ glutinosa sunt, & crassa; quòd si per meatus angustos est transitus, multo profectò magis retineri. Huiusmodi itaque obstructio à plenitudine caussata, copiosam profectò sanguinis missionem demonstrat. Quòd si cum plenitudine crassities, visciditasque etiam humorum adfuerint, obstructionem planè hæc geminabunt: quare præter sanguinis missionem, simul quoque detergentia, aperientiaque medicamenta desiderat. Si verò hæc ipsa humorum plenitudo, siue per se sola, siue cum crassitie, lentoreque humorum inducta in magnis vasis, magnisque eorundem ramis extiterit, hæc profectò longè maior, periculosiorque est affectio: quamobrem summa cum diligentia, supradicta remedia cuncta postulat; vt supracitato loco Gal. refert his verbis. Haud quaquam igitur differendum est, sanguinem ita laborantium mittere, scilicet tum ad virtutis, tum ad obstructionis modi portionem. Discernetur autem obstructionis magnitudo ex ipsa magnitudine febris; vt quæ ex maiore obstructione maior, ex minore minor inciderit. Vbi verò modicè vacuaueris, haud multo post, aut nutrimentum aliquod, aut pharmacum ex ijs, quæ detergeant, exhibebis. Hæc cuncta vberius 9. meth. cap. proprio de ratione curandi continentes febres per venę sectionem, & frigidæ exhibitionem Galenus docet, dum ait. Qui ita laborant, si rectè curabuntur; ijs sanguinis missio est adhibenda; quando, quibus corpus ex succorum abundantia inhabile ad transpirationem iam redditum, tantum caloris congessit; vt inde iam febriciter, ijs tantum sanguinis est detrahendum, quantum vires tolerant. & paulò inferius subdit. Optimum igitur factu est statim non numero dierum, sed vni virium robori, in febribus eius generis attentum esse; quippe quòd si seruatum est non solum sexto, septimoue, sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus. Quòd si curare aliquando infirmum cogeris, cui non solum antea secandæ venæ remedium prætermissum est: sed nunc quoque vel per Medicorum ignorantiam, vel ipsius laborantis timiditatem, procedente tempore, mittere sanguinem prohiberis, ad frigidam exhibendam accedes: sed diligenter ante discernens, quantum ex ea nocumentum contingere possit: Nam si id aut exiguum erit, aut nullum, offerenda potui est, quæ prorsus sit gelida, quantum bibere ægro libet: quin immò magis id audebis, si frigidæ potioni insueuerit. Sin magnum timetur incommodum, ab hac quidem abstinendum; atque alijs auxilijs, quibus obstructio eximatur, & abundantia vacuetur; & febris feruor deferueat, vtendum. deinceps ibidem subdit. Maxima verò continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, & potio frigida. Verum illa nullo non tempore, modo vires sustineant: hæc cum & in pulsu, & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima. Concludimus tandem cum Galeno 10. meth. cap. 2. quòd si ex sola obstructione citra putredinem orta est febris ipsa, obstructionis solutio est eius sanatio: atque huius ratio existit; quoniam quando exiguum & pusillum est id, quod per caussam factum iam est, sicut in modo dictis febribus

semper

ſemper contingit, ſublata cauſſa, & ipſum quoque affectum aboleri eſt neceſſe. Secus autem res ſe habet in quibus quod per cauſſam eſt factum, non exiguum; ſed magnum, magnique momenti exiſtit. Quo caſu quanquam affectus vlterius fieri deſinat, vt cauſſa procreans auferatur: tamen affectus factus adhuc perſeuerat, & difficulter ſolubilis eſt. De quibus quidem affectibus hæc verba protulit Gal. libro art. med. cap. 89. Vnum commune præceptum obſeruabimus; vt vnamquanque prius, quæ efficit, cauſſam reſcindamus, deinde ad illam, quæ ab eadem cauſſa facta eſt, ægritudinem accedamus. Quæ clarius repetuntur primo de locis affectis cap. 3. his verbis. Quippe nonnunquam à cauſſa quapiam affectus, ſed ita fit; vt ſeparata cauſſa haud quaquam permanentem habeat diſpoſitionem. Interdum autem partim iam factus eſt, partim etiam dum fit, ſæpenumero fieri deſinit abeunte cauſſa, iam verò perſeuerans manet diſpoſitio.

Putridi humores, vbi effectrices cauſſæ abierint; quas præbeant indicationes. Cap. V.

HVMORVM putredo dicit lapſum naturalis caliditatis, & humiditatis humorum extra naturæ terminum ad gradum intenſiorem, ſeu maligniorem caloris, & humoris ad vltimatum lapſum, conſummatamque corruptionem tendentem, per maligniorem intelligimus gradum, quouis malo modo præternaturaliter agentam: Gradum verò appellant iſti qualitatis terminum; per quem qualitas terminatur; per quem ipſa agit, & apta eſt agere; quem poſtea in metas diſtinguunt. Sed de his aliàs. Philoſophus verò vna cum Gal. in definitione putredinis cuiuſcunque putreſcibilis, vtrunque & caloris, & humoris lapſum comprehendit cum progreſſu ad totius ſubſtantiæ corruptionem. Putredinis definitio ab Ariſt. explicata in 4. meteor. cap. 2. hæc eſt. Putrefactio autem eſt corruptio eius, quæ in vnoquoque humido propriè & ſecundum naturam caliditatis ab aliena caliditate; hæc autem eſt, quæ ambientis. Galenus verò 11. meth. cap. 8. idem explicans per alia verba dixit. Putredo eſt mutatio ad corruptelam totius ſubſtantiæ corporis putreſcentis à calore externo: dum enim naturalis caliditas, & humiditas putreſcibilis corporis, de quibus Philoſophus in ſua definitione loquutus eſt, in putredine corrumpuntur, ſimul & eiuſdem quoque ſubſtantia, quæ prædictarum qualitatum eſt ſubiectum, & vnum totum ſubſiſtit, corrumpitur, & ad corruptelam prorſus tendit. Hæc namque humorum putredo, ſubdit Gal. primum ipſos ſuccos propter humiditatem, & putrefacit, & corrumpit: ſpatio verò temporis, tum adipem inuadit, tum etiam carnem. Ex hac profectò Galeni & Philoſophi, putredinis definitione, quæ quidem putredinem reſpicit, prout eſt in fieri, & motu, & non in facto eſſe; aut in termino motus, duo perpetuò habentur; quòd ſcilicet eorum, quæ putreſcunt, corpora quædam ad terminum putredinis, & omnimodam perueniant corruptelam; quædam ad exiguam, modicamque tantum corruptionem aſcendunt: vnde datur regreſſus; vt ad integrum bonitatis ſtatum reſtituantur: hæcque ſemiputrida, & ſemimala; illa omnino putrida, & mala nominantur. Qui igitur omnino putridi, & mali ſunt humores; cum nulla ſpe ad priſtinam bonitatem reuertendi, vt è corpore eijciantur, omnino expoſcunt: ne ſui præſentia, & contactu vicina in corpore afficiantur. Semiputridi verò, & ſemimali ſucci, ſi ad priſtinum ſtatum reſtitui poſſunt, reſtitutionem in integrum petunt. Sin minus, ne vlterius putreſcant, deterioresque euadant, concoctionem, præparationemque amant; vt commodè, ac feliciter è corpore euacuentur. Huiuſce verò putridi, ſemiputridique humoris ſanationem perbellè Galenus 11. meth. cap. 8. rei inanimatæ putredinis ſimilitudine docet inquiens. Tanquàm igitur in his corporibus, quæ non viuunt, ac putreſcunt, primum quantum eorum iam computruit, ſeparant: deinde ei, quod reliquum eſt, in frigidum aerem ſublato perſpirationem refrigerantem moliuntur: ita vtique & putredinem, quæ in viuis eſt orta, ſanabimus: id ſcilicet, quod iam corruptum eſt, omni ratione vacuantes; quod reliquum eſt, moderatis motibus, & refrigerante perſpiratu, ad exactam ſymmetriam reducentes: Ac vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum, & ſudores moliemur, poſt hanc dimotiones mediocres vnà cum ambientis bona temperie adhibebimus. Iſtud idem, & dilucidius infra cap. nono repetit. Siquidem quod putreſcit, ſi vaſis eſſet, aliud quàm inanime corpus; vtique ex his duntaxat, quæ prædicta ſunt, indicationem caperemus. Nunc cùm in viuente corpore putredo concipitur; quod tum alterare poteſt, tum concoquere, tum vtile reddere, quidquid putreſcentium, veluti ſemiputreſcens, ſemimalumque eſt: Vtique facultatem eius, qua naturaliter concoquit excitans, firmansq; putreſcentia, quæ ſunt, ſanabis. Itaque etiam tum maximè eos cum fiducia

vel in balneo lauamus, vel ijs, quæ habitum rarefaciant, medicamentis vtimur; vel aquam frigidam, vel vinum bibendum damus cùm notas concoctionis cerpimus. Et quoniam putredo, & quicquid putrescentium humorũ iam cõputruit, quæ vacuari ostendunt, calidæ existunt, corporisq; vicina excalfaciunt, medicamen, quod citra multam calefactionem euacuat, desiderant. Et quoniam semiputridi humores per calidum & humidum lapsi ad omnimodam tendunt corruptionem, ideo frigida, & sicca medicamina, quæ putredinem inhibeant, ad pristinumque restituant statum; & quæ tenuium sint partium, & intimius penetrent, exoptant. At quæ graui putredine oppressæ ad id restitui non possunt; & propterea vacuationem quærunt, vt concoquantur, & ad expulsionem præparentur; calida ediscoquentia medicamenta amant; quæ concoctricem virtutem excitent, ac firment ad præparandam, concoctionisque opus explendum.

Effectrices putredinis humorum caussæ, quas edant indicationes. Cap. VI.



PVTRIDOS vocamus humores, qui naturalis caloris, & humoris, omnino expertes nunquàm ad pristinam sunt redituri naturam. Semiputridos verò dicimus, qui à naturali statu per calidum & humidum lapsi, ad omnimodam præternaturalitatem caloris, & humoris labuntur. Vtrorunque horum putridorum, semiputridorumque corporum effectrices caussæ plorimæ à Medicis recensentur. Quarum prima, ac proximior, vt 11. meth. cap. 8. refert Gal. Est calor extraneus, à Philosopho ambientis calor nuncupatus, qui & præternaturalis quoque dicitur. Hic quippe naturali calori opponitur, siue oppositione, qua sanitati aduersetur; siue qua vitæ opponatur. Naturalis nempe, præternaturalisque calor vt termini extremi diuersarum substantiarum simul esse nequeunt, & mutuò se destruunt; quatenus inuicem agunt, & patiuntur; vt instrumento scilicet prædictarum substantiarum. Hic vtique extraneus calor, siue in aere ambiente vt ait Philosophus; siue in putrida corrupiaúe insit materia, siue in vaporosa, fumosa, fuliginosa, acri, & mordaci; aut in quauis alia excrementosa, peræque perniciosus resideat, calorem naturalem; cui aduersatur, alterat, putrefacit, & corrumpit. Gal. autem 11. meth. cap. 4. & 10. quemadmodum & nono meth. cap. 3. & primo de differentijs febri. cap. 3. & tandem vbique locorum, vbi cum Medicis de caussis putredinis verba facit; quæ quidem caussæ sui ablationem ostendere habent; proximam putredinis caussam constituit prohibitam transpirationem: quæ eadem res est, idemque dicit, quod calor extraneus, & præternaturalis in eo, quod vtraque caussa similem perniciem naturali calori machinatur. Sed quoniam prohibita transpiratio seriem caussarum, curationem ostendentium denotare videtur: ipsa namque obstructionem attestatur, obstructio humorum effluxum; quæ omnia sui remotionem dictant: proinde magis placuit in hisce locis sub nomine prohibitæ transpirationis, quàm caloris extranei, putredinis caussam explicare. Præterea id facit Galenus, vt hanc rem, & illam caussam doceret; & nos doctiores faceret. Quòd verò eo modo quo explicata est, idem sit calor extraneus ambientis, & prohibita transpiratio; quæ putredinis proxima caussa à Medicis, & Philosophis asseritur, ex eiusdem met Galeni doctri. in libro de vsu respirationis colligi potest: vbi habetur quomodo innatus animantis cuiusque calor moderatè frigidi aeris inspiratione, perspiratione que perpetuò indiget; vt temperetur, naturaliterque se seruet: moderatè enim frigido ambiente aere omnis flamma, omnisque innatus calor opus habet, vt eorundem motus moderentur, in vtraque seruentur. Perspiratio itaque animantis dicit illius per moderatè frigidum aerem inspiratum refrigerationem, qua naturalis calor temperatur, naturaliterque conseruatur. Prohibita autem transpiratio dicit calidioris aeris expirationem emittendi retentionem; quæ naturalem calorem putrefacit, & corrumpit. Absentia enim frigidioris aeris calidioris præsentiam attestatur: siquidem contraria suum esse habent circa idem subiectum, non simul, sed successiuè. Vt igitur affirmatio affirmationis, sic negatio negationis est caussa; sicut namque temperata ambientis frigiditas connatum temperat calidum, & conseruat; ita intemperata aeris caliditas eundem innatum calorem distemperat, & corrumpit. Idem igitur apud Gal. est dicere prohibitam transpirationem proximam putredinis caussa esse, quod dicere calorem extraneum, præternaturalemúe ambientis scilicet aeris putredinis propinquam caussam extare. Dicit insuper prohibita transpiratio fumosæ, fuliginosæque vaporationis massæ sanguineæ transpirandæ retentionem; quæ intus retenta corruptricem ambientis caliditatem adauget, & fouet. Complectitur itaque impedita transpiratio extraneum calorem, tum aeris ambientis, tum vaporosæ

exhalationis

exhalationis massæ sanguineæ, & efficacem corrumpentem præternaturalem calorem constituit. Præternaturalem calorem, prohibitamque transpirationem, proximam putredinis caussam venarum obstructio, & oppilatio subsequitur. Hæc quippe per vias vasorum vias opplens, & obstruens perspirandi actionem inhibet vias claudens; per quas transpiratio ipsa perficitur; & vt prohibitæ transpirationis est caussa, ita & putredinis quoque est opifex. Post verò obstructionem vasorum, & præcipuè eorundem magnorum ramorum, vbi prohibita transpiratio non exilis, sed magna existit, & magnus extraneus inde oritur calor; qui vt plurimum, ac ferè semper putredinem efficit. Tertiam Medici internam corpoream putredinis caussam numerant, humorum scilicet confluxum, qui sub triplici differentia ad obstructionem caussandam confluunt, sub ratione scilicet multitudinis, crassitudinis, atque viscideitatis. Humorum nanque abundantia, aut crassitudo, aut lentor, aut omnia simul, aut vnaquæque earum seiunctim, apta nata est venarum vias obstruere oppilationemque facere: at longè fortius obstruunt, vbi hæc simul fuerint coniuncta; quæ frequenter etiam coniunguntur. Hæ nempe à Medicis corporeæ internæ, humorales putredinis caussæ nuncupantur; nam vbi perspirandi vias clauserint, caloris extranei, & præternaturalis illico fiunt opifices, qui mox putredinem, indeque etiam putridam febrem accendit. At quærunt in effectione putredinis, quid naturale humidum extra naturæ terminum per se trahat, putrescereque illud faciat; præsertim cùm extraneus calor illi non aduersetur? vt in synocho non putrida licet conspicere, vbi calor febrilis magnus existit, nihilominus natiuum febrientium humidum naturę suę terminum seruat, naturaliterque persistit. Ad hæc dicimus, quòd febrilis, extraneusque calor, vbi perseuerat, tractu temporis coæqualem extraneam sibi siccitatem coniungit: caliditas nanque magis quàm oportet, dixit Auic. associat sibi siccitatem magis, quàm oportet. Hæc igitur extranea siccitas, sicut dum naturalis erat, humidi terminum naturaliter seruabat, sic & præternaturalis effecta extra naturæ terminum illud trahit, primumque diffundit, & putrefacit, mox illud absumit. Superest, vt quid hæ singulæ putredinis, putridorumque humorum numeratæ caussæ ad remotionem indicent, explicemus. Et si enim idem denotent calor extraneus, & prohibita transpiratio; tamen quia hic Medici munere fungimur, in explicatione proximæ putredinis caussæ prohibitam transpirationem vsurpabimus: hanc ipsamque primam, propinquamque putredinis caussam constituimus; quæ primitus sui sanationem demonstrat. Alteram venarum obstructionem oppilationemque facimus eorundem obstructionem, deoppilationemque ostendentem. Tertiam, ac vltimam humorum concursum, atque præsentiam dicimus, qui aut abundantia, aut crassitudine, aut lentitia obstructionem caussant: atque vnaquæque earum prædictarum, vt mox dicemus, suum curandi modum demonstrat. Has vtique putredinis caussas omnes simul cum febre, & putredine ipsa 11. meth. cap. 10. Gal. recenset ibidemque pariter docet, vt singulæ suas curatiuas indicationes explicent, & à febre exordium capiens dixit. Ergo qui febrem curare volet, necesse est putredinem inhibeat; ita duæ indicationes se exhibent, altera à febre, altera à putredine. Atque à febre rursus duæ scilicet, vt portio febris, quæ iam facta est, pereuretur; quæ verò in generatione est, inhibeatur. Aliæque duæ rursum à putredine erunt indicationes, vt & quod putredinis iam factum est, sanes; eam scilicet infrigidando, per putredinem, putredinalem caliditatem intelligens, & quod in generatione est, sistas; quod quidem sistes impedimentum perspirationis auferens. Impedimenta autem transpirationis sunt, & inspiratus supercalefactus aer intra viscera inclusus, & fumosus massæ sanguineæ habitus retentus, atque etiam ipsa venarum obstructio, ac oppilatio. Hæc quidem omnia auferenda sunt, vt futura inhibeatur putredo. Mox Gal. ab ijs, quæ prohibita transpiratione retinentur, duas alias elicit indicationes, vnam, vt quod retentum est, siue aer, siue vapor ille existat, vacuetur; alteram, vt quid retinendum est, aut aeris scilicet aliquid, aut vaporis, prohibeatur. Saoè subiungit; prohibebitur ijs præsidijs, quæ obstructioni medentur. Remota nanque obstructione, necubi nec aer, nec vapor vllus detentus, detinendusque erit. Et quoniam obstructio ex eo entium genere est, quod in continuo est fieri; nam cauitatum venarum pars aliqua oppleta, obstructaque est, pars in repleri, obstruique consistit: ideo huius quoque duæ aliæ assignantur indicationes; vna, vt quod iam factum est, sanes, par ea scilicet, quæ obstructa liberant; altera quod futurum est, inhibeas; inhibebitur verò, si affluxum obstruentium succorum compescas. Quare subsequitur Galenus. Ergo quod vltimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum. Compescere itaque affluxum, & concursum obstruentium humorum est id, quod per resolutiuam methodum vltimum est inuentum, atque primum in curatione exequendum existit. Sed quoniam, vti diximus, humorum præsentia tribus modis obstructionem efficit, vel abundantia, vel crassitudine, vel lentore; ideo, si hæc auferantur, inhibebitur quod futurum est,

rum est, ipsius obstructionis; simul atque prohibebitur humorum affluxus, & hoc est vltimum, quod per resolutionem est inuentum; hocque primum omnium in curatione est peragendum, vt videlicet abundantia, aut lentor, aut humorum crassities, quæ obstructionis caussa est, suo contrario auferatur. Indicabit itaque abundantia, seu multitudo euacuationem, tanquam contrarium: lentor verò, & crassitudo, quæ sunt in qualitatis affectu, sua contraria monstrant (etsi impropriè talia dicantur,) lentor scilicet detersionem, seu incisionem: crassitudo extenuationem. Itaque detergendi, ac incidendi sunt lenti succi, & crassi extenuandi, vbi hac via, & ratione offendant. Obstructio instrumentalis morbus existens, apertionem, reclusionemque exigit. Transpirabilium retentio, & si symptoma sit, excretionem ipsorum contrarium habet. Humorum putredini excretio, ventilatio, refrigeratioque ex aduerso respondet. Ipsius verò febris refrigeratio oppositum est. Hoc enim ordine ipsa contraria, & remedia sunt disponenda, & quamuis ab ipsa febre cœperit inueniendorum remediorum methodus, in auxiliorum tamen ordine, & actu curatiuo vltima est, quæ ab hac sumitur, indicatio. Vnum obseruauimus in humorum obstructionem facientium remotione; quòd simul cum his omnia etiam, quæ obstructionem ipsam fouent, & augent, è corpore sunt amouenda; qualia erunt, quæ à Iunioribus communis materia nuncupatur, vt sunt ea, quæ in vijs ductuum consistunt excrementa, fœces, vrina, humor serosus, atque omnis è massa sanguinea humor pronus conuerti ad putridi humoris lapsum: hæc inquam omnia vnà cum putrido humore sunt è corpore educenda, aliquando antea, & ferè semper; multoties simul; aliquando postea: licet id rarius contingat. Auicenna autem febrilem calorem, obstructarumque venarum reclusionem contemplans, & putridum factum humorem vnà cum communi materia vacuandum fore conspiciens, semiputridum verò humorem alterandum indicans; vt aut ad benignum redigatur, aut ad facilem præparetur expulsionem, supradictas putridarum febrium indicationes sub duobus tantum generibus comprehendit prima fen. quarti tract. 2. cap. 7. dum ait. Scias quòd intentio in medicando has febres quandoque vertitur ad partem febris: quare est necessarium, vt infrigident, & humectent; quandoque ad partem materiei, vbi necesse est vt digeratur; aut necesse est, vt euacuetur.

Putredo, quæ in magnis vasis, & in ambitu totius corporis consistit, quas indicationes præbeat apud Galenum. Cap. VII.

GALENVS 11. meth. cap. 4. pulcherrime docet, quemadmodum putredo, quæ per totum animantis corpus est diffusa, sui sanationem declaret, vbi ait: Quoniam putredo vel æqualiter in omnibus subsistit vasis, vel in maximis, maximèque principalibus: ea porrò sunt inter alas, & inguina, vel vna quapiam particula; quæ vel phlegmonem in se habet; vel etiam citra phlegmonem, velutì in foco quondam principium febris in sa continet, in singulis his differentijs seorsum exercitari conueniet. Ac primum eam tractandam proponemus; quæ vel in maximis vasis, vel simul in omnibus consistit. Quæ igitur ex tali affectu oritur febris, planè necessum est synochon, idest continentem esse, nec fieri potest, vt ea sanetur nisi inhibita prius putredo sit: porrò ea inhiberi, caussa manente, non potest. Quare submouenda ipsius caussa est, si modo putredo ipsa prior, mox post ipsam febris sanari debebit. Vbi igitur humorum redundantia in magnis vasis putredinis caussa extiterit, principium curationis erit redundantiam tollere; hanc profectò venæ sectio tollit: ideoque bene Gal. cap. 14. 11. meth. inquit. Quippe si vires eius, qui ex putredine humorum (vt positum est) febricitat, valentes sint; mittendus statim sanguis est; si cruditas ventris non sit statim morbo incipiente. Sin vires infirmæ sint, aut ætas dissuadeat, incidenda vena non est: deinceps subdit. Verum quoniam, nec obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem potest, vt quæ alia remedia desidarent; reponi sanguinis aliquid ad curationis spatium debebit: quo minus intempestiuè nutrire necessitate vlla cogamur. Mittemus itaque sanguinem; tum ad virtutis, tum ad obstructionis modi portionem; discernitur autem obstructionis magnitudo ex febris magnitudine; vt quæ ex maiore maior, ex minore minor febris incidit; qualiscunque tamen obstructio febrisque fuerit; vbi putredinis signa aderint, moderatè semper venæ sectione vtendum erit, & si quid defecerit, iteratione potius supplendum. In nono autem cap. eiusdem libri addit, quòd à corporibus sic affectis expellenda sunt, quæ putruerunt per vrinas, & aluum, & sudorem; quòd si ad os ventriculi aliquando sua sponte impetum capiant, etiam per vomitiones, aliter non est, quòd ea præter naturam irrites. Sed hæc, & similia, ibidem apud eum copiosius leges: vbi vnum quidpiam non leuis ponderis animaduertet

in his

in his ægrotantibus, vt scilicet consideremus, quæ sint ipsius febris remedia, & quæ ipsius putredinis, vbi per se sola subsistit; quæ rursus efficientis hanc caussæ, atque huius quoque, cum per se ipsam subsistit: quippe non semper inter se consequuntur hæc omnia, sed plerunque aduersantur; quo casu memores eorum, quæ didicimus, id quod maximum est, aggredi oportebit: atque ei vel soli, vel magis quàm cæteris subuenire. Sanè scire licet difficile esse, acrique iudicio indigens, febrem, putredinem, & effectricem caussam, vbi scilicet ipsa quoque adest, inter se conferre. Difficilius tamen est, si vires quoq; cum illis vnà conferre velis; quod vtique propter vitæ ipsius respectum semper est necessarium: aliquam verò ex accidenti, sicut ad morborum sanationem. Si autem putredo per ambitum totius corporis consistat; & æqualiter in omnibus eius vasis fit, sui remotionem declarat. At verò, qui fieri potest (addit Gal. citato libro cap. 4.) vt transpirationes per totum animal sistantur, & consequenter putredo per totum consistat, nisi vel finibus vasorum stipatis, vel tota cute? Porrò accidere in finibus vasorum stipatio potest, vel ex vehementi extrinsecus refrigeratione, vel ex succorum, qui extrorsum in ipsa confertim ruerint, crassitude, vel lentitia: accidit hoc illis, & ex ijs exercitationibus, quæ in palestra, vel aliàs obeuntur, & itinere laborioso, vel ambientis statu, cùm ex rigore in æstum subito est mutatus; nonnullis verò feruentes ex ira succi, ac foras simul impetu ruentes dictas stipationes effecerunt. Quisquis igitur propositam sanaturus est febrem; hic simul caussam eius adimat oportet, simul calorem, qui in animali excitatus ab ea est, refrigeret. Caussam verò adimi oportebit propria, cuiusque naturæ inuenta contrarietate: Vtique si ex frigida caussa stipatum densumque redditum corpus, relaxato eo, omnique ratione rarefacto: Sin ex obstructione ita est affectum, hac reclusa; quod verò recludet, hic quoque ad contrarietatis indicationem attentus inuenies: Vbi nanque abundantia humorum est, hos vacuabis: Vbi crassi sunt, & glutinosi, tenuabis eos, ac fluxiles efficies. Si plures caussæ aliquando coibunt, omnibus per contraria occurres. Siquidem fieri potest; vt & coarctatum corpus sit, & exigui meatus densari, & multi simul, ac lenti humores subsint. In eiusmodi autem caussarum complexu, si rectè quæ prius comprehensa sunt, meminimus, cœpisse à sanguinis missione cõueniet: nam cùm in totum corpus diffusa est putredo; toti etiam per venam sectam est succurrendum: ut abundantia vacuata, tum ad extenuandos humores venire: hinc ad remittenda, quæ sunt constricta; & rarefacienda, quæ sunt densata. Atque hæc quidem à morbi affectu indicatiuè sunt sumenda. Hæc ferè eadem inferius cap. 8. eiusdem libri repetit, vbi dicit. Itaque quando transpirationis prohibitio putredinis occasio fuit, hanc arbitror, submouere oportet. At ea, cùm varijs generibus est orta, & densatis exiguis meatibus, & constrictis corporibus, & humoribus, tum abundantia, tum crassitudine, tum lentitia sua obstruentibus, singulæ harum affectionum curandæ per contraria sunt. Densitas per ea, quæ rarefaciunt; Constipatio per ea, quæ fundunt; Abundantia per ea, quæ vacuant; Crassitudo per ea, quæ dissecant; & lentor ijs, quæ detergent. Ac si quidem totum corpus dictorum iam singula occuparunt; etiam toti corpori per contraria est succurrendum: sin venam partem quampiam putredo inuaserit, illi adhibenda iam dicta sunt remedia. Sanè non easdem omnes partes vacuationes, medicamentaúe requirent; cùm & temperamentis, & posituris, & forma, & omni denique constitutione, naturaque inter se, dissideant. Hactenus ille.

Vbi igitur vnam partem quampiam putredo inuaserit, eandem, quam totum, de putredine abijcienda præstat indicationem: hoc tamen ab illa diuersum dicit; quòd peculiaria, propriaque sibi tantum remedia adhibenda esse suadet; quoniam non easdem partes, omnes vacuationes, medicamentaúe eadem requirunt; sed pro earundem diuersitate diuersa postulant. Consistit autem earum diuersitas in temperamento diuerso, diuersaque actione, necnon figura, & situ, vt 7. meth. medendi cap. vlt. scriptum est. Haud quaquam igitur parti affectæ propria adbibebimus remedia ante sanguinis missionem, totiusque corporis purgationem. Quapropter in his quoque particularium partium affectibus venam secabimus: primò potissimum, vbi caussæ putredinis adsunt; & quæ parti adhibentur medicamenta, calida sunt. Etenim saluberrimum est (eodem Galeno teste 11. meth. cap. 15.) in febribus venam incidere non continentibus modo, verum etiam alijs omnibus, quas putrescens humor concitat; vbi præsertim, nec ætas, nec vires prohibent; leuata nanque &c. At si putredo cum phlegmone coniuncta fuerit; sic quòd putridam causset febrem; necessariò cum ijs, quas diximus indicationibus, eas etiam, quæ à phlegmone ipsa capiuntur, pro eius curatione considerare oportebit; quæ quidem omnes supra tract. quarto cap. 18. à nobis (nisi decipimur) dilucidè explicatæ sunt.

Pestilens febris, quas præbeat indicationes. Cap. VIII.



PESTIS est ambientis putridi, coinquinatique aeris contagiosa caliditas, vitali calori aduersa, eum alterans, & corrumpens, tacitu quodam consensu, atque contactu plurimis communicabilis. In corpore autem peste correpto est putrida, praua qualitas ad patientis corporis actiones lædendas efficax, atque potens, assidentibus, occurrentibusque viris eandem impartiens perniciem, indeque contagiosa dicitur, quoniam efficax, potensque est, vt ab vno in alterum, (vti diximus) atq; ab vno in plures etiam communicetur infectio. Est nempe pestis, & morbus, & morbi caussa simul: morbus quidem est in corpore peste correpto, cuius functiones læduntur. Caussa verò dicitur ratione eius, cui suam communicat infectionem, siue interuentu exhalationis, vaporationisue, siue quauis alia morbosa excretione id agat. Nec verò ineptè quidam dixerunt: Pestilentia est morbus multiplex, subito, vno, & eodem tempore multis ingruens hominibus. Quare verè fomes pestiferi morbi à Medicis dicitur, & ipsa putridi aeris contagiosa est qualitas in addito loco, subiectoque congruo detenta; quæ ob obiecti proprij priuationem in quod agere possit sopita, otiosaque iacet. Quamprimum verò obiectum in quod agat, sibi offertur, illico in illud suum virus iaculatur; suasque vires exercet. Quæ verò à longinquis locis, distantibusque regionibus pestis pronenit, praua quoque coinquinati aeris qualitas est impetu ventorum per aeris ambitum ad hanc, vel illam regionis partem malo incolentium omine delata, peruitie illos inficiens, & perdens. Hæc quippe pestis cùm sui contagij gratia communicabilis est, vti modo retulimus, tum ambientis aeris ratione, cui vt in subiecto inest, qui cùm omnia repleat, omniaque circum ambiat, vtcunque est infectus, ita quicquid tangit, inficit: à cuius quoque morboso contactu, illa, & eadem contagio deducitur, & nuncupatur. Quòd aer inquinetur, & putrescat, Auic. apertè sic testatur prima fen. quarti tract. 4. cap. 1. Quandoque accidit aeri, sicut aquæ de conuersione in qualitate sua ad calorem, & frigus, & de conuersione in natura sua ad alterationem, vel transmutationem, & putredinem, sicut alteratur, vel transmutatur aqua, & fœtet, & putrefit: similiter & aer alteratur, permutatur, fœtet, & putrefit. Aristoteles autem in 4. meteor. cap. 2. non solum aerem, sed omnia, etiam elementa, vno excepto igne, putrescere affirmauit. Hac itaque contagiosa putredine aer infectus intus, & foris animantium corpora inficit: Intus, dum per os, & nares intra corporis viscera inspiratur; foris, dum extra circumfusus per cutis poros intro suscipitur, & ad eadem deportatur viscera; sicut bene 3. de Naturalibus facul. cap. 14. notauit Gal. his verbis. Nihil miri tibi videbitur arterias omnes, quæ ad cutim pertinent, externum aerem, cùm dilatantur, ad se trahere. Et quamuis eodem tempore idem aer pestilens extrinsecus corpori circumfusus per transpirationem ab arterijs trahatur; quia tamen non ita per apertas, rectasque vias ad cor peruenit, sicut in inspiratione euenit; ideo secundo loco, ac segnius ad febris affectionem progreditur: proinde bene primo de differ. febri. cap. 2. & 4. animaduertit Gal. quòd qui per inspirationem attrahitur aer pestilens, potissimum pestilentis febris caussa existit, vtpote qui promptius sua qualitate, & substantia ad cor perueniat. At vbi eò quacunque via peruenerit, pro diuersa cordis materia infecta, aut spirituosa, aut solida, aut humorali, in qua pestilentem calorem accendi contigerit; diuersa quoque febris species accendetur, aut hectica, aut ephemera, aut humoralis. Duas itaque in præsenti pestilentis febris caussas constituimus; materialem vnam, circa quam, & in quam agitur, & infectio omnis insidet: Efficientem alteram, quæ virus suum in illam iaculatur, eamque ipsam perdere nititur. Materialis itaque, circa quam pestis grassatur, est corporis procliuitas ad facilem infectionem. Magnam nempe primo de differentijs febrium. cap. 4. scripsit Gal. in generatione ægritudinum partem habet eius, qui passurus est, habilitas corporis; quando nulla caussa sine patientis aptitudine agere potest. Ad huiusce profectò materialis caussæ genus spectant calida, & humida corpora obstructionibus plena, atque excrementis plurimis referta. Efficientem verò pestilentis febris proximam caussam Medici faciunt, putridum inquinatumúe aerem, seu putridi inquinatiúe aeris prauam qualitatem: hanc quidem primo de differentijs febri. cap. 4. Gal. dicit esse superfluam caliditatem, & humiditatem, dum ait. Cùm aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodicè fuerit conuersa, pestilentes quidem oriri morbos est necessarium. Horum autem summa ex Hipp. (addit Gal.) est ipsa aeris putrefactio, de qua in libro de Theriaca ad Pisonem cap. 16. sic scriptum reliquit. Pestis existit & ipsa tanquàm belua venenosa, haud paucos interimens, interim verò ciuitates quoque totas depascens male conficit: quippe praua quædam aeris ad corruptionem mutatio efficitur, & homines, qui in respirationis necessitate periculum euitare nequeunt; ipsum aerem veluti venenum quoddam ad se ipsos per os attrahunt. De pestilenti autem aere 2. lib. de

Natura Hum. text.3. sic Hipp. loquutus fuit. Quando ab vno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, caussam ad id, quod communissimum, & quo maximè omnes vtimur, referre oportet: est autem hoc spiritus, & aer; quem inspirando trahimus. Quærunt aliqui in hoc communi populariq; morbo, cur non omnes similiter eadem pernicie laborent? nam non nulli subito concidunt, aliqui in dies protrahuntur, & multi nullatenus patiuntur. Respōdent primò, quòd differt corpus à corpore, & natura à natura, & nutrimentum à nutrimento: neque enim omnibus hominibus eadē conferunt, & cōmoda sunt; sed sunt alia alijs magis conuenientia, atq; ab his non discrepat Gal. 1. de differentijs febr. c. 4. Cùm enim corporum dispositiones dissimiles sint, ac multiformes; quædā facilè alterantur, ac patiuntur à caussa ipsa operante; quędam insuperabiles, ac impassibiles omnino existunt; quædam cum difficultate patiuntur. Præterea inquiunt, quòd cùm quatuor sint caussæ actionis cuiuis necessariæ, agentis legitimæ vires, patientis dispositio, propinquitas vtriusque, mora debita: ob harum rerum varietatem alia alijs magis minusúe afficiuntur corpora. Putridi autem, inquinatiq; aeris caussam terrenam efficientemq; materialem tantum Gal. recenset primo de diff. febr. c. 4. vbi asserit. Quòd principiū putredinis aeris est prauus halitus, putrescibilisq; euaporatio aeri permista, eum putrefaciens, & corrumpens; quæ quidem putrida euaporatio, prauusq; halitus exhalat, ac spirat à locis palustribus, vel tabo aliqua infectis; vtpote cadauerum nidore, cœno, luto, terræ specubus, alijsq; similibus, vnde lethales spirāt auræ, ambientem nos aerem inquinantes multoties impetus ventorum in caussa existit: quorū impulsa pestilens aura à longinquis locis ad salubres defertur regiones: sicut Thucydidis tempore contigit, vbi ab Aethiopia in græciam pestis cōtagio deportata fuit. Auic. autem fen. 1. 4. lib. trac. 4. c. 1. duas aeris pestilentis caussas docuit; quarum primā cœlo, alteram terræ ascripsit, dum inquit. Principium omnium horum sunt formæ ex formis cœli facientes esse necessarium illud, cuius aduentus ignoratur. & paulò post. Oportet vt scias, quòd caussa prima longinqua ad illud, sunt figuræ cœlestes, & propinquæ dispositiones terrestres. Per figuras nempe cœlestes, vt ex Astronomis quidam interpretantur, sunt constillationes, siue coniunctiones quædam, sicut sunt coniunctiones infortuniorum, Saturni scilicet, & Martis, & præcipuè Saturni in domo humana, & propriè in Geminis, & Virgine, & maximè quando non sunt impeditæ à fortunis, Ioue, & Venere, & præcipuè Ioue. Alij dixerunt coniunctionem Iouis, & Martis in signo calido, & humido conducere ad pestilentiam; quoniam Iuppiter calidus, & humidus subleuat multos vapores, & malos à terra, & aqua; quos Mars calidus, & siccus inflammat; quibus postea aer inquinatur. Alij dixerunt pestem caussari ex eclipsibus lunaribus coniunctione planetarum, maximè Saturni, & Martis cum stellis fixis, aut adunatione ipsorum in aliquo signorum humanorum; & propriè cùm præualent in domo vitæ in aliqua coniunctione maiori, vnde tempora in essentijs, & naturis suis permutantur. Per dispositiones terrestres Auic. intelligit exhalationes, euaporationesq; ex terra, & aqua exspirantes ad minima diuisas, aerique vndiq; permistas, superfluè illum humectantes, & putrefacientes, & dicuntur terrestres, vt distinguantur contra cœlestes, & sunt potissimæ ad putrefaciendum, & corrumpendum. Qui igitur pestiferi, contagiosiq; à Medicis affectus dicuntur: ij præcipui sunt, qui à nobis sunt explicati: atque eorundem caussæ proximæ, & remotæ, quarum singulæ suas curatiuas indicationes edunt. A cœlestibus itaque configurationibus, syderumq; influxibus, vnde in aere pestifera, qualitas primò nascitur, initium capiendo dicimus; quòd syderum concursus ad hominum perniciem inimicusq; aspectus, vt pestifer mitigetur Influxus, citoq; pertranseat, mortalium preces amat, & exposcit. Quamobrem Deum Opt. pientissimūque præcabimur, vt pestis sęuitiam, ac violentiam in primis auertat; in qua neq; fuga, neq; peregrinatione etiam longa quisq; tutus esse potest; sed supplicationibus, votis, ac expiationibus duntaxat locus est; quibus ritè pestilentiam profligamus; vel submouemus, vel aliquando differimus.

Fœdi halitus, tetri vapores, exhalationesque horridæ cunctæ, quæ à terra, aqua, inhumatisq; cadaueribus, aut à quauis alia re fœtida emanauerint, summo studio, summaque cura quouis meliori modo, & via abijci, remouerique possine, vt abijciantur, remoueanturque suadent, adhortantur. Pestilens effectus aer duo contraria, eaque salutaria præsidia perpetuò demonstrat, ardorem scilicet summum, summumque algorem: hunc vt putridum extinguat calorem, illum vt immodicam humiditatem putredinis matrem absumat. Quamobrem bene inquiunt, pestilentiam apud nos multoties hyemis tempore sæuis frigoribus finiri: apud Aegiptios autem & cęteros Orientis populos ob ingentes feruores resolui. Cùm itaque caput, ac summa pestilentis aeris, vt refert Gal. sit putrefactio, caliditas inquam, ac putrescibilis humiditas; quæ caliditas cùm remissa sit, & per sui contrarij admistionem, talis existat; qua ratione medium extremo contrariatur; ea quoq; ratione putredinalis aeris caliditas extremo calori, extremoque frigori contrariabitur: & quoniā putredo vltra malum calorem, ac humorem, malum etiam, &

ingratum odorem dicit; propterea & calida, & frigida in extremo cum quodam non ingrato odore eidem omnino aduersabuntur. Non immeritò itaque Hipp. pestilentem in Græcia aerem sanauit crebris ignibus ex odoratis lignis accensis, eisdemque odoriferis rebus super iniectis per vicos, ac circa Vrbem dispositis: id quod Acronem, Agrigentinum etiam factitasse Paulus refert, libro 2. cap. 35. Cùm enim ignis putrefactionis omnis expers sit, auctore Phil. in 4. meteor. cap. 2. aeris virus, si quod est, discutit, ac fugat. Pestilens itaque aer summè frigida, atque etiam summè calida, & illa cum quadam beneuolentia vtilia, ac salutaria amat præsidia; quòd si nebulosus, crassusque extiterit, boream spirantem desiderat; vt serenum, tranquillumque illum reddat. His profectò fauent, quæ à Philoso. 4. meteor. cap. 2. scribuntur. Et in frigoribus autem minus putrescunt, quàm in æstate. In hyeme enim paucum est in ambiente aere, & aqua calidum. Quare nihil potest: in æstate autem amplius; & neque quod congelatum; magis enim frigidum, quàm aer calidus; non igitur vincitur, mouens autem dominatur: neque feruens, aut calidum: minor enim quæ in aere caliditas ea, quæ in re: quare non dominatur, nec facit transmutationem vllam. Pestis, pestiferæq; febris materialis caussa, quam corporis habilitatem ad pestem suscipiendam fecimus, suas curatiuas præbet indicationes: huius profectò generis sunt corpora calidæ, & humidæ temperaturæ, obstructionum plena, excrementis plurimis referta. Hæc inquam corpora, tum plethorica, tum cachochima, & sanguinis missionem, & medicamentum purgans, vt inaniantur, exsiccenturq; desiderant: & in sicco salubri se conseruent habitu. Excrementis referta corpora, obstructionumque plena, vt ab excrementorum infartu, obstructionibusq; cunctis liberentur, satagunt, & amant, vt à contagij labe illæsa se seruent, & pestilentis veneni noxam fugiant, atq; caueant. Idq; longè tutius assequentur, si vbi corpus patefactum expurgatumúe fuerit, vsu alicuius antidoti, aut theriacæ, aut mithridatij, aut alterius rei similis, illud muniatur, & cuicunq; diro cõtagio occurrere, & resistere potens reddatur. Sed in hoc primas partes Andromaci theriaca, methridatiaq; antidotus tenent. Inter antidotos à Veteribus etiam commendatas Paulus lib. 2. cap. 36. ex Rufi auctoritate confectionem hanc in primis laudat; quæ ex aloes partibus duabus, guttarum ammoniaci totidem, & myrrhæ parte vna conficitur: hæc ex vino odorato contrita instar dimidiæ fabæ exhibentur nimirum quotidie. Haud noui, inquit Rufus, qui hoc potu pestem non superauerit. Auic. 1. 4. trac. 4. c. 5. huic antidoto ammoniaci loco crocum subijcit: vultq; eius antiduti dracmam quotidie sumi. Confactionem hanc seplasiarij pillulas cõmunes vocare soliti sunt, subdit ibidem Paulus. Gal. autem tradit ad pestilentiales putredines bolum armeniacum salubriter potari. Simili felicitate etiã Theriacen ex viperis magnopere prodesse. Etenim in pestilentia, quæ Romã internecino morbi genere depopulata est, omnes, quos nullum ex his medicamentis adiuuit, interijsse scriptum reliquit. Hactenus Paulus. Illud verò animaduertimus in pestilenti cõstitutione ex Hipp. sententia 2. de Natura Hum. text. 4. multum frequentemq; aeris in corpus ingressum, siue per transpirationem intro ingrediatur, quantum fieri potest euitandum esse, locum præterea mutandũ; quod si id fieri nequeat, pestilens aer ab inquinamento expurgetur: bonusq; seu minus malus, saltem reddatur: pariter corpora ipsa extenuentur; vt occasio, multum frequenterq; inspirandi, & transpirandi auferatur: & quod tandem in corpus ingreditur, fit ab inquinamento alienum, ac familiare: ait nempe ibidem ille. Verum cura erit adhibenda, vt quàmparcissimè spiritus in corpus influat: sitq; maximè familiaris: locum præterea in vim alienam ab eo, in quo morbus ille excitatus est, mutabis, & corpora extenuabis; sic enim fiet, vt homines, neque multo, neque frequenti spiritu egeant. Peste, pestiferaque febre correptum corpus, si pestilens febris putrida, humoralis extiterit, atqua in sanguine, aut humore sanguini misto vitium extiterit, venæ sectionem exoptat. Verum vt monet Alex. Benedic. in suo libro de pesti. febre cap. 9. & 16. modus in vena secanda seruandus est. Magis tamen venæ sectio necessaria ijt est, quibus in vsu est, & quibus sanguis melancholicus substiterit; vel naturalis aliqua expurgatio fuerit suppressa, vt menses in mulieribus, & maribus hemorrhoides, aut in vtroque genere narium profluuium. Qui venam secari non patiuntur, natibus cucurbitas imponant, aut sanguisugas. Dandaq; opera est semper, ne importunè vena feriatur: nihilq; nocentius est sanguinis missione, vbi necessaria non est: vires enim corporis maximè subducit: at præsentissimum auxilium, vbi opus est, habetur, insuetis difficilius, quàm assuetis. Intra morbi initia vena secanda est, quæ vnius diei interuallo ferè semper adiudicatur, sed prius si aluus adstricta est molliendа clystere, aut glande ex melle, saleq; iniecto. Post sanguinis missionem corpus expurgetur; vt poscit humoris peccantis vitium, benigno pharmaco violentiã non inferente, non expectata humorum concoctione, nam vt bene Alexander eit. lib. c. 17. refert, Quò celerius huiusmodi exitiales morbi homines corripiunt, eò velocius, & cum quadã temeraria audacia rapienda sunt purgantia remedia, materia enim venenata concoctiunẽ non expectat. Interim, & ante

purgationem,

purgationem, & post purgationem perenniter exhibentur potiones ex acetoso simp. ex sirup. de acredine citri, de limonibus, de succo acetosæ, & his similibus; quibus febris intemperantia corrigitur, & membra principalia conseruantur, puriora que redduntur, cor præcipuè, ac eius spiritus: iisdem morbi materia digeritur, perpurgaturque; meatus aperiuntur, atque à veneno tutum corpus habetur; sed longè tutius, firmiusq; redditur consimili vsu alexiterij, alexipharmaciúe, frigidis scilicet æstate æstuque febris vigente; calidis verò hyeme, ac putredine superante. Vnum notandum: id, quod operatur ignis, igneusque calor, & frigida borealis constitutio ad pestilentem aerem sanandum: idem in hominibus peste, pestiferaque febra correptis operari theriacam, & mythridatum, cum suis similibus calidis antidotis, & terram lemniam, bolumque armenum cum frigidis similibus antidotis. Hæc æstate, æstuanteque corpore præcipuè congrua: illa hyeme, ac putrescente corpore sunt maximè opportuna. Pestis itaque pestiferaq; febris, siue cum alterante detergente, aperienteque, siue cum purgante, atque euacuante medicamine mederi volueris, alexiterium, alexipharmacum medicamen semper demonstrat; siue recens natus fuerit morbus; siue altas iam radices egerit. At si inter hæc præsidia morbus adhuc nec inclinare, nec remedijs cedere visus fuerit, & nihilominus robur in ægrotante perdurat; & in pugna contumaciter persistit febris; victoriæq; spes etiam superest; subsidia vndiq; perquirit: nam à contagiosa tabe prorsus liberari, exonerariq; ab humoris putredine desiderat, vel per sanguinis missionem, vel per alui deiectionem, aut vtroque modo. Si sanguinis missio iteranda est, parcius imperanda, verum dies iudicatorius, & eo magis, qui iudicatorius dicitur, maximè cauendus. A contagio verò protinus vindicabitur sua antidoto iterum, atque iterum reposita; donec pernities sit euicta. Et si catarctico rursus opus est, & corpus expurgare velimus; iterum tamarindis, sebesten, prunis, violis, & similibus expurgabimus, concoctioni minimè indulgentes; quando nec omnino vinci, aut concoqui, quod putrefactum, ac corruptum est in his febribus, à natura valet. Si verò pestilens febris ephemera fuerit; nec purgationem, nec sanguinis missionem expostulat; nisi per accidens alteriusúe rei gratia id exoptet; sed cùm spiritus febrili pestilenti calore æstuant frigida alexiteria, sicut bolum armenum terram lemniam, & consimilia amat; quæ febris incendium, & contagij virus extinguant: & vnà cum his desiderat ad febris ardorem remittendum frigidas potiones, leui adstrictione, abstersioneq; quadam grata præditas; qualia sunt sirup. de ribes, de acredine citri, de limonibus, & similes alij lympida, recentiq; aqua perfusi: & vt hæc intra corpus amant; ita etiam extra conspersiones frigidas desiderant: & aqua rosacea, aceto rosaceo, atque ex vtrisque his permistis: necnon rosarum, violarum, nenufarum, myrtillorum, & consimilium per domum sparsiones. Si verò hectica pestifera febris extiterit, hæc profectò omnino exitialis existit, nec alterans, nec euacuans pharmacum vllum, nec antidotum aliquam (vt creditur) expostulat, sed solius piantiss. Dei opem deprecatur; qui sua pietate incurabiles hominum languores sanat; quando medicaminibus nullus sit relictus locus; & si fortasse antidotus aliqua salubris reperiatur, erit (vt inquiunt multi) oleum de sulphure, & vitriolo. Summa autem curationis pestilentis febris est contagij virus extinguere, in quacunque corporis parte extiterit, siue in humoribus, siue in spiritibus, siue in solidis partibus. Huius verò extinctionem, modo facilem, modo difficilem contigit esse, tum ex patientis corporis dispositione, tum antidoti, alexipharmacique gratia, quod magis, minusúe potest virus ipsum extinguere. Ob corporis dispositionem facilis est pestilentis contagij extinctio, & sanatio in validis, beneq; dispositis corporibus; difficilis verò in morbidis, maleq; dispositis. Quæcunq; enim munda sunt corpora, inquit Gal. 2. de diff. febr. cap. 4. & superfluitatibus carent, nonnulla quidem nihil, nonnulla verò minimum mali sentiunt; ita vt facilem ad naturalem habitum habeant regressum. Antidoti alexipharmaciq; gratia facilis difficilisq; est pestilentis contagij sanatio: neque enim alexiteria pharmaca eiusdem ordinis, eiusdem valoris existunt: hoc nempe in spiritibus, illud in humoribus, hoc in solidis partibus virus extinguendi potestatem obtinet: aliud his omnibus præstantius, in quauis corporis parte illud fuerit, & in quauis ætate, & virtute, extinguendi, sanandique facultatem habet. Huiusce quippe ordinis, & valoris antidotum contra dictum pestis contagium nos quærimus (Optimè Princeps) à tua Celsitudine incredibiliq; humanitate nos impetrare posse haud maiori negotio speramus. Quod curationis fuerat principium, victus scilicet ratio, quam diætam dicunt, ad hunc deduximus locum, vt breuibus illam perstringeremus. Cum Auic. itaque dicimus 1. fan. 4. tract. 4. Oportet vt sint cibi eorum ex acetosis, & dasiccatiuis, & sint paucæ quantitatis. Celsus verò lib. 3. suæ medicinæ. cap. 7. dixit. Danda opera est quantum fieri potest, vt inter opportunam abstinentiam, cibosq; opportunos omissis cæteris nutriatur, & iusta de caussa dixit, vt nutriatur; quoniã vt benè dixit Auic. loco dicto. Et quãdo cadit appetitus cogatur ad comestionẽ: nam plurimi eorũ, qui viriliter agunt super illud, & comadũt violenter,

absoluuntur, & viuunt. Quare necesse est cogere eos ad cibum. Hanc sententiam à Galeno habuit 3. de morb. vulga. comm. 3. super text. 59. Quare factum est, vt multi morerentur. Fortiores ergo, qui vim sibi afferentes cibum oblatum assumpserunt, omnes ferè superstites fuerunt: plurimi verò mori, quàm comedere quicquam, prius duxerunt. Et quoniam ab aere maximè nutrimentum capimus: ideo de eo præcipuè verba facit Auic. Et oportet vt infrigides domos eorum, & rectifices aeres ipsarum: deinceps subdit. Rectificationis autem aeris pestilentis pars est secundũ sanos, & pars eius est secundum sanos & ægros: in illa verò quæ est secundum sanos intentio, intentio est, vt exficcetur aer, & fiat boni odoris, & prohibeatur eius putredo cum quacunque re fit; & rectificetur cum xiloaloe crudo, & ambra, & thure, & muscho, & costo dulci. Secundum sanos verò, & iterum febrientantes; & ægros est suffumigatio cum saudalis, & camphora, & corticibus granatorum, & mirto, & malis, & cidonijs, & similibus. Neque clariorem aliam doctrinam vobis in hac pestilenti materia tradere potuimus, quàm postremum hoc asserere, ipsummet aerem, qui salubris animantium vitæ auctor existit; eundem insalubrem, & inquinatum eorum necis opificem esse: quare & eius tota salus est, vt ad pristinum salutarem statum restituatur.


Fomites febris, continuationisque febris qui sint. Cap. IX.



NIMANTIVM corpora, vbi ex bono vitæ regimine in sex rebus non naturalibus antiquum suum, salubremque statum seruauerint; & interna eorundem viscera, cor, iecur, cerebrum, ac eis deseruientia membra, ventriculus, intestina, lien, & pulmo bene se habuerint; tunc quatuor corporis humores, in sua salubri conditione, & in qualitate, & quantitate bene se habebunt, vt plurimum: ac si vitium aliquod eis in primis infertur, cum bona corporis, & principum membrorum habitudine facilè emendatur. At si in vitæ regimine corpus delinquere contigerit, ita vt ad lapsum aliquem præter naturam decidat, iuxta eiusdem lapsus naturam humores à naturali statu declinabunt; & pari efficientur discrasia. Item si internum aliquid viscus, aut cor, aut iecur, aut aliud male affici, ægrotareque cœperit; simili affectione, & ægritudine humores corripientur: licet contra etiam contingat; vt humorum vitia, & principes partes, & totum trahant ad consimilem infectionem. Massa itaque sanguinea, & humores, licet cum principibus membris, solidisque partibus suas inter se communicent infectiones: tamen quia eorundem esse est in continuo fieri, & conseruari ab internis visceribus, ac solidis partibus: proinde vt plurimum, ac ferè semper iuxta bonam, malamúe corporis principum partium dispositionem, bene, maleúe disponuntur, & afficiuntur; nisi per accidens, & extrinsecus, secus contingat. Vbi igitur humores aut corporis, principumúe partium defectu, aut proprio peccato ad eum statum, qui non est secundum naturam, deducti fuerint, putridiq; euaserint; & multis obstructionibus inuoluti fuerint: si ibi, vbi persistunt, siue intra, siue extra vasa sint, tanta fit putredo; vt inde actuatus cordis calor accendatur: febrisque fiat; tunc putredinis locus ille focus, fomesque febris nuncupatur. Ex accensa verò febre, cor, iecur, summopere patiuntur, & pariter cerebrũ, ac eis deseruientia singula membra; quibus infectis ex humoribus aliqui inficiuntur, aliqui ad infectionẽ disponuntur; quando hæ corporis partes (vti diximus) suos inuicem cõmunicant affectus. Infecti deinceps humores, & ad putredinem dispositi ad locum, vbi primi putruerunt, febris focum nuncupatum expultrici venarum vi impelluntur: ibidemq; impulsi maioreq; putredine detenti, & igniti, iterum cor excalefaciunt, febremque accendunt: & vbi omnino exusti fuerint, in cineremque versi, febris, febrilisúe accessio finitur. Iterum post horum exustionem, consumptionemque alij semiputridi, semimalique succi, à corde, iecinore, reliquisque male affectis partibus sic dispositi, & affecti ad eundem putredinis, febrisq; focum impelluntur, ac attrahuntur tacita quadam similitudine: vbi iterum accensi, febremque iterum accendunt. Et sic pluries horum putridorum humorum cursibus reiteratis, & exturbatis ad focum putredinis febrem continuant, & protrahunt. Quàmprimum verò hi cursus deficiunt, & desinunt esse; febris deficit, & desinit esse. Cor igitur, & iecur, & reliquæ partes à febrili calore male affectæ, vnde humores cum mala affectione gignuntur, proni ad putridam accendendam, continuandamq; febrem fomites continuitatis, protractionisque febris nuncupantur. Protrahuntur itaque quotidianæ, tertianæ, quartanæq; febres, tum intermittentes, tum continuæ; quoniã earundem singulæ caussæ, & pituita, & bilis, & melancholia redundant in corpore, principibusq; membris. Et corpus insuper, principaliaq; membra, quæ cõtinuationis, protractionisq; febris fomites facimus, procliuia sunt ad consimilis humoris febrem efficientis procreationẽ. Vnde quantum humoris à febrili ardore in febre consumitur; tantundem ad nouam iterum accendendam febrem à dictis membris ad putredinis

focum transmittitur. Et sic continuato transmissionis tenore febris continuatur, & protrahitur. Quamprimū verò dicta membra à similis humoris effectione, & transmissione desistunt; febris ipsa desinit esse. Desistunt aūt illa membra ab humoris febrem facientis procreatione, & transmissione; aut quia ad pristinā restituuntur temperiem, & sanitatem: & ita corpus à febre absoluitur, & sanatur: Aut quia ad alteram malam intemperiem permutantur; aut ad calidam, aut frigidam, aut humidam, aut siccam. Vt plurimum in passiuis ad siccum permutatur; quoniam febris passio est sicca; & vsus pharmacorum corpus exsiccat; aliquando verò ad humidam vertitur, & ad malum habitum corpus deducitur. In actiuis verò modo ad frigidam permutatur intemperiem, modo ad calidam, penès varias caussas hanc vel illam producentes. Calida nanque & sicca intemperies humores exurendo, siccosque terrestres efficiendo, melancholicos adustos illos reddit: vnde quartana ex adustione suboritur. Frigida autem & sicca intemperatura, frigidum, & siccum melancholicum succum progignit; ex quo itidem quartana nascitur. Sic vtique febris quælibet diuturna, quæ nón absoluitur, aut in quartanam, aut in malum permutatur habitum ob intemperiei principum membrorum mutationem. Primariam itaque protractionis continuationis febris effectricem caussam, & fomitem facimus magnorum viscerum procliuitatem, ac efficaciam ad humoris febrem efficientis procreationem: Hanc concomitatur multitudo materiei, crassities, ac viscíditas vnà cum obstructorum foraminum multitudine. Hæc ipsa membra continuationis febrium, fomites, & origines, dum incerti status extiterint, nondum ad aliquam certam intemperaturam firmata; tunc pro materiei varietate, varij, diuersique gignuntur humores, mali, ac infecti; qui errantium febrium opifices euadunt; vt bene admonet Auicenna prima fen. quarti tract. 2. cap. primo, dum scripsit. Et istæ quidem febres, quibus sunt paroxysmi eradicationis, & temporis, quandoque dimittunt ordinem suum propter diuersitatem materierum in multitudine, & paucitate & grossitudine, & tenuitate; & propter diuersitatem in eis in genere; quoniam permutantur quædam materiæ, & fiunt de genere materiei alterius, quæ diuersificatur ab eis in specie, non in multitudine, & paucitate, & tenuitate, & grossitie tantum. Neque illud prætereundum videtur; quod in febribus intermittentibus focum fomitemque febris multi constituunt esse intra venas in obstructorum vasorum locis; in quæ semiputridi, putridique humores congeruntur: indeque per oscula vasorum impetu virtutis expultricis extra ad corporis ambitum expelluntur: vbi continuata putredine, & prorsus putrefacti, ac igniti cor inflammant, febremque accendunt. Alij verò extra vasa fomitem illum constituunt circa corporis partem illam, ad quam ab expultrici venarum putridi, semiputridique succi fuerunt expulsi, vbi ad cor continuata putredine febrilem accessionem pariunt. Quæ febrilis accesio tandiu durat, quandiu in putridis humoribus putrida seruatur flamma. Vbi verò prorsus exusti fuerint, in cinericiumq; versi, accessio finitur, & cessat. Cinericium itaque relictum alterum extra vasa focum, fomitemque faciunt. Sed de his plura à nobis lib. 3. de Calido fuerunt scripta.

Finis Tractatus Quinti.



TRACTATVS SEXTVS,

DE SALVTARI, RECTAQVE MEDICATIONE QVATVOR PROPRIIS DIFFERENTIIS CIRCVMSCRIPTA.



Salutaris, rectaque medicatio quid sit: Cap. I.



ECTA, salutarisque medicatio, & absque fallacia apud rationales Medicos est debita diætæ, medicinarumque administratio penès morbi exigentiam, corporisque affecti naturam. Hæc profectò ex qualitate debita iustaque victus, medicaminisque quantitate, atque ex eorundem congruo modo, & tempore administrandi consistit. Quæ debita qualitas, quantitas, modus, ac tempus & victus, & medicaminis ritè habentur ex ægrotantis natura, atque ex morbi, morbificæque caussæ qualitate indicante, necnon quantitate, modo, ac tempore; quæ quidem circunstantiæ omnes curationem propriè, distinctèq; perficere docent. Atque has res, vt indicantes sunt, sic & scopi indicantes nominantur; quemadmodum ipsæmet res debitè administratæ, victus inquam congruus, congruumque medicamen indicatæ res, indicatique scopi à Medicis dicuntur. His addimus, quòd dum indicantes, indicatique scopi mente concipiuntur, proposita, intentionesque ab eisdem appellantur: indicantes autem scopi dicuntur, prout assequendi, exequutionique mandandi sunt, indicati nuncupantur: prout proficuæ, salutaresque his, quibus adhibentur, existunt. Qualia traduntur esse beneinstitutum victus regimen, beneque ordinatum medicamen à suis indicantibus circumscripta; quæ quidem cùm finis quodam modo rationem tenere videntur, aut cùm ad finem ipsum, ad sanitatem scilicet assequendam propè accedunt, magis propriè nomen intentionis, atque propositi quodam modo sibi vendicare videntur. Bona itaque, ac proficua medicatio, bonum, ac proficuum medicamentum medentis Medici propositum, indicatusque scopus semper dicetur; similiter diæta à morbi, morbificæque caussæ differentijs limitata, atque ab ægrotantis natura confirmata verè diætantis Medici propositum, scopus erit. Concludunt tandem, quòd recta, salutarisque medicatio nominatur congrua morbo, ægrique naturæ medicina ordinata; & congrua morbo, ægrique naturæ constituta diæta in debita qualitate, & quantitate, modo, ac tempore ab eisdem quatuor morbi ægrique naturæ circunstantijs circumscripta. Restat vt morbi, morbificæque caussæ differentias exponamus; quibus ipsæ determinantur ad determinata, certaque præsidia demonstranda; atque ad determinatam certamque diætam explicandam, vt certam, rectamque consequantur curationem.

Morbi, morbificaque caussæ quatuor proprijs differentijs designantur. Cap. II.



NTER affectus præter naturam morbi, & eorundem effectrices, conseruatricesque caussæ solum recensentur, quæ nos ad agendum, medendumque excitant, medicationesque exposcunt: morbi nempe curationem; caussæ verò præseruationem interpellant. Symptomata autem cùm à morbo, & à caussa dependeant, & esse habeant, neq; integrè sanentur; nisi per horum sanationem, ideo nullam per se indicationem faciunt: cùm nullam per se existentiam habeant, vt 12. meth. cap. 5. refert Gal. Ipsa nanque

auferuntur

auferuntur ex ablatione caussarum, & morborum; quando ad esse illorum hebent esse. Cùm verò corpus exasperent, & affligant, curationemque exposeant; tune aut morbi, aut caussæ morbum augentis rationam renent; & inter morbos, morbificasque caussas numerantur, quæ mitigantia, lenientiaque medicamina exposcunt. Duo itaque tantum præter naturam supersunt affectus, morbus scilicet, & caussa, quorum vnusquisqua propriam existentiam habet: & cùm præter naturam sint, verè & per se indicant, vt auferantur. Cùm itaque vterque horum propriam essentiam, axistentiamue habeat, propriam quoque indicationem habebit: morbus nempe curatiuam, caussa præseruatiuam: vt 2. aph. comm. 22. testatur Gal. Vt autem caussa ipsa certè, proprièque præseruetur, pariterque vt morbus certè, proprièque curetur; vterque horum quatuor proprijs differentijs circunscribitur, qualitate, quantitate, modo, ac tempore; vt ex Gal. doctrina 3. libro de Crisib. cap. 3. & 4. facilè colligitur: ibidem nanque admonet; quòd eius morbus primum sub propria forma, & specie cognoscatur; postea eius magnitudo, & mos conspiciatur simul cum tempore, & motu eiusdem; cum his omnibus locus est affectus consideretur; quæ quidem conditiones omnes ad supradictas quatuor rediguntur differentias. Morbus itaque cum his omnibus differentijs cognitus indicationem præstans suum demonstrabit indicatum, his eisdem quatuor differentijs circunscriptum. Istud idem apertè libro primo ad Glauc. cap. 1. habetur, vbi Gal. medendi methodum præscribens ait. Petijsti à nobis, vt tibi vniuersalem quandam medendi viam, ac rationem, quasi per figuram, & quoddam compendium ostenderemus. Hæc autem qualitate, & singulorum auxiliorum quantitate perficitur, necnon & modo eorum vsus, & ex temporis occasiona; quæ præ omnibus est cognitu difficillima. Ibidem nanque Gal. medendi methodum edocens, quatuor prædictas describit circunstantias; quæ medicam materiam omnem, tum victum, tum remedia circunscribunt, vt methodicè, & rectè cuncta administrentor. Cùm igitur Gal. certam, rectamque rerum assequendarum medicationem assequi arbitratur, si in indicatis rebus consequendis quatuor has obseruauerit differentias, quæ assequenda determinant, & finiunt, vt rectè, iustèque perficiantur: Rationabile est in sua methodo, vt has easdem conditiones in morbis, & causis indicantibus prius exposcat, & exquirat; quandoquidem hæc ipsa sunt, quæ primò agenda, faciendaque docent: ac indicata cuncta ritè, appositèque ordinant, & disponunt. Suo itaque iure hæ prædictæ quatuor differentiæ in morbis, causisque omnibus indicantibus expetuntur; vt indicantium differentiæ indicatorum differentias manifestent, & vt indicantes scopi, & indicationes ipsæ ad exercitationis actus reducantur, ita vt indicata, suos habeant indicantes, mutuoque se manifestent; vt certa, firmaque ex suis principijs fit medica cognitio; neque ex creditis, & positis tantummodo consistat. Quod verò de quatuor differentijs, qualitate videlicet, quantitate, modo, ac tempore asserimus, illud idem & de pluribus, pauciorib usque affirmamus, si plures, vel pauciores illas feceris: dummodo pari numero semper illas recenseas in indicatis, atque indicantibus. Methodicus igitur rationalisque Medicus has quatuor à nobis supradictas conditiones non in assequendis tantum scopis, sed in indicantibus quoque diligenter illas exquirit; vt medicatio ex arte succadat.

Qualitas, quantitas, modus, ac tempus, morbi, morbificaque caussa quid significet. Cap. III.



MORBI qualitas primum dicitur de differentia quidditatem eius explicante, vtputa de præternaturalitate dispositionis, affectionisque corporis: hæc enim ipsa est, quæ primò actionem vitiat, corporique afflictionem infert. Morbos nanque materialiter acceptus, siue affectus, siue dispositio nominetur, quòd aut sensui malam affectionem inferat, corpusque afficiat; aut quòd læsarum actionum euadat principium, incommensurata, inæqualisque dispositio, incommensuratus, inæqualisque affectus dicitur: eo quòd naturali, æqualique dispositioni, & affectui incommensuratus, inæqualisque existit: & adeo incommensurata, & inæqualis dispositio, vt corpori læsionem inferat; & læsarum actionum fiat principium. Hanc autem incommensurationem, & inæqualitatem Medici communiter præter naturam nominant: atque istud præter naturam morbi essentialem differentiam faciunt; cùm ipsa fit, quæ primò animantis actionem lædat, corporiq; afflictionem inferat: Qualitas itaque primò prædicatur de præternaturalitate affectus, dispositionisque corporis. Secundariò morbi qualitas dicitur de differentia, quam specificam nominamus: propterea quòd morbum in specie ponit, aut ratione temperiei, aut fabricæ corporis, aut vtriusque conditionem, modumque essendi declarante: ita dicuntur febriles, putridiqua morbi, item Artetici,

Podagrici,

Podagrici, atque Apostamosi, atque Vlcerosi hac quoque specifica differentia continentur salubres, lethalesque morbi, acuti, & diuturni, benigni, atque maligni, & huius generis alij. Prædicatur tandem morbi qualitas de accidentali eius differentia; quæ aut à primis, aut à secundis sumitur qualitatibus; ita calidus, frigidus denominatur morbus, & aspera, lenisque superficies, obliqua, rectaq; membri figura, & cum ijs accidentalibus differentijs multis. Qualitas autem caussę morbi internę scilicet corporeę, quam antecedentem, seu coniunctam Medici vocant, primò prædicatur de essentiali eius differentia, quæ morbificæ caussæ essentiam explicat; sicut est præternaturalis affectio humorum morbum præcedens, eundemque efficiens. Quam cunque enim præternaturalem rei corporeæ affectionem, quæ quomodocunque ad morbi constitutionem facit, essentialem morbificæ caussæ differentiam dicimus; quæ suapte natura prona est morbum gignere, & conseruare. Morbificæ insuper caussæ qualitas dicitur de eiusdem caussæ specificis differentijs; quæ sub proprijs recensentur specie bus: sic biliosæ, sanguineæ, pituitosæ, atrabiliariæ dicuntur morbificæ caussæ, & simplices, & compositæ, & firmæ, fluxilesque, ac putridæ, crudæ, perniciosæ, & huius generis reliquæ; quæ eorundem conditiones, & modos essendi declarant. Prædicatur vltimò morbificæ caussæ qualitas de accidentali eorundem differentia, quæ accidentaliter, aut à primis, aut secundis qualitatibus denominatur. Quantitas morbi, & suæ caussæ primum explicat eorundem magnitudinem, paruitatem, & mediocritatem, quantitatis nomine pro qualitate abutantes: nam magnitudo morbi propriè intensio quædam, & morbum esse magnum vel paruum, idem est quod esse intensum, vel remissum; communiter tamen morbi intensio magnitudo à Medicis nominatur. Magnum quidem morbum Medici nuncupant, qui magna affert symptomata, periculumque portendit; ne naturam superet. Magna verò symptomata sunt, quæ vehementia, fortia, insigniaque à Galeno nominantur; & quippe Medicum, & ægrorum terrent, siue pauca, siue multa sint: Paruus verò morbus appellatur, qui aut nulla, aut pauca, benignaque habet symptomata: vnde benignus dicitur morbus omni periculo vacans. Per magnitudinem, paruitatemque symptomatum Gal. magnitudinem, paruitatemque morbi metitur, tanquam per proprios effectus suæ proximæ, & immediatæ caussæ. Nam morbus per se lædit actiones, & actio læsa ab essentia morbi vt à proxima effectrici caussa proficiscitur. Læsio itaque actionis, quæ à morbi essentia sua effectrici caussa progreditur, æquè de tribus symptomatum differentijs dicitur, de actionum inquam læsione, de retentorum vacuatorumúe immodico excessu, & de corporum ipsorum affectu: hæ vtique tres symptomatum differentiæ communiter à Medicis nomine actionis læsę comprehenduntur; & pro vna, & eadem re habentur. Quare vt actio læsa morbi essentiam, vt suam proximam caussam attestatur; pariter symptomata eandem eodem modo significabunt. Merito itaque multa, paucaque læsio, & magna paruaque symptomata magnum, paruumque morbum denuntiant; quando ab eodem proficiscuntur fonte; & à magna magnæ, à parua paruæ proueniunt læsiones & symptomata. Gal. 8. meth. cap. vlt. visus est magnitudinem morbi duplicem facere, vnam ratione propriæ essentiæ, alteram ratione dignitatis. Hanc autem dignitatis magnitudinem adhuc subdiuidit, in dignitatem virtutis, & dignitatem functionis principum membrorum: & sic tres ad summum species magnitudinis morborum recenset 7. meth. cap. 12. vbi morbi magnitudinem triplicem esse affirmat, vnam quæ ex læsę actionis præstantia spectatur; alteram quæ ex propria affectus essentia; tertiam quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. Graue autem nocumentum in operationibus ægrotantis corporis, quod magnum symptoma nuncupatur, non nisi vt plurimum ex vno horum magnorum morborum genere proficiscitur: necnon etiam ex eo, qui horum trium magnitudinem complectitur, qualis est febris ardens. Magnitudo namque morbi penès magnum recessum à naturali statu, quæ essentiæ magnitudo dicitur, grande semper nocumentum affert corpori cum vitæ discrimine: magnitudo quoque ratione dignitatis functionis principis membri, aut ei deseruientis, magnum parit symptoma, & nocumentum: nam ex modica permutatione facta in actione principalium membrorum, & eis deseruientium, magnum accidit in toto nocumentum, & periculum vitæ. Magnitudo autem ratione dignitatis virtutis ipsa quoque magnum affert periculum vitæ: nam dum virtus, quæ regit, vel totum corpus, vel membrum decidit, aut summopere patitur in morbo, sicut in syncope, & apoplexia ratione totius, & sicut in cancro, & cancrena in signata corporis parte, vbi virtus illius partis perditur, victaque manet; magnam semper perniciem affert, aut toti, aut parti; quæ morbi magnitudinem constituit. Febris autem ardens his profectò tribus rationibus magna dicitur & propriæ essentiæ ratione, quæ multum distat à naturali statu, & dignitatis functionis gratia; quando cordis præstantissimam actionem ipsa lædit, necnon ratione dignitatis vitalis naturalisque virtutis, quæ in febre semper offenduntur. Quarto autem libro meth. med. cap. 6. de

morbi

morbi magnitudine sermonem faciens trifariam ibidem magnos morbos fieri affirmat, vel propter afflictæ partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd sunt cacoethe. Vbi expositores laborant an magnitudo morbi cacoethis eadem sit cum magnitudine dignitatis virtutis, de qua in 7. libro meth. verba facit; quam dicit esse ratione facultatis, quæ læsum corpus gubernet. Nos autem cum ijs sentimus, qui aiunt cacoethem morbum magnum esse ratione facultatis corpus, vel membrum gubernantis. Cacoethem autem morbum Gal. 1. prorrhetici com. 1. partic. 14. nuncupat malignum, vbi dicit. Cacoethes morbos, idest malignos appellamus, quicunque periculum minantes spem salutis non adimunt. Ex Iunioribus quidam ait quòd malignus propriè dicitur, qui furtim insidiatorum more vitam grassatur. Galenus verò loco citato. Cacoethem malignum appellat morbum; quoniam periculum ægro affert, non tamen absque spe vitæ. In libro autem quarto meth. cap. 6. & 5. magnitudinem cacoethis morbi duplicem facere videtur, vnam magnam, breuemque velociter periculum apportantem, qualia sunt articulorum vulnera, vbi tendones, neruus, venæ, arteriæ, & osse inciduntur: vnde profluuium sanguinis, dolores, vigiliæ conuulsiones, deliriaque accidunt; quæ breui tempore vitæ perniciem ducunt. Hæc quippe vulnera magna sunt dignitatis virtutis gratia; cùm vires omnes ab his summopere offendantur, & naturales, & vitales, & animales: Alteram cacoethis morbi magnitudinem Gal. facit 5. cap. eiusdem libri extensam difficilemq; sanatu, quam malignam, rebellem, & contumacem ad sanandum nuncupat: hancque magnitudinem in vlceribus vitio prauorum succorum generis dixit reperiri: & sacri vitio huiusmodi vlcera contumacia, rebellia, diuturnaque esse affirmat: crurium itaque & coxarum & similium partium vlcera, quæ malitia prauorum succorum fiunt, magna profectò sunt; & magnum afferunt nocumentum; si non toti, saltem parti, particularéue virtutem deijcientia, & vincentia: cùm enim virtus prauos succos vincere nequit, ab eisdem vincitur; & tandem succumbit: & ita ad magnum magnitudine dignitatis virtutis hunc alterum cacoethem morbum redigimus. Sed de cacoethe satis, superque. Qui verò inter paruos, benignosúe morbos, & acutos, malignosque medij sunt, aut per horum abnegationem, aut participatione vtrorunque medij censentur. Magni itaque, acuti, et maligni morbi, & parui, & benigni, & qui horum mediam naturam sapiunt, vniuersam morbi latitudinem mensurant. Quod verò de morbi quantitate, quantitatisque differentijs asseueraumus; illud idem & de caussæ morbificæ quantitate, eiusdemque differentijs asserimus. Quantitas quidem materialis caussæ cuiuscunque morbi consistit, & in pauca materia, tum molis, tum virtutis; quæ paruum, benignumque parit morbum, & in multa, vel mole, vel virtute, magnum procreante morbum: atque in horum vtriusque interstitio mediocrem caussante morbum habet esse, & sicut in genere acutorum tres fiunt species, acutus, longus, medius; idem & de eorundem tribus generibus caussarum dicimus; quòd hæ magnæ agitantes materiales morborum caussæ sunt. Illæ peruæ, tardique motus chronicorum: Istæ vtriusque naturæ participes mediorum morborum caussæ affirmantur. Per quantitatem itaque morbi, & caussæ quantitatis nomine pro qualitate abutentes, tres prædictas affectus præter naturam differentias intelligimus, magnitudinem inquam, exiguitatem, & mediocritatem, tres modo dictas morbificas caussas distinguentes, triaque prædictorum morborum genera separantes.

Modum autem morbi, & suæ caussæ præter morem, quem nomine benignitatis malignitatisque appellant, nos dicimus eorundem modum essendi, quem seruant cum dispositione virium, ita dicitur diuturnus, acutus, mediocrisque morbus, seu vehemens, parua, mediaque morbifica caussa, quem modum tenent cum fortitudine, imbecillitate, mediocritateque virium. Modus enim morbi est modus essendi, quem habet morbus cum virium constitutione; & pariter quem virium dispositio seruat cum morbi, & suæ caussæ constitutione. Modus nanque morbi vltra speciem addit virium dispositarum qualitatem; qualiter scilicet valida, debilis, mediocrisque virtus, modum seruet, cum exigua, media, vehementique morbifica caussa, siue sit vehemens ob putredinem, siue ob acutiem, & multitudinem, siue ob loci præstantiam. Item dicit modum, quem habent ipsæ virium differentiæ, cum acuto, diuturno, mediocrique morbo. Modus autem hic morbi in essendo, à specie morbi differt; quoniam simul & suam, & virium dispositionem explicat. Erunt itaque modi morbi, & suæ caussæ penès nostram institutionem, certæ determinatæque species morbi, suarumque caussarum propriam virium corporis dispositionem locique affecti naturam connotantes.

Morbi, & suæ caussæ tempora sunt eorundem quatuor diuersæ partes, & motiones in principium, incrementum, statum, & declinationem diuisæ. Sic enim lubet in præsentiarum hæc ipse exponere: atque hæc quoque diuidimus in vniuersalia, & particularia, quæ quidem vniuersalem, particularemque medendo occasionem demonstrant. Neque verò hic, dum de

affectuum

affectuum præter naturam temporibus loquimur, temporis vocem Aristotelico more sumimus pro mensura motus secundum prius, & posterius; & si haud incongruè adaptari morbis hæc temporis significatio possit: nam præceps, momentaneaque occasio ab Hipp. descripta quæ agendi occasionem declarat, fortasse erit Aristotelicum tempus pro instanti, & illo tunc, quod diornus motus distinguit, secundum prius & posterius. Morbi itaque omnes penès longitudinem, breuitatemque suæ agitationis, atque medium statum inter horum vtriusque naturam mensurantur: vnde longi, breues, & medij temporis dicuntur morbi. Breues cum periculo acuti sunt; qui infra 20. diem terminantur. Chronici dicuntur, qui vltra quadragesimum, aut sexagesimum diem finiuntur. Medij sunt, qui mediam horum naturam sapiunt, & à quadragesimo, aut sexagesimo infra soluuntur. Hos acutos profectò morbos dimetiuntur, penès quatuor differentes motiones suarum efficientium caussarum, aut penès quatuor diuersas agitationes ipsorummet morborum, quæ agitationes, motionesque aut vniuersas, maioresque totius morbi partes partiuntur: vnde vniuersales, maioresque motiones, aut vniuersalia, maioraque morbi tempora dicuntur, aut minores singulas morbi particulas metiuntur: vnde minores, particularesque motiones, minoraque particularia morbi tempora asseruntur. Hæque ipsæ quatuor differentes motiones, quæ item tempora dicuntur, vnequæque à Medicis suo proprio significatur vocabulo. Dum enim morbificæ caussæ tam secundum maiores, quàm minores partes agere incipiunt, aut dum primò morbi gignuntur, & corpus impetunt, principium id prorsus nominatur: cùm vehementer morbosæ caussæ vim suam exercent, aut dum afflictatio exagitatioque morbi crescit, incrementum dicunt. Cùm verò & caussæ, & morbi eundem tenorem, vigoremque seruant, statum appellant. Declinationem autem vocant, quando eorundem vis minuitur, & frangitur. Sic quippe morbi cuncti, & diuturni, & acuti, & medij indifferenter in hæc quatuor dipartiuntur tempora, principium inquam, augmentum, statum, & declinationem, tam secundum vniuersales, maioresque eorundem partes, quàm secundum minores, & particulares. Vnde vniuersalia, particulariaque morbi tempora communiter appellantur.

Medicamenti qualitas, quantitas, modus, ac tempus quid denotent. Cap. IIII.

MEDICAMENTVM id dicimus, quod naturam alterare, permutareque ad salutem potest, lib. 6. de composit. med. secun. locos cap. 3. dixit Gal. Medicamenta veluti deorum manus sunt; quòd iuuant maximè, si is, qui eis vtitur, in rationali methodo fuerit exercitatus, & cùm hoc natura prudens. Medicamenti itaque qualitas primum dicitur de specifica genericaque earundem differentia, vtputa de alterantibus, & euacuantibus: alterantia nanque & euacuantia medicamina genericè de omnibus dicuntur. Huius qualitatis generis sunt leuientia, soluentia, purgantia, alexiteria, narcotica, anodinaque medicamina, & similia multa; quæ determinatum genus, certamque medicaminum speciem declarant. Dicitur itidem medicamenti qualitas de accidentalium medicaminum qualitatibus, siue illæ primæ, siue secundæ dicantur; siue occultæ, siue manifestæ fuerint virtutis: qualia nempe dicuntur calida, frigida, humida, & sicca, & temperata medicamenta; consimiliter repellentia, aperientia, incidentia, suppurantia, diaphoretica, & reliqua huius generis: qualia quoque dicuntur, quæ à proprietate, & à tota substantia agunt, vt quæ calculum comminuunt, vrinamque prouocant, atque menstrua, & medicamenta pariter erodentia, putrefacientiaque huiusmodi dicuntur; & reliqua cuncta, quæ à tota substantia, ac proprietate operantur. Medicaminum autem quantitas, æquè primò dicitur de mensura graduum virtutum, quæ inest in medicamento, & de eorundem corporea mole, & copia: magna enim, parua, mediocriaque medicamina asseruntur; quæ aut corporea mole, aut gradu, & virtute huiusmodi sunt. Magna quidem dicuntur medicamina, quæ multa & copia, & pondere sunt; & pariter magna, quæ gradu, & facultate huiusmodi existunt. Multa quidem & mole, & gradu, magna sunt; multa magna mole, & exigua gradu: & multa è contrario magna gradu, & exigua mole existunt. Illud idem & de mediocribus, paruisque medicaminibus asseritur; quod ijs eisdem differentijs, mole scilicet, & gradu distinguuntur, & nominantur. Nec verò de pondere mensura tantum, sed etiam de numero quantitas prædicatur: nam & plura, & pauciora medicamina quantitate designantur, definiunturque. Quantitas itaque rectè designabitur, sicut bene scripsit Fernelius, si constet quàm validum remedium, tum mole, tum facultate sit exhibendum, quo gradu recessus à mediocri, quo pondere, an vncia, an drachma, quoties, & quandiu

exhibendum sit. Modum verò medicationum, & medicaminum dicimus idoneum, congruumque eorundem vsum, atque ipsam medendi rationem indicatam à modo essendi morbi, & suæ caussæ. Conueniens nempe euacuatio, purgatioque omnis secundum debitas circunstantias, & quæ à toto est, & quæ à parte, siue reuulsiua, siue deriuatiua fuerit; dummodo à modo morbi sit demonstrata; modus purgandi, euacuandique dicitur: similiter condecens corporis ægri alteratio omnis iuxta suas conditiones, aut intus, aut extra administrata, seu totum, seu partem respiciat; cuiuscunque conditionis extiterit; si indicata fuerit à modo morbi, alterandi modus nominabitur. Recta itaque medicatio omnis, quæ in ægrotante corpore secundum conuenientiam, & modum exercetur, si à modo essendi morbi, & suæ caussæ indicetur; modus medendi semper nuncupabitur. Tempora autem medicaminum, medicationumque nos nominamus congruas, conuenientesque horas & opportunas occasiones, tum vniuersales, tum particulares, quibus congruè, conuenienterque medicamina, medicationesque cunctæ administrantur, ea planè ratione, quam morbi, morbificæque caussæ diuersę partes, & vniuersales, & particulares demonstrarint, & virtus corporis assenserit.

Qualitas status, rei præter naturam primum an agendum sit, demonstrat. Cap. V.



RAXIM exercentes Medici morbos omnes sub triplici contemplantur differentiæ aut enim eos salubres dicunt, qui solo naturæ beneficio sanantur, aut ex toto genere lethales faciunt, qui nec naturæ, nec artis officio iuuantur, sed aut omnino interimunt, aut contumaces difficilesque sanatu vsque ad extremum diem semper persistunt. Reliquos verò omnes, qui inter hos medij intercepti sunt, mediæ consistentiæ, dubijque iudicij, atque incerti euentus nominantur; quæ quidem si rectè curantur, ferè cum salute soluuntur: sin minus, aut ægros perdunt, aut difficiles curatu redduntur, de quibus septimo colliget. cap. 31. scripsit Auer. sunt aliquæ ægritudines, quarum correctio non sufficit à natura, nisi per medicinas iuuentur, & in hac medicinæ potentia declaratur. Qualitas itaque morbi, & affectus præter naturam eorundem differentias distinguens, salubris scilicet, lethalisúe, seu mediæ constitutionis illos constituentes, an agendum sit primò nobis insinuat. Leues nanque benignique morbi, qui solius naturæ beneficio soluuntur, minimè à medico aliquid moliendum esse declarant: vbi enim ea sola sufficere potest, frustra ab arte præsidia petuntur. Siquidem longè meliora sunt naturæ præsidia, quàm nostra; & multoties, dum videri nos aliquid præstare velimus, ægros sæpenumero lędimus; quod interim bene agentem naturam turbamus. Lethales verò, malignique morbi, qui aut longo tempore, magnaq; cum difficultate soluuntur, aut vitam omnino adimunt: hi eorundem curationem haud quaquam agrediendam esse indicant, sed libenter alijs permittendam, seu potius futurum euentum prædicendum, vt bene nos 11. meth. cap. 9. docuit Gal. dum scripsit. Verum nos tempora præsidiaque ijs, quos seruari spes est scribimus; quando ægris, qui insanabiles sunt, ijs neque tempus vllum opportunum, neque præsidium est. Rursus ibidem: in quo deoperata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit apud vulgum infamari remedia, quæ multis fuere saluti. Si autem morbus dubius fuerit, incertique euentus extiterit; tunc audacter medendum esse nobis suadet, vt quod natura consequi non valet, aut cum difficultate, & timore consequitur; nostra ope, & subsidio adiuta, certius, faciliusque consequatur.

Medicamenti qualitas morbum expugnans, quænam sit, & vnde habeatur. Cap. VI.



EDICAMENTI qualitas morbum expugnans est determinata contraria qualitas, à determinata contraria morbi specie desumpta. Determinatum nanque à determinato, & non quodlibet à quolibet corrumpitur; id quod intelligi potest ex ijs, quæ Arist. docet in primo Phys. à tex. 43. ad tex. 48. hoc enim propriè morbo aduersatur, vimque eidem infert, & cum maioris sit roboris, illum tandem vincit & expugnat. De hac profectò medicaminis qualitate secundo Meth. cap. 7. sermonem faciens Gal. sic scriptum reliquit. Porrò finis propositæ nunc nobis tractationis est inuenire cuiusque morbi remedium; quodnam igitur viæ, quæ huc perducit, statuetur principium? nempe ipsius morbi cognitio, qualis scilicet is natura sit: quippe si id, quod curatur is est, ratum profectò est ab ipso quoque

indicationes

indicationes esse sumendas. Idem tertio Meth. cap. 1. his verbis, si indicatio, quæ ab ipsa rei natura primum oritur, quid agendum sit inuenit; necesse est remediorũ inueniendorum initium ex morborum ipsorum natura sumi; siquidem absurdum est aliud esse, quod curandi rationem præscribat, aliud quod curetur. Primò igitur habenda est morbi cognitio, ex cuius qualitate medicinę qualitatem eligimus, quem Auic. sequutus quarta fen. primi Canonis cap. 1. dixit. In electione autem qualitatis medicinæ absolutę non habetur cognitio, nisi per cognitionem speciei ægritudinis; quoniam cùm ægritudinis qualitas scita fuerit, erit medicina eligenda, quæ ei in sua qualitate sit contraria; quoniam ægritudo suo medicatur contrario. Qualis enim est morbus actu, vel potentia, aut accidentaliter, seu ex tota substantia præter naturam, talis quoque erit contrarij remedij conditio, actu, vel potentia, aut ex accidenti, seu ex tota substantia oppugnans; quando perpetuò morbus, cuiuscunque conditionis fuerit, suo determinato contrario remedio abijcitur, vt superius fuit ostensum. Meritò itaque contrarium, quod morbum expugnat, multis modis à Medicis dicitur: illa enim dicuntur contraria, quæ ex euidenti qualitate impugnant, sicut calida, & frigida: alia ex forma specifica, seu ex occulta proprietate, seu manis, ex tota substantia agunt. Quarum quædam per se, & ex propria natura, quædam verò ex accidenti, & secundò operantur. Item horum, quæ per se agunt; alia actu, alia potestate sunt alia. Actu quippe tale dicitur, quod secundum speciem, idest secundum quod apparet, est tale; sed & potestatem simul, & vim habet agendi, & immutandi, vt aqua frigida, quæ vt sentitur, ita facultatem habet refrigerandi. Alij formaliter tale istud nominant, quia qualitatem illam, secundum quam dicitur tale, in se habet, vel in potentia propinquissima ad actum, proinde actu illam abusiuè habere dicitur; vel actu formaliter habet, & potentiam pariter sibi similem producendi possidet. Potestate verò tale nominatur, quod speciem, & apparentiam non habet talis, sed vim producendi talem possidet: Hocque sub duplici reperitur differentia; Vnum est enim, quod non habet actu id, quod virtualiter continet, successionis tamen tempore consequitur, sicut aromata potestate calida, quæ actu frigida sunt, postquam fuerint intra corpus assumpta, & actuata; tunc calida actu euadunt: & formaliter corpus calefaciunt; alterum verò potestate tale dicitur, quod actu id, quod virtualiter continet, non habet; nec formaliter illud habere potest, sed producere in aliud potest ęquiuoca generatione: ita Solem, & lumen calida dicimus; non quòd talia ipsa per se sint, sed quòd possint in aliud caliditatem producere, Galenus verò primo de simpl. med. facul. cap. 1. quod actu, vel potestate est tale, ita declarat. Actu dicitur, quod in præsenti tempore est tale id, quod ex sui natura, non adscititia qualitate. Potestate verò quod futurum est tale, idest quod nunc non apparet tale, tempore verò apparebit; cùm nostro corpori admotum pati aliquid cœperit: tunc enim & ipsum agere incipiet. Actu itaque tale nos dicimus, quod actu rei speciem possidet, & vim sibi simile efficiendi habet: potestate verò, quod vel non habet actu, vel nec formaliter habere potest, id quod virtualiter continet; sed vim tantummodo illud efficiendi. Sed vbi ostendimus determinatam medicamenti qualitatem oppositam, cuiuscunque facultatis illa fuerit, à determinata morbi specie perpetuò haberi: Superest, vt magis distinctè exponamus quo pacto propria cuiuscunque affectus præter naturam qualitas propriam remedij qualitatem ad sui expugnationem exigat.

Qualitas status rei præter naturam medicamenti qualitatem declarat. Cap. VII.



IAM diximus, quòd qualitatis morbi cognitio, qualitatis medicamenti cognitionem parit. Ipsa etenim morbi qualitas, quæcunque fuerit, contrariam perpetuò qualitatem eidem aduersantem demonstrat; vt quo genere gladij alterum ferit, simili ipse interimatur. Cùm igitur cognita est morbi natura, facilè est leui quodam discursu contrariam ipsi curando permutantem qualitatem opponere. Contraria verò asseremus, quæ sub eodem genere proxima sunt: ex quo quidem qualitatis genere est lapsus, ex eodem petenda sunt contraria. Et si temperatura frigida, & humida fuerit, contraria calida, & sicca sunt assumenda. Cæterum cùm ex temperatura aliqua duplici ratione labi contingat; vel auctis corporis, membrisúe alicuius præter modum qualitatibus caliditate, frigiditate, humiditate, aut siccitate, nulla accedente materia; quæ huiuscemodi qualitatem incutiat, inteo datùe, vnde actiones deprauatiores reddantur; vel præsentia affectæ, malęque materiæ auctis, cuius materiæ affectione vitiatur, & afficitur temperies: si qualitatum incrementi recessus fuerit simplex; simplici eidem occurritur indicatione. Nam si recessus ad frigidum fit, calefaciendum;

ciendum; si ad calidum, refrigerandum; si ad humidum, siccandum; si ad siccum, humectandum; sin ad frigidum, & humidum; calefaciendum, & exsiccandum. Et similiter de reliquis combinatis qualitatibus asserendum. Si autē materiei alicuius redundantis vitio mala temperatura euenerit; tunc id duobus modis fieri contingit, aut ratione præsentis materiæ in loco genitæ paulatimq; congestæ, aut ratione fluxus cuiusq; materiei: hi ratione congenitæ paulatimq; congestę materiæ intemperies est; vt rei natura simplex non est, ita nec alterandi, nec immutandi indicationes simplices erunt: quare si materia mala eiusmodi fuerit, quòd commodè sine præparatione, & cōcoctione educatur; tunc prius materia educenda, mox temperies per suum contrariū auferenda est. Si verò materia salubriter educi non potest, nisi præparetur, & concoquatur; tunc prius concoquenda, & præparanda: postea educenda & intemperies; per qualitatem contrariam est tollenda. Si aūt intemperies euenerit propter affluxum malæ affectę materiæ; tunc prius fluxu inhibito temperies per suum contrarium ad suum restituatur statum. Sed ad qualitatis morbi indicationem reuertentes dicimus; quòd quantum scimus de ægritudinis qualitate, tantundem & de remedij qualitate scimus. Si nanque distinctè morbi qualitas nota fuerit: distincta quoque erit remedij contrarij qualitas, & specifica, & accidentalis. Specificam verò qualitatem dicimus; quæ & morbi, & remedij speciem describit. Concludimus igitur, quòd sicut nihil curationem indicare potest præterquàm morbus, qui curatur: siquidem absurdum est aliud esse, quod rationem curandi præscribat; aliud quod curetur: sic nec qualitatem remedij, qua ad curationē vtimur, quidquam indicare poterit, præterquàm ipsius morbi qualitas; quæ cùm curatione indigeat, suo iure contrariam curantem qualitatem poscit, & clamat. Qualitas morbificæ corporeæ caussæ morbos efficientis, siue essentialis, quæ caussæ essentiam constituat, siue accidentalis, quæ accidentaliter illam afficiat, & ipsa pariter cōtrariam curantem qualitatem ostendit; vt salubriter auferatur. Efficientium autem caussarum qualitates, quæ vt plurimum morbos procreant, hæ recensentur: mala quatuor humorum intemperatura, immodica eorundem exuberantia, turbulenta exagitatio, atque defluxio, crassities, & tenuitas, durities, & mollities, lentor, & acrimonia, cruditas, putredo, atque corruptio. Calida nanque humorum intemperies refrigerans medicamentum demonstrat: Frigida calefaciens, humida exsiccans, sicca verò humectans appetit remedium. Humorum exagitatio sedans, ac reprimens exposcit præsidium. Defluxio, tum inhibens, tum repellens vult medicamen. Exuberantia humorum vndequaque euacuans remedium postulat. Crassities attenuans, tenuitas incrassans optat subsidium: durities emolliens, mollities indurans amat medicamen. Lentor detergens expurgansq; acrimonia illiniens, & glutinosum frigidum desiderat. Cruditas concoctionem exoptat. Corruptio inhibens alexipharmacum monstrat. Putredo concoquens suppurans, & expurgans ostendit remedium. Si nanq; horum humorum qualitates, & plures, & compositæ, implicitæque extiterint; similiter plura composita, implicitaque indicabunt præsidia.

Quommodo qualitas status secundum naturam remedij qualitatem demonstret. Cap. VIII.



SICVT qualitas præternaturalis affectus per se remedij qualitatē declarat; sic ex opposito qualitas status naturalis secundò, & per accidens illam comprobat, & monstrat. Virtus enim animātis corporis, cuius munus est vitā seruare, id duplici molitur via, primò nutritione inaniti corporis propriā substantiā alimēto reficiendo; deinde noxiorū reiectione euitando cuncta, quæ eius essentiā alterare, dissoluereq; possunt. Per accidens itaq; 11. meth. c. 9. inquit Gal. Virtus valida ad morbi curationē ducit, dum scilicet malos cōcoquit, & expurgat humores. Virtutis itaq; temperieiq; qualitas, siue essentialis, siue accidentalis, specificaúe fuerit, si remedij qualitas à morbi qualitate demonstrata eidē amica familiaris fuerit, aut saltē non ingrata; eam cōprobat, & adsciscit: si verò ingrata, aut nocua, illam vt malā, & inimicā renuit. Temperiei itaq; qualitas, si in indicādo cū morbi qualitate cōuenerit, concorsq; extiterit, tum remedij qualitas per se primò à morbo ostensa, secūdariò à virtute cōprobata vndiq; cōfirmata permanet, & proficua iudicatur; per se à suis proximis caussis; per accidens, & secundariò à cōibus, & remotis. Si aūt virtutis temperieiq; qualitas ob viriū imbecillitatē, aut ob aliā quampiā caussam, minimè cū morbi qualitate in indicando cōuenit, discorsq; extiterit; & sic dissentientes cōtraria appetāt, & exposcant; tunc mens, & ratio, vt artis domina, & princeps præsto est; quę harū cōtrarietates cōciliat, & oppositas petitiones moderatur penès rerū exigentias, semper quod melius, aut minus est malum, eligens: sic quòd morbo, quantum par sit, satisfacere nititur cum minima virium lęsione, & perturbatione. Sic igitur qualitas remedij à morbi qualitate demonstrata, aut virium confirmatur qualitate; aut mente, & ratione dirigitur.

Quantitas status præter naturam remedij quantitatem per se primò demonstrat. Cap. IX.



VANTITATEM autem morbi, caussæ, & symptomatis nos nominamus horum magnitudinem, mediocritatem, & paruitatem: his etenim quantitatis differentijs affectus præter naturam mensurantur, prout sunt lapsus, & recessus à pristino naturali statu, aut ab eo, qui ante morbum fuit. Propter igitur multum, aut paruum, aut mediocrem recessum, magni, parui, mediocresque & morbi, & lapsus dominantur: lapsus itaque omnis præter naturam, siue fuerit morbus, siue caussa, siue symptoma, à supradictis tribus quantitatis differentijs, & magnus, & paruus, & mediocris semper denominabitur. At in præsenti de symptomatum magnitudine nihil agemus; cùm superius ad morbum, vel ad caussam redigi statuerimus. De morbo igitur & eius corporea caussa sermonem habebimus. Morbi itaque & suæ caussæ corporeæ, quantitas, siue magna, siue parua, siue mediocris extiterit, ipsa quidem est, quæ per se primò remedij quantitatem indicat. Quantitas enim recessus à naturali statu quantitatem præsidij per se primò ostendit; illamque in gradu formæ, aut ponderis mensura præcisè contrariam indicat. Præsidium verò æquè appellamus & medicamen alterans, quod morbum spectat, & medicamen euacuans, quod caussam conspicit. Per eius verò quantitatem intelligimus, vel pondus, sicut vnciam, libram, vel gradum, nunquid quantitas sit primi, secundi, tertij, vel quarti gradus. Quantitas itaque contrarij remedij quantitati morbi, seu caussæ in gradu formæ, seu in mensura ponderis, & molis correspondere debet. Expugnando itaque morbo opponenda sunt contra remedia & in gradu, & in mensura: vt docuit Gal. in arte medic. cap. 89. sic scribens. Quum hic quoque statuerimus pro magnitudine intemperaturæ eidem conueniens inuenire remedium: veluti, si contigerit quòd in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem, quàm naturæ conueniat, decidat corpus; septem verò ad siccitatem maiorem; tunc salubrem caussam in huiusmodi affectibus esse oportebit, decem quidem numeris frigidiorem, septem verò humidiorem. Idem & clarè testatus est lib. 3. de simpl. med. fac. cap. 12. in hunc modum. Vt autem vno verbo exprimam, tanto abesse à medio quod medebitur, quanto ipsum, cui medela adhibetur, oportet. Id quod & in arte med. cap. 89. sic comprobat. Etenim si omne immoderatum est præter naturam, moderatum verò secundum naturam: necesse est omnino; vt immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur: quia si vnum alterum superaret, non fieret medium, sed alterum extremum, excessus inquam vel defectus. Cùm igitur ex horum contrariorum cõmistione debet medium æquale gigni, scilicet sanitas ipsa; relinquitur, quòd hæc productio fieri debeat per contrarium in æquale gradu, & mensura. Nec obstat, quod inquiunt nonnulli, quòd contraria adęquata inuicem non agunt, nec patiuntur: propterea quòd contraria adęquata ęgritudini per se non agunt in eam; sed agunt à natura patientis regulata ipsa, etenim natura contraria illa regulat cum suo calore innato: quò fit, vt calor innatus simul cum cõtrario agat in morbum à proportione maioris inæqualitatis, & sic procedit actio, & curatio. Vel dicendum: adęquata contraria non agere actione transmutatiua, agere autem actione ad medium traducente, id quod nõ obscurè testantur illa verba Philoso. in 2. de gener. & corrupt. text. 48. disputans de mistione, quæ in mediocritate quadam miscibilium elementorum consistit. Quapropter si non coæquentur, mutantur in se inuicem, similiter & in alijs contrarijs; quoniam in tali prouenit actio ab æquali proportione: vt in exemplo Galeni de mist. aquæ feruentis cum pari quantitate glaciei; ex quorum mutua actione tepor medius resultat. Concludimus igitur, quòd quantitas affectus præter naturam, siue magna, siue parua, siue mediocris fuerit, contrarij præsidij consimilem quantitatem per se primò semper indicat in gradu ponderis, & mensuræ. Quod Auic. 4. fen. primi Can. cap. 1. diligenter inspexit, dum inquit. Secundum verò ægritudinis quantitatem; quoniam illi, verbi gratia, cuius corporis caliditas accidentalis est fortis, necessarium est ipsam extinguere cum medicina, quæ sit in infrigidando fortissima: & illi, cui accidentalis frigiditas est fortis, est necessarium eam calefacere cum medicina fortis calefactionis: Si verò non fuerint fortes, medicinæ debiliores quantitatis nobis sufficient. Hactenus Auicenna, qui vnà cum Galeno 7. meth. cap. 13. curationem per contrarium æqualis gradus fieri admonet. Medicationem autem fieri per contrarium æqualis gradus cum morbo intelligimus non formaliter, & denominatiuè; sed potentia, & effectiuè: vt medicamen, & medicatio tantæ sit efficaciæ, & potentiæ effectiuæ ad tantum gradum qualitatis oppositæ inducendum in corpus ægrum; quanto gradu illud est lapsum, & proinde effectiuè, & non formaliter tale denominatur. Item medicinarum, quæ potentia, & facultate effectiuè

huiusmodi

huiuſmodi dicuntur; quædam ſunt conficientes in applicatione vna; quædam in pluribus curationem. Itaq; per contrarium æqualis gradus cū morbo, ſępe nos conſequimur & in vnica medicaminum applicatione, multoties in pluribus: quot autem ſint morbi, qui vnica medicaminis exhibitione ſoluuntur, cùm de modo ſermonē habebimus, dicemus. Concludimus igitur, quòd vniuerſaliter cuilibet morbo gradualiter à ſymmetria diſtanti curatio eſt facienda per cōtraria ſibi effectiuè æqualia in vnica applicatione, vel in pluribus. Nam per curationem oportet morbum prorſus abijcere, & ad terminum ſanitatis deducere. Medicatio itaque tota tantæ debet eſſe virtutis; vt immoderatum reducatur ad moderatum. Si enim contrarium eſſet debilius; tunc illud non reduceret ad temperamentum, ſed remitteret ipſum. Si autem eſſet fortius, perduceret ad alterum extremum: in curatione autem reductio ſemper fit ad medium, quod per contrarium æqualis gradus conſequimur; vt bene 3. ſimpl. med. fac. cap. 12. teſtatur Gal. Contrarium itaque æquale in gradu ſemper adminiſtrabimus, ſi virtus conſenſerit, nec reclamauerit: nam ſi valida virtus cum magno, fortiq; morbo in indicatione magni præſidij conueniat; tunc illud ſuæ conſeruationis gratia ſecundariò demonſtrans approbat, & confirmat; ſi verò exigua, imbecillisq; illa extiterit, & cum valido morbo magnum poſtulante remedium minimè conſentiat, ſed oppoſitum omnino deſiderat, & expoſcit; tunc iſtud æquale in gradu, vt noxium refugit: præcipuè in ſingulari, & vnica exhibitione. Proinde mens, & ratio, artis medicæ domina, ad diſcordias dirimendas, conciliandasq; accedit, & quod melius eſt, aut minus malum, iudicat faciendum, & ad conſequendum proponit.

Quomodo temperamentum, aer ambiens, partisque affecta conditio, remedij quantitatem oſtendant. Cap. X.

MEDICAMENTI quantitas, & morbi, quæ illam demonſtrat, difficiles ſunt cogni- to, & ita difficiles; vt planè cognoſci minimè poſsint: ſicut Gal. teſtatur in libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem cap. 14. vbi ait. Duo hæc ſunt, ob quæ maximè coniecturalis efficitur euacuationis in hoc auxilio quantitas; laborantis natura, qualis ſit, quam vtique adamuſsim noviſſe non liceat, & ambientis temperies, qualis ſit amiſſo ſanguine futura. Idem 3. meth. ſic confirmat cap. 3. ſiquidem (vt ſæpè diximus) nulla eſt in arte medica, nec res, nec medela, quæ ſpecie dicibilis non ſit: ſed quod neq; dici, neq; ſcribi, neq; omnino percipi poteſt, id quantitas in vnoquoq; eſt. Idem reperit in lib. de curandi ratione his verbis. Nihil æquè artem medicam in agendo coniecturalem efficit, vti cuiuſq; remedij quantitas. Cùm itaque & quantitas medicamenti, & lapſus quantitas admodum difficilis ſit cognitu; vt vix à peritis etiam percipiatur: proinde Gal. & antiquiores omnes, & per temperamenti, aerisque ambientis cognitionem, necnon pro partis affectæ natura illam circumſcribere, atque nos docere conati ſunt. Primo nanque libro ad Glauc. cap. 1. de naturali temperamento ſic Gal. loquitur. Quantum nanque à naturali ſtatu vnumquodq; recedit, ad tantam morbus magnitudinem peruenit. Quantum verò recedit, ſolus ille ſcire poteſt; qui naturalem ſtatum exquiſitè cognouerit: ac ideo naturalis ſtatus neceſſaria eſt cognitio. Idem 9. meth. cap. 15. his verbis repetit. Naturam curandi corporis ſcias oportet; vt quantum morbus ab illius ſymmetria diſceſſerit, intelligens menſuram refrigeranti præſidio imponas: at fieri non poteſt, vt quantum à ſe inuicem diſtent, inuenias; niſi compertum habeas, quàm eſſet corpus, aut humidum, aut frigidum, aut calidum, aut ſiccum, cùm valeret: quantumq; ex his exceſſerit poſtquàm ægrotauit. Quippe quod plurimum à naturali ſtatu receſsit, id vehementibus eget contrarijs; quod non plurimum, leuibus: ſanè plurimum receſsit frigidus morbus à corpore natura calido, vt è diuerſo calidus à frigido. Minus receſsit, tum calidus à calido, tum frigidus à frigido: quare ex vtriſque indicatio curationis præſtatur. Hactenus Gal. quem Auic. 4. fen. primi libri cap. 5. inſequutus ſic ſcriptum reliquit. Membri autem cōplexio cognoſcitur; quæ cùm naturalis eius cōplexio ſcita fuerit, & ipſius cōplexio ægritudinalis ſcietur per menſurā exiſtimatiuam, quantum eius cōplexio naturalis elongata fuerit: ſcient ergo menſura quantitatis, qua ipſa reduci poſsit ad ipſam ſanandam; verbi gratia, ſi ſana complexio fuerit frigida, & ægritudinalis calida; tunc iam multa elongatio erit à complexione ſui, & tunc multa indigebit infrigidatione; quòd ſi ambæ fuerint calidæ, ſufficiet ei parua infrigidatio: hæc omnia Auic. Quod autem Gal. de temperamento ſenſit, quòd conferat ad perceptionem quantitatis medicamenti; illud idem de ambiente nos aere aſſerit 9. meth. cap. 15. vbi per ambientis nos aeris continuam, ineuitabilemq; alterationem exceſſus, defectusque lapſus, magnitudinem inquam, paruitatemque morbi oſtendere nititur. Ambiens nanque ipſe

ineuitabiliter mortalium animantium corpora perpetuò alterat, ac permutat. Vbi autem secundum morbi naturam ille alterauerit, & permutauerit; tunc morbum adauget; qui auctus maiorem medicaminis quantitatem ostandit; Si verò è diuerso aeris alteratio, & permutatio contra morbi naturam egerit, tunc illum imminuit, detrahitque: qui imminutus, ac minor factus minorem medicamenti copiā exposcit: sicuti ibidem 9. meth. cap. 14. longo processu ipse exponit; quem Auic. quarta fen. primi libri cap. 1. imitans sic de aere sermonem facit. Cognitio autem rerum, quæ sua significant conuenientia, est ad sciendum tibi facilis; & aer quidem, qui ex earum existit summa, est dignior: cuius rem custodire oportet, & an sit medicinæ iuuamentum præstans, an ægritudini. Aer itaque ambiens, vt caussa adaugens, diminuensúe morbum maiorem, minoremúe medicaminis quantitatem designat; pariter temperamentum; vt etiam caussa adaugens, & diminuens morbum; proni est ei simile, & dissimile; quod aut morbificæ, aut salubris caussæ vicem gerit, maiorem, minoremque medicaminis quantitatem denotabit: alia ratione temperamentum, vt lapsus mensura, quæ differentias quantitatis recessus mensurat, secundum magnitudinem, mediocritatem, paruitatem, per hæc secundariò easdem quantitatis differentias in medicamentis declarabit. Sequitur, vt mente, & ratione perscrutemur; quantum partis affectæ conditio ad auxiliorum quantitatem adipiscendam conducat; ipsæ etenim patientis particulæ status maximè medicaminum quantitatem variat, ac mutat, sicut vbique locorum longus medicinarum vsus, & experientia partium affectarum testatur. Partis autem conditio existimatur ex ipsius conformatione, positu, præstantia, atque sensu in conformatione consideranda, quàm rara sit, & densa; & quas cauitates, spaciositatesque habeat: in situ verò sit ne ea in corporis superficie constituta, aut in profundo demersa; quàm longè absit, vel ab ore, vel ab eo loco, cui remedium impertitur, in præsentia consideratur, si pars sit ex earum numero, quæ principes appellantur, & corpus vniuersum gubernant; cuiusmodi sunt, cerebrum, cor, iecur: an munus publicum habeat, & toti corpori commune, vt pulmo, ventriculus, intestina, renes, vesica; & quæ his subseruiunt, venæ, arteriæ, & nerui: an priuatum magis, sibi duntaxat, & non alijs vtile, in sensu videndum bebes sit ne is, an acutus. Horum autem animaduersione remedij quantitas, atque vis sic est immutanda, & varianda: Pars densa, & compacta remedia exposcit validiora, & attenuantia magis; quorum vis intro subire possit; cuiusmodi sunt renes, iecur, & quæcunque solida pars appellatur. Quæ verò substantia est rarior, vt lien, pulmo, & musculorum caro, mitiora postulat. Quæ verò horum spaciositates babent, & quæ non habent, ita ab Auic. quarta primi cap. 1. ordinantur. Quod autem forti medicina magis indiget, est illud, quod in nulla duarum partium ventriculum habet, neque receptaculum: & post ipsum est id, quod habet illud in vna parte, & post ipsum est illud, quod duabus partibus habet receptaculum; sed est solidum, & spissum sicut rigno; postea est illud, quod ea habet à duabus partibus, & est rarum sicut pulmo. Hucusque Auic. Ijs autem quæ in superficie sunt partibus, talia medicamenta apponere oportet, qualibus eger passio: at ijs, quæ in profundo sunt, & quas debent per multa interposita eorum virtutes attingere: nun qualia nunc sint, sed qualia futura sint, ex situ membrorum agnoscimus. Quare siue medicamentum fit ex ijs, quæ extrinsecus apponuntur; siue ex ijs, quæ comeduntur, aut bibuntur, non præsens eius vis consideranda est, sed qualem obtinebit, cùm ad membrum affectum peruenerit, vt habetur ex Gal. 2. libro ad Glauc. cap. 2. vbi etiam hæc addit; exceptis illis, quæ ventriculo, & stomacho auxiliantur; hæc enim sola talia exhibentur, qualia à passionibus exiguntur; reliqua verò omnia, acriora, ac viribus potentiora sunt, præsertim quæ vel renum, vel pulmonis occasione dantur. Præstantia, & nobilitas membri iccirco mitiora exposcit remedia; ne vehementiorum appulsu, & contagione facultas, aut offendatur, aut dissipetur ad membri conseruationem necessaria. Principi facultati laboranti nullum est afferendum remedium, quod immodicè vel relaxet; vel euacuet, vel refrigeret, vel dissoluat, vel aliena, & mala qualitate sit prædita: sed id semper corroborandi quadam qualitate polleat. Quod autem inter omnia multa custodia dignius existit, inquit Auic. loco præallegato, est cor, & postea cerebrum, & post ipsum hepar. postea addit. Et scias, quòd dare ea pura, quæ laxa faciunt, principalibus membris, & eis, quæ sunt vicina ipsis, est valde timorosum in re vitæ, ob sentiendi quoque præstantiam, neque oculus, neque os ventriculi vehementia, acriaque medicamenta sustinere, tolerareque valent. Hebetioris verò sensus partes, & valida, & acria medicamenta nullo incommodo sustinere, ferreque possunt. Sic vtique mens & ratio, quæ cuncta componit, vt principium moderans, & regnans difficultates soluit, obscuritatesque omnes aperit: & ex varia patientis particulæ conditione multiplici de caussa, variè quoque medicamenti quantitatem limitat, & regulat.

Multiplices modi, qui morbo inest, differentia. Cap. XI.



ODVM morbi dicimus eius constitutionem, consistentiamúe, quæ dicit coniunctionis, connexionisque modum, quem habet cum suis caussis, & symptomatibus: necnon etiam consistentiæ modum, quem tenet, & cum virtute totius, & cum particula patiente, atque corporis dispositione. Qualis nanq; fuerit morbi consistentia in corpore, talem & eius modum dicimus esse; qui quidem cùm multiplex sit, multiplices quoque modos, & medicationum, & medicaminum declarat. Iuxta itaque varias, ac differentes morbi existentias in corpore, varios, ac differentes morbi modos recensebimus. Atque vt ordine rem prosequamur, dicimus; quòd morbi existentia in corpore, aut vna, aut multiplex nominatur: si vna, statim quæritur; an simplex compositane sit, & simplex, benignane, an maligna, vehemens an mitis, continuo affligens, an per interualla, & an caussas, & symptomata habeat, quæ vel vrgeant, vel timorem incutiant. At si plures fuerint morbi, illico inquirimus; an hi disiuncti, disseparatique in corpore consistant, seu manis impliciti, compositiúe sint. Idem de consistentia morbificarum caussarum dicimus, vtputa si materiales morbificæ caussæ turgeant, sintúe incitata fluxione turgentes, an pauco detentæ motu; sicut quæ in venis detinentur, seu quæ firmæ, quietæque in patiente particula permanent: & an ibi, vbi ipsæ exoriuntur, & resident, morbum procreent; an longinquius à sua sede profluentes, distantesque à sua origine illum producant. Ad morbi modum quoque pertinet conferre vires morbi, & naturæ: vtræ nam vires infirmiores, validioresque existant: & in quo gradu fortitudinis, imbecillitatisque reperiantur. Natura quoque loci affecti ipsa etiam inter morbi modos recensetur, simul cum ægri moribus, & consuetudine. Hæ vtique omnes modi morbi differentiæ numerantur; quæ differentes modorum morbi naturas patefaciunt, & suas omnes in corporibus existentias manifestant; quas nobis in præsentiarum placet modos morbi nominare: siquidem modos differentiasque omnes constitutionum morborum declarant. Sicut igitur differentiæ, quantitatis, & qualitatis morbi differentias qualitatis, & quantitatis medicamenti ostendunt; sic differentiæ modi morbi, seu modales morbi differentiæ, (quas sic licet nobis nominare) diuersos curationis modos, differentesque præsidiorum differentias demonstrant. Hæc autem diuersa præsidia diuersosque medendi modos, non indicatione solum, sed & mente, & ratione, & diuisiua, & demonstratiua methodo consequemur. Sed ad singulas exponendas accedamus.

Singularis modus morbi singularem modum medendi ostendit. Cap. XII.



RIMAM modalem morbi differentiam diximus esse, quæ simplicitatem, puritatemque morbi exponit, vti est simplex absq; materia intemperies, & puri, simplicesq; instrumentales morbi absq; caussæ symptomatis, seu alterius morbi coniunctione. Dicimus itaque, quòd simplex affectus simplici remedio propellitur. Qualis igitur morbi, talis est contrarij remedij conditio: simplicis igitur affectus, simplex quoque erit per contrarium curatio: quam quidem multoties medicatione vnica per æqualem gradũ consequimur, multoties pluribus medicinarum exhibitionibus, sed non paris, & inferioris gradus, & ordinis. Sæpius tamen repertæ æqualis euadunt gradus; adeo vt vincere possint. Siquidem in intemperie morbus fuerit, & ille malignus, atque factus; hic non nisi multis adhibitis medicamentis adimitur; quæ inferioris sint ordinis, ac sæpius applicita morbum blande, sensimque eximunt: proinde bene inquiunt, in inueteratis discrasijs, & maximè principalium membrorum paulatim membra sunt temperamento restituenda: nam congelata membra si repente igni approximent, non effugiunt doloris acerbitatem: Si verò in fieri mala intemperies fuerit, & benigna, ac mitis, tunc in vnica per æqualem gradum medicaminis applicatione aufertur. Quare nihil prohibet vim alterantis adæquare, si leuis extiterit discrasia, pariter si vehemens in fieri calida intemperies fuerit, vt in febre ardente euenit, si virtus permittit; nec fit, quòd reclamet; æqualis gradus potentiæ cum morbo frigido, potus exhibitus ardentem febrem extinguit. In facta antè & inueterata intemperie, qualiscunq; fuerit, paulatim leuibus medicamentis progrediendũ: vt bene antiquiores dixere. Super humectatis membris, aut nimium tantummodo calefactis, leniter ad oppositum alterantibus subuenitur. Item membris tabefactis, & marcidis, vires alterantium in intensis discrasijs non conuenit adæquare: sed hoc

est, cùm virtus est fortis, & membra sunt solida. Instrumentalium autem partium morbi, & qui vtrisque partibus communes dicuntur, multi sanantur pluribus medicaminum applicationibus; quæ inferioris sunt potentiæ, & gradus cum morbo: multi vnica medicamiuum applicatione tolluntur; quæ æqualis gradus, & potentiæ cum morbis existunt, sicut renum calculi, vesicæ lapides, suffusiones, mariscæ, verrucæ, caroque omnis addita, necnon ossium disruptiones, luxationesque simul cum paruis vulneribus. Hi & huiusmodi morbi omnes vnica sanantur medicatione; quæ æqualis gradus potentiæ cum morbo fuerit: & si horum aliqui sanitatem minimè consequuntur, nisi alterius noui morbi generatione, qui postea multis sanatur remedijs. Si autem morbus caussas habeat, à quibus existit, ac fouetur; ratiocinando intelligimus à remotione caussæ exordiendam esse curationem; quoniam morbus omnis, qui caussam habet, caussa prius submota remoueri debet: caussa nanque persistente morbus manet, nec penitus euelli potest, cùm recens affectus est in fieri; nec firma adhuc constitutione inhærescit; totus quidem, sublata caussa, plerunque aufertur: at cùm pars quædam eius genita iam est, pars verò iam gignitur, & est in fieri, tunc caussæ sublatio affectum iam genitum non tollit, quocirca caussa primò auferenda, genitus deinde affectus submouendus est. Cùm ergo longior quædam continuatio, seriesque caussarum existit, in qua alia ex alia nasci, & existere conspicitur; & omnes inter se aptæ, & connexæ videntur, suo quæque ordine tollenda erit ab ea curationis ducto exordio, quæ ortu prima, inuestigatione verò postrema fuerit innenta: ab hac sensim, ordinatimque ad cæteras, postremòque ad morbum progressus fiat, suum cuiq; obijciendo contrarium. Hanc profectò curandi methodum ex caussarum affectuumque serie ordinatam ratio ipsa suadet, & docet. Morbus autem vehemens, & continuo affligens, celerem, ac præsentem exposcit curationem; etenim in hoc genere morbi mora periculum affert. Quamobrem peracutis eadem die medendum est; vt rectè præcipit Hipp. Siquidem in his procrastinatio periculo non vacat propter sæuitiem symptomatum vires opprimentium. Mitis verò, ac tardus morbus, qui firmis inhærescit caussis, cunctatiorem expetit curationem. Vbi nempe morbus, ac symptomata vehementiora sunt, & admodum sæuiunt, & sua vehementia non permittunt caussam prius abscindi; tunc licet dictum curationis ordinem peruertere, & ab eo exordiri, quod magis timorem incutit. Ab eo igitur auspicanda curatio in his affectibus est, à quo ægro maximè periculum imminet: ad idque primum medendi consilium dirigere Medicus debet. Siue igitur morbus, siue symptoma illud fuerit, quod acrius, vehementiusque sua violentia affligit, timoremque incutit; ab illo semper exordienda curatio erit. Breuis profectò, & facilis est illa sanatio; quæ vna eademque opera caussæ, morbo, & symptomati satisfacit. At si symptomatis medicatio morbo, & caussæ neque confert, neque obest; tunc non ita celeriter, nec faciliter perficitur curatio. Cùm verò vrgentioris symptomatis, siue morbi sanatio cæteris prorsus obest, atque contraria exposcit remedia, & dum illi vacamus, reliqua deteriora fiunt, vnde difficilior, & diuturnior redditur medicatio: hoc quàmuis malum, longè tamen minus malum iudicamus, quàm permittere, vt morbi symptomatisúe sæuitia ægris vires penitus dissoluantur. Est & alter modus morbi, quem disiuncti, compositi, implicitique morbi constituunt: & ipse quoque suum peculiare curandi modum præscribit: cùm igitur disiuncti, & separati morbi in corpore consistunt; suam quisque seorsum medendi rationem obtinet. Qui verò ita à sedibus longè distant, vt vnicuique sua remedia possint cæteris intactis adhiberi: possunt hi & sigillatim, & pariter coniunctim omnes curari; minimèque refert cui primum propria remedia decernas. Impliciti verò, atque compositi morbi non nisi diuisiua methodo, & ratione auferri possunt. Dicimus itaque, quòd in compositis, atque implicitis morbis accidit interdum; vt horum componentes, atque implicantes partes omnino consentiant: cùm vnius curatio alteri sanando conducit, aut nihil saltem obest: interdum dissentiant; cùm vlterior curatio alteri noxia sit, moramque afferat. Nonnunquàm autem partim consentiant, partim dissentiant: atque eatenus vnius curatio, alteri & prodest, & obest. Implicitos morbos, atque compositos, qui aut congruunt, aut minimè dissentiunt, simul, & seorsum sanare licet: cùmque id seorsum fit, ab vtrouis incipere conceditur; licet etiam & simul, eisdemque remedijs illos tollere. Cùm impliciti, aut compositi morbi ita se habent; vt eorum partes omnino dissentiant; tunc modo vni, modo alteri per temporis interuallum suis medicamentis succurrendum; nec prorsus huic, aut illi; sed vtrique mediocritate, quadam, & contrariorum permistione succurrendum: vt sicut impliciti, & ex contrarijs compositi sunt morbi, ita & implicita, & ex contrarijs composita sint medicamina. Cùm implicitorum, compositorumque morborum partes, partim consentiunt, partimque dissentiunt, ab eo auspicandum, cuius curatio alteri haud quaquam officiat; & ab eo, sine quo alterius curatio compleri nequeat, siue ab eo, quod rationem efficientis caussæ obtinet.

Modus essendi caussæ in faciendo morbum, suum curandi modum declarat. Cap. XIII.



MATERIALIS morbi caussa si turgeat, & de loco ad locum moueatur, & transfluat; eodem die eam euacuare admonet Hipp. 4. aph. 10. cùm immineat periculum, ne præceps in principem partem impetum faciat. Eodem modo materia praua excedens, corrumpensque corporis partes, quam celerrime aut candenti ferro, aut caustico medicamento est absumenda. Verè itaque turgens materia eradicatiuè prius euacuabitur, quàm videlicet corporis robur dissoluatur, vt in comm. monet Gal. vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbat: nec minus eodem die euacuabimus; quæ impropriè turgere dicuntur, qualia sunt, quæ venenositatis rationem habent, aut ratione suæ multitudinis immodicè grauantis, & virtutem opprimentis; aut ratione principalis membri, quod afficitur; aut ratione imminentis periculi ex loco angusto, in quo continetur, sicut in angina, & similibus, quæ omnes cogunt ad subitam euacuationem: vt bene etiam Auic. 4. seu. primi cap. 1. confirmauit; vbi inquit. Aegritudo quoque si multæ furiosæ materiæ fuerit, in principio eam euacuabimus, non expectantes maturationem: & si mediocris fuerit, maturabimus eam, & postea euacuabimus. Et proinde nos dicimus; quòd materiæ quietæ, quæ pauco agitantur motu; & vbi oriuntur, resident, morbumque efficiunt, sicuti humores intra concauitates venarum detenti febres producentes: Hæ non nisi concoctæ, & præparatæ salubriter sunt educendæ, vt rectè nos docat Gal. 1. aph. 22. his verbis. Humores qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante concoctionem: tunc enim naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantem. Videtur siquidem & ipsa post concoctiones, humores discernere, & superfluitates expellere, ac ideo bene enuulit Hipp. Concocta medicari, atque mouere, non cruda, nisi materia turgeat. In regulari itaque curatione morborum materialium concoctio euacuationem præcedere debet. Quod bene & confirmauit Auic. 4. fen. primi cap. 3. inquiens, cùm humor fuerit in vno membro comprehensus, nullo modo moueatur, donec maturetur, & essentiam habeat temperatam. Quæ talis profectò tunc erit, cùm ita obediens facta naturæ fuerit, vt facilè ab ea, vel ab arte euacuari posit. Lenientia verò & aliquam materiæ partem minorantia, quæ ante concoctiones, plerunque exhibentur; & ipsa concoquentium naturam quodammodo sapiunt; & concoctioni auxiliantur: quatenus naturæ concoquenti naturam aduersam, & noxiam minuant, quod ex Gal. doctrina 2. aph. comm. 29. quiuis facilè eliciet, vbi in hunc modum scribit. Præcipuè autem in his remedia sunt, maximè quidem phlobotomia, nonnunquàm verò purgatio, quorum neutrum in vigorem venit vsurpandum. Nam (vt in libro criseon ostendimus) tunc temporis maximè fiunt morborum concoctiones, quæ quò citius fiant, melius est per initia euacuare, vt minorem redditam eo modo materiam facilius concoquat natura. Si autem materia non quieta, sed fluxilis fuerit, & à parte ad partem vtriusque partis vitio fluitet; tunc modus iste morbificæ caussæ multiplicem modum curationis habet: nam vtrique parti, mandanti scilicet, ac recipienti, & viæ intermediæ, atque fluxioni ipsi Medicus consulere debet. Si igitur materia fluit, vel mox fluxura erit a parte aliqua ad solitam patientem particulam; tunc duæ statim ducuntur intentiones, vna respiciens ad membrum mandans; quod ex mala affectione mandat, quod mandandum non erat: Altera ad membrum excipiens, quod ex imbecillitate minimè resistit: vnde recipit, quod recipiendum non erat. Quocirca vtrique pro ratione obsistendum, vt ne hoc recipiat; neue illud mandet, quod percommodè fiet, si affectibus & mandantis, & recipientis membri, vnde defluxus oritur, remedia in contrarium adhibuerimus. Affectus verò quibus membrum mandans afficitur ad fluxionem caussandam, hi vt plurimum recensentur, mala intemperies malam gignens materiam, atque genitæ materiæ qualitates membri expultrices virtutes stimulantes, sicut acrimonia, salsedo, tenuitas simul cum latitudine viarum, & vasorum. Membri autem recipientis affectiones præter loci procliuitatem in primis numerantur, virium imbecillitas, membri mollities, atque eiusdem dolor, & accidentalis caliditas, & cum his omnibus etiam fluxio ipsa morbi præter fluxum facti præcipua assignatur caussa: cùm præcipiti inordinatoque fluentis materiei motu nocumentum excipientibus membris inferat, membrumque conseruet. His profectò singulis affectibus, vnde defluxio exoritur, sua remedia per contrarium adhibentes medebimur. Primum itaque exuberantem genitam materiam per euacuationem subtrahemus: intemperiem factam per suum contrarium tollemus: humorum acrimoniam, & salsedinem obtundemus: tenuitatem crassam faciemus: atque dilatata vasa constringere enitemur. Si igitur vnà cum his membri mollities, cum partis imbecillitate

adfuerit.

adfuerit, atque accidentalis caliditas, & dolor, siccis non mordicantibus medicamentis mollities auferetur: eisdemque siccis adstringentibus robur membris addetur: & accidentalis caliditas simul cum dolore per suum contrarium tolletur: tandemq; fluxio ipsa inhibebitur; quæ præcipua morbi fluxione effecti, & conseruationis ipsius caussa asseritur: Tunc profectò fluxionis curatio perficitur. Quomodo verò fluxio inhibeatur, & per reuulsionem, & per deriuationem, in subsequenti capite iam dicere aggredimur.

Fluxiones, fluentesque materiæ, quomodo suas curationes dicant. Cap. XIIII.



ETSI fluxio, quatenus talis semper dicat motum à sursum ad deorsum, & à supremis ad infima, Medici tamen fluxionis nomen latius capiunt, prout scilicet illa dicit progressum cursumque humoris de membro ad membrum: ac ideo huiusmodi fluxio, quæ humoris fluxum à parte ad partem connotat, aut illum connotat secundum corporis longitudinem, quæ est prima corporis dimensio, sursum inquam, & deorsum; aut secũdum latitudinem à dextris ad sinistra, aut secundum eiusdem profunditatem, interius scilicet, aut posterius; quæ quidem corporis dimensionum partes mutuo se fruuntur, ac inuicem communicant per orificia propriorum vasorum eiusdem lateris; atque per musculorum concauitates, necnon per occultos, apertosque etiam membrorum meatus. Mox hanc ipsam fluxionem Medici distinguunt in nouam, & antiquam. Nouam nominant, quæ cum impetu vt plurimum, & vehementia fluit: atque hæc cum fluoris actu partem quoque fluxam dicit. Antiquam verò nominant; quæ leuiter, parumque fluit, & iam dudum fluxa quiescit, ad terminumque peruenit. Fluxionum præterea aliqua à membro nobili ad loca excretionum profluit; aliqua ad membrum nobile, & multi vsus; & aliqua ad ignobile, paruæque vtilitatis. Ad hæc fluxio, quædam intra, quædam extra corpus terminatur; & aut languidè, aut vehementer. Fluxiones insuper omnes nocumentum inferunt, aut suo non naturali citato motu fluentis materiei, aut superflua materiei deiectione, aut defluxæ materiei præsentia, si intra corpus illa terminata fuerit. Fluxiones igitur cuiuscunque generis fuerint, cùm omnes præter naturam sint, vt reliquæ præternaturales res, suo auferantur contrario: huiusce verò immediatè contrarium Medici faciunt auersionem: hancque in reuulsionem, & deriuationem æquè primò diuidunt. Reuulsio vi fluxionis eiusque vehementiæ opponitur: Deriuatio verò leui, tardæúe motioni, & iam fluxæ materiæ auxiliatur. Reuulsionem iterum duplicem faciunt, simplicem, & localem; atque vtranque & cum euacuatione, & absquè euacuatione. Simplex reuulsio est, quæ fit ad distantissimas partes; & totum, & partem simul euacuat, quæ scilicet fit cum euacuatione. Localis verò reuulsio dicitur, quæ fit in opposito eiusdem partis, vt à fronte ad occiput; & caput præcipuè euacuat. Reuulsio autem commodè opponitur impetui materiei cadentis actu vel potentia, & magnæ pariter fluxioni; vbi vehemens est defluxio; & plurima materia fluens: æquè enim primò reuulsio fluentem humorem, atque pronum, & aptum fluere respicit; quando eiusdem ferè est rationis vterque humor: Nam hic potentia proxima, ille verò actu defluxum facit: propterea bene Gal. in libro de cur. rat. per venæ sectionem cap. 19. admonet easdem venas esse secandas in præseruatione, quæ in principio affectus secantur. Rectè vtique diximus reuulsionem impetui, & vehementiæ materiei aduersati. Nam reuulsionis tractus ad longinqua, & ipse vehemens, impetuosusque existit; sic vtiq; impetus impetu retunditur: & vehementia, vehementia frangitur. Sed quoniam impetus, vehementiaque reuulsionis cum rei fluentis copia non commodè perficitur in breui, angustoque spatio: Ideo in proportione longum illud exposcit, vnius scilicet integræ diametri secundum longitudinem, aut duorum ad plus, secundum latitudinem, & profunditatem; vt optimè expleri possit. Et propterea fluxionum principia, vbi impetus cum magnitudine viget, reuulsionem ad longinquas partes faciendam esse exclamant. Hanc itaque ad longinquam auersionem nomine reuulsionis antiquitas notauit: & inde reuulsio ad longinquas reuellere partes vbique à Medicis asseritur. Reuulsionis nanque nomine abutimur, cùm à principio ipsam reuellere dicimus: at si talis aliqua à Medicis nominatur, mistam naturam reuulsionis, & deriuationis habebit. Idem quoque euenit & in locali reuulsione, quæ & ad contrarium, & ad distantem locum facienda est. At si hæc admodum distanter fieri nequeat; satis tamen erit; si talis fuerit, qualis membri conditio patitur. Quoniam diximus reuulsionem ad distantem, contrariamque partem fieri; & iam exposuimus, vt per distantem fiat: superest, vt qualiter per contrarium efficiatur, explicemus. Primum ambigunt an contrarium;

quod

quod reuulsio appetit, sit contrarium, quod fluxionis origini aduersatur, an verius, quod eius fini opponitur; cùm reuulsio semper dicat & principium, vnde exoritur, & finem ad quem terminatur: sed quia defluxio à fine, & non à principio denominatur: meritò contrarium quod reuulsio appetit, est illud quod fini, & non principio opponitur, membro scilicet recipienti & non mandanti, seu infimo, imoq; membro, per quod fluxio extra corpus fertur. Contraria itaque fluxionis, quæ reuulsioni contrariantur, sub duplici assignantur differentia: aut enim directè, aut obliquè contraria dicuntur: atque hæc in duplici reperiuntur discrimine: aut enim directè contraria sunt penès extremos terminos longitudinis corporis, sursum scilicet, & deorsum; quæ ex directo maximè distant, vnde directè contraria dicuntur: & sicut longitudo est prima corporis dimensio, mox latitudo, postea profunditas; ita contrarietas, quæ à longitudine prouenit, prima erit; deinceps, quæ à latitudine; postremo quæ à profunditate: Contraria itaque secundum extremos longitudinis terminos prima contraria sunt: & cùm ex propria natura secundum rectam lineam opponantur, directè opposita dicuntur: aut obliquè, & indirectè contraria illa erunt; quæ non propria, sed aliena natura contraria existunt: sicut intermediæ situatæ corporis partes eatenus contrariæ traduntur; quatenus extremarum partium naturam participant, sicut & medij colores obliquè, & inuicem, & extremis coloribus opponuntur; quoniam non propria, sed extremorum natura talia sunt: & vt magis, & minus extremorum participes sunt, magis, & minus contraria asseruntur. Per *Catixin*, nempe per rectitudinem reuulsionem fieri Hipp. perpetuò admonet; quoniam quæ per lineam rectam est contrarietas, prima est, facilis, atque breuissima. Cæterum quæ ex directò fieri non potest, ea obliquè, & indirectè molienda est. Obliqua autem, & indirecta contrarietas omnis (vti diximus) aut virtute primæ, aut eius communione, & participatione talis existit: Atque hæc etiam suo modo directa dicetur. At præter dimensionum corporis rectitudinem, alia quoque vasorum rectitudo à Medicis recensetur, vnde contrarietas iuxta vasorum rectitudinem exoritur. Vasorum etenim rectitudo dicitur eorundem rectus, continuatusque progressus ab vno ad alterum vicinum membrum. Contrarietas verò secundum vasorum rectitudinem erit contrarius progressus originis fluxionis per eadem continuata vasa effectus. Ac ideo quarta fen. primi cap. 1. scripsit Auic. Fluxionem distrahendam esse ad distantem partem contrariam secundum rectitudinem, quam explicauit per membris societatem. Addidit cap. 3. eiusdem fen. ipse Auic. Cùmque materiam ad longinquum trahere volueris, loci dolorem prius sedabis; vt ipsius minuatur compressio, seu coarctatio per attractionem; quoniam dolor est trahens. Et cùm ad locum non obedit, ad quem ipsam trahis, non violenter agas; quoniam quandoque violentia illa ipsam mouebit, & subtiliabit, & non trahetur, & fiet velocius declinans ad dolentem locum; quæ cuncta ab Hipp. & Gal. habuit sexto Epidi. part. 2. aph. 8. vbi ait Hipp. renitenti cedere, quo loco Gal. subscribit. Neque enim semper in retrahentibus auxilijs permanendum est, sed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet: & quæ sequuntur. deinceps ibidem subdit Auic. Et forsan tibi sufficiat, vt trahas; licet non euacues; quoniam ipsa attractio eius iter ad membrum prohibet, licet non extrahatur: per ipsam ergo attractionem ad intentionem perueniemus, licet cum ipsa non euacuaueris, sed declinatione contentus fueris; quæ fit ligando membra opposita, aut ventosis, aut medicinis rubificantibus, & ad summum cum omni quod dolorem efficit.

Diuturnæ autem, & antiquæ fluxioni, vbi fluoris impetus destitit, & iamdudum fluxa materia in corpore quieuit; & nulla, aut pauca superest fluxio, seu illa leniter, languidèque extra corpus fertur; hoc modo, & sermone occurrit Auic. quarta fen. primi cap. 1. Sed cùm accidit, vt tota materia iam sit effusa; vtræque res ei conferunt ex parte; quoniam si voluerimus, accipiemus eam ex ipso membro; & si voluerimus trahemus ipsam ad membrum propinquum, quod associatum est; & eam ab eo extrahemus, quemadmodum duas minuimus saphenas, in matricum ægritudinibus, & venam quæ sub lingua est cum medicari volumus apostema duarum amigdalarum. Leui igitur & tardæ fluxioni, atque materiæ iam fluxæ, & proinde inueterato affectui deriuationem Medici opponunt. Hæc profectò vt docuit Gal. in art. med. cap. 95. per partem affectam, materiam extrahit; vel ad propinquam deriuat: ita enim ibi scribit Gal. Per locum verò patientem euacuabitur, partim quidem manifestè, & sensibiliter, partim verò in vapores tenuata; quod fit scarificationum auxilio, & medicaminum; quæ vim habeant dispergendi. Et vt breuibus tandem rem perstringamus, materiei fluentis, & iam fluxæ curationem ad tria tantum capita redigimus: nam fluens materia, vel nunc fluit, vel mox fluxura est, vel partim fluxit, partim fluit, vel iam dudum fluxa quieuit. Si fluit, aut fluxura sit ad partes, loco ad quem defluit oppositas, auertenda, materia indeque euacuanda est; si conquieuerit, aut à loco ipso affecto euacuanda, aut saltem ad proximas partes deriuanda est:

uanda est: si partim fluxit, partim adhuc fluit: & ad locum oppositum trahes, auertesque, & à loco affecto euacuabis; quod vt rectè efficias, disquirendus euacuationis locus est; qui à loco patiente, nec nimium remotus, nec nimium vicinus; sed in medio inter vtrunque positus sit, vt nec simplex auersio, nec simplex deriuatio; sed mista, atque ex virisque media euadat.

Mista auersio ex reuulsione, & deriuatione, vbi administranda, & quæ in cuiusque fluxionis curatione considerentur. Cap. XV.



MISTA ex reuulsione, deriuationeque auersio in antiqua humorum fluxione à Medicis, vtplurimum administratur: in noua verò, & recenti rarò: hæcque adhibetur in loco auersioni opportuno, qui est secundum lateris patientis particulæ rectitudinem apud Hipp. Nam ibidem facta auersio faciliter, breuique tempore iuuamentum præstat. Alij verò aliter dicunt, quòd locus opportunus est particula coniuncta per venarum, aut vasorum participationem cum vtrisque, nempe mandante, recipienteque membro: ex hoc quippe loco, materia facilè ex riuo in riuum deducitur, & extra fertur. Nihil tamen refert, an per rectum, an per obliquum locum materia deriuetur: nam facilis, promptaq; est semper à vicino proximoque loco euacuatio: dummodo pars vicina vias idoneas habeat, per quas noxia materia deduci possit: Aut talis erit locus opportunus in corpore, vt reuulsimus, qui à particula patiente, nec nimium remotus, nec nimium vicinus, sed medius inter vtrunque positus sit; vt nec simplex diuersio, nec simplex deriuatio, sed mista, atq; ex vtrisq; media fiat. Hæc quippe per conuenientem locum facta auersio faciliter materiam auertit; breuique tempore iuuamentum præbet: at necessum est, vt pars ista opportuna, cui reuulsionis, deriuationisque onus demandatur, valida sit, & fortis; vt pondus auersionis sufferre possit; & non infirma, sicut plurimum euenit, vt imbecillis sit diuturnitate mali, eiusdemque violentia, seu multitudine materiei. Si nanque eidem debili adiungatur onus medicaminis diuertentis, ac deriuantis; tunc ob nouam antiquam modestiam pars grauata vt cedat & succumbat, necesse est; & virtute sustinente oppressa, humor profluens præceps deorsum feratur. Si itaque membri debilitas hanc mistam ex reuulsione, & deriuatione auersionem per corporis, vasorumque rectitudinem fieri prohibeat; tunc in latere corporis opposito reuulsio salubriter administratur; quæ & si tardius iuuamentum præstet, cùm oblique, & per partem distantem ipsa fiat; optabilius tamen est tardum, quàm nullum iuuamentum.

Restat, vt quæ in cuiusque fluxionis curatione Medici contemplantur; hic breuiter exponamus, vt eius cognitio principij vndique cognitis perfectè habeatur. Ioannes Caius Britannus 2. libro Meth. med. in omni fluxionis curatione tria perpetuò tenenda esse non minus eleganter, quàm eruditè scripsit; humoris scilicet defluentis qualitatem, mandantis, recipientisque membri conditionem, atque inter medias vias, per quas defluens humor defluit, & cadit, vbi scribit. Sin cùm affluxum materiæ videndum est, sanguis ne sit, quod affluit, an pituita, flaua bilis, an atra, fluxerit ne qualitatis immutatę ratione in calidum, frigidum, tenue, crassum, mordax, putridum, flatulentum, & id genus reliqua; aut quantitate nimia, aut cùm repletio tanta sit, vt aut vasa distendat, aut virtutem grauet; vnde non ab re ad partem imbecilliorem, aut copia sui, aut virtute membri mandantis, atque exonerantis se, nec copiam, nec qualitatem molestam ferentis, vi aut parte patiente prolectante, atque ad se trahente, humor defluere cogitur. Secundum est, vt membri recipientis, & mandantis naturam existimes; sit ne extra, an intus positum: si intus, primum cuius substantiæ sit, disquirere, laxæ ne, vt pulmo, an solidæ vt membrana, & os; cauæ, vt renes, vesica; an secus, vt neruus, chartilago; copiosi sanguinis, vt iecur; an exigui, vt intestina, vesica; multorum vasorum, vt hepar, an paucorum, vt cerebrum, cor, iecur, ventriculus; an accipientis, vt intestina, vesica, caro, cutis; nobilis ne, vt cor, testis; an ignobilis, vt lien. Postremo cuius situs, vt in summo ne fluitet, an imo residat; membro ne nobili, an ignobili adhæreat: Sed quid caussæ sit tantæ virtutis in membro mandante quod depellat, quid debilitatis in excipiente, quod materiam admittat; quod in patiente, quod prolectet, dolor ne an calor, summa diligentia inquirendum. Quibus cognitis, cùm fluxio nulla fit, quæ non aut per vasa, aut meatus, atque vias quasdam, quæ materiam fluentem acceptam aliò transmittant, fiat: sint ne hæ amplæ, an angustæ, rectæ an obliquæ; venæ, an arteriæ, an nerui; vastæ cauitates, an exigua foramina, perscrutandum.

Motus

Motus item, velox ne, & præceps, an tardus, & segnis; ad inferna, an superna accuratè peruidendum. Etenim pro horum varietate medendi iudicium variatur. Hactenus ipse. Et de his hactenus.

Loci affectus conditio suum medendi modum exponit. Cap. XVI.

INTER morbi modos, & loci affecti, natura magnam obtinet partem; quoniam hæc pluribus vijs modum curandi docet. Ipsa nanque loci effecti natura, & sua temperatura, substantia, functionum nobilitate, sensu, positu, & figura operandi modum ostendit. Temperatura quidem, vt si calida, vel sicca naturaliter fuerit, earundem qualitatum aduentitiarum tantam additionem habuerit, vt iam à naturali temperamento discesserit, hominemque ægrum reddiderit; medicamenta tot gradibus frigida, humidaque esse exhibenda indicat, quot calorem, siccitatemque supra naturale temperamentum membri auctam esse iudicabimus, addita etiam re aliqua, quæ pro membri temperatura faciat, ipsique faueat. Ita enim medicamen efficaciter vires suas profert, & à membro, quod confortare intendimus, facilis admittitur. Exempli gratia, vbi cor supra modum refrigerare cupimus, parum calidi præsidij admiscemus; vbi cerebrum calefacere, modicum frigidi: calidum enim cordi, frigidum cerebro familiare est. A substantia, vt si durum, solidumque membrum sit, vt aditus penetrationi detur, medicamento aliquid, quod tenuis substantiæ sit, adiungitur à functionum nobilitate; vt si pro corde, aut ventriculo, medicinam præparemus, quorum alterum spiritus, quo viuimus, & caloris, quo fouemur, alterum concoctioni nobilissimarum operationum auctorem: cordi medicamina odorata, ventriculo constringentia, & calefacientia adhibebimus: & si morbus horum nihil postulauerit, naturaliter odores ad calorem innatum, spiritusque vitales fouendum, astrictio ad retinendum, calefactio ad concoquendum maximè pertinet à sensu; nam si acuti sensus locus est mitioribus, si obtusi vehementioribus, etiam quòd affectio secus exposceret, agendum est. A positu chyrurgus iudicium faciet, quomodo ligandum, incidendum, vrendumque sit: physicus verò quemadmodum inungendum, fouendum, & medendum, tum exhibendum. At vbi morbus, membrum quod in sede interiore positum est, occupat; vt ad id medicamenti qualitas pro morbi ratione penetrare facilè possit; ea eligemus, quæ tenuium sunt partium; aut aliquid admiscebimus, quod suæ substantiæ tenuitate, quod crassum est, in intimas partes deducat; propinquus autem situs æqualia medicamina secundum mensuram suæ ægritudinis: longinquus verò vel profundus vltra iustam mensuram suæ ægritudinis tantum additionis exigit in medicamentis, quantum in itinere ea amittere possunt. Situs autem, & figura partium suas indicationes habet: nam si longa, & præceps fuerit, vt gula, atque hæc exulcerationem patiatur, non semel neque tota simul medicamenta dabimus, sed sensim, & assiduè: siquidem ex transitu, & contactu exulcerationi, quæ ibi est, auxiliatur: præterea, & crassa, & lenta huiusmodi dispositio medicamina exposcit; quoniam per gulam transitus quidem ijs est, quæ comeduntur, & bibuntur: iccirco remedijs eget; quæ adhærere, & vndique quasi concrescere, & agglutinari possint, non autem quæ elui, ac defluere sint prompta, diligit. Eodem modo in vtriusq; intestini, plenioris inquam, & tenuioris vitijs per inferna ne, an superna medicamenti vsum figura patientis loci indicabit. Quo loco agendum membri affecti positura commostrat: vbi enim morbus est, ibi remedium adhibendum; vt si crassiori intestino vitium sit, chlysterem administrabimus: si in tenuiori, pharmacum per os exhibebimus. Si verò ventriculus afficiatur, & vomitu, & pharmaco deorsum ducere curabimus. At si in iecinoris parte gibba, vel renibus, vrinam ciendo, malum auferemus: & si in iecinoris parte caua, & per aluum & per vomitum expurgabimus. Inter indicantia modum morbi consuetudinem & ægri mores, tanquàm res valde idoneas multi recensent: alio enim modo mollis, delicatus, & delitijs affluens morbo leuandus, alio rusticus, & laboribus assuetus, & si idem morbus, eademque recessus quantitas extiterit: delicato siquidem medicinam facies gustu dulcem, odore gratam, substantia tenuem, in summa solitas ægri delitias referentem. Rustico contra nulla, nec gustus, nec odoris ratione habita; eandem pro suæ naturæ conditione exhibebimus. Atque hæc sunt in moribus: illa autem ad consuetudinem referuntur; si æger pharmacis assueuerit: nam si ita est, quòd vis citra nauseam facilè admittit: sin minus mille artibus agendum, mille fucis commendandum medicamentum est; ne alioqui æger medicamentum, aut oderit, aut fugiat. Possumus & his etiam addere vitæ genus, nam faber ferrarius, messor, humidis gaudent medicinis; fullo, piscator siccis.

Modus essendi morbi cum viribus corporis quem medendi modum determinet. *Cap. XVII.*



ODI autem essendi morbi cum corporis viribus sub quadruplici clauduntur differentia; aut enim morbus est magnus, & eius caussa est magna, & coniungitur, aut cum virtute valida, & forti, aut cum virtute exigua, & imbecilli, aut contra virtus est valida, & fortis coniuncta cum paruo, & leni morbo, aut virtus exigua, & imbecillis coniungitur cum benigno, & paruo morbo. Si magnus morbus cum forti coniungitur virtute; tunc hæc morbi, & virium conditio magnum exposcit remedium: extremis quidem morbis extrema remedia diligenter offerenda sunt; quæ quidem diligenter offeruntur, si quod intenditur semel, vniuersimque perficitur, aut sensim, & paulatim; vniuersim autem & semel adhibentur in his similarium partium morbis, & instrumentalibus quos superius recensuimus: sensim, & paulatim ferè in cunctis reliquis offeruntur. Si autem magna morbifica corporea caussa extiterit simul cum virtute valida coniuncta; & hæc suum medendi modum ostendit. Nam si illa turgida fuerit, tunc statim ab initio valentissimum medicamentum afferendum est; præstat enim aliquo virium impendio morbum deuincere quàm sine re; vt ea materia principem aliquam partem offendat: si verò materia non turget, tunc non illico, nec vnica medicatione id, quod morbus exigit, adhibemus; sed per vices partimur, timentes validi medicamenti offensionem vnà cum continua morbi læsione: si autem virtus fortis cum medioeri, sed cum non admodum vehementi morbo vniatur, siue per circuitum, siue continenter morbus offendat; huiusmodi morbi constitutio cùm nec præceps, nec periculosa sit, lentè paulatimque curari per vices expostulat: neque enim extra corporis iacturam vniuersum repente euacuari licet, sicut bene scripsit Hipp. 2. aphor. 51. Vniuersim & repente vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum; paulatim verò, quod sit tutum; cùm enim lentè paulatimque medemur, vtrique tum morbo, tum naturæ consulimus: morbus siquidem expellitur, & natura minimè offenditur. Bene itaque antiquiores persuaserunt, morbis malignis, & impetuosis subitam, & parem medicationem correspondere, mitibus, atque tardis debilem, & diuturnam. Si virtus fortis cum paruo morbo vnitur, tunc nihil moliendum, sed totum negotium virtuti committendum. Si verò mediocris virtus cum magno societur morbo, & cum morbifica caussa magna, tunc magna cum diligentia lenibus, mediocribusque medicamentis medendum. Lenia enim & mediocria medicamenta sensim, longoque tempore affectum omnem depellunt, nullo, aut minimo corporis virium dispendio. Si verò cum mediocri, & paruo morbo, mediocris, exiguaque virtus societur; tunc magis fidenter iisdem blandis repetitis medicamentis perficitur curatio; blanda enim medicamenta sæpius repetita morbum blandè, sensimque adimunt. Si autem virtus imbecillis cum magno coniungatur morbo; tunc valida medicamenta sunt prorsus eiicienda, viribus nanque imbecillibus leuis lentaque curatio est necessaria, eaque semper præeligenda. Si autem cum mediocri, aut non magno morbo nobilis, exiguaque iungatur virtus; tunc fidentius etiam possumus vti benignis medicamentis: & sensim paulatim, donec morbus prorsus expugnetur.

Præsentia indicantium, atque contraindicantium absentia, occasionem, opportunumque medendi tempus ostendit. *Cap. XVIII.*



OCCASIO apud Galenum in libro de opt. sect. duo significat, & morbi tempus; atque id commodum, & opportunum ad agendum: per occasionem igitur nos intelligimus idoneum ad exhibenda remedia tempus: & hanc in duas diuidunt partes, in vniuersalem, & particularem; vniuersalem appellant occasionem, longius quoddam tempus ad id, quod volumus peragendum accommodatum. Particularis verò occasio est illud ferè momentum temporis, quo iam in re aliqua peragenda vtimur, & præceps, momentaneaque ab Hipp. & difficilis cognitu à Galeno denominatur. Vtranque occasionem agendi, ac medendi in libro de opt. sect. ad Thrasy. cap. 38. nos docuit Gal. vbi scribit, Quòd præsentia eorum, quæ remedium postulant, & absentia eorum, quæ possunt impedire congruum agendi tempus, indicant. Tunc enim opportunum est tempus ad agendum; cùm adest

id, quod

id, quod actionem postulat; & nihil interim impedire valet. Præsentia enim rerum indicantium per se primò congruum medendi tempus demonstrat: absentia verò contraindicantium secundò, & per accidens, per abnegationem, priuationemque rerum impedientium. Illud idem confirmat, & approbat ex Gal. dictis id, quod & ratione facilè comprobatur. Nam præsentes tantum corporis dispositiones indicationes faciunt, & idoneum medendi tempus manifestant: non enim præteritæ, quoniam iam præterierunt; neque futuræ; quoniam nondum adsunt: & non entis nullæ sunt partes. Sola itaque præsentia adsunt; & sola ipsa verè indicabunt, & bene etiam indicatio ipsa præsentis, & non futuri, neque præteriti temporis actio dicitur. Præsentia igitur indicantium, quæ actu persistunt, siue corporis natura, siue affectus præter naturam, siue quæ vtrunque consequuntur, extiterint, per se primò idoneum tempus indicant ad agendum; secundò absentia eorum, quæ istud impedire, inhibereque possunt: hæc vt non prohibentia, nec reclamantia, illa vt appetentia, & expostulantia. Postulat autem præsens affectus præter naturam, quia medicamina sanantia demonstrat: impediunt autem, atque inhibent contraindicantia omnia, siue fuerint ambientis aeris constitutiones, siue corporum dispositiones, siue quiuis alter præternaturalis affectus; necnon & facta, & facienda quæcunque tandem primis ipsis affectibus indicantibus contradicunt, oppositumque attestantur; quòd non bona, sed mala sint medicamina indicata, & quòd illa adhiberi nefas; & malum sit: hæc inquam ipsa sunt, quæ indicata administrari negant. Absentia igitur dehortantium, atque præsentia postulantium suo iure medicandi occasionem declarat, hæc vt appetentia, atque exposcentia; illa vt minimè contradicentia secundò comprobat, & affirmat.

Vt morbi temporum vicissitudo medendi occasionem demonstrent. Cap. XIX.




NIVERSALAM occasionem superius nominauimus longius quoddam tempus ad id, quod volumus peragendum accõmodatum: particularem autem illud temporis momentum dicimus; quo iam in re aliqua peragenda vtimur. De vtraque itaque indifferenter medendi occasione sermonem facientes dicemus; vt tempus morbi, atque suæ morbificæ caussæ indicationes faciat, idoneumque agendi tempus demonstret. Ac primum quidem, vt tempus morbi penès propriæ essentiæ agitationem id agat, considerabimus: postea vt tempus penès morbificæ caussæ motionem id ipsum operetur, contemplabimur. Morbi tempus secundum propriæ essentiæ agitationem vniformiter, differenterque remedium indicat. Cùm enim morbi natura sit lædere, afflictareque corpus; nam semper dum morbus existit, lædit, & afflictat: nec potest non lædere: propterea vniformiter agere dicitur; quandoquidem eius munus est perpetuò offendere. Sed cùm id vario, diuersoque modo agat; & diuersimodè semper læsionem moliatur; difformiter istud operari asseritur. Hæc igitur vniformis, difformisque temporis morbi natura, vniformem, difformemque parit indicationem. Vniformiter indicare dicimus, cùm iuuans, pròficuumque remedium eodem modo semper ostendit; differenter autem, quatenus modo istud, modo illud proficuum esse declarat, penès eius diuersum lædendi modum, attestans hoc magis, quàm illud proficuum esse: & propterea modo hòc modo illud agere suadet, iuxta varias dispositiones, quas temporis vicissitudo præstat. Quare in principio, dum paruum, aut leuiter morbus molestat, paruum, ac leue ostendit remedium tunc temporis adhibendum esse; quoniam tunc adest dispositio, quæ istud postulat absque rumore vllo. Dum augetur, & crescit morbus, præsidium æqualiter augendum admonet; quoniam tunc est præsens, quod istud administrare cupit, nec quidquam est, quod reclamet. Dum in summo vigoris statu ipse consistit; tunc morbi magnitudinis gratia, paria magni roboris essent adferenda remedia; quoniam tunc temporis viget, & instat, quod istud fieri persuadeat; nihil tamen exhibetur Hipp. decreto, sed totum negotium virtute committitur; vt viribus omnibus morbum expugnet; & nihil dare pro magno habetur remedio: nam virium robur non aliunde distractum magnopere agit ad morbi expugnationem, & magni remedij vicem gerit. In declinatione autem, vbi morbi sæuitia iam remissa est; & naturæ vires ab onere pugnæ alleuiatæ sunt; magna sed huiusmodi, quæ viribus naturæ sint proportionata, adhibenda sunt medicamina purgantia, maximè ad morbi victoriam assequendam; quoniam adest dispositio, quæ istud exposcit, & omnia consentiunt. Cùm igitur morbus penès propriæ essentiæ motiones quatuor distinctas edat partes; quatuor etiam distincta tempora pariet; quatuorque distinctas indicationes faciet suis quatuor distinctis temporibus assequendas.

Vt morbificæ caussæ motiones idoneum agendi tempus distinguant. Cap. XX.

ORBORVM autem tempora, quæ penès morbificæ caussæ motiones mensurantur, sub triplici à nobis differentia obseruantur. Vna est, quæ ex discessu humoris fluentis procreatur; Altera accidentium, quæ ex materia fluente, ex fluxa, putridaque facta exoritur; Tertia quæ nascitur ex concoctione, præparationeque materiei iam fluxę ad facilem, salubremque eductionem. Prima morbi differentia, quæ à materiei fluxu constituitur, suas partes, temporaque obtinet, penès varias profluxus mensuras: nam dum parum humoris fluit, gigniturque inflammatio eius, principium fit: dum crescit, & augetur fluxio eiusdem, fit augmentum: Status verò inflammationis, & vigor est, dum summa perseuerat fluxio, & multa adest materia fluxa: Declinatio verò, cùm prorsus fluxio cessat, & cùm iam fluxa materia quiescit. Accidentium autem tempora, quæ ex materiei fluentis, & fluxæ copia, atque ex eiusdem ebullitione nascuntur, penès eorundem symptomatum varias in leuitate, & grauitate mensuras, sua varia, diuersaque tempora consequuntur, principium inquam, incrementum, & statum, & declinationem. Materiei verò concoctionis tempora à Medicis habentur ex tribus eiusdem concoctionis mensuris, diminuta scilicet manifesta, ac perfecta, quæ principium, augmentum, statumque materiei coctæ præscribunt. Quælibet itaque morborum interna corporea caussa, quæ varijs agitationis mensuris suas partes, & tempora consequitur, vniformis, difformisque nominatur: Vniformis dicitur, quando vniformiter, aut accidentium iniuria, aut fluentis humoris impetu, aut materiei concoctionis gratia, semper vel nocet, vel alterat. Difformis verò ipsa nominatur; quoniam aut varijs accidentium iniurijs, aut varijs concoctionis differentijs varias consequitur dispositiones difformiter nocumentum, alterationemùe afferentes, & varias consequenter remediorum facit indicationes distinctis temporibus assequendas. Successiuè itaque materiei fluentis defluxio, successiuas pariter parit dispositiones; quæ ipsæ res sunt, quæ suis distinctis temporibus distinctas eduunt indicationes. Puta in apostematu principio, cùm adest impetus fluxionis cum pauca materia, parumque lædente; tunc dispositio huius temporis sola repellentia indicat, aut leuibus admixta digerentibus; quoniam hæc dispositio huiusmodi præsidia postulat ex sua natura. Augmentum verò cùm fluxus, & materiei auctionem denotat, repulsoria vnà cum digerentibus augenda esse demonstrat; quoniam præsens ista affectio hæc remedia petit, nisi aliquid obstet. Status verò, & vigor fluxionis, & materia iam defluxa, æqualiter mixta præsidia ex repellentibus, & discutientibus declarat; cùm præsens sit affectio, quæ istud exhiberi admonet nemine prohibente; declinatio, in qua fluxio desistit, sola discutientia amat auxilia; vt Gal. libro 13. meth. med. longiori oratione docet; quia tunc temporis adest dispositio, quæ hæc fieri suadet. Hæc eadem nos dicimus de varijs dispositionibus ex distinctis accidentium temporibus exortis; quæ iuxta suas adeptas conditiones sua præsidia volunt, & amant. Materiales iterum morbi caussæ in venis, membrisúe consistentes defluxione non agitatæ, sed ibidem permanentes, & ipsæ vniformes, difformesque reperiuntur, & vniformiter, difformiterque indicant. Vniformes sunt; quoniam debiles concoctiones, & cruditates in principio semper agunt, & moliuntur: & proinde vniformiter in principio concoctiones moliendas esse semper declarant. In incremento autem, vbi concoctiones in morbo salubri, & cruditates in insalubri crescunt; hic præstat, vt concoctrici virtuti auxilium feratur: illic auxilium præstandum expultrici incrementi temporis conditio suadet. In statu verò, si victoria est completa, totum negotium est naturæ permittendum: sin minus concocta materia est euacuanda, sic præsenti dispositione demonstrante, & cum imperfectè natura euacuat id, quod relinquit, suppleri à nobis oportet; quoniam morbi reliquiæ recidiuas faciunt. Dicantur etiam effectrices morbi caussæ difformes; quoniam varia agitatione diuersam, & variam concoctionis, cruditatisque differentiam in materia gignunt: vnde quatuor diuersas assequuntur partes, quarum singulæ suam propriam eduunt indicationem, & medendi tempus declarant. Dum enim cruda, prauaque est morbosæ materiæ agitatio, principium morbi describit; quod concoctionem moliendam esse præcipuè ostendit; ita conditione rei exigente, & si purgationem, venæque sectionem tunc temporis Medici operantur, non cruditatis, sed alterius dispositionis gratia; prauitatis scilicet, aut multæ, sanguineæúe materiei ratione illud agunt, vt pondere, & inutilium rerum sarcina natura exoneretur. Cruditas itaque, quæ morbi principium definit, concoctricis virtutis alterationem, & non expultricis facultatis

cultatis expulsionem desiderat. Si nanque morbus salubris fuerit, & concoctrix facultas cruditatem alterare, coctoquereque cœperit; cùm eius actio, & concoctio manifestè appareat; tunc morbi augmentum præscribitur. Si autem insalubris extiterit, & cruditatis, prauitatisque humorum notæ sunt manifestę; insalubris morbi augmentum præscribunt. Salutaris itaque morbi incrementum, quod & concoctionem, & cruditatem pariter conspicit, mistum vtriusque virtutis munus exposcit, remedium scilicet, quod & concoquat, & expellat; vt quod reliquum est cruditatis, concoquat, & quod iam concoctum, præparatumque est, expellat: nam tunc adsunt dispositiones, quæ hæc exigunt: præsertim, si nihil sit, quod prohibeat. Et quoniam longè salubrius concocta, & parata materia, quàm cruda, & renitens euacuatur: propterea in insalubris morbi augmento, atque statu insalubriter semper materia educitur, cùm renitens, contumaxque ad eductionem sit; & magis concoctricis, quàm expultricis munus expostulat. Si verò salutaris morbi morbosa efficiens materialis caussa à concoctrice virtute perfectè concocta fuerit; huiusce effectricis materialis caussæ perfecta concoctio statum salubris morbi constituit; sicut insalubris morbi statum integra, completaque pernicies à violentia caussarum effecta ostendit. Status autem morbi semper abstinendum, & nihil moliendum admonet, præsertim in prima sui parte: sic etenim eius præsens dispositio expetit. Nam si salubris fuerit, satis erit futurum euentum prædicere: si salutaris & expectetur iudicium, nihil nouare præcipit Hipp. in aphor. dum ait. Quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere: vbi verò non integrè iudicantur, in vltima parte status dispositio materiei concoctæ exigit eius euacuationem. Ac ideo in comm. Galenus addit: si quicquam deficiat, id, quod deficit, adiungere conuenit: nam quæ post iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas. Atque ideo morbi declinatio, cùm & materiam concoctam, & crisis pariter reliquias conspiciat, vt hæc ipsa perfectè euacuentur, indicat; quoniam præsens huius dispositio ita præcipit faciendum. Ex his omnibus iam dictis patet; quemadmodum morbi, morbificæque caussæ tempora, & motiones, vt dispositiones dicunt, & connotant, suas indicationes faciant; & inter indicantea scopos recenseantur; qui opportuno tempore sua medicamina ostendunt. Atque hæc quidem videtur Galenus in arte medic. his verbis docuisse. Si enim talia, tanta re. ablata, egeat corpus, nemini dubium, quin etiam in tempore opportuno afferatur occasio. Siquidem temporis inde ortum habet; quoniam fluxile, ac facile, mutabile est mortale corpus, ac pro transmutationis modo alijs alio tempore eget auxilijs.

Finis Sexti Tractatus.



TRACTATVS SEPTIMVS,

DE IIS, QVAE MEDICATIONEM TERMINANT; ATQVE IIS, QVAE EAM FACILEM, DIFFICILEMQVE REDDVNT.



Tria prima principia curationem continentia. Cap. I.



ALENVS nono meth. cap. 14. indicantes curatiuos scopos, indicationesq; omnes ad tria prima capita reducit, ad morbum, quem statum præter naturam dicunt; ad aerem nos ambientem: atque ad temperamentum, quod naturalem statum nominant. Temperamentum verò hoc loco dicit symmetriam, corporisque æqualitatem cum in similaribus, tum in dissimilaribus, atque earundem vnionem. Hæc nanque tria prima capita sunt, quæ generatim curatiuas indicationes omnes complectuntur, atque ad ipsa singula rediguntur; & primi curationem indicantes scopi à Medicis nominantur. Morbus enim, & status præter naturam se tollendum simpliciter demonstrat. Temperamentum autem, & naturalis status curationis morbi, permutationisque mensuram, ac terminum describit, atque eiusdem permutationis facilitatem, difficultatem dicit. At ambiens nos aer inspirandi exspirandique necessitatem ostendit, atque grauiorem, leuioremque facit curationem, seu maiorem, minoremque permutationem dictat: necnon tempus adhibendi, inhibendique medicamina declarat. Galenus autem superiori loco, hæc prima curatricum curationum principia edocens, ita scripsit. Nunc ad pensum rursus redeamus, in paucas summas compendij rem omnem cogentes. Medicatoriæ indicationes à morbo ipso sumuntur, à corporis temperamento, & tertio ab ambiente nos aere, quòd si aliæ quædam antea sunt positæ, vel postea, non hæ modo, verum etiam aliæ dicuntur; omnes tamen ex his in partes deductis natæ videbuntur. Siquidem corporis temperies, quæ illo tẽpore fuit, quo ægrotare id cœpit; quæque ad inuenienda remedia est vtilis; ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos aere ortum habet. Ambiens verò ipse eiusmodi est redditus propter tum regionem ipsam, tum anni tempus, tum cœli statum. Ergo cùm vnum sit eorum, vtrunque ex pluribus tamen tale efficitur. Affectus verò haud quaquam in caussas deduci aptus est: sed in differentias. Nam aut in similibus consistit partibus, aut in instrumentarijs: ac in similaribus quidem, vel simplex est temperies, vel composita. In instrumentarijs circa simplicium partium vel posituram, vel formam, vel numerum, vel magnitudinem, tum quæcunque horum sigillatim traditæ sunt differentiæ, consistit. Hæc itaque illa tria prima sunt, quæ curationem indicant, nempe ambiens ipse cum geminis corporis, siue affectionibus, siue constitutionibus libitum sit appellasse, vna naturali, altera quæ præter naturam sit, quæ sanè morbus est. Non posse autem plura esse genera indicationum, quæ ad medendum pertineant, quàm tria, quæ modo diximus; ex ipsa rerum substantia scire licet. Nam morbus, & sanitas corporis sunt affectus: ille se tollendum, hæc se tuendam indicant. Ambiens verò is est, sine quo nec tolli morbus, nec seruari sanitas potest. Hic igitur caussæ, sine qua non obtinet rationem. At verò cùm quod ægrotat alteramus, nisi constet, quousq; sit mutandum: vtique quando sit ab alterando desistendum, non intelligimus. Generatim igitur in omni curatione agendorum indicationes in his ad summũ tribus consistunt. Hactenus Gal. Qui curatiuos singulos indicantes scopos ad tria prima capita reducit, ad insalubrem scilicet statum, quem nomine morbi enunciauit, & statum salubrem, quem temperamentum vocat, symmetriam, æqualitatemq; corporis intelligens: Tertium aerem ambientem constituit, & vnumquodque

horum

horum separatim suam genericam producit indicationem, atque sui ordinis caput constituitur, in quo particularia cuncta vniuntur. Morbus nanque vniuersaliter curationem demonstrat, suum contrarium corrumpens ostendens, & cuiusque curationis est regula, ad quam singulæ rediguntur. Temperies verò, quæ & æqualitas dicitur, quousque sit mutandum, & quando à mutatione sit desistendum, docet: & ipsa est norma, quæ finem, & terminum cuiusque curationis præscribit. Ambiens verò inspirandi, exspirandique necessitatem declarat: ac perpetuò magnitudinem, exiguitatemque curationis, atque eam ipsam grauiorem, leuioremque demonstrat. Hæc eadem à Gal. 11. meth. cap. 5. repetuntur: vbi ait. Quæ curationem indicant, prout in duo diuiduntur, affectus, quem curamus, & partium ægrotantis temperies sunt; licet autem ea, (vt dictum est) & vna summa interpretemur, dicentes, vnam esse omnium morborum curationis indicationem, nempe contrariatatem ipsam. Qua rursus diuisa, duas existere, morbo scilicet ex ijs, quæ sibi contraria sint adhibenda, remedia indicante, laborantis verò temperie, vnà cum ipso morbo, contrarietatis mensuram definiente. Porrò dictum in illis est, ambientem quoque nos aerem vnam efficere indicationem posse. Hactenus ille.

Temperamentum, & status secundum naturam, tum morbi, tum medicationis terminum, & mensuram præscribit.

Cap. II.

SVPERIORI citato libro 9. cap. 15. ipse idem Gal. plurimis verbis explicare nititur, quemadmodum temperamentum, statusque secundum naturam, alterum à morbo, statuque præternaturali caput curationem docens statuatur, quam quidem doctrinam in præsentia exponere, clarioremq; reddere nostrum est studium: inquit enim ipse. Quoniam id, quod ægrotat, ei, quod valet, est contrarium: vtique per contraria est ab illo in hoc via. At quomodo (inquies) in contrarijs inuenietur modus? Non enim satis est calido affectui admouisse frigida; nisi id debita fiat mensura: cùm alioqui metus sit, si intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur: sin modum excedas, contrarium genus morbi inducas. Qui enim supra quam par est, calidum morbum refrigerat, is sanitatis mediocritate transmissa, alium excitabit morbum, qui frigidus est; quod quò minus accidat, naturam curandi corporis scias oportet: quo quantum corpus ab illius symmetria discesserit intelligens mensuram refrigeranti præsidio imponas. At fieri non potest, vt quantum à se inuicem distent, inuenias; nisi compertum habeas quàm esset corpus, aut humidum, aut frigidum, aut calidum, aut siccum, cùm valeret; quantumque ex his excesserit, postquàm ægrotauit. Quippe quod plurimum à naturali habitu recessit, id vehementibus egeat contrarijs; quod non plurimum, leuibus. Quare ex vtrisque indicatio curationis præstatur, ex statu nunquam salubri, atque insalubri. Vnde & paulò superius dicebat. Iam quoque primas illas tres indicationes, quas commemorauimus, fieri potest, vt redigas ad pauciores sic, vt duo eorum scoporum, qui curationem indicent, omnino capita sint, nempe præsens affectus, quem morbum nominamus; & qui prius fuit, quem sanitatem, & naturalem habitum diximus; id quod in libro de Constitutione artis medicæ. cap. 12. confirmauit: vbi ait. Igitur curandi methodus à sanorum, atque ægrotantium corporum affectu suum habet principium. Hucusque Gal. qui temperamentum alterum curationem indicans principium constituit: propterea quòd vt terminus, atque mensura medicationis rectam, ac certam rationem per se primò demonstrat. Ipsum nanque temperamentum simul cum vnione, atque compositione partium; quæ omnia nomine status salubris, atq; æqualitatis complectimur, insalubri statui, vt medium extremo, contrarium existit: extremum autem nuncupamus affectum præter naturam per excessum, aut defectum à medio. Hic nempe præternaturalis affectus initium sui ortus habet à medio, quod salubrem vocamus statum; hinc nanq; per defectum excessumúe discedens, exoritur, & esse recipit, & ad maiorem distantiam progrediens maior euadit, magisque operationes lædit; quanto enim maior est à medio distantia, tanto maior est morbus: & quanto minor erit, tanto minor morbus erit: quomodocunque tamen distantes reddantur, semper immoderati, & noxij sunt, & sicut per medium, idest per discessum ab ipso constituuntur; sic & per idem medium mensurantur, & terminantur: vnde & mediū, quod est ipsa sanitas, mensura, & terminus nuncupatur. Quoniā sicut centrū, & terminus existens, morbos affectusq; oēs ab ipso prodeuntes metitur, & vt discessus à sanitate dimetitur: ita & ad eandem regressum

dimetiri dicitur: qua enim ratione, & via discessum, eadem via & ratione regressum metitur; est enim medium, & status secundum naturam terminus vnde morbus exoritur, & pariter ad quem ipse per retrogradum iter finitur, & terminatur: & ideo iustè mensura dicitur, & morbi exorsus, & eiusdem exitus: æquè enim mensurat mutationem, & progressum ad malum, sicut regressum, & permutationem ad bonum, quam sanationem, curationemque nominamus. Quamobrem & bene nono meth. cap. 14. dicebat Galenus: At verò cùm id, quod ægrotat, permutamus, nisi constat quousque sit permutandum, vtique quando sit à permutatione desistendum, non intelligemus: Medium nempe est, quod nos docet, quando à medicando, & permutando cessare debeamus: cùm ipsum sit permutationis finis. Id ipsumque demonstrat ex temperata, æqualique eius actione testimonium faciente medicationē feliciter finem suum attigisse; nec vlterius medendo progrediendum esse. Rectè itaque ibidem exposuit Gal. quòd naturale temperamentum, mensuram, & terminum ponit medicationi, ne ad aliquem excessum, aut plus, aut minus declinet; tum vt nouus præcaueatur morbus: tum vt reliquiæ antiquæ non supersint, vt recta, atque perfecta fiat curatio; quæ morbum tollit, & absque pernicie sanitatem restituit. Nec propterea quòd temperamentum morbum, ac eius medicationem mensurat, & rectam certamque curationem ostendit, alterum à sua natura, & extra proprium genus indicare asseritur: nam & si ipsum secundum suam naturam indicans sui custodiam perpetuò indicat: hanc tamen custodiam secundum diuersum eius statum diuerso etiam modo ostendit: nam dum salubre existit, victum, & alimentum consuetum demonstrat pro sui conseruatione: dum verò morbo opprimitur, medicationi, & medicamento permutanti mensuram, terminumque præscribit; vt morbus prorsus profligetur integra incolumiq; seruata temperie: sic enim bene temperamentum sui custodiam gerit familiare victum indicans, dum salubriter viuit, sicut medicamentum mensurans, dum insalubriter degit: neque amicum victum indicare, & medicationem, medicamentaque mensurare est opposita monstrare: sed prout opposita, & diuersa est naturæ conditio, & modi essendi; ita iuxta sui conditionem & modum essendi vtile, & proficuum conseruans demonstrat. Diuersus itaque naturæ status diuersum conseruatiuę indicationis modum dicit: dum enim sanus existit, similia; conformiaque pro sui custodia appetit, & indicat: dum morbo afficitur, & medelam exposcit, medelæ terminum, mensuramque imponit. Sic vtique nec extra suum genus, nec opposita monstrare temperamentum affirmamus. Neque enim simpliciter remedium, & curationem temperamentum indicare nos asserimus, quando istud est morbi proprium munus, & sua iudicatio. Proinde neque vnum ad plura, diuersique generis indicanda assumimus: neq; idem opposita, sui, inquam, ablationem, & conseruationem insinuare dicimus: neque contraindicantis nomine indicans ipsum explicamus: sed duo capita, duoque principia inuicem disiuncta, morbum scilicet, & temperamentum curationem demonstrantia facimus, & vnumquodque separatim suam curatricem iudicationem edere statuimus: morbum nempe remedium, & curationem. Temperamentum verò eorundem terminum, & mensuram; & vnà cum huiuscemodi mensura, & termino sui etiam tutelam, & securitatem agere dicimus. Primum itaque quod sequitur à temperamento in curatione morborum, est cognitio quantitatis morbi, atque medicaminum quantitatis cognitio; quæ morbi quantitati est commensuranda. Cùm autem temperamentum est lapsum, & in pristinam sanitatem est restituendum; tunc medicaminum medicationisque quantitas quantitati lapsus comparatur; vt commensurata, & certa sit medicatio. Complexionis itaque gradum scire oportet, pariterque & lapsus gradum; & quantum inuicem distent, cognoscere est necessarium; quorum quidem cognitio & alterationis, & reductionis terminum edocet, & quando ab alteratione sit cessandum, declarat. Est vtique complexio in alterando, & reducendo, & similiter quisquis naturalis status, tum structura, tum vnio in curando, & medicando, sicut scopus à sagittarijs præfixus; sine cuius agnitione caussalis est omnis iaculatio. Alterum, quod à temperamenti cognitione in morborum curatione consequimur, est facilitatis, difficultatisque curationis notitia: nam lapsus similis faciliter curatur, dissimilis verò difficulter. Ex cognitione enim temperamenti habemus, quæ discrasia inducta facilis sit curatu, & quæ difficilis: similis nanque complexionis discrasia facilioris est reductionis, iuxta illud Hipp. 2. aph. 34. in morbis minus periclitantur ægrotantes; quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus; quàm quibus secundum nihil ipsorum congruit. Atque huius ratio est; quoniam eius caussa paratur debilis; quando simile facillimè patitur à simili: discrasia verò, quæ dissimilis est natiuę complexioni, difficilioris est reductionis, & fortioribus indiget præsidijs: & huius ratio est; quoniam validam, ac præpotentem arguit caussam: fortis enim est ignis, qui in aqua non extinguitur. Vnde natura vehementius patitur postquàm discrasia est introducta, non ob-

ſtante contrarietate natiuę complexionis. Tertium à temperamento in morborum curatione habemus omnem corporis complexionem, ſiue naturalem, ſiue à propria natura lapſam, ſed iam conſuetam, & domeſticam intra ægritudinis tempus ſemper eſſe ſeruandam: vt monet Gal. 5. de ſanit.tuen. cap. 2. niſi ante ægritudinem lapſa complexio incepiſſet reduci. Si quis autem contra ſuperius dicta inſtaret dicens: temperies, & ſanitas, morbo oppoſita ſunt, & repugnantiæ, & diuerſitatis rationem habent, non autem termini, vel menſuratæ: Reſpondemus ſanitatem, temperiemue, quatenus recta, commenſurataque eſt, ſui, & obliqui morbi rationem habere: prout verò eſt agens, & operans; quòd alio, & oppoſito modo, à morbo operatur, & agit; repugnantiæ, contrarietatiſque rationem obtinere: & ſic diuerſimode conſiderata, tum menſuræ, tum contrarij nomen ſortitur. Ad hæc dicimus ſanitatem, temperiemue excluſiuè terminum eſſe, qui morbum à ſe excludit, & ſeiungit. Quare idem terminum, contrariumque eſſe minimè repugnat. Temperamentum itaque iuſta de cauſſa inter primos curationem edocentes ſcopos ſtatuitur; quando terminum, ac menſuram medicationis, medicaminumque præſcribit. Et quoniam facilitatem, difficultatemque eiuſdem curationis dicit: & quia inſuper declarat, qualiter inter ægritudinis tempus ſit conſeruanda, qualiterque permutanda.

Temperies vt corporis accidens, & conſtitutio, principium curationem edocens ſtatuitur. Cap. III.



Nimati autem corporis conſtitutio, & ſimilarium, & diſſimilarium partium, atque harum vtrarunque compaginis æquè primò in temperatam, & in intemperatam diuiditur, vti in ſuas oppoſitas differentias immediatè oppoſitas conſtituentes ſpecies: temperata ſanitatem, intemperata verò morbum conſtituit. Temperies itaque, quæ alio nomine æqualitas dicitur, propria ſanitatis conſtitutiua eſt differentia, ac eius terminos à morbi terminis diſtinguit, & cum poſitiua res ſit, ac perfectè mediocritatis rationem obtineat, extremi imperfecti, intemperiei ſcilicet, ac morbi, priuatiui rationem habentis, vt regula, & norma ſe habet: Intemperies nanque, quam & æqualitatem aliàs dicimus, morbi conſtitutiua differentia ipſum formans, & à ſanitate ſeiungens, cùm immoderati, & priuatiui ſpeciem gerat; ad immoderatam, perfectamque poſitiuam temperiem, vti ad ſui menſuram, & regulam redigitur. Temperatum autem omnino eſt, inquit Gal. libro primo cap. 6. de Temperamentis, quod in vtroque contrariorum genere medium exquiſitum eſt. Temperatum etiã intelligimus, non id ſolum, quod abſolutè, & ad vnguem medium eſt: ſed etiam quod ſecundum iuſtitiam, & in proprio genere tale exiſtit, quod ſuam functionem bene, & citra reprehenſionem obit. At præter hoc quoque temperatum id omne nos dicimus, quod intra eſt ſalubris temperiei, æqualitatiſq; latitudinem; quæ in ſatis amplam extenditur, dum ſcilicet ſolitas, conſuetasque actiones agere poſsit. Hoc profectò temperatum, & medium, & æquale, & rectum iuxta Philoſ. ſententiam 2. de anima nominabimus; vbi dixit, quòd rectum eſt iudex ſui, & obliqui: ſui nanque eſt regula rectum: nam ſuis rectis, certiſque lineis clauſum, rectè, certèque menſuratur: ſimiliter & temperatum ſui regula nominatur: nam ſuis certis moderationis terminis perſinitum inde certam ſui menſuram recipit, eſt inſuper rectum, & obliqui, & immoderati menſura, qua menſurantur. Vt verò innoteſcat qualiter hæc ipſa menſurentur; prius, quommodo obliquum, intemperatumque euadant, exponemus. Obliquum autem dicunt, quod à rectitudine ad tortum quouis modo progreditur. Ita & intemperatum, & inæquale, quod à medio, & ab æqualitate ad extremum, quauis via, & mutatione procedit. Extremum autem vocamus, & parum, & nimis, & exceſſum, & defectum. Receſſus itaque à recto, & medio, vt hæc ipſa perducit, & facit, ita menſurat, & terminat. Eatenus enim obliquum, & intemperatum dicitur, quatenus à recto, & temperato diſcedit: & quanto maior, aut minor eſt receſſus; tanto maior, aut minor eſt obliquitas, aut intemperies: Penès enim à medio, & recto diſtantiam ipſa menſurantur, & terminantur. Et vt rectum, & medium eſt terminus, & ratio menſurandi receſſum ad extremum, & tortuoſum; ita quoque idem eſt terminus, & ratio menſurandi, & terminandi eorundem regreſſum, à tortuoſo ſcilicet & extremo ad rectum, & medium: cùm idem ſit de vtroque iudicium. Accidentalis itaque temperies, quam temperatam animantis conſtitutionem nominauimus: ſanitatis formalis eſt differentia, & vicem formæ gerit ipſam conſtituens, atque à morbo diſtinguens. Atque eius temperata, æqualiſque actio, vti ſupra diximus, in ipſa curatione teſtimonium facit medicationem feliciter ad calcem perueniſſe, finemque ſuum attigiſſe: Eſtque (vti diximus) menſura,

mensura, & terminus; mensura, qua morbi progressus mensurantur; terminus, à quo morbus exoritur fiens; & in quem dum curatur, finitur. Meritò igitur hæc temperies, seu æqualitas, prout sanitas, & medium existit, principium, curationem decernens; ac terminus terminans statuitur, & inter curationem docentia capita coordinatur: cùm sit regula, & ratio recessus ab ipsa, & ad eandem regressus, malarum inquam intemperierum, & earundem curationum: id quod de substantiali temperie dicere non contingit; quoniam nec differentiæ, nec termini decernentis, terminantisque rationem habet: sed verius est sanitatis, & ægritudinis substantiale commune subiectum; quod indifferenter modo vnum, modo alterum suscipiat: licet felicius, longiusque sanitatem quàm morbum recipiat: atque inde sana, ægraque illa denominatur. Cùm igitur substantialis temperies, ac vires sanitas formaliter non sit, nec possit esse, nec termini, nec mensuræ rationem habeat, qua morbi progressus mensurantur: consequenter etiam, nec mensura, nec regula malarum intemperierum, & earundem curationum esse poterit; quare nec inter capita curationem docentia recenseri debet, quando terminus discernens, ac ratio terminandi morbum, & eius curationem, istud principium constituat. Nec enim refert, quòd vires, & temperies pariter secundum naturam sint, & dicantur; quoniam (vti diximus) ipsæ diuersæ sunt, & vt diuersæ, ita & diuersas pariunt indicationes, & diuersa constituunt principia. Vires nanque & temperies, quæ substantiæ sunt, aliæ profectò existunt à temperiebus, quæ qualitates, dispositionesque nominantur; quoniam substantiæ in penetralibus naturæ intimis reconditæ sunt, qualitates verò circunambientes, vt tegmina præcludentia illas custodiunt, & seruant. Differunt itaque primò vt substantia, & accidens: postea vt custoditum, & custodiens, & conseruatum, & conseruans. Vt igitur hæ temperies differentes sunt; ita & diuersa sunt indicantia principia, & diuersas faciunt indicationes. Vires enim & substãtialis temperies, vt quid intimius in arcanis naturæ seruatum alimentum, & sui duntaxat conseruationem in omni naturæ statu demonstrat: neque enim morbum, neque curationem mensurare, terminareque habet: cùm non sit horum terminus, & mensura; sed potius subiectum, quod alternatim sanitatem & ægritudinem semper suscipit. Perpetuò nanque vires saniæ, aut ægræ reperiuntur; neque absque passionibus his vsquam cernuntur: licet felicius, naturaliusque sub sanitate, quàm sub ægritudine persistant: proinde diutius sub illa reperiuntur. Quod enim est sanitatis susceptiuum, non mensura, sed mensuram continere dicitur. Altera verò temperies, quæ & dispositio, passioúe, & inter qualitatis species recensetur, secus profectò se habet: nam & si ipsa etiam perpetuò sui custodiam ostendat; id tamen duplici via, duplicique nomine agit, iuxta duos suos status: dum enim salubris existit, similem, familiaremque alimenti qualitatem indicat pro sui custodia: dum verò in insalubri consideratur statu; sui tutelam & securitatem declarat, præscribendo, mensurandoque iustè, & morbum & eius curationem, vti supra retulimus. Concludimus tandem, quòd temperies, quæ pro sanitate, & non pro viribus supponit; cùm habeat rationem termini, & mensuræ, tum morbi, tum curationis alterum à medicis indicans curatiuum principium verè constituitur. Quod verò de temperamento, contemplatione morbi similarium partium diximus; quòd principium curationem terminans statuitur: illud idem dicimus de æqualitate compositionis, vnitatisque partium ratione morbi instrumentalis, & ratione morbi communis, solutæ inquam vnitatis, quod æquè hæ æqualitates principia eorundem morborum curationem terminantia statuuntur: sicut temperaturæ in similaribus morbis principia constituta fuere. Viuentis nanq; corporis constitutio, vt intemperatam, & in intemperatam ratione similarium partium diuiditur: sic & respectu organicarum in bene constitutam, & male constitutam partitur; pariter respectu continuitatis, contiguitatisque partium in æqualem, in inæqualemque compaginem secatur. Has verò æqualitates omnes, etiam similarium, dissimilariumque partium, atque harum vtriusque, quæ genericæ constitutionis corporeæ primæ species traduntur esse, nomine status secundum naturam antiquiores Medici, & Galenus consueuerunt nominare, quem statum secundum naturam, vniuersale principium morborum omnium curationem definiens constituerunt, & inter prima curationem docentia capita ordinarunt.



Vires

Vires curationem indicare, multis probatur argumentis. Cap. IIII.

I NTER principales scopos curationem indicantes vires suum locum habere, multa suadent argumenta, atque doctorum virorum auctoritates testantur. Primum ratiocinantur; quòd eadem ratione vires curationem indicant, qua temperamentum; quando vires, & temperamentum idem apud Gal. sint: libro enim primo de simpl. medic. facul. cap. 1. & libro primo de præsag. ex pulsibus cap. 4. & in libro de plenitudine cap. 3. vires aut sunt ipsęmet temperaturæ, aut in eisdem cōsistunt, & harum temperierum qualitates, proprietatesue dicuntur. Qua igitur caussa temperies curationem monstrat; eadem profectò & vires monstrabunt: cùm ambæ sint eiusdem substantiæ, & essentię. Argumentantur secundò, vires totam morborum curationem peragunt, & perficiunt: ergo & ipsæ curationem iure monstrabunt: nam qua via, & tramite ipsam peragunt, eadem profectò illam monstrabunt. Quòd vires vniuersam morborum curationem moliantur, eorum, qui in nostra arte principes nominantur, auctoritatibus confirmatur. Hipp. nanque 6. Epid. part. 5. aph. primo cunctam ipsa curatione vires agere affirmat: dum inquit. Morborum naturæ medicatrices, per naturam omnium virtutum naturalium congeriem intelligens, sicut in libro secretorum asseruit Gal. id quod approbauit in arte medic. cap. 87. vbi scribit. Operationum omnium Natura opifex est, Medicus verò minister. Hoc idem etiam notauit Auerroes, dum inquit. Operatur autem sanationem natura suis organis, & instrumentis; quæ quidem sunt calor innatus, spiritus, & temperamentum. Hæc quidem morbosæ naturæ alterationem, præparationem, concoctionemque semper operantur. Ac ideo bene 11. meth. cap. 9. dixit Gal. quòd virium excitatio, roboratioque semiputrida, semimalaque, atque putrascentia concoquit, & persanat. & in arte medic. cap. 89. Concoctio finit putredinem, manente adhuc substantia. Adest & Hipp. peruagata sententia primo aphorismorum docentis virtutis concoctricis munus perpetuò ad concoctionem necessarium fore, dum ait: concocta medicari, & mouere non cruda. Sed clarius adhuc id monet primo Epid. comm. 2. text. 45. dum ita scribit. Concoctiones, crisis celeritatem, securitatemque salubrem semper pollicentur. Neque enim animo concipi potest, quòd post morbi exquisitam concoctionem crisis mala sequatur. Rursus argumentantur. Quicquid ad auxiliorum inuentionem aliquo modo conducit; id fatendum est, ad curationem esse necessarium, & per se conferre: hoc est manifestum ex ratione vtilitatis artis curatiuæ: nam vt nono meth. cap. 7. bene censet Gal. Artis curatiuæ vtilitas est, auxilia, quibus æger sanetur, inuenire: sed virtus, siue valida, siue imbecillis fuerit, in morborum curatiua indicatione ad auxiliorum inuentionem semper necessariò, & per se concurrit; vt clarissimè ibidem manifestat Gal. Virtus igitur per se curationem indicabit. Adsunt insuper Gal. auctoritates plurimæ & in arte medicinali cap. 95. & 7. meth. cap. 13. & 2. ad Glauc. cap. 2. vbi indicationes curatiuas, quantitatem medicamenti decernentes edocet; quæ ex principum membrorum præstantia, atque ex functionibus vitæ necessarijs excipiuntur: ibidemque declarat; quemadmodum communis vtilitas, & necessitas harum nobilium partium, & his proximæ deseruientium, vnà cum sensus hebetudine, & acuitate perpetuò medicamina, & alterantia, & euacuantia moderat, & regulat: atque eorundem debitam quantitatem decernit. Id quod etiam quarta fen. primi libri capite primo cōfirmauit Auic. vbi ait. Et vtilitas quidem, quæ sequitur ex parte virtutis membri, est trium seminarum: Vna est dignitas, & principatus curam habere; quoniam supra membra principalia non faciemus aliquid cum fortibus medicinis; & quæ sequuntur. Hoc idem etiam Hipp. secundo aph. 51. clarissima sententia nos docuit: vbi naturam medicaminum omnium moderatricem declarat, cùm inquit. Plurimum, ac repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum; quoniam omne nimium est naturæ inimicum. Argumentantur præterea ex Gal. & Hipp. sententijs, qui vires inter scopos necessariò curationem continentes enumerant. 11. nanque meth. libro cap. nono Gal. inter scopos. potum aquæ frigidæ persuadentis illas connumerat, dicens. Ergo & si vires cunctæ valentes sint, & febris ardentissima; & concoctionis notæ planè euidentes, frigidam homini dare audacter debebis? Hipp. autem quarto de ratione victus in acutis tex. 19. Tertium necessarium in missione sanguinis requisitum scopum, robur viriū constituit: dum præcipit, in acutis morbis sanguinem detrahens, si vehemens morbus videatur, florueritq; ægrotantiū ætas, & viriū adfuerit fortitudo. Vltimò argumentantur. Bonus habitus athletarū, & exercitatorū 1. aph. 3. sui solutionē & euacuationē indicat: & tamen vires salubres, & integræ sunt morbi, & affectus præter naturā prorsus expertes.

Notanda pro præcedentium argumentorum solutione. *Cap. V.*

PRIMVM notamus ex Gal. doctrina 9. meth. cap. 14. tria tantum per se primò curationem indicantia capita numerari. Morbum, temperiem, & aerem ambientem. Morbus vnà cum caussis, & symptomatibus cùm sint res nociuæ, & inimicæ corpori nostro, primò, & per se sui ablationem, & curationem simpliciter demonstrant. Temperamentum verò, seu æqualitas cùm terminus, mensuraque morbi sit: ipsum etenim (vti diximus) intemperiem, inæqualitatemque omnem præter naturam mensurat, & terminat; vt terminus etiam, ac mensurans rectam, certamque curationem per se primò indicare asseueratur. Ambiens aer tertium per se indicans dicitur; vt perennis ineuitabilisque caussa, aut salubris, seu morbosa, salubriter, insalubriterue agens grauiorem, leuioremque curationem demonstrans. Sed notandum est, quòd vires primò, & per se sui custodiam indicant, & tutelam: atque hæc virium indicatio primaria omnium indicationum prima nominatur; secundariò, & per accidens morbi curationem demonstrant. Primam huius notandi partem nono meth. cap. 13. explanat. Gal. cùm inquit. Maxima igitur dignitas ipsarum est virium; quando viuere ipsum nobis ex harum custodia constat, vtporè cùm vitam, aut ipsas esse vires, aut earum actiones, sit necesse. At vita ipsa nihil esse prius in animantis corpore potest: propterea quòd nec sanos esse citra vitam licet. Virtus ergo prima omnium custodienda hominibus est. Mox declarat qualiter duobus modis ipsa custoditur. Seruabitur autem, inquit, si nec eius substantia inaniatur, nec tanta alteratione alteretur, vt ea corruptioni sit propinqua: atque huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam præsentem seruamus, vel absentem inducimus. Custoditur nempe virtus, inquit Gal. alimenti præsentia: alioquin per eius absentiam marcescit, tabescitue. Conseruatur insuper præcauendo eam à fortibus alterantibus, & corrumpentibus. Ad eius quoque custodiam pertinet, addit, si temperiem, quæ vires quasi velo tegit, inuoluitque vt inuolucrum, & tegmen conseruans, talem qualem esse oportet seruauerimus, aut si talis non extiterit, ad talem reduxerimus. Virtus itaque seruatur alimenti præsentia ne inaniatur, & præseruatione à corrumpentibus rebus, & proficuà temperiei conseruatione, atque amissæ reparatione: Alteram notandi partem ibidem declarat Gal. dum ait. Prima igitur omnium indicatio est; quæ à virtute sumitur: verum non sic prima, vt quæ curationem doceat: cùm ex numero curatricum indicationum non sit. Verum (vt ita dixerim) vitalium, siue quæ ad vitæ custodiam pertinent: nam neque vt valeamus, neque vt à morbis vindicemur; ab ea quicquam primum desumimus, sed vt viuamus. Additum autem est in sermone illud primum, quod ex accidenti aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit. Hactenus Gal. Iam itaque supra retulimus: quemadmodum virtus custoditur alimenti præsentia, & corrumpentium caussarum remotione, & vtilis temperiei seruatione, atque deperditæ reparatione. His nempe quatuor modis perpetuò virtus seuum esse protrahit, & defendit. Cùm autem contigerit ipsam alterantibus, corrumpentibusque morbosis affectibus subijci; tunc pro sui custodia, & tutela primò, si valida, fortisque extiterit, illos alterat, concoquit, permutat, vtilesque reddit, & hoc sicut diximus propter se primò agit: deinde pro affectuum præternaturalium curatione, & amotione, veluti per accidens, & secundaria intentione. Et hac de caussa dicebat Gal. quòd virium fortitudo aliquando ad affectus curationem conducit; sicut 11. meth. cap. 9. hoc ipsum exponens repetit: quòd virium excitatio, corroboratioque semiputridos, semimalosque humores concoquit, digerit, corrigitque, pro sui inquam custodia primò; secundariò, & ex accidenti pro morbosi affectus sanatione, & hoc non semper (ibidem dicit Gal.) sed aliquando consequimur. Concludimus igitur, quòd vires in actu curatiuo, siue validæ, siue imbecilles fuerint, dum fortia medicamenta, aut admittunt, aut moderantur, aut prohibent; quicquid ratione alterantis, euacuantisque medicaminis moliuntur; id omne sui custodiæ gratia primò operantur, secundariò propter morbi curationem. Tertium notandum. Vires, & si secundariò, & per accidens ad morborum curationem faciunt; necessariò tamen in ipsa expetuntur: propterea quòd ad præsidiorum inuentionem conducunt; vt 9. meth. cap. 7. ratiocinatur Gal. dum ait. Quicquid ad auxiliorum inuentiones quomodolibet conducit; id fatendum est ad curationem esse necessarium. At vires huiusmodi sunt: vires igitur ad morborum curationem necessariò requiruntur: sunt etenim necessariò requisitæ, & si non per se curationem demonstrent: nam aliquando omittuntur, & negliguntur, vt in salubribus, & dum leuia, & facilia administrantur medicamina: nihilominus præsentes semper in curationibus sunt: & quicquid agitur, tandem earundem gratia agitur, & si non immediatè, mediatè tamen ad præsidiorum inuentionem faciunt. Et si enim vires (addit Gal.) aliquando magis, aliquando minus in curationibus necessariæ visuntur:

semper tamen ad curationem, & auxiliorum inuentionem conferunt, siue validæ, siue imbecilles fuerint. Nam cùm validæ extiterint; & magnum exposcit morbus remedium; si absq; timore, & peccato illud admittant, & tolerant; tunc suo modo, vt permittentes, & tolerantes ad remediorum curationem conducunt. Si verò imbecilles sint, & magnum à morbo expetitum remedium renuant, pertimescantque; tunc aut illud moderantur, aut eo prætermisso, alterum eligunt, & offerunt, quod sine timore, & offensione suscipitur: vt bene quarto de tuen. sanit. cap. 4. his verbis animaduertit Gal. Quòd si quis, vel propter ætatem, vel timiditatem, sanguinem sibi detrahi negat, huic deijcienda largius aluus est; aut si id quoq; suspectum habeat, alia ratione educendum superuacuum est. Sic igitur virium infirmitas illud renuens, hoc tolerans remedium, suo modo confert ad remedia inuenienda. Et si enim vires ad curationem concurrant necessariò: non propterea earum necessaria concursio inter capita curationem indicantia numeratur; quoniam non primò, & per se morborum remotionem, sed propter sui ipsarum tutelam illud agunt & operantur. Quartum notandum ex Galeni doctrina 9. meth. med. cap. 12. Quòd vnum duntaxat per se indicat vnum, nec vnum ad plura diuersique generis indicanda assumitur: siquidem vnius vnica est natura, quod nos sic probare possumus. Natura vna per se vnam motionem habet, quæ motio naturalis dicitur indicatio; & ratio huius: quia vna facultas tantum vnum habet actum, quia suo actui, est sua quæque facultas accommodata; quoniam vnum, & multa simul esse nequeunt: & huius ratio est, quia vna natura est vnius rei: huius verò suprema caussa; quoniam ens, & vnum conuertuntur: sic enim constat quod Galenus inquit: quicquid pro sua natura indicat, id vnum semper indicabit; eo quod vnam habeat naturam: & id quod indicatur per se, ab vno solo indicatur: nimirum cùm & illud vnam naturam habeat, quæ vni indicanti respondeat. Cum igitur indicatio à natura rei sumatur, & vires vnicam duntaxat viuificam naturam dicant; fit vt indicatio, quæ ab ipsis excipitur, vna sit, vtpotè sui custodia; quoniam cùm vita viuentibus bona, iucunda, proficuaque sit, omnibus modis se conseruari velle indicat & per iuuantium fruitionem, atque nocentium ablationem, vt 9. meth. cap. 13. refert Galenus. Ergo vires quoque vnam rem semper indicabunt, vtique sui custodiam. Quibus ergo (roget quis) rationibus vires seruabuntur? nempe potissima ea ratione: ne quod ex substantia earum, vel inanitum, vel alteratum est corrigendo, secundariò prohibendis ijs, quæ ipsarum substantiam vacuare, alterareúe possunt. Comprehensa verò inter ea, quæ alterant, breuitatis caussa sint, & quæ earum vnitatem distrahunt. Morbus verò & ipse consimiliter cùm vnam semper lædentem, afflictantemque naturam dicat; indicatio ab eo deprompta vna erit, nempe sui ablatio; quoniam cùm mala, nocua, infestaque sit, sui remotionem omnibus modis demonstrabit, & per alterationem conuenientem, euacuationemque, atque huius generis reliqua medicaminum. Quintum notandum. Virtus, & si sit prima in ordine vitalium indicationum; non tamen est prima in numero curatricum; quoniam curationem non per se primò monstrat; & si necessariò per accidens ad ipsam requiratur. Nam pauló ante dicebamus, quòd virtus per se primò sui tutelam, & morbus per se primò sui remotionem demonstrat: vterque autem vitæ custodiam, vt communem scopum, continetur. Sextum, ac vltimum notandum ex Gal. doctrina est 9. meth. cap. 10. vbi recenset, quòd sanitatis conseruator, & morborum curator vterque vitæ custodiam pro communi scopo habent: æqualiter enim ambo vitam custodire intendunt; quoniam (vt superius est dictum) vita sanitatis, ægritudinisque subiectum existit; circa quod vicissim hæ affectiones versantur: & ideo absque vita nec seruari sanitas, nec morbus tolli potest: vterque itaque idem exoptat, & amat: nam æger, sicut sanus, suas ægras vires tutari desiderat, & mauult se ægrum esse, quàm non esse. At in executionibus ij artifices differunt; quoniam (vt bene ibidem notauit Gal.) quod secundæ valetudinis tuendæ gratia geritur, idem statim & vitam tuetur. At quæ affectum præter naturam in nobis discutiunt, ea non omnino vitam custodiunt. Differentes itaque admodum sunt, & curantis, & conseruantis Medici actiones. Nam hæ omnes consentiunt ad virium tutelam, & perennitatem seruandam: illæ verò nisi opportuno tempore, & debita mensura fiant, vires lædunt, & multoties intempestiuè, perpetamque exhibitæ è medio hominem tollunt. Hæcque de suppositis dicta sint.



Argumentorum

Argumentorum solutiones. *Cap. VI.*



ELIQVVM est, vt pro viribus iam expositis argumentis satisfaciamus. Ad primum argumentum erat eiusmodi. Vires vniuersam curationem peragunt: qua igitur via curationem perficiunt, eadem & illam indicabunt. Respondemus vires totam perficere curationem, primò sui custodiæ gratia, secundariò morbi pellendi caussa; quoniam (vt in secundo, & quarto notando fuit dictum) ad virtutis custodiam pertinet, alterantes, corrumpentesque caussas propellere, & præcauere: istud itaque pars conseruatricis indicationis habetur. Quando igitur vires morbum cum suis symptomatibus, & caussis expugnant, tunc id primò operantur propter sui tutelam; deinde propter affectuum præternaturalium amotionem quasi per accidens, & secundariò. Vt igitur vires conseruationis gratia primò curationem moliuntur, ita quoque & conseruatricem primò demonstrabunt indicationem; secundariò, & per accidens curatiuam. At dices eadem ratione, & temperies, cùm & ipsa sit secundum naturam, primò conseruatricem faciet indicationem. Ad hoc respondemus non parem esse rationem; quoniam temperies, & si sit secundum naturam, morbi tamen aliquid habet; vtputa mensuram, & terminum: & vt terminus, & mensura, rectam, certamque curatricem morborum curationem dicit: id quod viribus non contingit; quando morbi nullam rationem habent, sed suam simplicem, puramq; tantum viuificam denotant naturam, secundum quam indicantes conseruatricem per se primò vnicam indicationē faciunt: nam (vt in quarto notando diximus) vnum duntaxat per se indicat vnum; licet per accidens, & secundariò plura indicare dicatur: huius quoque ea ratio asseritur; quòd conseruantis scopus est vitæ tutela; ac ideo primò indicatur: nam vt in vltimo notando diximus; & conseruans, & curans pro communi scopo habent vitæ custodiam. Ad auctoritates autem confirmantes Naturam, naturalesque vires morborum, caussarumque lædentium curationes cunctas perficere; quoniam perpetuò crudum, putridum, malum, semimalum, semiputridumque humorem alterant, concoquunt, digerunt, & expellunt, ac tandem morbos deuincunt, morbosasque caussas abijciunt, & symptomata mitigant: respondemus, quòd & si vires, natura, calor innatus hæc omnia necessariò in morborum curatione semper operantur; tamen quia primò, & per se vitæ custodiendæ gratia & propriæ commoditatis, & non morbi, suarumque caussarum, & symptomatum caussa hæc agunt; ideo conseruatiuam primò, & non curatiuam indicationem facere, secundariò tamen, & per accidens curatiuam agere indicationem. Quarè (vt in tertio diximus notando) vires, & si semper, & necessariò in morborum curatione expetuntur: id tamen secundariò, & per accidens euenit: vt in secundo, & quarto etiam exposuimus notando. Cùm itaque vires in morborum curatione vitam primò, non morbum semper intueantur; meritò conseruatiuam primò, curatiuam secundariò indicationem semper parient. Si nanque vires secundariò, & per accidens curationem indicant; iure à principijs curationem per se indicantibus seiunguntur. Etsi primas in indicando obtinere partes dicantur; non in ordine curatricum, sed vitalium id asseritur; vt in vltimo fuit dictum notando. Ad id verò, quod inquiunt: Vires ad remediorum inuentionem plurimum facere: respondemus, sicut supra, non per se, sed secundariò id agere. Fuit alterum argumentum à nobilitate membrorum principalium, atque ex functionibus vitæ necessarijs sumptum; & ab acuto, hebetique sensu partium. Nam horum facilitas, difficultasque patiendi, atque illorum communis necessariusque vsus, & actio medicamina, medicationesque cunctas regulare, moderarique asserebantur: hoc ipsum etiam naturam præstare in omni medicatione testatus est Hipp. vbi scriptum reliquit: quòd omne nimium est naturæ inimicum. Ad hæc cuncta dicimus: si membrorum principalium, & his deseruientium actio, & munus, atque sensilium partium acuitas, & hebetudo, medicationes, medicamentaque moderantur & regulant: hoc ipsum primò, & per se propter sui custodiam, & tutelam illa operari, non propter morborum curationem, nisi secundariò, & obliquè: proinde conseruatricem primò, secundariò curatricem indicationem facere: ideo iure hæc excluduntur à tribus primis generibus curationem indicantibus; quæ rectè, & per se, & non obliquè, & per accidens curare demonstrant; sicut in quarto notando exposuimus; quòd vnum per se indicat vnum: nec vnum ad plura, diuersiq; generis indicanda assumimus. Ad alterum autem; quod inquiunt: membri, & actionis præstantiam remedij quantitatem monstrare; dicimus à quantitate morbi per se remedij quantitatem ostendi: à membri verò, & actionis præstantia sui custodiæ caussa primò illam præscribi: sed secundariò morbi quantitati consentiens illam affirmat. Erat alia ratio ex Gal. Hippocratisque auctoritatibus sumpta: Nam Gal. 15. meth. cap. 9. vires scopum salubris potus aquæ frigidæ in febre ardenti constituunt: Hipp. eadem quarto de regim. acut. morb. tex. 19.

scopum

scopum venæ sectionem approbantem, reprobantemque facit. Respondemus, quòd aquæ frigidæ potus præsidium per se primò indicatum est ab adurente febre, quæ calida, & sicca passio existit: huius verò certum contrarium est aqua frigida. Quare bene 11. meth. dicebat Gal. Ipsius autem febris, prout febris est, aqua frigida semper est remedium. Vires verò, & præcipuè naturales, si validæ fuerint in ardente febre, tunc frigidam appetunt: & vt salutarem contra febris ardorem propter earundem tutelam illam recipiunt: si verò imbeciles extiterint; & frigidam pertimescunt; & vt lædentem, aut aptam lædere caussam reijciant; huiusmodi caussæ reiectio ad vitæ custodiam spectat. Quæ nanque vires lædentia, aut prona lædere propellunt, hæc primò vitam tutantur; mox mala profligant lædentia. Ad rationem itaque dicimus: si vires propria auctoritate frigidæ potum in febris sanatione admittunt, renuuntúe; primò ipsarummet gratia, vt incolumes seruentur, id moliri; secundariò, & per accidens febris sanationis caussa: & propterea inter per se curationem indicantia minimè numerari. Ad Hipp. autem, qui robur virium in sanguinis missione tertium necessarium scopum facit, qui Phlebotomiam modo liberè admittit, modo moderatur; aliquando prorsus prohibet. Respondemus; quòd verus scopus venæ sectionem indicans est materialis morbus magnus præsens, vel futurus: Cuius quidem materia, aut humor, aut sanguis existit; aut ab eius natura non multum distat; qui quidem inutilis, & vitiosus factus, aut ratione malæ qualitatis erodentis, aut alterius consimilis, aut quantitatis, siue molis, siue virtutis, aut vtriusque ratione, siue sui impetus, motionis, fluxionisque caussa; omnis huiusmodi in sanguinea massa affectio magnum faciens morbum, aut facere promittens, per se venæ sectionem primò demonstrat; quando huiusmodi dispositio vniuersum lædit corpus, & omnes perturbat humores; ac imminens, minatur vitæ periculum: Quare magnum exposcit remedium; qualis est Phlebotomia ipsa; quæ & totum corpus, & humores pariter omnes euacuat: ac præsentaneum est morbi, materieique affectæ auxilium: & de hoc quidem suo loco clarius, fusiusque dicemus. Robur autem virium, quod alter sectionis venæ à Galeno scopus recensetur, hoc securitatis sui caussa phlebotomiam aut renuit, aut permittit, aut moderatur: quare verius permittens, renuens, & moderans, quàm indicans dici meretur. Si nanque vires validæ extiterint; tunc phlebotomiam, vt iuuans præsidium, recipiunt; si imbecilles, aut mediocres; tunc aut renuunt, aut moderantur: hæcque omnia à viribus ipsis aguntur incolumitatis suæ gratia primò, secundariò propter morbi reiectionem; nam dum morbi vires aggrediuntur, primò ipsæ contra morbum amoris sui caussa, vt se tutentur, pugnant; mox odij impulsu ad morbi expugnationem agunt: & multoties eadem pugna vtrunque finem assequuntur: huiusmodi verò actio, & munus, verius conseruantis, quam curantis naturam sapit. Vnde concedens, prohibensque remedium pro sui tutela indicans virium robur nominamus, & à per se curationem indicantibus excludimus. Nono autem meth. cap. 11. Gal. per alia verba ferè idem concludentia hanc litem dirimit, dum ait. In præsentia verò illud manifestum fecimus, virtutem vacuantia remedia aliquando citra noxam ferre, vtputa nec adiutam ab ijs quicquam, quod sit existimandum, nec verò læsam, sæpè verò magis, minusúe, tum iuuari, tum lædi. Præterea quoties notabilis illi ex vacuantibus auxilijs noxa incidet; toties patere ipsam quoque tunc vtile aliquid ad considerandum indicare, æquè vtique, vt cùm manifestè iuuabitur: vbi verò ex ijs, quæ affectum summouent, nec commodum illi accidit vllum, nec incommodum, ibi veluti inutilis prætermittitur. Per hæc etenim verba Gal. nos admonet; quemadmodum vires, quæ secundariò curationem docent & monstrant, prout prohibentes, concedentes, moderantesque remedia sunt, quòd non semper huiusmodi indicare dicuntur; sed solum cùm remedium, quod eis offertur, magnum est illis allaturum commodum, seu incommodum, tunc huiusmodi sunt indicantes. Cùm verò nihil, aut parum commodi remedium apportat; tunc virium indicatio, vt inutilis negligitur, & prætermittitur: sola nanque læsionis suspicio, & iuuamenti spes facit, quòd virtus, medicamen hoc magis, quàm illud admittat, renuatúe. Vbi nanque ipsa iuuamentum, nocumentumúe à medicationibus, & euacuationibus apta nata est suscipere, ibidem certè indicationem facit maiorem, minoremúe magis; aut minus apta nata est lædi, seu iuuari: Vbi verò non contingit virtutem lædi, aut iuuari; tunc aut nullam, aut parui momenti indicationem præstat. Proinde bene Gal. superius nono citato libro meth. med. cap. septimo indicationum differentias, quas virtus præbet, recensens, dicebat. Ego enim (de virtute sermonem habens) sæpè maximè esse necessariam aio, sic vt quæ circa ægrum administrantur, omnia fermè eius vnius caussa fiant; Aliquando mediocriter necessaria; aliquando adeo exigue ad inueniendа remedia conferunt; vt propter exilitatem etiam lateat; aliàs verò prætermitti, ac silentio præteriri, quasi prorsus ex vtiliter considerandis non sit. Hactenus Gal.

qui vires ab indicantibus per se curationem excludit: propterea quòd secundariò, & per accidens illam demonstrant: & sic vt etiam nec semper, nec vniformiter; sed contingenter id agunt. Ad argumentum igitur dicimus; quòd si vires inter scopos magna continentes remedia, vtputa phlebotomiam, & potum frigidæ connumerantur, non vt principaliter demonstrantes illa iudicant, sed secundariò, & per accidens; idque differenter, atque contingenter præstant. Ad vltimum argumentum dicimus; quòd non propter bonum athletarum habitum venam secamus, aut corpus euacuamus: sed propter redundantes præsentes humores malum futurum habitum minantes, præuisionis, & non curationis gratia id molimur. Humorum nempe copia, & redundantia quoties adest, magnum futurum morbum prædicens, venæ sectionem semper postulat; vt futurus magnus præcaueatur morbus. Sic vtique suprapositis argumentis, quantum in nobis fuit, satisfactum esse putamus.

Aetas, sexus, consuetudo, singula corporis temperiem declarant. Cap. VII.



SENTORAS, Iunioresque Medici omnes, ætatem, sexum, & consuetudinem temperamenti gratia indicare vniuersim asseuerant. Vt verò istud à rei natura progrediatur; primum quemadmodum hæc ipsa ad temperiem redigantur; deinde quomodo temperiei caussa iudicent, videbimus. Ab ętatis itaq; descriptione exordium capientes; dicimus, quòd ætas est decursus vitæ per ipsius periodum; à qua varia in animantibus temperamentorum genera sumuntur: vel fortasse, & melius. Viuentium ætas est mensura motionis, & cursus primigenij calidi, & humidi per totũ suæ durationis spatium ad frigiditatẽ, siccitatemq; terminantis. Hoc quippe conspiciens Hipp. dixit. Homo primo die, quo nascitur, calidissimus, & humidissimus; vltimo suæ periodi die, quo moritur, frigidissimus, & siccissimus est. Hunc quidẽ vniuersum primigenij nostri calidi cursum in quatuor antiqui diuiserunt quadras, quarum primã adolescentiã vocarunt, iuuentutem alteram; tertiam inclinantẽ, virilemq; ætatem; vltimam senectutem appellarunt. Sub adolescentia cõplectimur infantiam, pueritiam, ac pubertatem: Hæc calida est, & humida; tum quia à suis ipsorum generationis principijs, semine scilicet, & sanguine menstruo, quæ calida, & humida sunt, haud procul distat: tum quia in hac ipsa ætate sanguis augetur, & crescit; Hancq; Veri persimilem faciunt, si temperiem aliquam assequitur in vltima parte quadræ adolescentiæ, seu in prima iuuentutis; quam pulchritudinis ætatem dicunt, illam consequitur. Iuuentus calida, & sicca est, sicuti & æstas, in quã flaua bilis viget: calida enim est iuuentus, vt adolescentia, in hoc tamen differunt; quòd huius caliditas humori, illius verò siccitati est coniuncta: sicca verò appellatur iuuentus bilis redundantis caussa, vt 2. de Tamperamentis cap. 2. & 3. aph. com. 29. testatur Gal. Auicenna autem 1. fen. 1. doct. 3. c. 3. ait, & in pueris quidem, & iuuenibus est igneitas æqualis, sed in pueris plus abundat aeritas, & aquositas; cõparatione tamen pueri est eius complexio sicca: virilem autem ætatem ad frigidum, & siccum declinare aiunt: & propterea declinantẽ nuncuparunt, & si quæ constans ætas fuerit, interstitium illud dicemus, quod est à iuuentute ad declinantem ætatem. Atq; hæc in actiuis temperata dicetur, in passiuis parum ad siccum labens. In decidente ætate nigra augetur bilis, veluti in Autumno. Et licet iuuentutis, consistentięq; tẽpus vtrunq; siccum sit; siccius tamen, & ratione humoris, & solidarum partium consistentiæ tempus existimatur. Senectutem quidem lib. de humoribus frigidam, & humidam Gal. facit: secundo lib. de Temp. c. 2. frigidam, & siccam dicit esse, reprehendens veteres, qui eam frigidã, & humidã fecere. Senectus enim duobus spectatur modis, vel ratione partiũ solidarum, vel ratione excrementorum: partiũ solidarum respectu, frigida, & sicca statuitur; excrementorum ratione frigida, & humida: per se enim frigida, & sicca est senectus: quia humidum connatum à calore est consumptum: & hac eadem de caussa frigida dicitur: nam insitum humidum est caloris innati pabulum, quo tempore igitur est magna illius humoris copia, erit quoque magna caloris copia, vt in adolescentia, & iuuentute; quo autem tempore est minima; minimus etiam erit calor, vt in senecta. Frigida itaque remanet senectus, siue viridis, siue media, siue extrema extiterit. Humidam quoque esse secundo de Temperamentis ait Gal. quoniam vndique pituita est referta, & vndique illam excernit: deficiente nanque calore, deficit quoque concoquendi facultas, vnde humiditas excrementitia vndequaque superfluitat. Cùm igitur pituitosa excrementa, quibus senectus opprimitur, frigida, & humida sint; huius quoque rei frigidæ contactu, frigidior ipsa euadit. Erit itaque senectus frigida, sicca, ac humida: & ideo pituitam, & atram bilam in ea redundare aiunt. Vnum animaduertendum ex Gal. doct. 5. aph. 27. vbi scribit. Quòd neque est vnus omnium certissimus terminus pubertatis propter variam in calore, & frigore temperaturam:

calidi

calidi enim citius, frigidi tardius pubescunt; id quod & de alijs etiam ætatibus dicimus. Nam sicut nec pubertatis, sic profectò nec iuuentutis, nec inclinantis ætatis, nec senectutis vnus certus omnium erit terminus, ob varias temperamentorum differentias, quod & plenius vltimo cap. eiusdem libri confirmauit; vbi docuit, quòd ætas non bene annorum numero distinguitur: sed corporis dispositio est respicienda. Sic quippe ex Auicennæ, Gal. Hippocratisque auctoritate habemus; quòd singula quæque viuentium ætas sua peculiari prædita est temperatura. Quòd autem sexus temperaturam declaret, docet nos ratio, & Auicennæ, & Galeni auctoritas. Ratio est, quoniam masculus, & fœmina, in quibus sexus ratio consistit in prima nostra corporis fabrica, membrorum tantum principalium caloris, frigorisue conditione distinguuntur; quorum munere genitalia membra aut intro detinentur, aut exterius exiliunt: proinde calida, & frigida eorundem membrorum temperatura, inuicem masculus, & fœmina separantur. Auicenna quidem, de masculi, & fœminæ temperatura hanc profert sententiam prima fen. primi doctrina 3. cap. 3. Secundum verò diuersitatem complexionum generum fœminæ frigidioris existunt complexionis: ideoque sunt in creatura minores masculis; & sunt humidiores, propter frigiditatem, complexionem, & paucum exercitium, multiplicantur superfluitates, & substantia carnium earum est laxa. De his eisdem Gal. sermonem facit tertio libro de caussis pulsuum cap. 2. vbi inquit. Viri enim totum corpus ad perspiratum habent, probè comparatum, purum, excrementisque vacuum, non compressum: Mulieribus contra arctæ inter vasa regiones sunt; quæ adeps, mollisque caro, atque excrementa quædam occupant pituitosa; ad hæc spissum est, & male per halitum digerit corpus; propterea coguntur quidam in plerisque corporum partibus illaborati, crassi, crudique humores. Et his similia quinto aphorismorum comm. 62. repetit. Ars, exercitium, genusque vitæ, quoniam longum studium, longumque vsum dicunt, & explicant, proinde consuetudinem faciunt, & assuetæ nuncupantur. Scripsit enim Galenus secundo libro de motu musculorum cap. 7. & 3. de simpl. medic. facult. cap. 18. Consuetudinem vbique cum natura conuenire: ob id alteram quandam, & acquisititiam naturam auctoribus dictam; est quippe vis quædam, & facultas non ingenita quidem, sed vsu ipso comparata; quæ naturæ nostræ proximè est familiaris; vt ea ipsa esse videatur; nisi quòd hæc ab externo principio, illa ab interno manauit: hæc profectò semper longo studio, & vsu comparatur. Secundo autem aphor. comm. 50. de ciborum consuetudine sic loquitur Gal. Cibi, & potus naturam aduentitiam efficiunt, maximè quidem in ventriculo, cum hoc verò & in alijs partibus: nam & si maximè vincantur, & transmutentur à corpore; ipsum tamen quodammodo pro sui natura disponunt: ita quòd processu temporis multa fit permutatio, ac similitudo nutritorum ad nutrientia, & quod in vsu cibi, & potus euenit, illud idem contingit in reliquorum vsu: Quorum longum fit studium, & exercitium, atq; ars. Quamobrem in præsentiarum sic eam lubet describere. Consuetudo est adscititia temperies ex longis, crebrisque vniuscuiusque rei, cui vacamus, actionibus comparata; calida vel frigida; humida vel sicca; aut ex his composita, penès qualitatum differentias subiecti artis, circa quod homines laborant, aut differentias generis exercitij in quo longo studio se exercent. Quare commodissimè à veteribus dictum est, consuetudinem acquisititiam esse naturam & temperiem. Vt enim natura munia ipsa sua absque vllo labore, aut molestia obit, quin magna potius cum facilitate, ac leuitate; sic quæ à consuetudine manant, & facilè, & iucundè fiunt, vt ex Gal. colligitur libro de motu musc. cap. 7. Quamobrem & rectè 2. aph. tex. 49. & 50. scripsit Hipp. Qui consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilliores, & senes, non consuetis, fortibus, atque iuuenibus facilius ferunt, & quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint, insuetis minus molestare solent. Quin immo tantæ potentiæ, atque virium est consuetudo; vt non solum ciborum prauitate ipsa superet: sed (quod magis miraretur) venenorum ipsa perniciem vincat, atque venenositate sua spoliet. Concludunt itaque omnes; quòd consuetudo sit nouus corporis habitus, nouaque aquisita natura, & temperies, atque ea ipsa longè fortior, ac validior pristina congenita: propterea & rectè in libro de assuetudine cap. 4. scribit Galenus. Consuetudo ad exercitia id faciet; vt quæ corporis partes exercentur, fortiores simul, ac validiores fiant; & proprios motus alijs melius ferre possint: id quod perpetuò verissimum est non in solis exercitationibus, & motionibus, sed in omnibus simpliciter consuetis.

*

Aetas, sexus, & consuetudo, vt temperiei species, ac differentiæ indicationes faciant. Cap. VIII.

AETAS itaque, sexus, & consuetudo, vt temperamenti species, & differentiæ suas perpetuò indicationes præstant. Quamobrem & bene monuit, vnamquanque ipsarum, quatenus est res secundum naturam, sui custodiam demonstrare; vt verò natiua, aduentitiaque temperies dicitur, qua morbus à sanitate distinguitur, & terminatur; medicaminum; medicationumque terminum declarare: prout verò calida, vel frigida, humida, vel sicca, & vt sic caussa fouens, vel repugnans morbo, faciliorem, difficiliorem úe denotare curationem. Sic sexus, & ætatis considerata differentia: masculus bilem, pituitam fœmina purgandam indicat: adolescentia sanguinem, iuuentus bilem, inclinans ætas atram, senectus pituitam, & atram bilem enacuandam ostendit. Consuetudo etiam iuxta proprias species exercitij, & artis, atque humoris in ipsis redundantis eodem inclinabit modo. De consuetudine autem & ætate, quatenus sunt res secundum naturam, quæ similibus custodiri volunt, hanc Hipp. profert sententiam in aph. libro primo aph. 16. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt. Vbi Gal. in comm. ait humidioribus verò naturis, siue propter ætatem, siue propter consuetudinem non contrariam; sed magis affinem seruandam statuit: oportet nanque naturam eorum fouere per humida. A consuetudine itaque, perinde atque à natura, & ætate similium indicationem sumendam esse admonet Hipp. quo quidem in loco apertè docet, eam quæ à consuetudine præbetur indicatio, parem ei esse, quæ ab ætate sumitur. Natura, & ætas cùm ex ijs sint, quæ natura nobis insunt, similem sibi victum postulant: Quæ igitur à consuetudine indicatio capitur, sic accipitur; sicut ea, quæ ab ætate: quippe seruare quoque hanc iubet Hippocrates, perinde ac proprium ætatis temperamentum. Meritò igitur 9. meth. cap. 16. de consuetudine, & ætate sic Gal. loquitur. Videtur enim non sicut alia quędam, exiguam, leuemque, sed maximam, atque maximè principalem vim habere; vt quæ singulorum corporum naturam ostendat. De ætate quoque ibidem sermonem faciens, inquit: est enim ea quoque vnum quoddam eorum, quæ curationis rationem per ægri naturam intercedentem indicant; quemadmodum & ætas; siquidem ipsa quoque temperamenti interuentu indicationem præstat, veluti ætas puerorum; quæ cùm humidam, & calidam temperiem habeat, facilè digeritur. Quod verò de ætate & consuetudine dixere, illud idem de sexu intellexerunt: cùm eadem omnium sit ratio, & singula idem habeant iudicium. Sic vtique patefecimus, quemadmodum ætas, sexus, & consuetudo, vt naturales res sunt, naturaliterque considerantur, sui custodiam declarant: prout verò species, differentiaque temperiei existunt, & considerantur; (quæ quidem temperies, æquabilitas, sanitasque dicitur, & quæ morbi medicationisque eiusdem terminus, mensuraque asseritur) sic quippe singulæ, tum morbi, tum medicationis terminum, mensuramq; dicunt: & vnaquæque harum, suo modo terminus, & mensura & morbi, & curationis affirmatur. Et ita hæ diuersimodè acceptæ curatricis, conseruatricisque indicationis scopi iuxta varios earundem conceptus æqualiter constituuntur.

Aer ambiens, vt caussa, sine qua non, quam indicationem præbeat. Cap. IX.

AER ad indicationem curatiuam constituendam summopere conducit, vt 9. meth. cap. 14. & 11. eiusdem operis cap. primo Gal. recenset: & primum, secundum suam simplicem continentis naturam concurrit, vt caussa sine qua non: secundariò ad idem venit, vt salubris, insalubrisq; caussa perenniter virtutem, morbumúe fouens propter simplicem eius naturam; qua nos perpetuò continet, & circumambit: cùm eius natura sit vitæ planè necessaria, tum ratione loci conseruantis, tum quia eius vsus pro vita seruanda est summè necessarius. In curatione morbi dicimus aerem venire, vt caussam necessariam, sine qua morbus curari minimè potest. Nam sicut absque aere stare vita non valet; ita nec morbus, nec sanitas; quando hæ viuentium passiones sunt, & vt absque vita, & aere, nec morbus, nec sanitas consistunt: sic naque absque his curari morbus poterit. Aer igitur ad morbi curationem accedit, vt caussa sine qua ille minimè curari potest: & sub hac ratione continentis Galenus aerem contemplatus, tertium curatiuæ indicationis caput principaliter constituit: vt qui res necessaria sit ad esse morbi, atque ad eiusdem curationem: & propterea etiam

illummet, vt caussam sine qua non ad curationem concurrere scripsit. Summa itaque necessitas pro inspiratione, respirationeque animantium in caussa fuit; vt aer indicans curatiuum statueretur; quæ in alijs procatarcticis caussis non reperitur: & proinde cuique ægro sanando facilem, promptamque respirationem ille exoptat. Vt enim aer communem naturam vitæ necessariam dicit anhelationem, seu anhelitum ipsum; ita communem indicationem præscribit, eiusdemque inquam anhelitus salutarem vsum opus esse cuique ægro curando; vt in vita subsistat, & curetur. Caussa verò cur aer huiuscemodi indicet, est, quod vt pars animati corporis habetur, (vt infra dicemus) & quod ad eius esse summopere spectat: estque insuper aer obiectum virtutis pulsatilis cordis, atque etiam virtutis thoracem dilatantis, & constringentis. Obiectum verò suarum virtutum perfectio, & complementum à sapientibus affirmatur: nec mirum si animantis partem illum fecerunt. Quòd si ex Galeno obijcias in tertio meth. cap. 1. quòd omne, quod indicat, sui curandi gratia indicat: at aer nullo modo curatur, nec curari est aptus; sed potius vt instrumentum, & materia medica in morbis curandis se habet; qua vtimur ad præternaturales affectus propellendos; quare verius indicati, quàm indicantis rationem habet. Ad hæc dicimus ipsi, vt infra planius faciemus, quòd aer ad animantis vitam comparatus promiscuam naturam habet; vt viuentis hominis interna, pariterque externa res dicatur; & quæ externa in potentia quoque est, vt sit interna; & vt interna hominis pars conseruetur, & curetur. Indicat itaque aer sui conseruationem, & curationem, vt animantis pars; quæ vario modo affecta variam præbet indicationem: & dum pro instrumento salubri, & materia medica eo natura vtitur ad affectus præter naturam tollendos; tunc vt cæteræ naturales res operantur, & ipse operatur; quæ per semetipsas suas functiones agunt, & explent, & suo subiecto pro instrumento vtuntur, ac ideo nullum est argumentum superius adductum. Quòd si idem pro indicato, & indicante, alio atque alio modo sumptum capere velis, non ibimus inficias: & nullum inde sequitur inconueniens. Galenus 11. meth. cap. primo hæc etiam de aere tradidit. Et quoniam aeri, tum ex præsenti cœli statu, tum anni tempore, tum regionis natura suæ in humido, sicco, calido, & frigido mutationes accidunt; ex illorum rursus vnoquoque aliæ particulares indicationes oriuntur.

Aer ambiens, vt salubris insalubrisque caussa, & curatiuam, & conseruatiuam indicationem dicit, tum actu, tum potentia.

Cap. X.



Mbiens aer, vt necessaria, perennisque caussa vitæ, ineuitabilis, interna pariter, atque externa, primò æqualiter conseruatiuam, curatiuamque indicationem dictat: secundariò earundem facilitatem, difficultatemque, seu magnitudinem, & leuitatem dicit: tertiò idoneum adhibendi, prohibendique remedia tempus ostendit. Primum autem inuestigemus, vt curatiuam, conseruatiuamq; indicationem faciat: mox vt disiunctim necessariò illas producat, perquiremus. Aer nanque vt vitæ ineuitabilis indeficiens caussa, dum salutaris caussæ speciem gerit, conseruatricem, dum morbificæ curatricem indicationem efficit. Curatio quidem dicitur, inquit Gal. 2. aph. comm. 22. non solum morborum, sed & caussarum morbos efficientium; similiter & conseruatio, non sanitatis tantum dicitur, sed & caussarum sanitatem constituentium. Cùm igitur aer ambiens æqualiter rationem effectricis caussæ habeat; & sanitatis, & ægritudinis proinde æqualiter, & curatiuam, & conseruatiuam indicationem faciet. Quòd verò disiunctim conseruatiuam, vel curatiuam indicationem aer necessariò pariat; sic nos ostendimus. Illud omne curatiuam conseruatiuamúe indicationem æquè demonstrat; quod æquè necessariò agit ad sanitatis conseruationem, & morbi abolitionem. At ambientis actio, & opus huiusmodi est, quod vtrisque his est æquè necessarium: æqualis nempe est aeris necessitas in spirando, & expirando pro sanitate seruanda, atque pro morbo expugnando, quando sine aeris inspiratione, respirationeque animal siue sanum, siue ægrum extiterit, neutiquam consistere potest: It profectò est ambiens, inquit Gal. quarto meth. cap. 14. sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest: æqualiter igitur ipse vtranque monstrabit indicationem. Quòd verò ambientis actio, & vsus vitæ sit summopere necessarius; & ratione, & Galeni, Hippocratisque auctoritatibus comprobamus. Ratio autem est, quoniam vita spirituum præsentia, & connati calidi temperie seruatur. Aeris autem præsentia spiritibus pabulum præstat, & innato calido temperiem ministrat. Hoc quippe Auic. in secunda fen. primi libri doct. 2. cap. secundo hisce verbis explicauit. Aer est elementum nostrorum corporum, & spirituum, & præter hoc etiam est quid

successiuè nostris aduenients spiritibus: & est caussa meliorationis eorum, non tantum sicut elementum, sed sicut faciens, idest temperans. Est itaque aer & calidi innati & spirituum efficiens, & materia; atque eius præsentia vita seruatur, & absentia tollitur, vt libro de Flatibus testatus est Hipp. Neque natantia animalia sine spiritu viuere posse: neque enim ab aere inspirando vlla vnquam quies mortalibus dari potest. Ac ideo spirationem à vita, & vitam à spiratione separari non posse existimauit Gal. sexto de locis affectis cap. 5. In libro autem de Natura Humana comm. 36. de mente Hippo. asserit, pro aeris circumfusi constitutione animantium corpora affici. Et sic ratione, & auctoritatibus clarum fecimus, quàm necessarius perpetuò sit nobis occursus aeris; vt qui ad vitam ducendam præcipuas partes agat; sitque caloris intimi nostri, quem natiuum vocamus, optimus moderator, & conseruator præcipuus.

Qualiter verò absque ipso nec morbus auferri, nec sanitas seruari possit, contemplemur: Cum autem ex iam dictis pateat; quòd tantopere aeris vsus sit nobis necessarius pro vita custodienda; & vitæ custodiæ communis sit scopus, & curatiuæ & conseruatiuæ indicationis simul, vt nono meth. cap. 10. recenset Gal. vbi ait: quòd enim secundæ valetudinis tuendæ gratia geritur, idem statim & vitam tuetur; & quod in morbo curando remedium adhibetur; si appositè, & tempestiuè adhibitum sit; hoc idem cum morbi curatione vitam etiam seruat: Proinde magna ratione asserimus ex ambiente aere vtranq; æquè demonstrari indicationem; conseruatiuam, pariter & curatiuam. Ac talem eum esse, vt sine ipso nec sanitas seruari, nec morbus auferri possit; hunc in modum ostendimus. Nam si eius præsentia, & eius opera necessaria est pro vita seruanda; quæ vitæ seruatio & curatrici, & conseruatrici intentioni communis existit: qua igitur ratione vitam seruat, eadem illam monstrabit: & vt vitæ custodiam demonstrat sub curatrice, conseruatriceque intentione detentam; sic & morbi curatiuam, & sanitatis conseruatiuam indicationem ostendit; cùm vitę tutela vtrisque his indicationibus communis sit scopus. Concludimus itaque, quòd aer & vitæ custoditricem, & sanitatis conseruatricem, ac morbi curatricem indicationem parit; prout ipse est caussa, sine qua nec vita conseruari, nec sanitas defendi, nec aboleri morbus potest. Hæc verò cuncta intelliguntur de aeris simpliciter vsu cum suis dispositionibus omnibus, absolutè scilicet considerato; sine quo nequaquam animantia degere possunt, & non de quibusdam eius alterationibus, dispositionibusque, & earundem vsu, quæ ad salubritatem, insalubritatemúe animantium faciunt, & non simpliciter vitam conspiciunt, sicuti aeris vsus respicit absolutè consideratus. Aer itaque ambiens vniuersale, communeque indicans statuitur principium, non pro vt separatim determinatè, aut pro salubri, aut insalubri caussa supponit; sic nanque contingenter, & non necessariò est indicans, sed prout disiunctim de vtraque indifferenter dicitur: sic enim alternatim perenniter nos, aut salubriter, aut insalubriter alterat, & permutat actu, vel potentia. Ambientem autem nos aerem, & actu, & potentia indicare dicimus. Actu ille indicat, dum actu inspiratus est, & factus internus: In potentia verò indicare dicitur; dum circumambiens nos aer, non intro attractus, nec internus factus, sed pronus attractioni, & in potentia propinqua, vt necessariò attrahatur: Vt igitur in potentia est, vt sit internus; ita & in potentia indicat: nam talis, qualis est, & reperitur; talem indicationem præstat: Vnde & mediatè, & immediatè indicare quoque dicere possumus. Aer itaque ambiens, vt caussa, sine qua non & conseruatiuam, & curatiuam pariter indicationem demonstrat, actu, vel potentia. Si nanque corpus sanum circumambierit; & intra eiusdem corpus attractus, inspiratusque fuerit, & factus internus, & proximus; si concors, & amicus sanitati fuerit; illam vt interna proxima caussa actu fouet, & conseruat; & vt actu conseruat, ita & actu sui conseruationem declarat. Si autem aer tantum circumambiens fuerit non intra inspiratus; sed aptus natus, vt inspiretur; si eiusdem conditionis cum sanitate extiterit; illamque in potentia conseruauerit, & aptus natus sit seruare; vt in potentia & aptitudine seruat; sic in potentia, & aptitudine sui conseruatricem indicationem facit; quod alij mediatè indicationem facere dicunt. Huic consimile in morbo, & statu præter naturam asserimus. Nam si corpus ægrum continens aer ambiuerit; illique occurrerit; & inspiratus proximè illi adhæserit; & morbo contrarius, inimicusque fuerit; tunc vt interna proxima salutaris caussa actu morbum expugnat, & curat, & vt huiusmodi sui etiam actu conseruatricem indicationem facit, alteram profectò à superiori: nam ille vt bonum conseruans, hic verò vt malum expellens, sui conseruationem dictat. At si non intra immissus, inspiratusque fuerit aer, sed in potentia vt attrahatur, & inspiretur; sic & in potentia sui conseruatiuam indicationem facit. Si verò aer intrò inspiratus, & attractus, corporis visceribus proximè adhæserit; & morbo amicus, adiutorque extiterit; tunc vt interna proxima morbosa caussa actu morbum efficit, & adauget; & vt huiusmodi sui præsentaneam actu indicationem curatiuam demonstrat: Si autem huiusmodi insalubris aer intra ægrum corpus

non

non attractus, immissusque fuerit; sed extra extiterit in potentia, vt attrahatur, & immittatur; tunc qualis est in potentia, talem quoque in potentia sui curatiuam indicationem declarat: nam vt in potentia, & aptitudine morbum efficit, seu (vt alij inquiunt) mediatè, sic & in potentia, & aptitudine, & mediatè sui curationem indicabit. Verum cùm in præsentia institutum sit curatiuam tantum indicationem docere; conseruatricem suo loco, & tempori relinquamus: de curatiua solum verba faciamus.

Aer ambiens curationem, eamque vt concors, discorsque à morbo, grauem, leuemque ostendit, & tertium curatiuæ indicationis caput constituitur. Cap. XI.



Er peregrinis impressionibus præditus, ijs eisdem animantium corpora perpetuò afficit. Circumfusus nanque aer statim animalium corpora afficit, refert Galenus libro primo de Natura Humana com. 36. & in arte medicinali cap. 85. idem affirmat dicens. Ab aere afficitur corpus, quia aut calefit, aut frigefit; aut exsiccatur, aut humectatur; aut secundum horum patitur coniugationem, aut in tota alteratur substantia. Hoc autem contingit propter perpetuum mutuum contactum. Nam vt eodem cap. recenset Gal. Aerem nos ambientem semper attingere est necessarium, & libro primo de sanit. tuend. cap. 4. Aer vnum eorum est, quæ extrinsecus accidunt, quod separari à nobis nequaquam potest, atque is perpetuò nobis tanquàm connatus adhæret, suam conseruans speciem. Et libr. 8. de Decret. Hipp. & Platonis cap. 4. Aer ex omnibus elementis solus in animalium corporibus, iuxta naturam suam, tum in respirationibus, tum in pulsibus cernitur persistere. Hic nanque nos circumambiens aer, vt continenter intra, extraque animantium corpora fertur; & intra extraque eorum viscera spiratur; mistam, & mediam quandam naturam habet inter ea, quæ interna sunt animantium corporibus, & ea quæ externa: Est quidem promiscuæ naturæ vtranque possidens: Vnde & quasi internus, & non internus, & externus, & non externus dici meretur: Ipse etenim hac promiscua interna externaque natura formatus, sanitatis, ægritudinisque æquè opifex existit. Porrò autem multas alterationes, ac motiones in animantium corpore effici ab ipso continente, ambienteque aere auctor est Arist. in 8. Physic. tex. 20. Nihil igitur prohibet, magis autem (inquit Arist.) fortassis necessarium est, in corpore multos fieri motus à continente. Sed quia curationem in præsenti tantum docemus, ideo ei solum vacantes dicimus: Quòd morborum caussa effectrix est aer intrò persistens, vel qualitatum immoderatione, vel substantiæ vitio, aut subita mutatione: si nanque qualitatis immoderatio intra offenderit; tunc vt intima lædens caussa, sui ablationem indicat; vt futurum præcaueat morbum: similiter si vitio substantiæ, aut subita mutatione, corpus intra læserit; tunc sui remotionem, vt insalubris interna, & nocua caussa demonstrat, & si qua alia qualitate intrinsecus corpus affecerit; oppositam perpetuò salubrem iuuantem ostendit. Impurus enim, inquinatusque aer noxius, puritatem, claritatemque vt salubrem caussam monstrat, actu vel potentia, vti supra retulimus. Agitatus tranquillitatem in qualitatibus, immoderatus earundem mediocritatem exoptat, & diligit: & sic præsidiorum qualitatem indicare asseritur. Ostendit insuper aer additamentum alleuamentumque morbi: quatenus sua alteratione, & permutatione est caussa illum adaugens, & imminuens: vnde & morbi quantitatem describere, ac præsidij pondus, & mensuram indicare asseueratur. Et hac eadem ratione, qua morbum auget & remittit: atque eidem ipsi fauet, vel aduersatur, facilitatem, difficultatemque, seu magnitudinem, exiguitatemque curationis declarat. Atque id ipsum manifestat ex perenni, continuataque actione morbum, morbificamque caussam augente, imminuenteúe: Et vt eorundem auctionem, imminutionemque illa declarat, pariter eorundem medicationem adaugendam, imminuendamque esse ostendit: & hac profectò indicationis specie, tertius curatiuę indicationis scopus constituitur. Aer nanque suapte natura communicabilis est: æquè enim se & morbo, & naturæ communicat; & vtrique æqualiter vim suam impartitur. Qui cùm agens naturale sit non otiosum, semper in omni sua dispositione nos ad alterum oppositorum alterat. Si itaque aer sit conditionis consimilis vni morbo, ipsique adiumentum præstet, maioremque reddat; indicat alterationem ad oppositum, illamque grauiorem, difficilioremque ostendit. Quòd si contrariæ dispositionis extiterit, vt naturæ scilicet faueat, morboque repugnet, eumque deprimat; tunc indicat se conseruari oportere, quod auxilium præstet ad morbum expugnandum: & sic minorem leuioremque curationem declarat. Distinguitur insuper

ambientis

ambientis aeris indicatio à temperici, & morbi indicatione. Nam huius indicatio sui simpliciter ablationem dicit; illius verò terminum, & mensuram præscribit: Aeris verò illam maiorem, minoremúe, seu faciliorem, difficilioramque demonstrat. Et si enim hoc idem præstare temperamentum superius exposuimus, non tamen ita efficaciter id afficit, vt ambiens aer: neque enim temperamentum sic bene, & efficaciter effectricis caussæ spaciem gerit, vt ambiens. Præterea medendi occasionem aer edocet, vt infra statim dicemus, quod temperamentum minimè facit. Iure itaque 9. meth. cap. 14. Galenus tertium curatiuæ indicationis scopum aerem constituit; quod de alijs quinque caussarum generibus necessariò non alterantibus non contingit dicere; quoniam harum materias, & actiones, tum diligere, tum fugere licet; quas autem ambiens præstat, euitare non licet, tanquàm corporea interna existimetur caussa. Contendimus igitur, ambientem aerem, vt est peregrinis impressionibus præditus, esse per se tertium curatiuæ indicationis scopum, prout est morbo, & temperamento communis, coadiuuans caussa ineuitabilis, indeficiens, interna pariter, & externa; quæ vt est concors discorsque cum morbo, aut temperamento; sui ipsiusmet conseruationem, ablationemúe perpetuò dicit; quatenus huic, vel illi iuuamentum præstat: & sic quoque vtranque ipsarum facilem, difficilemque, seu maiorem, minoremúe explicat; & necessariò quoque alternatim semper indicat: nam sicut necessariò, aut salubriter, aut insalubriter alterat; ita necessariò alterne, aut sui conseruationem, aut sui remotionem demonstrat.

Aer medendi occasionem indicat. Cap. XII.

INDICAT autem aer qualitatem, & quantitatem medicationis, & medicaminum; vti diximus. At præter ista congruum etiam medendi tempus monstrat, sicut & reliquæ internæ corporeæ malæ affectæ caussæ indicantes. Monstrat itaque aer idoneum tempus adhibendi, inhibendique medicamina: si nanque eius alteratio, & afflictatio præsens sit, instet, ac vigeat, & nihil adsit, quod prohibeat; tunc occasionem agendi, remediumque adhibendi demonstrat: sed quomodo agendi medendique occasionem inhibeat, quod est scitu dignum, atque maximè momenti, perscrutemur. Impedientia autem, ac prohibentia idoneum alterandi, & euacuandi tempus, sunt omnia, quæ vires offendunt, aut nata sunt offendere. Vires nempe pondus medicaminum sustinent; & finis est, cuius gratia agimus, & medemur. Quæcunque igitur talia indicantur vires lædant, omnia inter impedientia medendi occasionem numerantur. Omnis itaque superflua aeris immoderantia; aut in qualitate, aut in substantia, aut in motione, occasionem medendi per fortia alterantia, & euacuantia impedit, & prohibet; quoniam fortes medicationes omnes corpora exagitant, & nominati aeris excessus pariter illa alterant, & vexant. Cùm itaque ægrotantium vires præsenti aeris permutatione permutentur, lædanturque, & adsit occasio valida exhibendi medicamenta; tunc præsentis aeris perturbatio, & molestia medendi occasionem impedit; & ad magis congruum reijcit tempus: id quod iustè agit, cùm adsit timor, ne ægri vires dissoluantur duplici agitatæ labore, & aeris, & medicamenti. Aeris autem immoderationem omnem, siue qualitatum, siue substantiæ, siue agitationis; ortu, occasuq; magnorum syderum, atq; eorundem congressibus, & aspectibus fieri contingit: id ipsumque frequentius Lunæ, Solisque oppositionibus, & coniunctionibus, atque ex ipsorum etiam quadratis aspectibus. Hoc autem in singulis Lunæ cum Sole coniunctionibus, oppositionibus, atque aspectibus, & pariter aliorum magnorum syderum, tam errantium, quàm inerrantium licet facilè conspicere. Semper etenim magna cœli Astra, dum oriuntur, ac occidunt vnà cum Sole, simulque coeunt, ac inuicem se diuersis aspectibus conspiciunt; supradictas aeris immoderantias parturiunt: atque hæ à Medicis prauæ temporum constitutiones sæpe nominantur. Quæ quidem aereæ immoderantiæ, aut internæ corporeæ efficientes caussæ, morborumque productrices, dum præsentibus superueniunt morbis; tunc temporis magnũ exposcentibus remedium medendi occasionem prohibent: formidandum est enim, ne ægri vires deficiant, laborentq; duplici onere grauatæ, & vi syderum, & medicaminum violentia. Cùm autem nihil horum obstiterit cum præsentia iuuantium absentiaque nocentium; tunc contrarium suadet, & medendi tempus demonstrat. Huc profectò spectant, quæ ab Hipp. in aphorismis scribuntur. Sub cane, & ante canem difficiles sunt indicationes, & quibuscunque venæ sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit: hos verè purgare, vel venam incidere oportet: & pariter dum ab eodem scribitur. Aestate, & Autumno cibos difficillimè ferunt: Hyeme facillimè; secundum locum Ver habet.

Dies criticus

Dies criticus agendi occasionem impedit. Cap. XIII.

DIES autem critici, tum indices, tum iudiciales & ipsi Lunæ motibus mensurantur: nam & protrahuntur, & contrahuntur secundum velocitatem tarditatemque motus Lunæ. Isti nanque dies bonam, malamque crisim efficientes, boni, malique euadunt, tum propter huiuscemodi Lunæ motum, tum propter congressus, & aspectus Solis, & aliorum planetarum, maximè in ipso puncto crisis Lunæ occurrantium. Cùm itaque figurati dies isti Lunæ motionibus constituantur, & aliorum planetarum aspectibus ad ipsam Lunam; vt Lunæ motiones cum planetarum aspectibus corpora exagitant; sic & isti dies eadem alteratione præditi corpora exagitabunt. Meritò itaque critici dies, sicut & illi astrorum aspectus virtutem habent mortalia corpora alterandi, permutandique. Quare vt internæ permutantes, alterantesque caussæ considerantur, proinde cum morbis occurrunt remedium exposcentibus, vt nouarum exagitationum auctores inter prohibentia occasionem agendi à Medicis recensentur. Quæ igitur horum dierum extant in ægrotantibus exagitationes, efficaciter innuunt non esse noua alia alteratione corpora exagitanda: timendum est enim ne ægrorum naturæ duas simul validas afflictationes sufferre non possint, pariterque timendum est; ne motu contrario nobis ignoto, corpus permutetur.

Obiectiones, quòd aer curationem non indicat. Cap. XIIII.

ARGVMENTA autem, quæ à Iunioribus obijciuntur, præcipua hæc sunt. Ambiens non curatur; sed solus morbus. Præterea aer verus haber rationem remedij indicati, quàm rei noxiæ indicantis. Cùm itaque habeat rationem remedij, quod indicatum est; quomodo iudicare poterit? Neque enim idem est iudicans, & indicatum; morbus, & præsidium: vt igitur nullum alterum remedium iudicat, pariter nec aer indicare dicetur. Præterea si aer iudicat, æqualiter etiam aliæ res non naturales indicabunt: cùm non sit dissimilitudinis ratio: vt enim contingenter cibus, & potus, motus, & quies, somnus, & vigilia, & reliquæ non naturales caussæ salubres, insalubresq; euadunt; sic & aer ambiens. Postremo multi sunt morbi, quibus nullum vsum præstat aer; quales sunt, qui partes instrumentales affligunt; atque ijs nihil confert aer. Hæ sunt obiectiones, quibus contra antiquitus determinata, & sancita inuehuntur. Iis verò omnibus respondere non erit graue, neque difficile, si de aere superius declarata, vera esse supponamus. Videlicet quòd ambiens viuentibus corporibus perpetuò inhæreat, perpetuò ea tangat, & vt interna connata caussa naturalis perpetuò alteret: ipse nanque communis, promiscuæque naturæ esse dicitur; & quod externæ, ac internæ corporeæ caussæ indifferenter rationem habeat, & quod ineuitabiliter etiam, ac contingenter nos permutet: Vnde semper facilitatem, difficultatemque, & grauitatem, & exiguitatem permutationis, & sanitatis ostendit; Atque vnà cum his adhibendi, prohibendique medicamina etiam tempus connotat. Ex istis vtique differentijs, quæ aeri, & non suis socijs non naturalibus caussis accidunt, facilè obiecta cuncta diluentur.

Obiectionum solutiones. Cap. XV.

PRIMVM autem sciendum est, ex ijs, quæ ante posuimus, aerem secundum plures suæ considerationis species plures etiam indicationis species producere. Aer nanq; consideratur primò penès suæ substantiæ vsum: nam vt est vitæ summopere necessarius; & vt eam conseruat; ita illam indicat, & vitalem facit indicationem. Consideratur & aer penès accidentales suas dispositiones, prout determinatè, aut sanitati; aut ægritudini adiumentum præstat; & sic vt huius, vel illius caussa, hanc vel illam indicationem facit; vt salutatis nanque caussa determinatè sanitatem conseruans, determinatè eius conseruationem indicat; vt verò insalubris caussa determinatè morbum efficiens, determinatè quoque eiusdem curationem demonstrat. Consideratur & vsus aeris comparatiuè, comparatione inter vtranque indicationem constituta, vt inquam magis, aut minus est concors sanitati; aut magis, aut minus est concors ægritudini: Prout nanque magis, aut minus sanitati fauet; sic facilitatem difficultatemque conseruationis monstrat: Vt verò magis, aut minus ægritudinem fouet, sic grauiorem leuioremque curationem ostendit. Consideratur & vltimò aer, vt eius alteratio & exagitatio vrget, & viget; ac tempus adhibendi, prohibendique medicamina suadet; secundum quas considerationis differentias, plures differentes indicationis species parit. Ad argumentum autem redeuntes dicimus; quòd non solum morbus, sed & eius interna

caussa

cauſſa curationem recipit ex Gal. doctrina, ſecundo aphoriſmorum aphoriſmo 22. vbi ait. Curationem igitur eſſe non ſolum morborum, ſed & cauſſarum morbos efficientium. Non ſolum enim morbi, ſed & cauſſæ, quæ morbos efficiunt, curantur per contraria; & nomen curationis ad præuiſionem extenditur. Cùm igitur aer vt interna morbi cauſſa noxia conſideretur, inceſſanter lædens, aut apta lædere, ſui abſciſsionem, & curationem indicat. Ad rationem argumentum confirmantem: Aer verius habet rationem remedij indicati, & iuuantis, quàm noxiæ cauſſæ indicantis. Reſpondemus, quòd aer communem habet naturam, & cum rebus corporeis internis, & cum externis: proinde mediæ, miſtæque naturæ dicitur, internæ ſcilicet, & externæ. Et hæ inuicem, vt diuerſæ aeris partes numero, & loco ſunt differentes; & vt numero, & loco differunt; ita diſpoſitione, & facultate differentes ſunt actu, vel potentia. Nam ſi conſimilis diſpoſitionis, & facultatis circumambiens Aer actu reperiatur: potentia tamen facilè diſsimilis erit; cùm ſui natura facilè alieno termino terminetur, facilè quoque ad nouas, & contrarias formas permutetur. Cùm igitur aer, vt internus, & externus in animantium corporibus ſit; dum internus eſt, aut interni rationem poſsidet, & ſua diſpoſitione, & facultate nocet; tunc vt interna inſalubris cauſſa noxia, ſui remotionem indicat, & vt huiuſmodi ſemper eſt indicans, & nunquam indicatum: quatenus verò externus eſt, facultate, & diſpoſitione vtilis, ac ſalutaris actu, vel potentia, vti retulimus; tunc vt huiuſmodi ſemper eſt indicatum, remedij rationem habens, & nullatenus eſt indicans: & ſic vana eſt illatio, quòd idem ſit indicans, & indicatum, idem morbus, & remedium; quoniam apud nos hæc ſemper differunt. Nec decipimur, quòd internus, & externus aer actu eiuſdem ſint conditionis; quando potentia facilè euadunt contrarij, & differentes. In potentia contrarius, differensque ambiens erit; dum inſtrumento, ingenioque aliquo talis redditur; & fit, cum aptus, pronusque ſit ad omnem mutationem mutari. Actu verò contrarius, differentque extiterit; dum loci aeriſque mutatione talis actu inquiritur, & inuenitur. Ad confirmationem verò, dum aiunt, ſicut nullum aliud remedium indicat; ſic nec aer ipſe indicare poterit: Dicimus falſum eſſe nuſquam remedium indicare poſſe: nam in purgationibus, & conſimilibus alterationibus, vbi medicamen effrenitat, morboſaque euadit cauſſa; tunc curationem, correctionemque indicat: ſimiliter ſi imminutum fuerit, nec integra exhibetur doſi; tunc ſuum indicat complementum, vt ſit par morbo, ac ipſum euincere valeat; ſolum itaque remedium, quod iuſtè eſt compar morbo, ac ipſum euincit, eſt tantum indicatum, & nuſquam indicabit. Fuit tertium argumentum; ſi aer ambiens indicat, pariter res aliæ non naturales indicare dicentur; cùm nulla ſit diſsimilitudinis ratio; & omnes æquali fortuna mortalia corpora neceſſariò alterent. Ad iſtud dicimus, quòd ex ſuperius dictis patet ſolutio, & modo eam repetimus tres diſsimilitudinis rationes aſsignantes. Prima quòd actio, & opera aeris continua, indeficienſque exiſtit propter continuam mutuam inhæſionem, & adhæſionem: aliarum verò ſecundum tempus, & intermittens. Secunda diſsimilitudo dicitur; quòd aeris vſus ineuitabilis eſt, nec in poteſtate eſt noſtra illum euitare: aliarum verò vſum, tum eligere, tum fugere licet. Tertia diſsimilitudo eſt; quoniam aliæ res non naturales, certam, & propriam habent naturam, & non promiſcuam, & mediam; ſic quòd internæ, externæque res animati corporis dicantur; ſicut de ambiente aere contingit dicere. Ad illud verò quod inquiunt, quòd contingenter, & non neceſſariò indicationem facit: propterea quòd contingenter, & non neceſſariò hanc, vel illam qualitatem ſuſcipit, tum pro vitæ cuſtodia, tum pro morbi allatione: dicimus ipſi, quòd ſicut numerus contingenter eſt par, contingenterque eſt etiam impar; neceſſariò tamen eſt par, vel impar; ſic aeris indicatio, contingenter eſt conſeruatiua, contingenter etiam eſt curatiua: Alternatim verò curatiua, vel conſeruatiua ſemper eſt neceſſariò; quoniam vt aer viciſſim, vel morbum, vel naturam neceſſariò ſemper conſpicit, & fouet; ita & harum vtriuſque indicationem alternatim neceſſariò ſemper oſtendit. Etſi enim aer contingenter curatiuam, conſeruatiuamùe indicationem monſtret; vtriuſque tamen harum neceſſariò facilitatem, difficultatemúe, ſeu grauitatem, vel lenitatem dicit: cùm vtranque neceſſariò ſalubriter inſalubriterúe, ſeu amicè inimiceúe conſpiciat. Præterea vſus inſpirationis, & reſpirationis aeris continuus, neceſſariuſque eſt pro vita ſeruanda continua vtique, atque neceſſaria erit eius indicatio vitam demonſtrans. At præter vitalis indicationis neceſsitatem circumambiens aer dum conſeruatiuam, aut curatiuam conſpicit, indicationem ſemper vtranque ipſarum ſub ratione difficultatis, facilitatiſque, ſeu ſub magnitudinis exiguitatiſque ratione continetur. Addimus etiam, quòd dum vtriuſque harum indicationum vigeat, ac inſtet actio, & alteratio; ſemper agendi tempus oſtendit; ſi non adſit quod prohibeat. Vltima argumentatio erat; quoniam multi ſunt morbi, quibus nullum vſum præſtat aer; quales ſunt partes inſtrumentales affligentes: nam his nihil aer confert. Non rectè igitur principium cõmune curatiuarum

indicationum

indicationum statuetur. Ad hoc respondemus, quòd aer quatenus consideratur vt interna corporea caussa, quæ sua qualitate, & quantitate, aut his ambabus corpus lædit, morbum procreando; vt indifferenter illum in temperie in compositione, & in vnitatis solutione producere potest, & vt enim producit, & aptus est producere; ita & illud indicat, & aptus natus est indicare. Etsi aliquos ex his non immediatè conspicit, mediatè tamen, ac necessariò illos contemplatur: & vt naturale agens non otiosum semper agit, & producendo, & indicando.

Vt quatuor anni tempora, & regiones ad ambientem redigantur. Cap. XVI.



QVATVOR anni tempora Medici intelligunt, non modo quatuor Solis motiones per singulas quatuor Zodiaci Circuli quadras; verum etiam quatuor aeris alterationes penès primas qualitates, eorundemque combinationes ab his eisdem Solis motionibus effectas. Ipsi etenim caliditatem, & humiditatem, seu mauis temperiem, Ver appellant; caliditatem, & siccitatem, Aestatem; frigiditatem, & siccitatem, seu potius in actiuis temperatam, in passiuis verò ad siccum intemperatam, Autumnum; frigiditatem, & humiditatem Hyemem constituunt. His quatuor anni temporibus, & quatuor primarum qualitatum coniugationibus regiones, & loca notabilia sub quacunque cœli plaga fuerint, correspondent: Quoniam aer illa circumfundens, aut frigidus, & humidus erit; vnde frigida, & humida regio nuncupatur, aut calidus erit, & siccus; quibus regionem denominamus; aut æqualiter temperatus circumambiens aer extiterit, vnde & temperata regio dicitur: aut in actiuis temperatus, in passiuis intemperatus aer reperitur, & consimiliter regio nuncupabitur. Etsi enim aer ex quatuor primarum qualitatum coniugationibus, caliditatem, & humiditatem sortiatur; non tamen sic illam per se inseparabiliter assequitur; quin reliquarum etiam particeps esse possit. Est enim aer (vt isti dicunt) ex propria natura idoneus; vt qualitates omnes vicissim recipiat; neque propria natura aliqua qualitate est præditus: sed ea ei vis à natura est concessa; vt quauis ferè informari possit: eamque ob caussam modo calidus, modo frigidus, aliàs humidus, aliàs siccus sentitur ob commodum vsum viuorum, animaliumque progredientium oportunis temporibus hac, vel illa qualitate indigentium. Sic igitur pro varietate ægrotantium, varijs quoque qualitatibus facilè aerem alterant.

Ver autem cum alijs anni temporibus collatum calidum, & humidum veteres statuerunt: per se, & suapte natura temperatum illud Gal. facit, & ratione accessus Solis ad nos; qui non tam longè abest, vt media hyeme; nec ita vicinus est, vt media æstate: Necnon & actiuarum, passiuarumque qualitatum ratione: Tale etenim id vt plurimum experimur. De quo quidem primo Epid. comm. 1. partic. 5. ita Gal. scripsit. Ver dum suo temperamento constat, est temperatissimum, & in vtraque oppositione neutrum in vere alteri præstat; sed est ambarum quasi æquilibrium: & si alioquin alio modo præsentitur, per accidens id contingit, aliorum astrorum euentu, & accidentium horum inferiorum, loci videlicet, atque situs affectione. Autumnum pariter Medici temperatum faciunt ratione Solis accessus; qui tunc temporis non tantum à nobis distat, quantum tempore veris distabat: Temperatum quoque dicitur ratione actiuarum qualitatum: nam modo calor frigus, modo frigus calorem vincit; vt mistum fit vicissitudine quadam ex calore, & frigore. At in passiuis intemperatas inuenitur siccitatis gratia: Autumni nempè siccitas, quæ ab æstatis calore est comparata, admodum fixa, & permanens est, & plurimæ resistentiæ esse dicitur: vnde inferunt, quòd humectandi tempus longius est, quàm exsiccandi. Quæ igitur est Autumni siccitas à calore acquisita cùm contumax sit, & ab humore permutari difficulter possit; pertinax in suo robore ipsa perseuerat; & inde Autumnus siccus euadit, siccusque denominatur. Huiusce autem siccitatis Autumni firmæ, stabilisque permanentiæ caussam Auic. caliditatem efficit, quæ longè efficacior est ad exsiccandum, quàm humiditas, seu frigiditas ad humectandum. Cùm itaque siccitas caloris effectus efficacior humiditate sit, illamque vincat; Meritò humiditate victa superstes siccitas, vt domina persistit: vnde siccus Autumnus efficitur, & nuncupatur: proinde bene Auic. fen. secunda primi libri doct. 2. cap. 3. de Naturis temporum sic ait. Neque etiam conuersio, quæ fit ad humiditatem, propter frigus est; sicut conuersio, quæ fit à siccitate propter calorem. Mox addit, ideoque non est dispositio, quæ faciat remanere ver in humiditate hyemis; sicut est dispositio, quæ facit Autumnum in siccitate æstatis: Veris enim humiditas temperatur in tanto tempore propter caliditatem; in quanto non temperatur siccitas Autumno propter frigiditatem. Et videtur, quòd humectatio ista, & exsiccatio similes sint operationibus habitus, & priua-

& priuationis, & non contrariorum operationibus. Exſiccatio itaque in hoc loco non eſt niſi ſubſtantiæ humidæ deſtructio: & humectatio non eſt ſiccæ ſubſtantiæ deſtructio, ſed ſubſtantiæ humidę acquiſitio. Cùm etenim in hoc loco dicimus aerem humidum, & aerem ſiccum, non intelligimus eius formam, neque eius qualitatem naturalem; immo de hac nón perſcrutamur, aut parum perſcrutamur. Et cùm aerem dicimus humidum, non volumus intelligere niſi aerem, cui admiſti fuerint multi vapores aquoſi; aut aerem, cuius conuerſio cum ſpiſſitudine eius fuit ad ſimilitudinem vaporis aquoſi. Et aerem dicimus ſiccum, aerem videlicet ex quo reſolutum fuit quod de humoribus aquoſis ei erat admiſtum; aut ſe conuertit ad ſimilitudinem ſubſtantiæ ignis propter raritatem; aut cum quo admiſti fuerint terreſtres fumi, qui terræ in ſua ſiccitate ſimilantur. Hactenus Auic. At ad rem noſtram reuertamur. Hyemem verò frigidam, & humidam Medici dicunt: Etſi forte fortuna Hyems frigida, & ſicca aliquando ſentiatur; hoc in aliquem aſtrorum aſpectum, vel aliquod aliud accidens transferendum erit: ſæpius tamen vſu venit, vt frigida, & humida ſit. Aeſtatem autem calidam, & ſiccam aſſeruerunt; & ſi aliquando humidam experiamur: de qua ſcripſit Hipp. Si æſtas fuerit humida, peſtis generabitur: ſed nimium raró humidam ſentimus æſtatem: hocque aliorum ſyderum interuentu contingit, atque accidentibus horum inferiorum, quæ pluuioſum æſtatis tempus efficere poſſunt. Vnum animaduertendum: hæc quatuor anni tempora, ſicut in commentarijs de Natura Humana ſcripſimus, non habere eſſentiam ſuam à qualitatibus primis, ſed à motu corporum ſuperiorum, Solis præſertim. Nam acceſſu, & receſſu Solis hæ tempeſtates gignuntur: habent verò ab ipſis qualitatibus, vt perficiantur certo quodam modo, & inter ſe diſtinguantur. Nunc quæ temperata, diſtemperataque ſit regio, exponamus. Regio itaque temperata duobus modis dicitur. Nam aut temperata nominatur, quia in ea perpetuum Ver, perpetuaque eſt quædam quatuor primarum qualitatum æquabilitas; ita vt calor non ſuperet frigus, neque humor ſiccitatem; nec contra: Hanc profectò regionis temperiem difficile erit reperire; niſi aut ſub æquatore poſita ſit pari ab vtroque polo interſtitio diſtans, vt refert Auic. cui aliqua ſit ex Malacæ inſulis nouiter repertis, vt de Zailon, & Samotra aſſerunt; aut fortaſsis ſub Paradiſo Terreſtri fœlicius reperitur, ſed iſtud diſquirendum alijs dimittimus: vel temperata dicetur regio, in qua ſingula quatuor anni tempora, Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems ſuas æquabiliter ſeruat conſtitutiones, & naturas. Hæc (vt Geographi aſſeuerant) in Hemiſpherio noſtro poſita eſt in medio clymatum terrarum, temperatiorem plagam temperatæ Zonæ conſpiciens inter torridam, & frigidam arcticam cœli Zonam. In altero verò Hemiſpherio conſimiliter temperata Regio ſita erit in medio ſeptem clymatum terrarum, temperatiorem partem temperata Zona intuens inter torridam, & frigidam antarcticam cœli Zonam. Hæc quippe cùm ab vtroque extremo, calido ſcilicet, & frigido, æquabiliter diſtet, & ambarum facultatis mediocriter ſit particeps; ipſo iure temperata erit, cœli tantùm ratione conſiderata, cæteris omiſsis. Huic temperatæ regioni proximam faciunt, quæ in actiuis temperata exiſtit, in paſsiuis ad humidum vergit, qualem Italiam aiunt eſſe: Hæc enim cùm ſub extrema quarti clymatis parte, & ſub quinto, ac principio ſexti clymatis ſit poſita; media ferè inter ſeptentrionem, & meridiem ad occidentem tendens, mediam profectò plagam temperatæ cœli Zonæ, quæ eſt inter torridam, & frigidam arcticam Zonam, obſeruat, & conſpicit, vnde mediocrem inter calorem, & frigus temperiem ſortitur. Et ſi inæqualiter, inconſtanterque, ſicut & Autumnus, illam poſsideat propter montes illam interſecantes ventis ſemper agitatos; & quoniam maribus plurimum circumfunditur; & magnis fluminibus vndique irrigatur; & aquis paluſtribus, & lacuſtribus multùm inundatur; ad humidum in paſsiuis declinare inquiunt. Diſtemperata autem regio erit, quæ ad frigidum, vel calidum, vel ad humidum, vel ſiccum per quatuor anni tempeſtates ſemper vergit, & inclinat. Calidæ itaque, & æſtuoſę regiones ab iſtis recenſentur, Libia, Aethiopia, Mauritania vtraq; Cęſarienſis inquam, & Tingitania, Numidia, Nubia, Troglodatica, & cæterę ad Africam ſitæ. Frigidæ verò regiones ſunt Cæltarum, Germanorum, Scytarum, Gothorum, & reliquæ omnes ſeptentrionalibus expoſitæ. Siccisſimæ habentur, Syria, atque Arabia deſerta, atque Petroſa; veluti præhumidæ Gallia, Cæltica, & Belgica, & pleræque inſulæ in Oceano ad ſeptentrionem poſitæ, ſicut Orcades, & Hyebernia, & Hiſlandia. Quod ad locorum temperamentum pertinet; notum eſt omnibus montoſa ædita loca, atque ad ſeptentrionem vergentia, tum frigida, tum flatibus, ac ventis expoſita eſſe: Contra verò demiſsiora, quæ ſunt, & ad meridiem poſita, calidiora, veluti mari, paludibus, & fluminibus proxima, humida eſſe; ſicuti ſicca montoſa, ſalebroſa, dura, aſpera, petroſa. De temperato autem loco, & ſitu hanc Hipp. in libro de aere, aquis, & locis cap. 2. profert ſententiam. Quæ quidem ad orientem Solem ſitæ ſunt Ciuitates, eas par eſt eſſe ſalubriores ijs, quæ ad ſeptentrionem conuerſæ ſunt; & his, quæ ad calidos ventos ſitæ

 ſunt:

ſunt; etiam ſi ſtadium ſolum interſit. Primum etenim moderatio eſt caliditas, & frigiditas: Deinde aquas, quæ ad Solis ortus ſunt, omnes ſplendidas eſſe neceſſe eſt, & odoratas, & molles, & amabiles oriri in hac Ciuitate. Sol enim emergens, ac illuſtrans ipſas caſtigat: matutinum enim tempus ipſe aer vtplurimum ſemper occupat: & ciuitas quæ hoc modo ſita eſt, veri maximè ſimilis eſt, iuxta caliditatis, & frigiditatis moderationem. Inde hominum formæ boni coloris ſunt, & magis floridæ. Aliaque bona multa de temperato ſitu, & loco refert Hipp. vt apud ipſum eſt videre. Sic vtique clarum fecimus, quemadmodum anni tempora, & mundi regiones, & loca ad ambientem aerem reducantur: qualiter verò medicatorias indicationes præſtent, exponamus.

Vt quatuor anni tempora, & mundi regiones ſuas medicatorias præbeant indicationes. Cap. XVII.



Er calidum, & humidum, ſeu potius temperatum, & ſaluberrimum, ac morbis, qui mortem afferunt minimè obnoxium eſt, quę Hippocratis ſententia fuit 3. aph. 9. & eius commentatoris Gal. comm. 20. eiuſdem libri. In eo morbi plurimi, paſſionesque multæ fiunt, non ob eius temperaturam, quæ bona eſt; ſed eo quòd verno tempore corpora laxa, & rara fiunt ex comm. 18. primi aph. humoresque vitioſi, qui in profundo corporis erant, à partibus principalibus de externa expelluntur: & multi procreantur morbi longè mitiores ijs, qui impendebant, humoribus imis partibus retentis. Etſi enim verno tempore morbi plures fieri poſsint ob ambientis naturam, & ob errata, quæ in victu contingunt; morbi tamen in ipſo proprij fiunt expurgato profundo corporis, vitioſis humoribus ad cutim tranſmiſsis. Hoc etiam tempore (addit Gal. eodem comm. 20. tertij aphoriſmorum) calor ex ambiente aere humores diffundens educit ad cutim; & occultam per totum corpus facit tranſpirationem, per quam excernuntur ſuperfluitates. Propterea dicimus, quòd in curatiuo actu veris tempus ea ſalubria medicamina indicat, quæ ſalubres in ipſa ratione ſui genitos morbos deuincere queunt, maſſamque ſanguineam expurgare; qualia nimirum ſunt, quæ à Medicis bene dicta vocantur auxilia, quæ ſine vlla naturæ læſione morbos expugnant. Ob eandem quoque dictam rationem, quod ſcilicet veris tepor humores fundit, diſſoluitque; ex extrorſum à profundo ad cutim reuocat, fluxibilesque reddit, & ad purgationem paratos efficit. Antiqui Medici idoneum tempus Ver ad purgationes ſtatuunt, ſicut 6. aphoriſmorum aph. 47. recenſuit Hipp. his verbis. Quibuſcunque venæ ſectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos Vere purgare, vel venam incidere oportet: vbi Gal. in comm. ait. Purgo igitur ipſum non Vere tantum, ſed etiam Autumno: id quod in libro quos, & quando purgare oporteat repetit. Et Paulus lib. 7. c. 4. ita confirmat. Tempus autem purgationis, ſi nulla vrgeat neceſsitas, Vernum maximè, & Autumnale idoneum eſt. Quod autem de Autumno iſti addunt, eſt propter eius in calore, & frigore temperiem; quæ licet non ſit omnino Veri perſimilis propter inæqualitatem frigoris, atque caloris, eiusque nimiam ſiccitatem; tamen propter eam, quam retinet temperiem, opportunum illud Medici tempus ad præſeruationem indicat: Sic igitur de Veris tempore aſſerimus, quòd & curatiuas, & pręſeruatiuas ſuas medendi indicationes præbet. Autumnus verò cùm ſiccus, & frigidus, & ex calore, & frigore mistum quoddam ambobus, atque inæqualis ſit, magna ex parte exitialis eſt, tabidisq; malus: & licet in eo plurimi gignantur morbi; multos tamen propria eius natura peculiares fieri recenſet Hipp. 3. aph. 22. Atque ij, qui in Autumno fiunt, longè alijs periculoſiores ſunt, tum ob temporis inæqualitatem: tum quia humores, qui prius ad cutim difflabantur, ad interiora impelluntur: & ſi quæ diſpoſitio tabida in dubio eſt, (addit Gal.) maximè hoc tempore deprehenditur propter frigiditatem, & ſiccitatem & temperiei inæqualitatem, atque humorum prauitatem. Cùm igitur Autumnus ſua inconſtantia, & inæqualitate difficilium, longarumq; ægritudinum frequens ſit occaſio; vt eorundem cauſſa, & occaſio, ita valida, longa, multotiesq; repetita medicamina monſtrabit; quæ morborum difficultatem, & contumaciam ſuperare queant; & præcipuè atram bilem alterantia, & purgantia. Aeſtas eſt tempus calidum, & ſiccum; & hac tempeſtate cùm plurimi gignantur morbi ob multa in regimine vitæ peccata commiſſa; proprij tamen, ac proximi ſuæ temperaturæ multi etiam fiunt; vt febres ardentes, & continuæ, & tertianæ, & quæcunque ex flaua bile mala corporibus accidunt; & præſertim acuti morbi cum febre, quod ſcriptum reliquit Hipp. 3. aph. 21. Vt igitur æſtas horum propriorum morborum eſt efficiens cauſſa, ita & eorundem ſanationis medicamina demonſtrabit, eaq; præſentanea, vt acutis ſatisfaciant morbis declarabit; & præcipuè bilem alterantia, & purgantia.

Qui autem hyemis temperaturæ familiares morbi procreantur, frigidi vtplurimum, ac humidi sunt suis excitantibus caussis persimiles. Morbos itaque hyemi proprios Hipp. 3. aph. 23. ait esse laterum, & pulmonis passiones; quoniam instrumenta respirationi seruientia ex frigiditate læduntur: cùm alia ita bene possimus obtegere, inquit Gal. in comm. vt nihil, aut minimum sentiant ambientem frigiditatem: Anhelitum verò nemo potest cohibere: neque aliter datur respirandi facultas. Ob hanc igitur ipsam frigiditatem tusses hyeme fiunt, & laterum dolores: atq; ob eandem etiam caput oblæsum grauedines, tusses, atque raucedines operatur. Sicut igitur morborum, qui à frigiditate, & à pituita originem ducunt, ac certis membris offensionem inferunt, hyems est caussa; sic & medicamina frigiditatem, pituitamque alterantia, & expurgantia, & læsarum partium morbum auferentia demonstrat. Verum hæc ipsa in curatiua tantummodo intentione vera sunt; vt morbi afflictione, atque molestia cogunt; vt medicamenta adhibeantur: Vbi verò morborum necessitas non vrget, sed præseruationi indulgemus, secus agendum esse docet Hipp. 4. aph. aph. 5. vbi dicit: „ sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes: & in libro de aere, & aquis cap. 6. idem ferè repetit his verbis. „ Maximè autem obseruare oportet magnas temporum mutationes; & neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vtamus, quæ circa ventem, neque secemus prius, quàm prætereant decem dies, aut plures. Periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maximè verò æstiuum. Periculosum etiam æquinoctium vtrunque, magis verò Autumnale. Horum verò Gal. rationem reddit 4. libro aph. comm. 5. vbi ait. Exusta enim tunc natura eam, quæ à medicamentis purgantibus, non fert acredinem. Quare & plures purgati hoc tempore incidunt in febres, & natura ex æstu imbecillis magis ex purgationibus dissoluitur. Et quidem purgatio hæc praua fiet; cùm calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam contrariam ei, ad quam medicina ducit humores. Hyeme autem cauendæ sunt medicinæ; propterea quòd humores sunt quieti, & infarti in interioribus. Ob id Hipp. eodem lib. aph. aph. 6. de purgatione per superna sermonem habens iubet cauendam Hyemem; propterea quòd viæ corporis coarctatæ sunt: quò fit, vt vix ad humores peccantes vis medicinæ perueniat: & humores non sunt medicinæ trahenti obedientes: eò quia interclusi in membris à frigore sunt. Quamobrem Auic. 4. fen. primi libri cap. 1. sic nos admonet. Ex regulis prætetea, quas obseruare debes, est fortes dimittere medicationes in temporibus fortibus, quanto plus poteris, sicut ventrem vehementer soluere, aut pronocare vomitum, aut aperire, aut adurare in æstate, & hyeme.

Temperata autem regio, quæ temperato veri correspondet, vt in morborum effectione est illi similis; sic & in eorundem præseruatione, & curatione consimiles medicatorias indicationes habebit, quas veris tempus habere diximus. Item distemperata regio ad calidum, & siccũ, & ad frigidum; vt hæ cum intemperatis anni temporibus similes in naturis sunt; ita & in morborum procreatione, quæ vitio communis naturæ fiunt, consimiles erunt. Quapropter & in eorundem curatiuo, & præseruatiuo acto consimiles medicandi indicationes præstabunt. Non nulli autem sunt, qui de incolentibus has regiones ita opinantur, & aiunt; quòd in intemperatis ad calidum, & siccum, & ad frigidum, & humidum, vt septentrionales, & multæ ex meridionalibus regiones sunt propter earundem conformitatem in omnibus temporibus anni, longè salubrius homines degunt, quàm qui in illis, quæ ad temperiẽ accedunt, & proximè temperatis existimantur, in illis nempe, quæ distemperatæ, propter calidum, aut frigidum traduntur, neq; multæ, neq; fortes fiunt temporum anni mutationes: sed similes semper, vel parum admodum diuariantes; quod de nonnullis Scythiæ locis scripsit Hipp. de aere, aquis, & locis c. 10. Quare vere simile est illis, neq; fortes, neq; dissimiles, sed potius vniformes vtplurimum fieri ægritudines; cùm præsertim, vt subdit Hipp. eodem vtantur victu, & amictu æstatis, & hyemis tempore. Hæc profectò vitæ vniformitas, vniformiter quoq; animantium humores, qui earundem salutem tutantur, conseruabit: Atque hęc cõtinuata humorum conformitas, continuatæ quoq; sanitatis caussa existit. Tempora igitur cùm sint inter se similia, nullam corruptionem, neque malignitatem animantibus inferunt; sed similes, & vniformes morbos, quemadmodum similes in hominum corporibus temperaturas, & proprietates procreant, quibus ab alijs differant; quale est, quod de Turcis scribit Auic. 4. fen. 1. cap. 9. qui quidem in frigidis morantur regionibus, debiliter à Scammoneo soluentur, nisi in magna detur quantitate. Quare verò regiones propius ad temperatam accedunt, neque perfectam tamen assequuntur temperiem: hæ quatuor anni temporum differentes mutationes, atque illas satis notas, & validas experiuntur; quibus quidem temporum mutationibus & quatuor animantium humores sanitatis ægritudinisque proximæ efficientes caussæ mutantur, vt primarum quatuor qualitatum effectus; qua mutatione morbi nascuntur. Mutationes namq; temporum, inquit Hipp. 3. aph. 1. potissimum pariũt morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, aut alia

pro ratione eodem modo. Quæ igitur proxima temperatæ dicetur regio iuxta varias suorum temporum mutationes, varia ostendet morborum genera; varia quoq; monstrabit medicamenta, atq; medicaminum formas. Distemperatæ verò regiones continua, ac ferè simili caliditate, frigiditateue affectæ, penès conformitatem, vnitatemq; suorum temporum animantium salubritatem tuentur: Vnde cùm pauci gignantur morbi, paucis contenti sunt remedijs, paucosq; cōspiciunt medicos. Ad hęc alibi, atq; alijs discutienda dimittimus. Sic itiq; & regiones, & loca habitabilia cuncta, & quatuor anni tempora cùm effectricis morborum caussę rationē habeant, ad curationis facilitatem, difficultatemque indicantem, ambientem scilicet ipsum, redigimus.

Habent insuper regiones & loca habitabilia indicati, iuuantisq; præsidij rationem, cùm à diuturnis conspiciuntur, desideranturq; morbis. Neq; enim incongruum esse dicimus, idem sub diuersis respectibus, & indicati, & indicantis rationē habere, vt iam exposuimus. Id quod Hipp. lib. 6. de morb. vulg. part. 5. text. 16. his verbis docuit, solum vertere in longis morbis conuenit. Quod declarans Gal. in hunc modum scribit. Siue nauigans, siue terrestre iter faciens quispiam in alteram regionem migrauerit, vel motus in itinere, aut nauigatione, vel aeris mutatio proderit; & maximè cùm in aerem contrarię temperaturæ discesserit: contrarium autem dico non solum aeris propriæ ægrotanti regionis temperamento, sed etiam morbi ipsius: nam si humidus morbus sit, in sicciorem aerem migrandum erit, quod similiter in alijs qualitatibus, tum simplicibus, tum cōpositis obseruari debet. Adhuc verò magis iste locum mutans iuuabitur, si pro modo, quo morbus à naturali statu discesserit, ad contrarium aerem mutatio fiat: morbus enim ad paulò frigidiorem à naturali temperie recedens aerem paulò mediocri temperie calidiorem postulat: morbus longius recedens multo in contrarium excessu eget. Idem quod etiam de locis, & de regionibus dicendum esse indicamus: & ideo Gal. 5. meth. c. 12. vlcere pulmonis affectis ad Abias proficisci persuasit, quibus subscribens Auic. 4. fen. primi libri cap. primo sic ait. Ex eius præterea, quæ huic modo medicationis sunt propinqua, est mutatio de terra ad terram, & de aere ad aerem, & de formis ad formas. Hæc profectò & regionis, & locorum mutatio diuturnis duntaxat expedit morbis: At recenti morbo correptus, vbi necessitas moram non admittit, eiusmodi terræ mutatio minimè confert: Hi nanque quiete, medicaminumq; facultate potius liberantur, quàm loci mutatione.

Indicata proximorum scoporum curationem indicantium. Cap. XVIII.



PRIMVM indicatum primi indicantis scopi, affectus inquam præternaturalis, est medicatio, curatio, & sanatio, necnon præuisio, & mitigatio, atque ex his mistum, compositumq; munus: est quoq; primi indicantis indicatum contrarietas, contrariumq; ipsum, & iuuans, ac proficuum præsidium. Alterum secundi indicantis scopi indicatum est medicaminum, & medicationum, atq; contrarietatis, & contrariorum certus terminus, & iusta mensura, à certa, & iusta temperamenti cognitione exorta, sicut incertus terminus, confusaque mensura, ab incerta confusaq; eiusdem temperamenti cognitione exoritur. Tertium autem indicatum tertij indicantis scopi, primum in ordine est innati calidi temperiei vitæque custodia à necessariò inspirati, respiratique aeris vsu indicata. Huic deinceps proximum indicatum est alternatim sanitatis conseruatio, malique curatio disiunctim ab ambiente, vt caussa siue qua nec teneri sanitas, nec curari morbus potest, demonstratum. Huius quoq; alterum indicatum, est conseruationis, curationisq; facilitas, & difficultas, seu eorundem magnitudo, & exiguitas: Inter hæc quoq; tempus adhibendi, inhibendiq; medicamina recensetur; occasio inquam ipsa medendi. Regionum autem, & temporum indicantium indicata, iuxta propriam cuiusque conditionem erunt benigna, tutaq; medicamina sanguinem expurgantia, & minuentia, atque fortia multoties repetita, atram bilem, & pituitam alterantia educentia pharmaca: necnon & parata, præsentaneaq; præsidia bilis feruorem extinguentia, & euacuantia. Hæc omnia dicta sint de tribus primis principijs curationum actum edocentibus. Reliquum modo est; vt qui supersunt indicantes, coindicantes, contraindicantesq; scopi, medicationem ipsam, tum claram, & facilem, tum obscuram & difficilem reddentes à Medicis hisce temporibus tantopere exoptati, pro viribus à nobis explicentur; vt principia curationum docentia indicationem, quæ exponere proposuimus, quantum nostrarum virium facultas tulerit, clara, apertaque vndique reddantur.

Finis Septimi Tractatus.

TRACTATVS OCTAVVS;

DE SCOPIS INDICANTIBVS, COINDICANTIBVS, ATQVE CONTRAINDICANTIBVS.

Ordo explicandi ſcopos indicantes. Cap. I.



OSTQVAM ſatis ſuperque longo ſermone oſtenſum eſt, quemadmodum morbus, temperamentum, & aer ambiens tria prima curandorum morborum omnium principia magno conſilio conſtituta fuerunt; vtque eorundem aſſeclæ omnes ad ipſa tria prima capita redigantur, per ipſaque etiam indicationes gignant: operepretium duximus, cum apud antiquiores, recentioresque adeo creber ſit ſermo de indicantibus, coindicantibus, contraindicantibusque ſcopis; eos ipſos ſingulos per capita exponere. Primum igitur quid ſit ſimpliciter indicans ſcopus; quidúe principales, & aſſeclæ ſint indicantes; & quomodo per ſe, & per accidens indicent: deinde quid coindicantes, contraindicantesque tum principes, tum aſſeclæ ſint ſcopi; & qualiter per ſe, & per accidens indicatum, coindicatum, & contraindicatum ſit, ſigillatim exponemus.

Indicantes, coindicantes, contraindicantesque ſcopi qui nam ſint: quidque principalis, & aſſecla; qualiterque per ſe, & per accidens indicare dicantur. Cap. II.



COPOS dicimus capita rerum, quæ vtilia aſſequenda demonſtrant; quę aliàs propoſita nuncupamus; quando ea, vt agendorum principia nobis proponimus, & conſpicimus; quippe quæ ad vtilia agenda nos dirigant, ac impellant. Vtilia autem, & bona conſequenda indicati ſcopi nomine appellantur. Scoporum autem quidam indicantes ſunt, coindicantesq; alij; & nonnulli contraindicantes. Indicantes autem ſcopi prima diuiſione diuiduntur in curatiuos, & conſeruatiuos, iuxta differentias per oppoſitum ſtatum animantis corporis diuidentes, in ſalubritatem inquam, & inſalubritatem: ſalubris namq; animantis ſtatus conſeruationem, & victum; inſalubris verò curationem, & remedium demonſtrat. Liceat nobis in præſenti de cõſeruantibus ſcopis aliquid dicere, quate nus ſpectat ad declarationem coindicantium, contraindicantiumq; ſcoporum: quorum eſſe, ac fieri in conſeruatiuorum, curatiuorumq; inter ſe ſcoporum collatione cõſiſtit. Curatiui autem indicantes ſcopi, quales ſunt morbus, cauſſa, & ſymptoma, remedium, & ſui ipſorum ablationem demonſtrant. Conſeruatiui verò, vt bona corporis habitudo, temperies, calor innatus, & vires, victum, ac proprij ſtatus conſeruationem oſtendunt. Diuiduntur etiam indicantes ſcopi in primos, ac principales, atque in ſecundarios, & comitantes; Primos, ac principales vocamus, quos Medicus primò, ac principaliter conſpicit, & obſeruat, videlicet corporum conſtitutiones, illarum cauſſas, & qui ipſas ſequuntur, effectus. Reſpicit nanque primò Medicus corporis conſtitutionem ſemper, eiusque cauſſam, & qui ipſam ſubſequitur effectum; quæ modo ſunt ſecundum naturam: Morbus, cauſſa, & ſymptoma, & conſtitutio mala, & cauſſa, &

effectus præter naturam sunt: Temperies, habitudoue corporis, calor innatus, & vires bona constitutio, caussa, & effectus secundum naturam. Corporis nanque habitum ad temperiem nos redigimus: nam solidam, densamque, & carnosam corporis habitudinem ad sortem; mollem verò, ac diffluentem ad imbecillem reducimus temperaturam: Calor verò, temperies, & vires, & si sint inuicem caussæ, & effectus; calorem tamen faciunt caussam temperiei, vt constitutionis, & virium, vt effectus: propterea quòd calor, & materies, & efficientis rationem habet. Aer verò medius est inter res naturales, & præternaturales: Nam habet rationem rei, & caussæ naturalis, dum iuuat; dum verò nocet, rei, & caussæ præter naturam vicem gerit. Primos igitur, ac principales nuncupabimus scopos, tum curatiuos, tum conseruatiuos, constitutiones ipsas; & quæ illas præcedunt caussas, & qui subsequuntur, effectus. Assectas autem, & assectatores scopos nominamus, qui primos, ac principales æmulantur, assectantutque; sicut in rebus præter naturam procatarcticæ morborum caussæ sunt, & propensiones ad morbum. In rebus verò secundum naturam erunt sexus, ætas, consuetudo, genus vitæ, & similia; quæ & constitutionis, & caussæ, & effectus speciem gerunt. Quicunque igitur principalium scopotum, constitutionum inquam, & caussarum speciem, aut aliquid speciei gerunt; hi inter assectatores recensentur scopos. Pars verò ægrotans, & locus affectus, versus inter primos, quàm secundarios recensentur scopos; ac certius indicat: cùm vtriusque scopi, & conseruationem, & curationem indicantis rationem seruet. Distinguuntur præterea indicantes scopi, tam principales, quàm assectæ, penès agendi modum: nam modo per se indicant, modo per accidens. Per se autem indicantes scopos indicare dicimus; cùm intra proprium conseruatiuæ, curatiuæque indicationis ordinem propria ratione suas edunt indicationes: Per accidens verò, cùm extra suum ordinem secundaria ratione illas expromunt. Quod autem de indicantibus scopis diximus, & curatiuis, & conseruatiuis, & principalibus, & assectis, & per se, & per accidens indicantibus: Hæc eadem dicimus de coindicantibus, contraindicantibusque; quando idem est de omnibus iudicium. Idem profectò re sunt indicantes, coindicantes, contraindicantesque scopi, ratione solum differentes: Nam ad idem, aut ad aliud indicatum comparati, sub ratione identitatis, aut diuersitatis, seu assensus, vel dissensus, & coindicantes, & contraindicantes euadunt; vt quàm mox dicemus.

Indicantes scopi simpliciter, & absolutè sumpti per se, & per accidens indicare dicuntur. Cap. III.



SCOPI autem indicantes, tum curatiui, tum conseruatiui, tam principales, quàm assectæ, aut simpliciter, & absolutè considerantur, & sic simpliciter, & absolutè indicantes dicuntur; aut comparatiuè; quod quidem etiam duobus modis contingit esse; aut dum inter se indicando conferuntur; aut dum vnum alteri comparatur vti consentiens, dissentiensue: Vnde & coindicare, & contraindicare asseuerantur. Omnes huiuscemodi scopi, & absoluti, & respectiui per se, & per accidens, suas conficiunt indicationes. Primum itaque contemplemur, vt simpliciter indicantes curatiui, conseruatiuique primò suas per se, & per accidens edant indicationes: deinde qualiter respectiui, coindicantes, contraindicantesque scopi suas per se, & per accidens expromant.

Conseruatiui indicantes scopi, tam principales, quàm assecla simpliciter sumpti, & per se, & per accidens indicant. Cap. IIII.



PRINCIPALES autem, & assectæ conseruatiui indicantes scopi, temperies scilicet, calor innatus, & vires, atque consuetudo, ætas, & sexus, cùm sint secundum naturam, nobisque familiaria; iucunditatem, & bonum semper apportantia, regimen vitæ, ac victum pro sui ipsorum custodia per se ostendunt. Vitæ autē regimen, ac victum pro se conseruatiuum indicatum hic nuncupamus; quando intra sui indicantis ordinem est demonstratum; & propria ratione ad illum refertur. Ipsi iidem conseruatiui indicantes scopi, & principes, & assectæ remedium, & curationem per accidens demonstrant; quoniam extra suæ indicationis ordinem illa declarant. Atque hæc per accidens conseruatiua indicata dicuntur; quoniam secundaria ratione extra proprium indicandi genus ad

 indicantem

indicantem referuntur. Quòd verò conseruatiui indicantes scopi remedium, curationemque indicent, 9. meth. cap. 13. testatur Gal. vbi habet. Vires nanque vnam rem semper indicabunt, nempe sui custodiam; quibus ergo (roget quis) seruabuntur? potissima quidem ratione ex eo, quod subiectum earum vel inanitum, vel alteratum est, corrigendo: Secundo loco ex prohibendis his, quæ ipsorum substantiam alterare, vacuareque possunt: comprehensa verò inter ea, quæ alterant, breuitatis caussa sint, & quæ earum vnitatem distrahunt. His quippe verbis Gal. admonet, quemadmodum vires duobus modis seruantur: & sicut duobus his modis sui tutelam consequuntur; ita etiam ambobus eandem ostendunt. Idque rursus dupliciter fit, vno modo per se, & primò: altero secundariò, & per accidens, necessariò tamen. Primò & per se sui custodiam virtus ostendit; dum consimilem, coæqualemque substantiam, & qualitatem victus, & nutrimenti indicat, vt vicem deperditi suppleat: sicque incorrupta, & integra eius seruetur substantia, & temperies: Secundariò autem, & per accidens, necessariò tamen, sui custodiam virtus demonstrat, per declinationem, prohibitionemque rerum nocentium, ac lædentium: dum verò fugiunt, aut inhibent, quæ ipsorum substantiam vacuant, temperiemque alterant, seu vnitatem dissoluunt; tunc secundariò, & per accidens, se tutantur, & custodiunt, per malorum scilicet nocentium priuationem: & vt per accidens hæc moliuntur; ita & per accidens ostendunt. Fuga itaque, & inhibitio lædentium nihil in vires operando, sed tantum noxia declinando, & prohibendo vitam per lædentium priuationem, necessariò custodit, & tutatur: & vt custodit, ita etiam & illam indicat. Primum itaque vtile, ac iuuans per se primò à virtute indicatum est alimentum consimile, & coæquale deperditæ viuentis substantiæ. Secundariò autem, & per accidens (necessariò tamen) à virtute indicatum est lædentium, corrumpentiumque vitatio, atque incolumitas per eorundem fugam, & inhibitionem. Siue igitur iuuans istud indicatum, quod per mali nocentis indicationem virtus consequitur, adipiscatur per medicaminum exhibitionem; illud vt vtile, & proficuum admittens; siue per eiusdem inhibitionem, vt noxium, ac malum prohibens, semper id per accidens necessariò indicatum dicimus. Hoc idem ibidem eodem libro & cap. Gal. hisce verbis confirmat. Virtus ergo omnium prima custodienda hominibus est: seruabitur autem, si nec eius substantia inaniatur, nec tanta alteratione alteretur, vt ea corruptioni sit propinqua. Atque huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam præsentem seruamus, vel absentem inducimus. Hactenus Gal. qui animantis substantiam, & temperiem seruare, & à corruptione præcauere docet per consimile, coæqualeque nutrimentum; absentem verò lapsamque temperiem reducere, aut per contrariam alimenti, aut per medicamina permutantia: & vt istud secundariò, & per accidens, sic & primum per se molitur, & agit. Quod verò de virtute asseruit Galenus, idem de temperie, corporisque habitudine, atque calido innato intelligere voluit; cùm eadem sit horum omnium ratio. Et quod de his omnibus sensit, pariter & de asseclis intelligere voluit scopis, ætate scilicet, sexu, & consuetudine, quando hæc ipsa vt aduentitiæ constitutionis & caussæ, & effectus speciem gerentia, suas per se, & per accidens naturaliter præbent indicationes, simili ferè ratione, qua principales conseruatiuos scopos indicare assertum fuit. Sic vtique planum fecimus, quo pacto vitam custodientes scopi, & principes, & asseclæ simpliciter, & seorsum sumpti suas & per se, & per accidens faciant indicationes, & sua iuuantia indicata per se, & per accidens demonstrent.

Curatiui indicantes scopi, & principales, & assecla seorsum, & absolutè sumpti per se, & per accidens indicant.

Cap. V.

CVRATIVOS indicantes scopos sub tribus generibus superius comprehendimus; Affectus inquam præter naturam, qui & remedium, & curationem declarat; temperies, quæ eorundem mensuram, & terminum præscribit; ac aeris ambientis, qui magnitudinem, & exiguitatem eorundem ostendit. Curatiui autem principes scopi, morbus scilicet, caussa, & symptoma, & asseclæ vt externæ, procatarcticæque caussæ, ac propensiones ad morbos, quia huiusmodi affectus omnes sunt, curationem per se indicant, & remedium, & curatio, & remedium per se indicatum dicuntur; quando intra suæ indicationis ordinem ad ipsum indicantem propria ratione referuntur. Temperamentum autem vt terminus, & mensura affectus præternaturalis, mensuram, ac terminum curationis, & remedij per se primò dictat, & remedium mensuratum, & curatio terminata sunt per se primò

à tempe-

à temperamento indicata; quoniam propria ratione, & immediatè ad ipſum referuntur. Aer ambiens vt promiſcua interna, externaque cauſſa, ineuitabiliter, aut ſalubriter, aut inſalubriter alterans per ſe primò alterne, aut ſui conſeruationem, aut ſui ablationem demonſtrat: vnde facilem, difficilemque poſtea declarat curationem. Alternè itaqoe ipſum, aut ſalubriter, aut inſalubriter remouerri, ſeu leuiorem, grauioremque curationem oſtendere, eſt aeris ambientis, vt cauſſa ſine qua non, per ſe indicatum; quoniam hoc per ſe ad indicantem aerem refertur: ſic quippe principes curatiui ſcopi ſimpliciter ſumpti, ſuas per ſe edunt indicationes, & ſua per ſe indicata ad ipſos reducuntur. Quod verò de principalibus diximus, illud idem & de aſſeclis dictum putato; quando etiam ipſi aut principalium ratione indicant, aut acquiſitutiæ formæ gratia principales æmulantis ſuas edunt indicationes. Quamobrem vtcunque indicauerint, intuitu principum id ſemper agent. Qualiter verò ſecundariò, & per accidens indicationes & ipſa præſtent, contemplemur. Principes autem, & aſſeclas curatiuos omnes ſecundariò, & per accidens victum; ac vitæ cuſtodiam indicare aſſerimus; cùm nec proximè, nec immediatè; ſed extra ſuum indicandi genus illa demonſtreut. Quòd verò affectus præter naturam victum, ac vitæ cuſtodiam demonſtret, facilè oſtendimus: nam ſanitas, & ægritudo abſque vita, & viribus eſſe nequeunt: Sanitas enim, & ægritudo viuentium paſsiones ſunt; nec ſine vita eſſe poſſunt. Cùm itaque vires, & vita ſanitatis, & ægritudinis commune ſint ſubiectum, ſine quo neutra conſtitutio conſiſtere vllo modo poteſt; nec valetudo ſine ſubiecto ſuo incolumi ſeruari, nec morbus curari poterit; quoniam non entium nullæ ſunt partes; Si igitur ſanitas, & ægritudo neceſſariò ſubiectum expoſcunt, & habent, vt & ſint, & ſanari, curarique poſsint, & vt illud habent, ita etiam demonſtrant; (nam quæ habentur, facilè demonſtrantur) neceſſariò igitur illud declarabunt, & indicabunt; & cùm iſtud commune indifferensque vtrique ſit, & morbo & ſanitati; ſic etiam communi quoque ratione indicari declararique aſſeritur: proinde ſecundariò, & per accidens, neceſſariò tamen, indicari affirmatur: ſecundariò nanque indicatur, quoniam extra indicandi proprium genus demonſtratur: per accidens verò; quoniam non propria, ſed communi ratione oſtenditur, neceſſariò id tamen; quoniam, quamuis communis ſit ratio, eſt tamen neceſſaria. Communi itaque, & ſecundaria ratione, quod alij ſecundariò, & per accidens inquiunt, principes curatiuos ſcopos, affectu ſcilicet præter naturam regimen vitæ demonſtrare aſſerimus; quando non immediatè, ſed extra proprium indicandi genus iſtud demonſtrant. Regimen autem vitæ ſecundariò, communique ratione indicatum dicitur; cùm communi, & non propria ratione ad hos indicantes referatur. Temperies verò, & craſis à Græcis dicta, quatenus eſt terminus, & menſura morbi, quæ per ſe & remedium, & curationem menſurat; vt morbus ſecundariò, & per accidens victum oſtendit; ſic & temperies, vt eiuſdem morbi terminus, & menſura, per accidens, & ſecundariò eundem victum regulabit, & menſurabit, non ſimpliciter, vt res naturalis, ſed vt morbi conditio hanc parit indicationem; quare vt per accidens morbus victum oſtendit; ita & per accidens temperies illum regulabit: Aer ambiens vt promiſcua, ineuitabilis alterans cauſſa, prout eſt morbi leuis, grauiſque efficiens, fouenſque cauſſa, vt vicíſsim per ſe facilem, difficilemúe curationem oſtendit; ſic vicíſsim per accidens tenuiorem, pleunioremúe victus curationem monſtrabit. Quod verò de principalibus aſſerimus ſcopis; idem de aſſeclis dicimus; quòd ſecundariò, & per accidens, victum, vitæque cuſtodiam demonſtrent; quando & ipſi, aut eadem ratione, qua principales indicant, ſuaſque præbent indicationes; aut aduentitiæ formæ gratia principales æmulantis illas edunt. Sed de his ſatis. Hucuſque declarauimus, quemadmodum curatiui vitam cuſtodientes ſcopi ſimpliciter ſeorſum ſumpti per ſe, & per accidens ſuas conficiant indicationes: ſequitur, vt coindicantes ſcopi qua ratione id agant, & moliantur, explanemus.

Coindicantes ſcopi, qui ſint; Quid coindicare, coindicatio, coindicatumque ſit, explicatur. Cap. VI.

NDICANTES autem ſcopi (ante vt expoſuimus) in duas fuerunt ſecti differentias: nam vnus victum, & cuſtodiam indicat; quem vitæ cuſtodiam nuncupamus; alter medicamina, & curationem demonſtrat, quem curatiuum diximus. Iam verò coindicantes, contraindicanteſque ſcopi in eaſdem diuiduntur differentias; quoniam iidem met termini aut ſeorſum ſumpti, aut inter ſe, ſeu cum alio comparati, vel ſub ratione ideotitatis, vel diuerſitatis indicantes, coindicantes, contraindicanteſq; nominantur. Coindicans itaque, coindicare, atq; coindicatum termini ſunt relatiui; quando ſub identitatis,

ſimilitudinisque ratione ad alterum, ſeu inuicem comparantur. Principales autem, & aſſeclæ conſeruatiui ſcopi coindicari dicuntur, dum aut inuicem comparantur; aut ad aliud referuntur, & quia idem, ac ſimile, quod indicatum dicimus cum conſenſione volunt. Coindicant profectò ſcopi, ſiue ſimul conferantur, ſiue vnus alteri comparetur; dum idem ſimul volunt, aut idem conſentiunt. Coindicare namq; eſt plurimum ſimul in indicato, & ipſo velle connenitc: & ſcopi idem indicatum, & velle comprobantes, affirmantesque coindicantes appellantur: Atque eorundem in idem aſſenſus, approbatioque coindicatio, condemonſtratioque dicitur. Comprobatum verò à coindicantibus coindicatum nominabitur. Coindicans quoque, coindicare, & coindicatio duobus dicitur modis, per ſe, & per accidens; vt de indicante ſimpliciter fuit dictum. Nunc ergo oſtendamus primum, vt principes, & aſſeclæ conſeruatiui ſcopi, comparatiuè ſumpti per ſe, & per accidens coindicent: deinde illud idem de curatiuis ſcopis doceamus.

Conſeruatiui principes, & aſſeclæ coindicantes ſcopi, vt per ſe, & per accidens indicent. Cap. VII.

PRINCIPES autem conſeruatiuos nuncupamus ſcopos, vires ſcilicet, temperiem, corporisque habitum, atque calidum innatum: habitum autem corporis ad temperiem ſuperius redegimus: per calidum verò innatum hic intelligimus maſſæ ſanguineæ, atque ſpirituum inſitum calorem: per temperiem accidentalem ſolidarum partium craſim, & temperaturam: per vires præter ſubſtantialem temperiem, de qua ante abundè eſt dictum, id etiam, quod ex horum omnium vnione emergit, efficax principium ad actiones peragendas. Sed de his Hactenus, & ad ſcopos explicandos redeamus. Aſſeclæ autem huius generis ſcopi ſunt conſuetudo, ætas, ſexus, genusque vitæ, & huius generis alij: qui primos inſectantur, & imitantur. Principales itaque, & aſſeclæ conſeruatiui ſcopi regimen vitæ edocentes profectò per ſe coindicare traduntur; quando intra proprium indicandi genus duo, aut plures indicando ſimul conferuntur: in ipſoque indicato conſentiunt: aut dum vnus alteri comparatur, in eodem, ſeu conſimili conuenit. In idem itaque, ſeu in conſimile aſſenſum, coindicationem nominamus: Et vt res exemplo illuſtrior reddatur: ſi validæ vires, bonusque corporis habitus, atque innati caloris copia inuicem comparentur, & conueniant in plenum indicando victum; tunc ſimul per ſe hunc ipſum victum coindicare omnes aſſeruntur; quando ſimul in idem indicatum eiuſdem ordinis omnes conſentiunt, & ab omnibus comprobatur; victus per ſe coindicatus nuncupatur. Hoc idem aſſeritur, ſi vnus aut alter vni tertio comparetur: vtpute, ſi innati caloris copia multa indicet alimenta: ſi hæc eadem poſtea bonus corporis habitus, ſeu virium fortitudo approbet, & confirmet; tunc & bonus habitus, & virium fortitudo per ſe coindicare cum innati calidi copia dicuntur; quando intra proprium genus per idem nutritionis medium in idem indicatum omnes conſentiunt.

Per accidens autem vitam cuſtodientes ſcopi principales coindicare traduntur; quando ad indicatum extra proprium genus comparantur; illudque & vtile, ac iuuans comprobant, & confirmant. Huiuſmodi verò aſſenſio, & comprobatio per accidens coindicatio dicitur: exempli gratia ſi calidum remedium per ſe ſit à morbo frigido indicatum: ſi hoc ipſum ab imminuto calido, debilibusque viribus comprobetur; tunc imminutum calidum, infirmæque vires per accidens calidum remedium ſimul cum morbo coindicare aſſeruntur; atque iſtud per accidens coindicatum nominatur; quando extra ſuæ coindicationis ordinem ad coindicantes vires noua ratione conferatur. Alia profectò ratione calidum remedium ad frigidum morbum, & alia ad imminutum calidum, & vires debiles comparatur. Aſſeclæ aſſectatoresq; ſcopi vitam cuſtodientes, quales ſunt ætas, ſexus, conſuetudo, genus vitæ, & huius generis reliqua per ſe coindicare traduntur, ſiue principalibus conferantur, ſiue inuicem comparentur, ſi intra ſuę indicationis ordinem eſt comparatio, in indicatoque conueniant, per ſe ſemper coindicabunt: exempli cauſſa, ſi vires aut innati calidi copia plenum alimentum per ſe demonſtrent; hoc ipſum quoque atteſtentur ætas, ſexus, conſuetudo, genusque vitæ; hi cuncti aſſectatores ſcopi modum eſſendi virium præſeferentes, declarantesque aut ſub ratione aſcititiæ naturæ, aut ex eo, quòd connotant nouum virium habitum, & diſpoſitionem; per ſe ſimul cum viribus eundem declaratum victum coindicare dicuntur: & hoc per ſe coindicatum alimentum: eadem ferè ratione & ad vires, & ad comitantes, aſſeclasque referuntur ſcopos. Per accidens autem prænominati ſcopi coindicare dicuntur; cùm extra proprium indicationis genus ad indicatum cuiuſuis alterius indicantis comparantur: illudque vt vtile, ac iuuans

comprobant:

comprobant: atque huiusmodi comprobatio, coindicatio per accidens dicitur: exempli caussa, si corporea interna morbi caussa, aut corporis procliuitas ad malum habitum purgationem per se demonstrent; hanc ipsamque desiderent, & exposcant purgandi consuetudo, genus vitæ, sexus, & consimiles reliqui: Hi profectò asseclæ scopi per accidens, & secundariò morbosæ scilicet caussæ interuentu, cùm illam denotent, & declarent, curationem coindicare asseuerantur. Atque hæc purgatio per accidens coindicata nominatur; quoniam ad corpoream morbi caussam prima ratione, ad asseclas verò vitales coindicantes scopos, non prima, sed secundaria refertur ratione. Hæc de vitabilibus scopis, tum principalibus, tum asseclis per se, & per accidens coindicantibus.

Curatiui principes, & assecla per se, & per accidens coindicant. Cap. VIII.

PRINCIPES verò curatiui dicuntur scopi, morbus, caussa, & symptoma. Asseclæ autem nominantur procatarcticæ caussæ omnes, & præcipuè incongruus sex rerum non naturalium vsus, ac corporum propensiones ad morbos. Pais verò ægrotans, & locus affectus, mediam vtriusque scopi naturam sapit, & principalis, & asseclæ, ac melioris est conditionis; cùm & conseruatiuæ, & curatiuæ simul conditiones obtineat. Principes itaque curatiui scopi, per se, & per accidens coindicare cernuntur: Per se autem coindicare traduntur, quando ad sui ordinis indicatum referuntur, in ipsoque suapte natura consentiunt: in idem nanque, seu consimile conuenire, coindicare dicitur. Res exemplo declaretur: si morbus calidus frigidum indicauerit remedium, idipsumque à calida morbi caussa confirmetur; tunc morbosa caussa consimilis malæ affectionis gratia per se idem auxilium coindicare asseritur; atque id ipsum auxilium per se indicatum dicitur: siquidem eadem propria ratione ad vtrunque referatur: licet fortasse prius ad vnum, quàm ad alterum. Per accidens autem curatiui principales scopi coindicare asseuerantur; cùm ad aliud extra proprium indicandi ordinem indicatum referantur; illudque vt salutare approbant, & confirmant: hancque approbationem coindicationem per accidens dicunt. Vtputa si tenuis victus, qui à debilibus, seu grauatis, aut aliàs distractis viribus per se indicatur; à morbo, & affectu præter naturam comprobetur: tunc enim à morbo, & affectu præter naturam tenuem victum per accidens coindicari asserimus: & tenuis victus per accidens coindicatus dicitur; quando non primò, sed secundariò, nec proprio, sed communi medio ad morbum, & affectum præter naturam refertur. Asseclæ autem curatiui scopi per se coindicare dicuntur; cùm intra proprium indicationis ordinem comparantur, aut ad indicatum à principali, aut ad quoduis alterum ab asseclis demonstratum; illudque ipsum suapte natura approbant. Cùm enim corporis repletio, humorumque plenitudo vacuans remedium per se demonstrent; idipsumque corporis propensio, malumque vitæ regimen confirment; tunc hi asseclæ scopi, vacuans indicatum remedium per se coindicant; quatenus scilicet ipsi includunt, ac connotant nouam malam acquisititiam affectionem morbi, morbificæque caussæ vicem gerentem. Vacuans itaque remedium per se indicatum dicitur; quandoquidem eadem propemodum ratione, & ad primos, & ad concomitantes refertur scopos; licet fortasse per prius, & posterius. Asseclatores autem curatiuos scopos per accidens coindicare affirmamus; cùm ad indicatum extra proprium genus & ipsi referuntur; illudque vt vtile, & proficuum approbant, vtputa si vires graui humorum sarcina oppressæ attenuantam victum ostendant; hanc ipsamque diætam malus corporis habitus, anteactumque genus vitæ, vt vtilem affirmauerint; tunc per accidens illam coindicare dicemus; quando non propria, nec recta via eam prorsus demonstrant: & attenuans coindicata diæta, non per se, nec immediatè ad prædictos refertur scopos, sed secundariò, & per accidens. Hæc de curatiuis scopis per se, & per accidens coindicantibus dicta sint.

De contradicantibus. Cap. IX.


CONTRAINDICANTES autem scopi, & contraindicare, atque contraindicata, relatiui termini sunt, cùm ad alterum sub ratione contrariæ affectionis semper referantur. Contraindicare itaque dicimus contrarium monstrare; quod à primo indicante fuit monstratum; atque contra vtile ab illo ostensum sentire, eiusque contrarium proficuum attestari. Proinde nec perperam contraindicantia definiunt; quòd

dicunt

dicunt ea fore, quæ indicantibus quocunque modo refragantur, & repugnant; & quæ primò impediunt fieri, quæ ab illis fuggeruntur. Contraindicantes igitur ſcopi, & conſeruatiui, & curatiui huiuſmodi dicuntur; quoniam ratione contrariæ aſſertionis, & repugnantiæ ad alterum, aut eiuſdem, aut alterius generis referuntur, aut per ſe, aut per accidens. Vnde contrariari, repugnare, refragarique dicuntur. Sic quippe Gal. contraindicare, ideſt contrarium exigere, quod indicans requirit, ferè vbiq; locorum vſurpat, & 9. meth. c. 10. & 13. & lib. 13. c. 16. lib. 11. cap. 3. Scio ex nonnullorum Auctorum ſententia Galenum in primo de regimine acutorum propè finem, comm. 45. & libro de curatio. per ſanguinis miſsio. cap. 13. contraindicare pro conſentire, & conuenire, & non pro reluctari, & prohibere accepiſſe; ſed tamen nec illud ignorare fas eſt, & poſſe nos ibi contra pro è contra, è conuerſo, & ex alio latere, ſumere. Verbi cauſſa morbus, & virtus cùm ſint contraria, idem remedium, & vtile diuerſimodè, & contrario quodam modo oſtendunt; morbus immediatè vt iuuans illud demonſtrat, è contra virtus, vt ſalutare illud minimè reclamans admittit. Idem de nutrimento, & victu dicimus; quod proximè, & immediatè, vt vtile iuuans à virtute monſtratur; ſimiliter etiam & à morbo monſtratur; magis tamen remotè, vt ſupra expoſuimus. Contraindicantis nomine pro indicante ibidem abutitur Gal. vt apud eundem quis videre poteſt: idque non ex propria, ſed ex aliorum protulit ſententia, vt in libro de curat. rat. per ſanguinis miſsio. apertè fatetur. Sed eò, vnde digreſsi ſumus, reuertamus. Dicimus ergo, quòd contraindicantes ſcopi, & curatiui, & vitam cuſtodientes, cùm ſint ipſimet primi indicantes, ad alterum, ſeu inuicem comparati, oppoſita ſentientes, ſicut hi in principales, & aſſeclas, & per ſe, & per accidens indicantes fuerunt diuiſi; ita & iſti, in has eaſdem ſecantur differentias, in principales inquam, & aſſeclas, & per ſe, & per accidens contraindicantes.

Vt principales conſeruatiui ſcopi per ſe, & per accidens contraindicent. Cap. X.

PRINCIPALAS vitæ cuſtodientes ſcopos diximus eſſe vires, temperamentum, corporisque habitudinem, ac calidum innatum: Aſſeclas verò, ætatem, ſexum, conſuetudinem, proprietatem naturæ, & conſimiles. Hi profectò intra, ac extra proprium indicationis genus inuicem comparati, diuerſæ contrariæq; aſſertionis gratia contrarias ſemper per ſe, & per accidens edunt indicationes, contrariaque monſtrant indicata. Quare per ſe, & per accidens contraindicare aſſeruntur, & per ſe, & per accidens contraindicantes dicuntur ſcopi. Principales itaque conſeruatiui ſcopi per ſe contraindicare aſſeuerantur; cùm intra proprium genus contrariæ, diuerſæque aſſeuerationis gratia inuicem comparantur; tunc contrarias per ſe pariunt indicationes, contrariaque per ſe oſtendunt indicata. Exempli gratia, ſi bonus corporis habitus, natiuique calidi copia plurimum deſiderent, ac demonſtrent alimentum; literarum verò ſtudium, ſeu onus rerum agendarum, animique occupationes illud paucum declarent, ac exigant; tunc hæc inter ſe diuerſa oppoſitaque expoſcentia comparata contraindicare dicuntur; cùm vnum multa, pauca verò alterum demonſtret alimenta. Per accidens verò vitam cuſtodientes ſcopi contraindicare dicuntur; cùm extra proprium genus contrariæ diuerſæque aſſertionis cauſſa comparantur; vt puta ſi copia malorum humorum, aut eorundem corruptio, validum purgans expoſcat medicamentum: Virtus verò per inediam imbecillis, aut in morbi diſſoluta, diuerſum oppoſitumque expoſcet auxilium; tunc vacuans à morbifica cauſſa indicatum præſidium, vt noxium refugit, odioque proſequitur: & illud adminiſtrari prohibet, & contraindicat fieri. Contraindicatum autem illud per accidens nominamus, cùm ſecundariò, & non propria ratione extra ſuum genus fit à viribus demonſtratum.

Animaduertendum, quòd illud per accidens contraindicans, quod aliàs prohibens dicitur; aliquando abſolutè prohibet, aliquando ſecundum quid. Abſolutè prohibet; cùm vires abſolutè imbecilles ſint; ita vt nullatenus vacuans ſuſtineant medicamentum: Secundum quid verò inhibet; cùm aliquantulum ſunt affectæ, & lapſæ: quare protrahenda eſt euacuatio, donec vires ipſæ reſtituantur, inſtaurenturque: vnde & contraindicans iſtud verius remorans, quàm inhibens dici meretur. Aſſeclas conſeruatiuos ſcopos per ſe contraindicare dicimus; cùm ipſi intra proprium genus indicationis, oppoſita declarant. Vt ſi clauſura monaſtica licentiæ liberè viuentium compareretur: hæc contrario modo ſuas faciunt indicationes: Nam viuendi libertas, ſic viuere, vt velis, declarat: Monaſterij clauſura aſtrictum viuendi carcerem oſtendit. Similiter ſi ad ieiunium monaſticum à monaſtico vitæ genere indicatum conſuetudo

floridæ

floridæ ætatis pluries in die comedendi conferatur; tunc contraindicare, contrariumque monstrare dicuntur: & genus vitæ monasticæ, & iuuenilis consuetudo inuicem comparati contra indicantes scopi sunt. Per se verò vtrunque secundariò contraindicare affirmamus; cùm ambo nouum habitum, & dispositionem connotent, & includant; atque ambo propria ratione suum vtile, ac conueniens declarent. Per accidens verò asseclæ contraindicantes scopi contraindicare dicuntur; cùm extra suum indicandi ordinem, ad aliud, aut inuicem comparati oppositum dicunt, & demonstrant. Vt si ad venæ sectionem à plenitudine demonstratam senilis ætas conferatur, quæ refectionem per se desiderat; tunc senium infirmitatis virium gratia, & repletio contrarium demonstrat: Nam hæc euacuationem dicit: Senium verò refectionem declarat. Per accidens verò, & secundariò hanc contraindicationem nominamus; cùm extra conseruandi genus, ac extra propriam senij rationem sit demonstrata.

Principales, & asseclæ curatiui scopi, vt per se, & per accidens contraindicent. Cap. XI.

PRINCIPALES curatiuos scopos nominamus morbum, caussam, & symptoma: hi per se contraindicare dicuntur; vbi intra proprium indicandi genus contrariæ assertionis caussa inuicem comparantur; aut ad alterum referuntur oppositum attestantes, atque approbantes, vtpote cùm magnus febris æstus ex internorum vasorum obstructione, & inflammatione exortus frigidæ potum clamat, & desiderat; reclamat verò, atque illum prohibet obstructio à crassis, viscidisque humoribus, & vasorum inflammatio, vt mali adaugentem & fouentem caussam. Similiter si fluor alui cum putrida coniunctus febre constringens indicauerit medicamen; si ad indicatum illud putredinis indicatio comparetur; tunc hæc per se illi contraindicat, huius oppositum vtile demonstrans, aperientia scilicet, & deobstruentia; hæc quippe contraindicare dicitur; quoniam contraria vtilia approbat, & monstrat; fluor nanque constrictionem, putredo apertionem vtilem dicit esse. Contraindicare itaque indifferenter asseruntur, quæ aut ad alterum, aut inuicem comparantur contrariæ assertionis ratione. Quæ ad alterum referuntur, oppositum suadent, contrariumque approbant: Quæ inuicem comparantur, contrarias simul pariunt indicationes, contrariaque simul proficua indicata denuntiant. Vt cùm duo simul contrarij coniunguntur morbi, contrarias simul indicationes efficientes, contrariaque ostendentes indicata, sicut febris coniunctæ cum Hydrope, febris frigidum, & humidum ostendit remedium: Hydrops verò calidum, & siccum per se illud expostulat: sicut etiam cum caussa, & morbus contrariarum extiterit affectionum: vt in phlegmatica euenit febre; tunc contrarias simul per se aduni indicationes, contrariaque per se ostendunt indicata. Principales autem curatiuos scopos per accidens contraindicare affirmamus; quando extra suum indicationis ordinem, contrariæ assenerationis caussa ad alia referuntur, oppositum comprobantes. Exemplis res manifestetur: in Hydrope, dum natura continenter afflictatur siti, continenterque potum appetit, & exposcit; hunc vt morbi adaugentem caussam detestatur aquosi humoris copia intra viscera contenta, illius abstinentiam vtilem fore declarans: sic intercostalibus morbis natura dolore, citataque anhelatione exinanita viui potum appetit, & expostulat: Huic per accidens reclamat, repugnatque inflammationis vigor, ac ingens febris: cumque vt morbum exasperantem reprobat. Hoc ipsum manifestat acutus morbus validis coniunctus viribus: nam vires validæ plenum demonstrant victum: Morbi verò acuties eius abstinentiam docet, plenum administrari prohibet, & contraindicat. Hoc igitur plenum genus victus expulsum per accidens dicemus in præsentiarum esse à morbo contraindicatum; quoniam non propria ratione, nec immediatè, sed extra suum indicandi genus, secundariò, communique ratione est declaratum: Morbus enim per se remedium, & non victum indicat, & si illum ordinet, circumscribatque semper; per accidens tamen & secundariò circumscribere, & ordinare dicimus; vt suo loco fuit expositum, & alibi etiam fortasse exponetur. Asseclæ autem contraindicantes curatiui scopi sunt, & corporum dispositiones ad morbum, & magnorum astrorum conditiones; dum se inuicem opposito modo conuentur: & internæ fouentes quoque caussæ recensentur. Hi profectò scopi per se, & per accidens contraindicere asseuerantur: Per se contraindicant; dum intra proprium indicationis genus, aut inuicem, aut ad alterum gratia oppositæ assertionis referuntur. Exempli gratia: si oculorum propensio ad calidam ophtolmiam fronti frigida astringentia desideret; frigida verò ac humida celebri intemperies fluxioni parata istud refugiat, & calide emet robotantia: Tunc hæ membrorum capitis propensiones contraria inter se remedia demonstrant; atque hæc con-

trariorum inter se demonstratio, contraindicatio appellatur, & contraria inter se demonstrata contraindicata dicuntur. Atque hæc ipsa contraindicatio, aut secundum quid, aut absolutè huiusmodi dicitur: secundum quid verò, & ad tempus contraindicare dicimus; cùm secundum tempus tantum inhibet, & contradicit. Vtpula si corporis cacochymia, plenitudoúe purgationem, euacuationemúe indicet, atque desideret; adsit autem Lunæ coniunctio, seu oppositio: hæ purgationem, euacuationemúe retardant, remoranturque, donec Lunæ coitus, aspectusque malefici transeant. His verò transactis, licet ad purgationem, euacuationemque redire: & hæc secundum tempus tantum inhibent, & remorantia, retardantiaque, & secundum quid contraindicantia, & non simpliciter talia dicuntur. Absolutè verò, ac simpliciter contraindicatio erit, vtputa si corporum propensiones ad morbos aptæ natæ sint lædi à medicamentis soluentibus, & magnis corrigantur morbis soluentia medicamina exposcentibus; tunc corporum propensiones soluentia medicamina omnino refugiunt, & administrari prohibent; quando suapte natura ab istis offenduntur. Per accidens autem asseclæ curatiui scopi contraindicare asseuerantur; cùm aliquis ad indicatum aliquod extra suum indicationis ordinem comparetur, oppositum attestans, & demonstrans. Vt si ventriculi debilitas, naturaliumque partium infirmitas ad plenum adolescentium alimentum comparentur; tunc per accidens illud contraindicare vnumquodq; horum dicit, cùm apta nata sit ventriculi imbecillitas, corporisque infirmitas ab ipso lædi, & salubrius huius contrarium, tenuem scilicet, seu medium demõstret victum. Quod verò de correpugnantibus Iuniores Medici scripserunt, id fortasse significare voluerunt, quod nos de asseclis per se, & per accidans contraindicantibus scopis asseruimus. Sed de his satis.

Vis contradicantium non æqualiter in omnibus inest.

Cap. XII.



CONTRAINDICATIO autem altera altera præstantior efficaciorque est; quatenus à præstantiori, efficaciorique indicante scopo effecta est. Superius nanque indicantes scopos omnes prima sui diuisione in duas diuisimus partes, in principales scilicet, & asseclas: & iterum horum vnumquenque in duas secuimus species: in curatiuos videlicet, ac vitam custodientes scopos. Principales autem, tum curatiui, tum vitam custodientes, eorundemque asseclæ cùm ad alterum, aut inuicem referantur, opposito modo contraindicantes scopi asseclis longè præstantiores sunt; quoniam primi, independentesque sunt, ac immediatè suas indicationes faciunt: Asseclæ verò secundarij, & à primis dependent, mediatèque contraindicant. Principes autem contraindicantes scopi curatiui, & conseruatiui, tum intra, tum extra proprium genus comparati, præstantiores existimantur; quando alij alios natura, tempore, potestate, dignitateque antecellunt. Intra verò proprium genus collati, conseruatiui scopi, vt dum vires, temperamentum, bonusque corporis habitus pro vitæ seruandæ custodia contraindicant; tum vires præcellunt temperiem, bonumque corporis habitum natura, dignitate, & potestate: & in principalibus contraindicantibus curatiuis scopis asseruimus, dum intra proprium genus contraindicando ipsi conferuntur. Vt dum corporeæ antecedentes caussæ, & morbus, & symptomata contraria inter se declarant remedia, tunc corporeæ caussæ natura, tempore, & dignitate morbum, & symptomata excedunt. Extra verò proprium genus comparati principes contraindicantes scopi, conseruatiui, curatiuis efficaciores indicantur; quia potestate, & dignitate illos superant. Sicut vires, & res secundum naturam, & morbus, & res præter naturam dum simul conferuntur contra postulantes præsidia; stante paritate contraindicationis, semper virtus, & res secundum naturam, morbum, & rem præter naturam proprietatis, dignitatis, potestatisqua ratione antecellunt; vt dum morbus magnus magnum exposcit remedium; imbecillis verò virtus illud refugit, & inhibet; in hac enim contraindicantium comparatione, quamuis vterque ferè æqualis sit ponderis, quoad vitæ periculum; nam magni remedij indicatio magna est ob formidinem augendi morbi vitam opprimentis; virtutis verò imbecillis contraindicatio magna est ob timorem extinguendæ vitæ dignitatis; tamen prioritatis, ac potestatis ratione vitium contraindicatio simpliciter efficacior iudicatur; quoniam absque vita cuncta frustra aguntur, incassumque laboratur. Ratione quoque vehemantiæ, atque imminentis periculi contraindicantes scopi efficaciores existimantur; veluti sæuissima symptomata frigidis, crassis, viscidisque vires opprimentia caussis comparata, illis præferuntur; cùm longa & tarda hæc exposcant remedia; illa verò magna, ac præsentia: Seu dum acutissimus morbus plenum reclamat, inhibetque

victum

victum ab egentissima virtute monstratum: in hac contraindicantium collatione, si vehementia magnitudoque periculi nota, claraque est, illi proculdubio obsequendum: si in dubio res est, minimèque patet, virtuti, vt præstantiori, semper indulgendum. Nam ipsa in dubio semper excellit, & cuncta reliqua obumbrat. Alia quoque ratione & principales, & asseclæ contraindicantes scopi efficatiores indicantur; quando scilicet ex vna parte sunt plures, & ex altera pauciores, tum potestate, tum dignitate æquales; tunc enim plures potiores semper existimantur: si verò non stat paritas magnitudinis, & dignitatis; tunc illa eruut efficaciora, quæ existimantur aut maioris potentiæ, aut dignitatis. Quatuor itaque modis contraindicantes scopi efficaciores alij alijs asseuerantur. Primo modo ratione prioritatis, & independentiæ; Secundò prioritatis ratione, & dignitatis, atque potentiæ caussa; Tertio vehementiæ, atque imminentis periculi gratia; Quarto numeri, ac pluralitatis ratione. Vbi igitur æqualia sunt, quæ inter se pugnant, omnibus pari prouidentia succurrendum est; si quæ verò dignitate, vel potentia præcedunt alijs, hæc tanquàm maioris momenti cæteris sunt præferenda. Illa verò sententia Gal. in 7. meth. med. cap. 12. memoria est perquàm digna, quòd vbi contraindicantia adsunt, omnibus esse succurrendum, sed ei magis, quod plus vrget, alijs interim non contemptis.

Quid in pluralitate indicantium sit agendum, quidque Epicrisis, atque vbi exercenda. Cap. XIII.



SI itaque contraindicantia plura concurrant, quæ opposita indicent; tunc quid agendum sit, satis docet Gal. in lib. primo ad Glauc. cap. 14. & 15. Vbi omnia spectari voluit, & nihil pretermitti: sed plus tribui ei, quod plus potest: potest autem plus, quod maius est in suo genere, vel quod dignius est, seu quod vehementius vrget; Vel vbi concurrunt plura simul, plus possunt, quàm pauciora æqualium vitium: nec tam contraindicantium attenditur numerus, quàm ipsa vis; nam multoties pauciora pluribus præferuntur; si viribus, & potentia præualuerint; sic enim vis numero præponitur, sicut bene consimile de signis prog. nos docuit Hipp. 3. progn. aphor. 37. cùm dixit: Oportet eum, qui sit » rectè prædicturus sanitatem, ac mortem, in quibus morbus pluribus diebus fatigaturus est, & » in quibus paucioribus: indicia ediscendo omnia interstinguere, æstimando vires eorum inter » se, quemadmodum de alijs scriptum est. In his autem exequendis opus est Medico exercitato, & natura prudente, qui quantum possit quiuis scopus indicando, discernere valeat: in omni igitur, tum asseclarum, tum principalium scoporum contraindicatione tam per se, quàm per accidens, Epicrisi cum iudicio semper vtendum paulatim vni, paulatim alteri incumbendo: prius tamen semper vrgentiori, & aliquando contemperatis medicamentis vtrique vacandum. Est autem Epicrisis, vt refert Gal. in lib. de opt. sect. cap. 6. adiudicatio, qua artis præcepta adiudicantur esse conuenientia inter se, & cohærentia, atque vtilia, & vera: seu Epicrisis est adiudicatio præceptorum alicuius artis, qua ea vtilia, vera, ac inter se necessariò cohærentia approbantur esse. Item Epicrisis est multorum præceptorum simul cohærentium, simulq; etiam exequutionem, administrationemque exposcentium adiudicatio; qua iudicatur cui nam ipsorum primò, cui secundò, & cui tertiò, & quomodo simul omnibus æquè bene sit indulgendum. Vbi igitur multa occurrunt peragenda, exequutionique mandanda, quæ inuicem pugnant, & non nisi cum ægri periculo administrantur; tunc in horum administratione Epicrisi, iudicioque vtendum est, & penès artis præcepta perpendendum, cui primò, cui secundò, & quando æqualiter omnibus sit incumbendum. Sic vtique Epicrisis ordinem agendarum rerum contuetur, sed præsertim circa earum rerum vsum, quæ subsequi præcedereque debeant, exercetur. Sed de his quoque iterum infra statim dicetur.



In contraindicantibus, & obſcuris, & confuſis indicationibus ratio iudicat, & diſcernit. Cap. XIIII.



VBi contraindicantes contraria agenda demonſtrauerint; atq; vbi indicatio ex ignoratione cerni haud poteſt; vel certè confuſa, obſcuraque ex difficili, atque perplexa rei indicantis cognitione illa exiſtit: tunc mens, & ratio per artis medicæ regulas, & pręcepta diſcurrens, quid ſalubriter agendum ſit, iudicat, atque diſcernit. In contraindicationibus igitur, quæ oppoſita ſuadent, primum mens ratiocinando videt, cuinam primò, cuiúe ſecundò ſit occurrendum, comparatis vtrinque rationibus: item præſtet ne vtrique æqualiter ſuccurrere moderatis temperatiſque medicamentis, quæ ambobus æquè ſatisfaciant, diligenter exquirit: ita contraria, & oppoſita moderari, regulareque mens dicitur. Vbi verò affectus, & eius cauſſa ignoratur, vt ob id nulla indicatio percipi poſsit, quæ ſi aliqua ex parte habeatur, confuſè tamen, & obſcurè habetur; tunc mens & ratio, aut ſyllogiſmo, aut exemplo, aut anologyſmo vtitur: Syllogiſmo in abditis explicandis eruendiſque: Exemplo verò, dum rei ante experiẽtia percepta notata memoriã reſutit: Anologyſmo deniq;, dum alicuius affectus nunc primum graſſantis natura ob eius nouitatem minus cognita, adeo vt nec ſyllogiſmo, nec exemplo, mens ipſa auxilium conſequi poſsit, ad ſimilia confugit. Atque iſto modo agere, & operari in re medica per artis medicæ regulas, & præcepta diſcurrendo determinandoque, iudicio epicriſique agere, & operari antiquiores ſcripſerunt. Concludimus tandem methodici rationaliſq; Medici indicatione praxim exercentis munus eſſe in cuiuſcunq; ægritudinis ſanatione; cuius ſtudium eſt ſine culpa eiuſdem curationem adhibere; perpetuò contrarium ægritudini remedium afferre, eiuſdemque menſuram, ac terminum tenere; atque congruum exhibendi tempus obſeruare; Et ſi quid medicationem leuiorem, grauioremque reddiderit, eidemque obſtiterit, & reclamauerit, accuratè animaduertere. Hæcque cuncta ab indicantibus, coindicantibusq; ſcopis Medicus ſuſcipiet, & ſi quę contraindicantia extiterint, recto conſilio, & ęquo iudicio decernet. Et cuique auxilium petenti iuxta dignitatis conditionem pro viribus ſatisfaciet. Sic vtique appoſitè, & ſine fallacia ſuas indicationes exercebit.



Operis finis, gratiarumque actio. Cap. XV.

OPERIS autem finis, & gratiarum actio hic deeſt propter obitum ipſius Auctoris.

Laus, & honor Sanctiſsimæ Trinitati, Beataq; virgini Matri Mariæ in ſęcula ſeculorum. Amen.

FINIS.



459

SEBASTIANI PAPARELLAE A MONTE SANCTO,

Libri duo de CATARRHO.

AD RATIONALIVM MEDICORVM doctrinam editi, & nunc magna diligentia recogniti.






MACERATAE,
Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. LXXXII.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
PAVLO QVARTO
PONT. MAX.

Sebastianus Paparella S. P. D.





Vvm Apud Camertes (Beatissime Pater) publicæ salutis gratia commorarer, quo tempore ineuitabili quodam fato Destillationes per vniuersam Italiam, præsertim verò per hanc & Illustrem, & Egregiam Vrbem, ad easdem natura pronam, grassabantur: Factum est, vt huius caussas primùm admiratus, cœperim ea diligentius expendere, quæ ab alijs hac de re conscripta sunt. In quibus cùm non pauca à veritatis luce deuia perspicerem, nonnulla verò haud parum necessaria prætermissa, nec ordine quæque suo disposita; Hominum saluti consulens, ac re ipsa coactus succesiuis horis libellos perbreues istos de Catarrho conscripsi. Est enim hæc tractatio omnium quidem vtilissima; nam affecto capite, reliquæ humani corporis partes absque molestia non sunt: siquidem hanc non refugit vniuersa thoracis regio, non membrorum naturalium compago, non sensus, motusque instrumenta, non aliæ demum interiores, exterioresque particulæ. Quicunque igitur capiti prouidet, reliquis etiam partibus prospicit. Verùm vt reliquas tractationes hæc vtilitate præcedit; sic certè mihi præ cæteris negotium hoc difficilius fuit; tum quia arduas quæstiones hoc Opere mihi tractandas proposui, (ita profectò ipsa exigente materia) tum quòd publico medendi muneri addictus sim; à quo tantum molestor, vt vix liceat respirare. Sed cùm supremam operi manum imposuissem, cogitaremque cui Opus ipsum dedicarem, cuius numine vt tutissimo clypeo contra detractores, Zoilosque idipsum tueri possem; operepretium me facturum arbitratus sum, si tuæ Beatitudini consecrarem. Primum exemplo monitus Hyeronimi Acoromboni Phisici absolutissimi; qui cùm postremus de Catarrho conscripsisset opus, sub Pauli Tertij Pont. Max. nomine in lucem dedit: putaui optimum esse, si hic meus eiusdem argumenti libellus tibi eius nominis

Quarto tutissimè, & felicissimè dicaretur. Mox autem cùm omnes bonarum literarum studiosos tuam Beatitudinem & amare, & fouere, mihi compertum sit; non dubitaui, quin hos meos labores, qualescunque sint, hilari fronte sit susceptura. Verùm & si me iure deterrere potuisset rerum orbis publicarum regimen, & administratio; ne te maximis, difficillimisque rebus occupatum intempestiuus adirem; tamen propter tuam omnibus perspectam facilitatem, & rerum plurimarum studium, atque scientiam in eam opinionem adductus sum, vt existimem nihil te eorum, quæ ad rerum cognitionem pertinent, intempestiuum, aut importunum ducere. Interim verò Summe Pontifex te etiam, atque etiam rogare, & orare non desinam, vt sic meas tractationes legas; vt qui scias tuum à me iudicium, ob singularem doctrinam, quæ in te est, magis desiderari, quàm laborum, studijque mei laudem inde quæri: tunc nanque vigiliarum mearum vberiorem fructum me recepisse credam, cùm illas à te non omnino improbari sentiemus. Quod si (vt spero, & opto) consequar; alia deinceps dare conabimur, quæ propediem edere paramus. Interim felix, & diu viue Beatissime Pater ad vniuersæ Reipublicæ Christianæ ferè collapsæ reparationem.



SEBASTIANI PAPARELLAE, DE CATARRHO,

LIBER PRIMVS.



PRAEFATIO.



DE ILLIVS affectionis curatione tractaturi, quæ à Græcis Catarrhus appellatur, ea primum perquiremus, à quibus vniuersa curandi ratio dependet. Sunt autem hæc, eius de quo agendum est, definitio, differentiæ, caussæ, ac signa. Cùm enim rei essentia cæteras contemplationes præcedat, meritò quid sit id, de quo verba facturi sumus, primum exponendum est: deinceps cùm ab eo innumeræ, patentesq; deriuentur differentiæ; alterum tractationis nostræ caput insurget, quod hæc discrimina patefaciet. Est etiam caussarum cognitio omnium præstantissima vestiganda; cùm ab illis bona medendi pars desumatur: quapropter de caussis catarrhi, & de eiusdem caussis singularum omnium differentiarum tertio loco agendum erit. Verùm cùm omnis nostra cognitio à sensatis ortum habeat, de signis, quæ in eius, quod quærimus, notitiam ducant, postremo erit differendum. Mox ijs contemplatis, ad catarrhi curationem, (quod proximo fiet libro) deueniemus.

Quid sit Catarrhus. Cap. I.



CATARRHVS Græcis, destillatio, & Fluxio Latinis dicitur, ex eo quòd materia fluat, ac destillet. Fluit enim, ac destillat materia à cerebro, vel panniculis, aut partibus caluariam tegentibus; licet ab his pauca, & rara fluxio percipiatur: multa autem, & frequens, quæ à cerebro, quando hæc mala eius nominatur affectio; neque enim ferè vnquam huiusmodi fluor hominem tentat illæso cerebro. Cùm verò ipsum offenditur, immodicæ, plurimæque superfluitates cernuntur ad nares, vel ad os, vel ad oculos, vel ad tonsillas, aliaque subiecta membra descendere. Quamobrem & benè ipsum describentes dixere: Catarrhus est præternaturalium materierum à malè affecto celebro ad vnum, vel ad plura subsistentium membrorum defluxus; Hoc quidem vnà cum Galeno symptoma facimus, à mala cerebri intemperie, & repletione dependens; quod tum ad exiens cerebri mutatum, tum ad eiusdem actionem læsam, immoderatum inquam descensum, & superauctum excretionis motum pertinere dicimus. Exit enim à cerebro in ipso defluxu materia, & quantitate, & qualitate, & multoties tota substantia non naturalis, quæ sanè exire non consueuerat. At præter materiei, & exerementi vitium, adest & in ipsa fluxione peccatum, cùm fluor superauctum excretionis motum, & inordinatum descensum denotet: neque enim debitum tempus, neque solitum semper locum fluor cadendo seruare conspicitur. Complicatum itaq; symptoma destillationem constituimus ex actione lęsa, & exeunte mutato. Quæ verò per consensum fit destillatio, aut à toto, aut à principali parte, aut quæ ab externa tantum est excitata caussa, & ipsam ex actione læsa, & exeunte mutato pariter compositum symptoma dicimus: sed à prædictis his caussis, procatarctica scilicet caussa, & communicantibus membris per se proximè proficisci asserimus, & non à cerebro, nisi vt à compatiente, & medio influxionis loco: quanquam huiusmodi fluxio diu perseuerare non potest, quin etiam à cerebro ipso per essentiam malè affecto progrediatur.

Tertio de sympt. causs. cap. 4.

De Differentijs Catarrhi. Cap. II.



Auicenna quinta tertij tractatu primo c. 10.

CATARRHI differentiæ multifariam describuntur. Et à loco, & à materia, & à defluxu, has singulas ordinatim recensere conabimur. Locum autem hic summimus eum, ad quem tendit fluxio, non autem à quo incipit: Nam siue extra, siue intra caluariam fluat, semper est à capite. Quæ igitur à loco differentiæ sumuntur, multæ sunt, penès locorum multitudinem fluxionem terminantium. Hæc autem tot numero recensentur, quot partes fluxionem suscipiunt. Quæ enim ad os, & pectus materia destillat, à Græcis catarrhus, à Latinis destillatio nominatur: quæ ad nares venit grauedo hæc latinè, *coriza* græcè dicitur. Vbi verò ad fauces, & asperam arteriam deriuat humor, *brancon, & arteriacon* græcis, raucedo latinis appellatur; quòd si fluxio gurgulionem inuadat, *staphilim*, idest vuam dicunt. At si in glandulas prorumpat, quæ sibi ex aduerso in oris termino vtrinque iacent, antiades vocant; si autem in eas quæ ei proximæ sunt, paristmiæ nuncupantur. At vbi laryngis, fauciumq; musculos attingat, anginæ species omnes oriuntur. Eadem quoq; defluxus ratio est in alias corporis partes, à quibus pro ipsorum varietate varias suscipit affectionum nomenclaturas; quas omnes enumerare prætermittimus, cùm de illis nunc non tractemus; sed de his duntaxat fluxionibus, quæ ad nares, ad fauces, & ad os decurrunt, quæ communi nomine destillationes nominantur. Hæ sanè differentiæ à loco desumptæ sufficiant. Modò accedamus ad eas, quæ à materia desumuntur. Porrò prima est partitio penès actiuas qualitates: Destillatio enim alia calida est, alia frigida, alia ad horum extrema neutiquam declinis, alia ex his composita, ceu cùm contingit catarrhum calidum à frigida caussa concitari, huncque à calida occasionem accipere. Secunda huic inhærens, & coniuncta diuisio est à saporum, & odorum differentijs sumpta. Nam quidam catarrhus salsus est, quidam acutus, & quidam fœtidus, & amarus, atque hi calidi sunt; licet amaror calido, & frigido æquè insit, frequentius tamen calidum quàm frigidum attestatur. Acetosus verò, insipidus, & ad paucam salsedinem, & dulcedinem declinans inter frigidos numeratur. Partitur iterum penès materiei substantiam; nam alter subtilis est, alter crassus, quorum vterque tum frigidus, tum calidus esse potest; subtilis biliosus est calidus: subtilis aqueus frigidus: Crassus autem à frigore condensante frigidus; à calore humidum resoluente, & adurente calidus. Est & alter medius inter tenuitatem, & crassitiem, qui mediam horum naturam sapit. Et inter crassos quidem catarrhos alter est cum lentore, & visciditate; alter verò minimè lentus: est etiam inter subtiles quidam acris, seu acidus, mordax, quidam autem minimè. Recipit quoque & apud calores sectionem; nam quidam albus est, quidam subpallidus, quidam verò ruffus, aut fuscus; alter niger seu liuidus inspicitur. Potest & penès eius quantitatem sectionem suscipere; cùm quidam catarrhus multus sit, quidam verò paucus. Hactenus de proposito fonte. Sequuntur modò iuxta defluxum differentiæ: nam quidam magno, celeri, crebroque fluxu fluit; quidam paruo, tardo, & raro; & quidam intempestiuè; aliqui subitò, confertimque ruunt; & horum quidam continuus est; quidam per internalla factus; materia in determinato tempore sub certa quantitate sufficiente ad motum aggregata, qua fluxa quies erit per tantundem temporis, & huiusmodi omnes contingit longo, breuique tempore terminari. Potest & rursus partiri penès horas in quibus accidit; nam quidam noctu magis profluit, quidam autem die, licet catarrhus ferè omnis magis noctu aggrediatur, quàm die. Est & apud anni tempus alia partitio; nam quidam Vere, & Autumno, quidam æstate, & hyeme concrescit; quamuis hyeme vtplurimum crescat. Est & communis catarrhus, qui malum cœli sydus sequitur. Partitur iterum & secundum locos per quos descendit: Nam aliquis per internas cerebri venas, & arterias descendit, aliquis per meatus descendit, & capitis riuos, quibus excrementa naturalia purgantur; Aliquis verò extra caluariam per improprias, & non ordinatas à natura vias. Sunt & aliæ etiam distinctiones, quæ tum fluxui, tum materiei communes dicuntur; videlicet quòd catarrhus aliquis primariò cerebri affectus destillat, aliquis secundariò, & per aliorum membrorum consensum. Item catarrhi & cum plenitudine corporis, & cachochymia iuncti visuntur; alij cum febre, multi cum tussi, & difficili respiratione; quidam cum raucedine; nonnulli etiam cum dolore ægros excruciant. Partitur & vltimò catarrhus penès vniuersales quatuor suarum efficientium caussarum motiones, quatuor eiusdem vniuersales constituentes partes. Principium, (inquam) augmentum, statum, & declinationem. Hactenus de differentijs.

Caussæ,

Caussa, & concaussa fluxionis, vtque sponte materia deorsum feratur. Cap. III.



QVONIAM complicatum symptoma ex defluxu, & exeunte mutato Catarrhum constituimus; conueniens vtique erit, vniuscuiusque harum partium speciatim essentiam explicare, vt singulæ iuxtà propriam cognoscantur naturam: & prius à defluxus essentia explananda exordimur, postea ipsius materiei fluentis caussas dicemus. Fluxus localis quidam est motus, & inter motus species recensetur; est nanque à supernis corporis partibus ad infernas sedes descensus. Quum igitur inter species motus collocetur, eadem profectò, quæ in alijs localibus motibus ad eorundem naturam agnoscendam considerantur, in hoc quoque defluxionis motu contemplabimur. Ad absolutam autem omnium, quæ secundum locum mouentur, cognitionem, sex perpetuò obseruantur; Mobile a quod mouetur; Principium, quod mobile mouet; Quod motum coadiuuat, ac mouentem ad mouendum impellit; Præterea vnde incipit motus; Spatium per quod defertur; Et Terminus ad quem tendit, vbi motus recipitur. Hæc quidem sex ordinatim nos in ipso defluxu satis clarè perscrutabimur. Igitur ab eo, quod mouetur, initio sumpto dicimus, quòd Mobile, quod in catarrho ad inferiores mouetur partes, est superabundans, & nocua materia vias cerebri replens, ac malam gignens, seu fouens temperiem: hæc dum deorsum mouetur, & cadit, fluxum facit. Principium autem mobile deorsum mouens triplex est; vnum internum, quod est innata ipsius mobilis facultas; duo alia externa; Attrahens vnum; Expellens alterum: vnumquodq; enim quod secundum locum mouetur, vt septimo phys. refert Philosophus, aut ab interno mouetur principio, aut ab externo: præter hos nanque modos nihil mouetur. Quæ verò ab interno feruntur principio, ab innata vi & facultate id consequuntur, vt ignis leuitate sursum, & terra grauitate deorsum. Quæ ab externo principio præter naturam mouentur, duas supremas obtinent differentias; Impulsionis scilicet, & Tractionis: etsi enim plures species, tum Pulsionis, tum Tractionis ab Aristotele ibidem recensentur, nihilosecius Pulsionis species ad cõmunem Pulsionis rationem omnes ipse redegit, quæ est à seipso ad aliud, vel ab alio ad aliud aliquid expellere; sic Tractionis species omnes ad communem Tractionis rationem reducit, quæ est ad seipsum, vel ad aliud aliquid violenter trahere. Concludimus igitur, q singulum, quod localiter mouetur, triplici tantum ratione contingit moueri, aut intrinsecè propria virtute, aut extrinsecè, Pulsionis inquam, aut Tractionis vi. Quum itaque defluxus localis motus deorsum sit; & ipsum quoque contingit bis tribus tantum motus differentijs moueri: quod vt clarius innotescat, declaratur. Diximus supra, quòd mobile, quod influxionis motu deorsum mouetur, est superflua, & noxia materia, quæ cerebri canales replebat, ac malam eius gignebat, seu fouebat temperiem: istius nanque mobilis medio ostendimus, defluxum trifariam deorsum semper moueri, aut propriæ formæ impulsu, aut tractionis vi, seu expulsionis virtute. Primò autem narremus, quomodo mobile istud, remoto prohibente, propriæ formæ impulsu ad subiectas descendat partes, deinceps qua vi trahatur, & expellatur, explicabimus. Materiæ autem omnes, quæ à cerebro in defluxu cadunt, etsi dissimiles, diuersæque in calore, & frigore vtplurimum reperiantur; in humore consimiles semper existunt: nam humidæ actu perpetuò inspiciuntur; quare à molis prædominio aqueas illas dicemus, & aquæ grauitatem vt propriam formam deorsum illas impellentem per se obtinere asseuerabimus. Quum igitur aqueæ illæ sint, & graues vtique & humidæ semper erunt; vnde grauitatis vi deorsum naturaliter feruntur: humidi verò ratione vndique funduntur, ac varijs incertisque terminis cientur: si modò excrementitiæ cerebri materiæ, quæ in pelui seu glandula excrementorum cerebri proprijs receptaculis, siue in alijs eiusdem cerebri riuis, & canalibus à retentrici sunt virtute detentæ, superabundauerint, ac vltra metam excreuerint; tum multæ superfluæque erunt, & multo superfluoq; humido vndiq; dilabentur, ac extra receptacula ferentur, retentricem virtutem relinquentes: quare extra propria vasa prolapsæ, secluso continente, innata grauitate deorsum ruunt; sic graue omne sursum violenter retentum, remoto prohibente, statim proprij ponderis impulsu deorsum descendit. Propria quoque vi deorsum confluunt, quæ veluti concreta persistunt in capite, mox fusa, liquataque sunt à quauis liquante, fundenteue caussa. Internum autem principium hæc deorsum per se mouens est grauitas eorundem innata forma; multitudo autem, & humiditas, pariter fundentes, liquantesque caussæ coadiutrices, & concaussæ motus dicuntur: quæcunque verò inanis spatij peccato ad inferiores cadunt partes, conceptaculi inquam, ac instrumenti raritate, & laxitate; hæc quidem ipsa à propria propensione deorsum mouentur: ab instrumenti autem, & cõceptaculi vitio adiumentum habent, & occasionem

Tex. 10.

Vide 2. lib. de diff. feb. cap. 4.

occasionem deorsum cadendi, prout prohibens remouetur, ac peruij redduntur meatus, quò facilior, liberiorque motus fiat. Sic quidem excrementitij capitis humores ab interno eorundem impetu per se deorsum feruntur, ab humiditate verò, copia, fusione, liquefactione, & patefactis meatibus, tanquàm à concausis adiuuantibus.

Fluens materia, vt ad inferiores partes expellatur. Cap. IIII.



QVo autem pacto hi expellantur, & quænam sint expellentes caussæ, manifestemus: hæ quidem duæ præcipuè recensentur; Interior vna, expultrix (inquam) cerebri facultas; exterior altera, quæ est, quæ comprimendi vim habent, qualia sunt frigida, & adstringentia medicamenta, extrinsecus adhibita; hæc nanque à capite, constringendo exprimendoque, humores propellunt: pari modo externum frigus, siue ambientis aeris, siue borealis venti, cerebrum comprimendo, exprimit illam, quæ in ipso continetur, humiditatem. Hæc vtique frigida adstringentia extrinsecus applicita comprimendo semper expellunt. Internè autem expultrix cerebri facultas hoc expellendi munere manifestè pollet; ipsa nanque & excrementa, & malos humores perpetuò à corpore expellit; idipsumque multoties proprio robore, & fortitudine operatur, sæpissimè verò irritata, & stimulata nocuis excrementorum differentijs; (hęc præcipuè inter naturales virtutes à noxijs, & irritamentis exercetur.) Nocuæ autem excrementorum differentiæ, quibus expultrix irritatur ad expellendum, sunt malæ ipsorum qualitates, immoderata quantitas, ac tota eorundem praua substantia; hæc quidem ipsa sunt, quæ mouentem ad agendum impellunt, & cogunt; dum enim expultricem stimulant, ad expellendum eam compellunt. Excrementa autem apud Galenum præter naturam efficiuntur, & qualitate, & quantitate, & tota substantia: qualitate nanque, cùm eam nec sibi, nec animalis naturæ conuenientem seruant, vt quum bilis pallida in æruginosam, vel vitellinam, aut atram permutatur: Quantitate autem, quando proportionem iustam cum alijs non retinent, aut vires grauant, aut vasa concauitatesque, quibus continentur, replent, ac distendunt: Tota verò substantia præter naturam excrementum fit, cùm alienam formam, & naturam corpori inimicam fuerit sortitum: qua ratione caro putrida, vermes, calculi, tota substantia præter naturam, & obnoxij dicuntur; quando nihil habent, quod probari possit. Hæc quidem omnia quàmprimùm expultricem offenderint, ad expellendum illico eam stimulant, & hac ratione cerebri expultricem irritantia, mouentem ad mouendum impellere dicuntur. Si igitur in cerebro materiam colligi contingat, quæ aut quantitate, aut qualitate, aut tota substantia nocua, & molesta sit; tunc ex huius vicinio, & contactu expultrix virtus necessarò concitatur, insurgitq; aduersus eam, & prosequitur, donec à capite ad subiacentes deorsum partes expellat. Multoties verò id operatur (vti diximus) absq; alio impulsu, & irritamento externo, sed proprio tantùm suffulta robore. Sic quidem humores à cerebro ad subsistentia membra truduntur: externè à comprimendi vim habentibus, ambientis scilicet frigiditate, & abstringentibus extrinsecus applicitis medicamentis: Internè verò ab expultrici virtute, modo propria uixa fortitudine, modo præternaturalium humorum præsentia irritata, & impulsa. At de his satis. Superest, vt quomodo vi trahantur declaremus.

Tertio aph. duodecimo.

Quarto aph. secundo, & tertio de tris.

Tertio de sympt. caus. cap. 2.

Quæ ad mouendum impellunt.

Descendens materia quomodo deorsum trahatur. Cap. V.



TRAHVNTVR autem à cerebro deorsum humores trifariam à partibus fluxionem suscipientibus; similitudinis (inquam) ratione, caloris vi, nonnunquam etiam & doloris. Quum verò fluentes humores in particulis subiectis colliguntur, ibidemq; impacti retinentur; prohibita afflatione corrumpuntur, & putredine adiuncta patientes particulas excalefaciunt, & multoties dolore afficiunt. Ab his itaque partibus à destillatione malè affectis humores deorsum trahuntur, tum propter substantię similitudinem, quæ inter fluentem, & fluxum humorem existit; pariter ob intemperiei locorum familiaritatem, tum etiam propter calorem accensum, atque excitatum dolorem; si particula fluxione affecta, vltra calorem, dolore etiam infestetur. Sed quomodo simile id, quod sibi familiare est, amet, appetat, ac tandem trahat; quia manifestum omnibus est, nulla indiget explanatione; at de dolore, & calore cum illis non sentimus, qui calorem per se attrahere abnegant, &

dolorem pariter nullatenus trahere asseuerat: nam horum vtriusque attractionem facilè est demonstrare; idipsumq; nos exordium à calidi ratione sumentes, probare nitimur. Calidum enim est (inquit Philosophus) quod congregat homogenea; segregare verò, quod inquiunt facere ignem, congragare ea est, quæ eiusdem sunt generis: contingit enim extollere alienigena. Hæc Aristoteles, quibus declarat, quemadmodum congregatio calido primò inest; segregatio autem secundo loco; ex eo, quod inquit, contingit enim extollere alienigena: at congregare apud eum, idem est, quod trahere, & segregare idem, quod pellere: docet nanque ipse 7. physicorum quòd motus omnis localis ab externo principio, aut congregatio, aut segregatio est; cùm omne aut moueat ad se, aut moueat ad aliud. Hoc quidem idem est, quod tractio, & pulsio, vt ibidem ipse recenset. Si congregatio igitur per se primò igni inest, & segregatio secundo loco; simili sanè modo, quando hæc synonima sunt, tractio per se primò ipsi inerit, secundo verò loco expulsio. Sed præter rationem adest & sensus, qui ardentissimas ignis flammas apertè conspicit omnia ad se allicere, & congregare; quare & rapaces, & prædatrices flammæ nuncupantur: vnde Poeta, *Libro secundo de generatione, & corruptione text. 8. Text. 20.*

Tunc ego thura feram rapidis solennia flammis. *Libro quarto de ponto.*

Quòd autem ex Galeni sententia dicunt, quòd quæ trahuntur, eò trahuntur vt retineantur; sed huiusmodi discursus in calore non reperitur: talibus nos respondemus, quòd hæc contingunt in tractione tantum naturali, quæ in viuente, & animante fit; secus in violenta & præter naturali res se habet; & quæ ab igne, & vita carentibus trahuntur. Nec exemplum de linteo humido satisfacit, dum ab igne exsiccatur, quòd vapor sursum, & non ignem versus trahatur; quoniam propria natura vapor sublimia petit. Præterea dum ab igne humor absumitur, & siccatur; non à calido hæc absumptio & exsiccatio prouenit, sed à sicco: siccum enim humido aduersatur, & id deperdit, & corrumpit, dummodo potentius fuerit; & si [illegible] ditas aliquid efficit, resolnendo, & euaporationem faciendo, non per se, sed vt siccitatis affec[illegible] operatur. At si notum & non longè petitum exemplum, quòd calor attrahat, requiras: inspicias flammulam in lychnio lucernæ accensam, quæ perpetuò oleum eius nutrimentum, donec seguetur, ad se trahit. Sed si modicum exemplar magis satisfacit, consideres supercalefactos [illegible] in diabetica passione, qui adeo humores attrahunt, vt totum exhauriant corpus, ac propt[illegible] ipsorum retentricem nimia copia deperdant; à qua vrinæ profluuium emanat. Sed quid multis opus est, cùm passim apud omnes legatur, calidum perpetuò humidum trahere, quo sustentetur, & conseruetur? Quomodo autem calor fundendo, liquefaciendoque fluxionis caussa sit, inferius declarabitur. Satis igitur dictum sit de calido. Ad dolorem accedamus, declarantes, qualiter & ipse à Medicis attractionis caussa dicatur. Dolor autem, etsi tactricis virtutis passio, symptomaque sit, nihilominus & ipse tractionis est caussa, prout naturalem attractricem virtutem lædendo concitat. Inter concitantia, & impellentis ad motum, & dolor connumeratur: nam quum sua molestia, tum spiritus, tum facultates dissoluat, ne penitus prosternat, attractrix facultas huius nocumento excitatur ad nouum quærendum subsidium. Præuida nanque natura doloris tempore hac præcipuè virtute nocumento occurrit, & se tutatur: quemadmodum enim humorum copia grauata natura per expultricem se exonerare contendit, pariter dolore affecta, ipsam dissoluente, ac prosternente, ab attractrici auxilium poscit, quæ tum sanguinem, tum spiritum ad doloris medelam adducat: Instar enim expultricis, facultas ista in doloribus excitatur, & si non ad eundem finem; illa nanque ad expellendum & superflua excernenda, hæc ad attrahendum, & præsidium nanciscendū concitatur. Hæc enim virtus dolore prehensa indifferenter & conueniens, & inconueniens attrahit; & si ex propria natura simile, & salutare deberet attrahere; nonnunquàm tamen in qualitatibus, & tota substantia eidem dissimile trahit, vt in frigidi, & corrupti aeris attractione per inspirationem cernitur. His profectò rationibus asserimus dolorem attrahere; licet alij de hoc aliter senserint, & scripserint. Sed ad rem nostram redeamus; declarantes quomodo inferiores partes fluxione refertæ, & calore, ac dolore pariter affectæ, humores à cerebro ad seipsas perpetuò attrahant, & vi caloris, & doloris, ac similitudine intemperatarum partium, atque ipsorum humorum fluentium familiaritate: hæc quidem attrahendi vim habentia, vbi validiora, quàm quæ trahuntur extiterint, & quæ attrahi debent, in congruo reperiantur loco, vbique illa semper attrahent, aut ad se, aut ad aliud alterum. Ad se attrahent, cùm huiuscemodi affectæ partes impotentes fuerint fluxui resistere, & ad alias onus transmittere: ad aliud verò trahunt, quæcunque validæ extiterint fluxionem repellere, ac alijs ipsam transfundere: vtputa si cordis, aut hepatis, aut alterius potentis membri aucta caliditas capiti excrementis referto communicetur; vtplurimum non ad ea ipsa membra, quæ fortia ad fluxum non admittenda sunt, sed ad alias imbecilliores illum trahunt. Robur itaque, & imbecillitas trahentis membri in caussa sunt, vt aut ad se, *Dolor motum conciat, & non per se mouet.*

aut ad

aut ad aliud fiat attractio. Sic vtique ostendimus, qualiter subiacentia capiti membra, aliqua ad semetipsa, aliqua ad aliud alterum membrum fluxionem trahant. Hæc dicta sint de mobili, & de eo, quod primum mouet, trahit, ac expellit; & de coadiuuante, ac concitante mouentem, trahentem, & expellentem: cæterum hæc satis de proposito capite.

Locus à quo incipit motus in destillationibus: Cap. VI.



SED iam à quo incipit fluxio, declarandum. Id autem in catarrho caput est, intrinsecæ, & extrinsecæ partes eius omnes, sed præcipuè peruiæ, eius internæ viæ, & lati, ac ampli eiusdem interiores meatus. Ab ijs vtique mobile, quod mouetur, sui deorsum meatus initium capit. Cerebrum nanque, tum frigidæ temperiei ratione, tum structuræ, situsque caussa, plusquàm reliqua cuncta membra, fluxioni obnoxium existit. Primò autem suæ frigidæ, & humidæ intemperatæ naturæ ratione, pituitam multam gignit, vtpote appositam ad fluendum materiam. Sui deinceps situs caussa, vnà cum frigida, & humida temperie multum commodum, & efficax redditur ad fluxiones gignendas. Cùm enim in superiori corporis parte sit situatum ad id; vt ad caminum vapores recto tramite ascendunt: & quia humidum, & laxum est facilè figuntur, & retinentur: & quia frigidum condensantur; & per stillas deorsum erumpunt, & fluxum faciunt. Iuxta huius doctrinam secundo » de natura animalium capitulo septimo scripsit Philosophus: Fluxiones etiam ob eam rem ex » capite oriuntur in his corporibus, quibus cerebrum frigidius est, quàm temperamentum modi» cum postulet: cùm enim alimentum per venas sursum respirat; vbi excrementum ob eius loci » vim frigeratum est, fluxiones pituitæ, saniei que mouet; quod simile generationi imbrium » euenire intelligendum est, quoad magnum conferre cum paruo licet; cùm enim ex terra va» por exhalat, effertur que in sublime à vapore, vbi supernum aerem subierit frigidum, con» sistit denuo in aquam propter refrigerationem, atque in terram defluit. Hactenus Philosophus. Suæ quoque amplæ structuræ, & compositionis caussa, quæ pluribus magnisque anfractibus prædita est, idoneum cerebrum fit ad plurimam continendam materiam, tam ibidem genitam, quàm aliunde transmissam: quæ vbi molesto pondere contentricem grauare, aut expultricem nocua afficere qualitate cœperit, illinc abire, & ad inferiores descendere sedes cogitur, aut ab expultrice trusa, aut proprio impulsa pondere. Ob has itaque tres rationes, structuræ scilicet, situs, & temperiei, cerebrum super omnia alia membra productiuum fluxionis principium Medici statuere. Ab ipso nanque, vt à fonte, cunctæ in animantis corpore fluxiones oriri cernuntur. Etsi enim caput vniuersæ propemodum fluxionis initium faciunt, non tamen id in omnibus vniformiter se habere asseuerant. Nam dum primario affectu, & in intemperie, & in instrumento malè afficitur, vt tertio de sympto. cau. recenset Galenus, duplici tunc ratione fluxionis principium constituitur; Primò fluentis materię effectriuum principium existit. Nam sua intemperie fluxibile, quod natum est fluere, superfluam inquam, & nocuam materiam per se gignit; mox genitam, & ob sui copiam, & qualitatem infestam, deorsum extrudit. Hinc altera ratione principium nominatur, vnde scilicet motus fluxionis benè exorditur: Secus profectò res se habet in destillationibus à procatarcticis excitatis caussis, siue calidæ fundentes, & liquantes; siue frigidæ comprimentes, & exprimentes illæ fuerint. In ijs vtique fluxionibus, non vt factiuum principium; sed vt vnde opportunè, & commodè fluxionis motus exoritur, cerebrum se habet: ab ipso quidem facilè fluidæ materiæ (cùm alibi situatum sit) suum deorsum motum initiantur. Hoc idem affirmamus in fluxionibus, quæ per consensum, aut à toto, aut ab aliqua principi parte fiunt; præsertim vbi materiæ, & non vapores communicentur: in istis nanque cerebrum, vt principium vnde bene, & commodè motus deorsum incipit, se præbet, & neutiquam vt fluentis materiæ constitutiuum principium; quando aliunde illuc hæ deuenerunt. Non perinde dicimus, si vapores tantum cõmunicentur: nam ibidem hi frigiditate cerebri in humores vertuntur, ac inde etiam sui deorsum motus initium sumunt; quare & vnde benè incipit fluxus, & vt productiuum fluentis materiæ principium asseri potest. In huiusmodi autem per consensum, aut à procatarcticis caussis fluxionibus factis; & si cerebrum mala similarium partium intemperie non afficiatur, præcipuè circa principium; nam tractatu temporis neutiquàm hoc subterfugere potest, quin in hanc labem incidat; nihilominus quatenus instrumentum est, nunquàm aufugiet, vt non obstruatur, ac repleatur in quocunque fluxionis tempore. Neque enim fluxionem aliquam à capite fieri contingit, cerebri riuulis, ac canalibus non prius oppletis: quamprimùm verò inanes, & vacui ipsi extiterint, illicò fluxus cessat. Hac quidem ratione nos dicimus, cerebrum in quocunque defluxu affectum semper esse, quatenus instrumentum. Nec refert, quòd aliunde repletio venerit;

nam ad

nam ad hoc quòd ægrotet, fatis est quòd repletum, & obstructum fit. Et hac de caussa in eius sanatione non tantum præseruatione, sed & curatione indigemus; quicquid alij de hoc aliàs iudicauerint, & scripserint.

Spatium per quod fluxio defertur. Cap. VII.

RELIQVVM est, vt spatium, per quod fluxio ipsa defertur, & terminus ad quem tendit, declarentur. Spatium autem hic intelligimus, per quod materia fluens defertur; hoc siquidem in fluxione extra caluariam pericraneum est: per ipsum enim, sicut per inordinatam, ac insolitam regionem, materia semper deorsum fluit. Sunt etiam & venæ caput ambientes, humores sursum portantes, & eosdem deorsum deferentes. In defluxu autem intra caluariam sunt duo canales, qui à prioribus cerebri ventriculis initium ducentes, primò quidem ad peluim, ad eumque; mox ad cuneum, & spongoides os peruenit: per eos enim excrementa ad palatum, & os educuntur. Prædicti autem canales soli expurgando sufficiunt cerebro, dum animal rectè se habet, alimentumque optimè concoquit. Sunt etiã & alij canales duo, qui ex anterioribus ventriculis ad nares perueniunt; primum tamen, ac potissimum facti gratia inspirationis in cerebrum; secundò olfactus, tertiò & ex abundanti superfluorum cerebri purgandorum. Hi quidem duo excrementa tantum repurgant, cùm supra modum nimis excreuerint. Adest & aliud tertium prælongum, nec vsque adeo rotundum foramen, quod iuxta magnum oculi cantum est, per quod nerui oculorum musculis, & superiori maxillæ inferuntur: & hoc quidem malè affecto cerebro, & superfluis humoribus referto est subsidium, sicuti in lachrymarum profluuio cernimus. Ad hoc quoque subsidij genus (quod est caput à nimiis, ac noxiis humoribus exonerare) pertinent tum lapidosi aurium ossis angustum, anfractibusque flexuosum foramen, tum reliqua cranei spiracula, per quæ anteriores sensilium neruorum coniugationes extra portantur, atque ea etiam per quæ iugulares venæ, & arteriæ introferuntur. Adest & vltimum omnium, quæ in capite sunt, maximum illud foramen, quo medulla è cerebro in spinæ fistulam delabitur. Per hoc namque, & per ceruicis vertebratum foramina sæpissimè materia ad iuncturas, & inferiores artus defertur. Cerebri autem venæ, & arteriæ inter canales, ac peruios meatus, per quos catarrhus defluit, & ipsæ annumerantur. Cùm enim aut plurimis, aut noxijs replentur humoribus, ita quòd expultrix earundem virius illorum copia, aut praua qualitate, aut vtriusque simul irritetur; tunc aduersus illos insurgit, eosque sic intrò vasa consistentes persequitur, & per interiores suarum tunicarum laxas vias ad subiacentes partes tandem detrudit, per eadem scilicet cranei foramina, per quæ venæ, & arteriæ fuerunt prius craneum ingressæ. Sic quippe duplici via à cerebro humores ad subiectas deferri partes visuntur, internè scilicet per iugularium venarum, & arteriarum ramulos & surculos; ac externè per foraminulenta cunei, & spongoides ossa, necnon per reliqua cranei foramina superius dicta. Hipp. autem in libr. de Glandibus recenset, quomodo catarrhus per septem vias ad inferas descendit partes, dum ait: Fluxiones porrò de capite vsque ad „ secretionem contingunt, per aures secundum naturam, per oculos, per nares; atque hæ tres „ sunt; Et aliæ per palatum in guttur, & in gulam, & alia per venas in medullam spinalem, & in „ sanguinem, quæ omnes septem numero sunt. „

Pagina secunda.

Terminus ad quem tendit fluxio. Cap. VIII.

ESTAT verò terminus, ad quem destillatio tendit, ac vbi materia suscipitur, declarandus. Hic fanè multiplex est, penès locorum multitudinem fluxionem terminantium. Primus autem in ordine, qui destillationi occurrit, sunt nares, si per narium meatus destillatio fluxerit; sin magis per palati colatoria destillauerit, est palatum, mox columellæ, gingiuæ, os, tonsillæ, ac fauces. Hę quidem partes omnes fluxionem vndique suscipiunt, & à venis, & à propriis excretionum ductibus: idque multò faciliùs assequuntur, quando cum parte, vnde decurrit humor, coniunctæ sunt; ac præterea ex ipsis quædam rarioris, laxiorisque substantiæ existunt. Post has fluxiones terminant larinx, eiusque cartilagines, & musculi epiglotis, aspera arteria, & gula; quoniam in idoneo loco ad recipiendum collocatę sunt: nam è directo fluentibus subijciuntur: siue enim humor ex infundibulo, & glandula destillat, siue per ingulares venas, & arterias deorsum cadat; hæ vtrique promptæ semper sunt ad humores vndequaque cadentes suscipiendos. Ventriculus namque, præter id quòd pronam viã habet, ob sinum quoque, & concauitatem fluxionis plurimum suscipit: ipsamque intestina

à veotriculo ob vicioitatem sæpisimè mutuant. Hinc aloi fluores, tormina à capitis defloxu eoenire dicuntur. Thorax autem, & pulmo vtrauque fluxionis speciem foscipiuut, ac terminant, & quæ per venas, & arterias, & quæ per proprios cauales deorsum exceroitur. Eam nempe, quæ à propriis exportatur caualibus, facillimè excipioot; quaudo eo in loco membra hæc posita sunt, ad qoæ suapte natuia humores, qui ex choaoa, & infuodibulo descendout, per asperæ arteriæ doctum deferuotor. Quæ autem per carotides arterias, aut per venas iugulares deorsum ad partes subiectas destillat, vtrauque ipsarum, & thorax, & pulmo, tum per cauæ venæ, tum per magnæ arteriæ ramos suscipiunt. Thorax quidem illas excipit ex ramorum propaginibus & magnæ arteriç, & cauæ venæ infra iugulum existentium, vndique thoracis partes circumambieutium: à capite oauque per iugulares venas, & arterias ad hos ramos materia continuo itiuere deportatur, quæ mox per circunstantes eorondem ramorum surcolos à debilibus thoracis partibus suscipitor, ibidemque sedem facit, aut ob loci opportuoitatem, aut qoòd non datur vlterius progredi. Pari quoque ratione polmo vtrasque has fluxiooes recipit, quæ per veoas, & qoæ per arterias à cerebro destillat: illam quidem, quæ per veoas decurrit, à cauæ venæ ramo supra quintam eius fibram, tanquàm sub stratom recumbente; vtpote materia à capite per eiusdem semper cauæ venæ doctus contiouato corsu ad pulmooes decurrēte. Fluxionem verò, quæ per arterias à capite fluit, accipit polmo ex ramo magno arteriæ, quin ipso fulcitor, dum ad iugulum, & caput ex læuo cordis ventriculo cooteodit. Per huius oempe magoæ arteriæ propagioes materia à capite ad pulmooes defertur, ibidemque ob loci magnitudinem, & quoniam rarioris, laxiorisque substautiæ existuot, plurima colligitur. Hiuc postea oriuntur, & Dispnæa, & Asthma, & Orthopnæa, & pulsuum inæqoalitas, tum in voa, tum iu pluribus differentijs. Si verò contingerit, quòd per internas, & exteruas iugolares omues præceps deorsum materia ruat; necesse profectò est tanto oneri naturam succumbere, ac conatui cedere: quare aut illico vita priuabitor, aut corpos vniuersum, vel altera eius pars resoluetur. Et do
Aphor. 22. hac destillatiouis specie, quæ per venas, & arterias defluit, tertio aphor. Gal. sermonem haboit,
„ dum inquit. Quod verò scribitur circa finem aphorismi, seoioribos verò destillationes, quæ su
„ bitò interimāt, ipse io libro de aquis, locis, & aere per hæc verba scripsit. Valde autem senibus
„ destillatiooes propter raritatem, & veoarum colliquatiouem, ita quòd repente intereant; quosdam
„ verò contiogit dextra, aot siostra parte resolutos fieri. Per hæc verba videtur Hipp. non
„ quas commooi nomine destillationes coosueuimus nomiuare; quæ scilicet ex capite fiunt ad
„ pulmoues per asperam arteriam, sed omnes quæ feruntor fluxiones per venas à capite ad par-
„ tes iuferiores, quare, & cito interimentes bene videtor adiectum, quoniam hæ celeriter termi-
„ nantur, cum aliæ diutius perdurent. Hocusque Galen. quibus apertè coocludit, destillationes, qoæ per carotidas venas, & arterias fluunt, cæteris omuibus periculosiores esse, ac periode celerius terminari. Hæ quidem duplici oomioe perniciem minantur, primò ob materiei multitodinem, quæ & spiritos, & calidum iooatum conculcaudo soffocat, & extinguit: Secundò ob hanc eandem caussam obstructionem facit, vode auimauti virtuti aditus ad solita membra
2. Primi aufertur; quare innato senso, & motu priuaotur, & resoluuntur. Hoc idipsom etiam annuit
doctr. 2. c. 7 Auicenna cap. de Iudiciis compositionis anni, dum scripsit. Et catarrhi tunc moltiplicantur, & propriè in seoibus, & descenduot ad membra eorum occulta; & quaodoque morte morieotor subita, ideo quòd viæ spiritus subitò oppilantur. Membroium verò artus, & articuli singuli ob concauitatem, & loci commoditatem, sed præcipuè cùm imbecilles sint, fluxiouem omnem per colli, & ceruicis vertebras fluentem suscipiunt. Externæ autem corporis partes, vt scapulæ, brachia, dorsura, & lumbi, aliæque extra caluariam fluentes fluxiooes terminant. Concludimus tandem, laborantes particulas fluxionem termiuare, vel quoniam eam ad se trahuut, vti supra retulimus; vel quia uatura, aut morbo imbecilles sunt, ad alterum impotentes onus transmittere: vel quia sui oatura, & loci, situsque opportunitate fluxiooi idoneæ, pronæuè suoe. Hæc de caosis, & concausis defluxus, ac de omnibus ad ipsum spectaotibus. Nuoc ad materiam fluentem, suasque caussas explicandas accedamus.

Quanam sit materia, quæ à capite destillat. Cap. IX.



ANTEAQVAM reliqoa declaremus, primum omuium operepretiom est explicare, quænam materia illa sit, quæ à capite descendit: supra enim, vbi catarrhi differentias à materia descripsimus, eas in doas præcipuè diuisimus partes; calidam scilicet, & frigidam. Frigidam materiam dicimos, tom acidam, tum insipidam pituitam, nec non muccum ipsum. Calidam verò appellamus bilem, & amaram & acrem, & pituitam pariter salsam. At quidam inter neotericos vir magoæ, & exquisitæ doctrinæ, solam pituitam ca-

tarrhi

tarrhi propriè dicti materiam esse arbitratur: verùm non vniformem, sed variam, & multiplicem in caliditate, frigiditate, tenuitate, crassitudine, saporum differentiis ipsam facit; idipsumq; & ratione, & auctoritate confirmat: Ratione quoniam membrum, quod catarrhum producit, frigidum, & humidum est, quare iuxtà temperiem, frigida, & humida generabit excrementa, quæ catarrhi materiæ fiunt. Hoc idem Platonis auctoritas comprobat, quæ asserit omnium à capite fluxionum pituitam, vel acidam, vel salsam, vel insipidam caussam esse. Nec isti sententiæ Arist. contradicit lib. secundo de part. anim. vbi solam cerebri frigiditatem catarrhi caussam facit, his verbis. Fluxiones etiam ob eam rem ex capite oriuntur in iis corporibus, quibus ce- » rebrum frigidius est, quàm temperamentum modicum postulet: cùm enim alimentum per ve- » nas sursum respirat, vbi excrementum ob eius loci vim refrigeratum est, fluxiones pituitæ, sani- » eíque mouent. & quæ sequuntur. Iis igitur auctoritatibus, & rationibus innixus vir ille, con- » cludit materiam catarrhi propriè accepti pituitam esse non vniformem, sed multiplicem, vt retulimus. Nos verò vnà cum vniuersa Medicorum schola fatemur, pituitam vtplurimum destillationis materiam esse; non tamen sic solam catarrhi materiam facimus, vt reliquos excludamus humores, sanguinem scilicet, & vtranque bilem; licet sanguis, & atra bilis rarò catarrhos faciant; ideo à scriptoribus hac in re prætermittuntur: è contrario bilis flaua se habet, quæ ob sui tenuitatem, & copiam prompta est à capite fluere, & catarrhos propriè dictos generare, quorum curationes passim à Medicis sub propriè dicti catarrhi titulo describuntur: idcirco vbiq; ab ipsis legitur, biliosum catarrhum à bilioso destillante humore proficisci; & per eius purgationem sanari. Quòd verò à bile flaua propriè dicti catarrhi generentur, experientia omissa, hæc ratio comprobat: in quacunque corporis parte calida adurens intemperies fuerit, ibidem calidos adurentes contingit humores gigni (non solum enim in hepate, verùm etiam in venis succi fiunt.) Cùm igitur calida adurens intemperies in capite, ac eius venis fuerit; calidi, biliosi vrentes ibidem generabuntur succi, qui à capite cadentes catarrhum producunt biliosum. Quòd verò calida adurens capitis intemperies biliosos, & non pituitosos calidos procreet humores, declaremus: peruulgata enim à Philosophis est propositio, simile à simili semper fieri, tam in efficienti, quàm in forma, & materia. Cùm calida autem biliosa cerebri intemperies fuerit, si iuxtà sui naturam, & similitudinem operabitur, perpetuò calidos biliosos succos producet, & nentiquàm pituitosos. Quòd verò contingat calidam adurentem cerebri intemperiē catarrhi propriè dicti caussam esse, Galeni, Aetiique auctoritate probamus: ille nanque sexto de sanit. tuen. & hic octano sermone. cap. de catarrho vniformiter inquiunt. Quibus verò caput vehementer calidum, æstuansque est. & ob id assiduè à destillationibus vexantur, iis præstat æstatis tempore rosaceo perungi. Hoc idipsum tertiodecimo. Meth. Gal. repetit, dum ait: Plurimum autem, vel frigida intemperies caput vitiat, vel humida; nec dubium est, quin » etiam ambæ congrediantur; rariores sunt, quæ propter calorem acrem oculis fluxionem immit- » tunt, in quibus oleo crudo, & rosaceo, & hispano vti expedit, tum frequenti ex aqua dulci » in balneo lauatione. Idem quoque tertio de sympto. cau. affirmat, dum catarrhi caussas recen- » set, dicens. Catarri, & corizæ caussa est cerebrum, ceu similaris pars in intemperiem calidam, » vel frigidam versum, ceu instrumentalis, quatenus impletum est. Auic. etiam Galen. insecutus, » calidum acuti catarrhi caussam calidam cerebri intemperiem scripsit. Concludimus tandem ad mentem istorum, calidam adurentemque cerebri intemperiem per se calidi biliosi catarrhi propriè sumpti caussam esse. Hæc quidem intemperies calidos biliosos per se humores gignit, & nequaquàm pituitosos, nisi per accidens fortasse ex Auic. sententia, dicentis salsam pituitam (quæ sola inter omnes pituitæ species calida existimatur) ex flauæ bilis, & insipidæ pituitæ admistione fieri; secundum verò Gal. nec per se, nec per accidens salita pituita à biliosa proficiscitur intemperie, cum aut ob sui putredinem, aut ob serosæ humiditatis admistionem illa nascatur. Porrò sunt eius viri fundamenta eruenda, vt nihil amplius reliquum sit, quod dubiū facessat. Et ratione primò dicimus, quòd etsi cerebrum destillationis principium naturaliter frigidum, & humidum sit, & natura frigida, & humida generet excrementa; nihilominus cùm præter naturam calidum biliosum factum fuerit, tunc iuxtà præter naturalem temperiem calida biliosa producet excrementa, ac minimè pituitosa. Ad Platonis, & Aristotelis auctoritates respondimus, quòd Philosophi de ægritudinibus loquuntur, prout frequenter contingunt, & non secundum eorundem absolutam naturam (quoniam hoc ad Medicos pertinet:) ęgritudines enim secundum membri lapsum plurimum eueniunt; quare & catarrhi penès cerebri lapsum frigidi persæpe visuntur. Est enim cerebrum (quia frigidum est) paratum à frigido pati, paratum autem ad aliquem effectum est duplum caussæ illius affectus. Hac sanè ratione dixit Auic. factus à frigore frequentior est, quàm factus à calore. Non mirum igitur, si de catarrho mētionem facientes Philosophi, secundum membri naturam pituitosum illum dixerunt.

In Thimæo.

Cap. septimo.

Secundo de nat. fac. & 2. præd. tex. 39.

Quarto metha. primo de gen. & cor. cap. 7. libr. 2. de hum. natur. tex. & com. 10. cap. 9.

Capite 53.

De viribus cordis, & lib. 3. fen. 5. cap. 11.

Euidentes fluxionum caussæ quæ sint. Cap. X.

Gal. 2. de Natura humana, & 1 de diff. feb. cap. 3.



CVM abundè (nisi fallor) à nobis declaratum sit, quæ illa materia sit, quæ à capite descendit; optimum est nunc caussas tam procatarcticas, quàm antecedentes ipsius recensere. Procatarcticæ enim græcè, præincipientes latinè caussæ sunt, vel externæ, quæ extrinsecus adueniunt, nec intra animantis corpus consistunt, ipsum tamen alterandi, ac permutandi vim habent; vel internæ recentes, omnibusque manifestæ, à quibus abditæ, antecedentesque vocatæ caussæ fiunt, & originem trahunt. Inter procatarcticas materiæ fluentis caussas (quas Medici multas numerant) primæ quatuor qualitates præcipuè recensentur; caliditas scilicet, humiditas, frigiditas, & siccitas; at caliditas, & frigiditas quoniam actiuæ omnium efficacissimæ existunt, humiditas verò & siccitas quia passiuæ, longè minus sunt efficaces.

Catarrhi frigidæ præincipientes caussæ. Cap. XI.



INTER externas, ac euidentes materiæ fluentis caussas frigiditas omnium potissima iudicatur. Ab ipsa igitur, vt à potiori, in his describendis exordium capiemus: prius tamen frigoris essentiam, & naturam breuiter manifestabimus: Frigus enim (aiunt Philosophi) est quod congregat tam homogenea, quàm heterogenea, constipatque omnia, ac vnumquodque reddit immobile, & torpiferum. Contrarium frigoris calor operatur: hic nempe ad animalium conseruationem, & generationem aliena separat, & expellit, homogenea tantum continens, & congregans, vitam ac spiritum ipsis impartiens: è contra frigus agit; nam indiscretè omnia constipat, & in vnum aceruum cogit, eumque immobile, ac veluti mortuum (vt ita dicam) facit. Ob quam rem rectè dixit Auic. quod per se inest frigido, est vt contrarietur naturalibus virtutibus; ipsum nanque mortificat, & stupidum reddit sensum, functionesque omnes naturales impedit. Consimile autem tertio de sympto. cau. Galenus retulit. Frigus nulli functioni ex vsu est; siue enim humori, siue siccitati iungatur, vbique debilius, & torpiferum est; & si quid boni in animante operatur, id per accidens tantum calidum contemperando operatur. Cùm verò frigida hæc, seu actu, seu potentia talia sint, extrinsecus nos ambiunt, aut capiti admouentur, siue per se, siue alterius membri consensu, vtputa ventriculi, aut pedum: sunt nanque pedes, & ventriculus admodum neruosi, ob idque ipsorum affectio facile capiti communicatur. Si (inquam) prædicta hæc frigda omnia capiti adiungantur, eique tandiu inhæreant, ac tangant, quandiu agere possint; tunc aut ad frigidum caput alterabunt, aut ad intemperiem permutabunt frigidiorem: de intemperie inferius sermo habebitur. Si ad frigidum capitis partes interiores, exterioresque alterauerint, ac innatam ipsius frigiditatem auxerint; tunc naturales eius virtutes, ac præcipuè concoctrices, debiles, ac sopitas reddet: quare earundem functiones læduntur, & præter solitum excrementa excrescent, quæ ab expultrice inferius detrusa, molesto pondere, & nocua concitata qualitate defluxum faciunt. Altera ab hac ratione frigus destillationem conciliat; frigidi enim natura est condensare frigefaciendo, & constipare humidum aqueum, & vaporosum. Si modo euenerit, vt ex vniuerso corpore, aut ex ventriculo, seu quauis alia parte vapores in cerebrum congerantur; hi veluti in cœlo pluuia, cerebri superaucta frigiditate, in humores vertuntur, ad inferioraque destillant membra. Huic additur, quòd hæc eadem externa frigiditas occultos cutis capitis meatus ita condensat, vt vapores, qui per easdem reseratas vias difflabantur, intus claudantur, & in fluoris materiam conuertantur, ac fluxum augeant. Tertio autem modo fluxionem excitare potens erit circumambiēs frigiditas, constringens, ac in vnum cogens cerebri meuynges, vnde humores, qui in cerebri canalibus reperiuntur, deorsum ad imas partes pelluntur. De hac fluxionis specie tertio aphor.

Prima fen. 1. doctr. 5. cap. de gener. virtu.

Tertio colliget. c. 21.

Aphor. 21.

Hippo. de loc. in homine, car. 87.

» Gal. scripsit, dum ait. Caput enim prius repletum est in calida, & humida constitutione; frigus
» autem superueniens, veluti manus quędam extrinseca, capiens, ac premens, quandam vti spon-
» giam, cerebrum, exprimit illam, quæ in ipso continetur, humiditatem. & de hac quidem Hipp.
» sensit, dum scripsit. Catarrhi superabundant flante Septentrione, si auster præcesserit; quoniā
» in australi tempestate vtplurimum contingit caput impleri: calida nempe, & humida apta sunt
» caput replere, quando facillimè omnia subintrant. Si modo frigus plurimis humoribus capiti grauato superueniat, tunc illud comprimit, perinde atque manus spongiam imbutam aqua, & humores intra cerebri riuulos contentos deorsum extrudit. His igitur tribus modis destillatio ab externa conciliatur frigiditate. Hæc de externo frigore: ad calorem properemus.

Calidæ procatarcticæ fluxionum caussa. Cap. XII.



ALIDITAS primarum qualitatum præstantissima inter destillationum procatarcticas caussas recensetur. Hæc quidem ad agendum omnium efficacissima existit. Quare & ipsi primò mistorum corporum generationem, pariterque eorundem corruptionem prisci attribuere, quando tum componere, tum resoluere per se ei conueniat. Calidi nempe natura est homogenea congregare, aliena verò extollere, & separare. Cùm autem per compositionem mista cuncta gignantur, parique fortuna per eorundem dissolutionem corrumpantur, necessariò hæc ambo per se primò calori inerunt: nam si debeat fieri mistio accommoda naturæ cuiuspiam corporis, necesse est, vt ea inuicem componantur, quæ conueniunt naturæ illius corporis; at hoc caloris proprium est, quòd homogenea congregat. Simili modo si compositum aliquod corrumpi contingat, necesse est, vt componentes partes inuicem dissoluantur, & separentur; aliàs nequaquam corrumpi posset: & hoc etiam munus calori proprium est, quòd aliena separet, & dissoluat. A calore ergo mista composita generantur, & corrumpuntur; at non vnica ratione hæc contingunt, sed dissimili, & contraria. Calor namque, prout congregat, & componit, naturalis, & proprius est; prout verò disgregat, & dissoluit, alienus, & extraneus efficitur: hi quidem duo calores sunt, qui inter se pugnant, & alter ab altero dissoluitur: & iuxta hæc prædicta tertio de sympt. cau. Gal. scripsit. Calor adauctus valentius alterat, modo tamen non eò incrementi perueniat, quòd iam colliquet; tum namque ad omnia est inutilis. Si autem externa caliditas nos circumambiens (quæcunque illa fuerit) aut Solis, vel ignis ardentis, aut aeris, seu venti calidioris, aut quæuis alia excalefaciendi vim habentia corpori admota, vt vaporosa calida alimenta, & medicamenta ingesta, ac odorata excalefacientia, qualis est moschus, & crocum, & capiti calida cataplasmata iniecta: si (inquã) hæc omnia caput supercalefecerint; tunc aut calidum eius innatum extinguent, (calor enim extimus natiuum intus calorem extinguit, & dissipat, sicut Sol ignem; vnde digestiua vis resoluta præcipites humores sinit fluere) aut caliditatem extraneam, seu malam intemperiem capiti adiungent. De mala intemperie inferius dicetur. Si extraneam ei caliditatem adiunxerint, ac præter naturam ipsum excalefecerint; tribus tunc quippe modis hæc destillationem concitabunt. Primò quidem nimiam ad caput materiam attrahendo; proprium enim caloris est attrahere, & congregare. Cùm igitur cerebrum excalefactum fuerit, à toto corpore materiam ad caput attrahet, & congregabit; quare nimia quantitate grauata, & defessa concoctrix facultas, atque oppressus quodammodo calor, imbecillior, inualidiorque fit ad humoris exuberantiam concoquendam; vnde & cruda, & inconcocta relinquitur, quæ postea aut ipsius ponderis impetu deorsum cadit, aut ab expultrice truditur, noua eius qualitate concitata. Altera ab hac ratione aduentitius calor iste destillationem conciliat, congelatos scilicet humores in cerebro dissoluens, ac fluere faciens. Qui enim prius in cerebro à retentrici virtute concreti humores detinebantur; mox vi caloris externi fusi, & resoluti, à retentricis potestate destituti, propria grauitate deorsum labuntur. Tertio ac vltimo modo superaucta capitis caliditas fluxum commouet, strictas ac clausas capitis vias reserans, & aperiens; calor enim calefaciendo capitis poros rarefacit, per quos liberius humor fluens dilabitur; facilius nempe per laxas, & amplas vias, quàm per arctas, & angustas humor descendit. Hæc omnia externus calor capiti adiunctus operatur. Potest & cordis quoque superauctus calor & ex ira, & ex febre, capiti cõmunicatus, prædictis his rationibus fluxum parere, angustas (inquam) cerebri vias patefaciens, ac concretos eiusdem liquans humores. Qualiter verò hæc ipsa aucta cordis caliditas attrahendo fluxum concitet, iam supra diximus. Sed inter abditas internas verius hæ reponuntur caussæ. Hactenus de externo calore.

Secundo de generat. & corr. tex. 8

Hipp. de locis in homine car. 87.

Vt externa humiditas destillationem generet. Cap. XIII.



OST frigus, & calorem, humiditas sequitur, & siccitas, per alterum primarum qualitatum, quæ sunt inuicem contrariæ, sicut caliditas, & frigiditas. Sed prius declaremus, quomodo humiditas defluxionis à capite caussa exterior sit. Compertum est humiditatis vim in agendo longè inferiorem, & vi frigiditatis, & vi caliditatis esse. In resistendo tamen superat vim vtriusque: etsi enim humiditatis, siccitatisque vis in agendo debilis, infirmaque sit; nihilominus humidum per se siccum humectat, & siccitas per se humidum exsiccat; quoniam potentius omne contrarium in contrarium agit. Proprium quidem humidi est diffluere, & proprio termino non contineri: quamobrem & humidi naturalis actio,

quæ per alterationem fit, est liquescere, & diffundere: liquata nanque, diffusa, & madefacta omnia difficulter proprio termino terminantur, alieno autem facile. Extrinsecus autem humida circumambientia, & corpus afficientia, qualis aer humidior, lotiones, natationesque in aquis dulcibus corpus diffundent, & humidius, quàm par sit, illud efficient. Consimili quoq; ratione, & quæ corpori adiunguntur; vt cibi, potiones, vnctiones, fomenta, & quouis alio modo admota humectantia medicamenta. Hæc omnia corpus, quod cum iusta temperie cum sicco persistit, liquefacient, diffundent, & plus iusto humectabunt. Si autem vuida hæc capiti iniecta fuerint, ac ei diutius inhæserint; tunc prius suo madore concretos capitis humores diffundent, & angustas pariter eiusdem vias latas, & amplas facient; per quas liquati, sicque humores liberius destillabunt: mox hæc ipsa vuida capiti applicita fluidum, madidumque ipsum reddent, ac humore plurimo replebunt. Cùm enim cerebri substantia naturaliter humida sit; ideo ab humidi natura plurimum patitur; quoniam in habentibus symbolum facilior est transitus. Quare primo de compositione medicamentorum secundum locos, de ipso cerebro sermonem
» faciens Gal. inquit. Frigidæ enim particulæ frigidis, calidæ verò calidis passionibus facillimè
» occupantur: eadem ratione dicimus, quòd humidæ partes humidis affectionibus celerrimè af-
Cap. 22. » ficiuntur. Et propter hoc etiam decimotertio methodi ipse dixit. Multum nempe frigida in-
circa medium. » temperies caput vitiat, vel etiam humida; nec dubium est, quin etiam ambæ congregantur.
Igitur ex naturæ similitudine à rei humidæ contactu cerebrum humida discrasia multum afficitur, & plus æquo, humore repletur: vnde & retentrix eius virtus (quæ sicco viget, & consistit) humido laxata, infirma, & debilis fit; qua quidem debilitata, humor superabundans, qui ab ipsa detinebatur, cùm proprio termino non consistat, sed vndique diffluat, retentricis potestatem prorsus deserens, grauitate propria (quando humiditas hæc ferè semper frigori sit iuncta) deorsum ad subiacentes partes trahitur, & fluxum facit. Hac eadem humoris copia cerebri etiam concoctrix facultas obruitur, & languida fit: quare cruditates excrescunt, quæ defluxum augent, & conseruant. Sed satis de humido.

Catarrhos à siccitate non fieri. Cap. XIIII.

IAm verò agamus de siccitate, quæ minimam omnium in agendo vim habet, maximam omnium in resistendo: id quod experimento facile comprehenditur: si nanq; siccam rem quampiam, vt lignum, marmor, pumicem humidis rebus appropinquabis, vtique humiditas longè citius afficit lignum, aut pumicem, quàm ipsa ab eorum siccitate patiatur: facilius tamen humidum illud arescet, quàm siccum vertatur in aqueum: ideoque siccum definiunt esse illud, quod terminatur termino proprio, difficulter autem alieno definitur termino. Proprium itaque sicci est terminari, & definiri. Hoc quidem resistere, & repugnare verius dicitur, quàm agere; nihilominus & agere quoque dicitur, qualecunque id fuerit, quando in resistentia ipsa, actio semper reperiatur. Agit vtique siccum, etsi eius actio infirma sit, & imbecillis: attamen cùm multum prænaluerit humido, ipsum perpetuò assumet, & exsiccabit. Contrarium enim omne in contrarium agit, si deuictum prorsus non fuerit: exsiccare itaque, arescere, & exhaurire siccitatis actiones dicentur; quando exsiccata, arefacta, & exhausta proprio termino definiantur, nec facile alieno terminentur. Quum autem ea, quæ nos extrinsecus ambiendo circundant, aut quæ corpori adhibentur, exsiccandi vim habuerint, siccasque procreauerint affectiones; tunc fluxionum caussæ salubres erunt, & minime præincipientes illarum effectrices. Nam cùm cerebrum cunctarum fluxionum initium exinanitum, & exhaustum fuerit, nihil profectò humoris continebit, quod excludere valeat. Simili ratione si materiæ fluentes aridæ, & siccæ fuerint; tunc proprio persistent termino, nec nouum amplius quærent. Sicci itaque actio, quæ constringere, & sistere habet, fluxui repugnat, & contrariatur: quamobrem in eius præsidio, & medela perpetuò recipitur.

Tertio aphorismo 17. Quare de ipso perbellè Gal. ait: Siccum omnes corporis superfluitates consumit, & robur adiicit ipsis instrumentis; ex eo quòd adstringit, & in vnum cogit densando substantiam. Et
Tertio de sympt. cau. cap. 3. propè finem aphor. 16. aliàs melius dixit, quòd siccitas ad nixum, & robur conducit, & eius excessus dura, & friabilia facit, & non liquida, & fluida. Vnde his rationibus motus in Hipp. siccæ constitutionis morbos recensentem inuebitur, dum ait. In siccitatibus autem tabitudines, lyppitudines, articulorum dolores, stillicidia, vrinæ, & difficultates intestinorum: ibi in commento Gal. contra Hipp. inquit, quòd satis indistinctum de his sermonem facit. Postea insequitur, enarrans quemadmodum nec tabitudines, nec articulorum dolores, qui ex fluxionibus fiunt, nullo modo in immodicis siccitatibus eueniant. Quòd autem aliqui expressè Hipp. sententiam afferant, clarè at-
Libr. tertio testantem in siccis temporum constitutionibus destillationes fieri, dum inquit; si verò Autum-

nus fuerit

nus fuerit Aquilonius, & ficcus, his, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus confert; *Aphor.* 14.
Reliquis verò erunt lyppitudines ficcæ, & febres acutæ, & grauedines: Dicimus vltimam hanc particulam, qua maxime viri quidam clarissimi, ac de re medica optimè meriti, tnuituntur, esse certè quidem deprauatam; id quod ex Gal. commentario primum declaratur, qui febrium rationes declarans, ne minimum grauedinis verbum fecit. Deinde ex Aristot. qui libr. primo *Probl.* 12.
problem. hanc Hipp. sententiam enarrans, nullam grauedinis facit mentionem, sed febrium tā tum, & melancoliæ. Quocirca nihil certius est, quàm librariorum errore quodam corizæ, pro polycroni repositum esse; quòd ab vna in aliam dictionem facilis fit lapsus. Hanc præterea lectionem Celsus euidentissimè comprobat, qui hanc Hipp. partem ita est interpretatus: & febres partim acutæ, partim longę: grauedinis autem haud meminit. Quòd verò longæ febres accidant, vt sunt quartanæ; fit propterea quòd atra bilis, ex qua hæ nascuntur, bifariam in hac constitutione generetur: primùm quòd flaua bilis supergrassetur, secundò quòd sanguis crassescat. Hinc est, quòd Hipp. in libello de aere, aquis, & locis dicit. Et sanguinis pariter eadem ratione tenuissima pars exficcatur, crassiorque remanet. Cùm itaque bilis in ea constitutione pars humidissima exficcetur, remaneatque acerrima, & crassissima; nihil mirum ex acerrima eius parte acutas, ex crassissima longas fieri febres. Ex istis patet potius præsidium, atque medelam fluxionum ficcitatem esse, quàm concitautem, promouentemque destillationum caussam, quicquid alij celeberrimi viri dixerint.

Res non naturales vocatas fluxionum caussas esse. Cap. XV.



ANNVMERANTVR & inter procatarcticas, & euidentes catarrhi caussas, quatuor ipsæ conseruatrices caussæ, aliàs res non naturales nuncupatæ; scilicet quæ intrò, ore, alijsue meatibus in corpore assumuntur; aut foris tantum adhibentur; aut tum intrò, tum foris accedunt; aut nec intrò, neque foris adueniunt. Omnia, quæ intrò corpus assumuntur, si natiuam cerebri intemperiem alterare, ac naturales eiusdem virtutes debilitare possunt, præincipientes destillationum caussæ sunt, veluti sunt crapulæ, ebrietates, vina potentia immoderatius ingesta, cibus crudus, qui in ventrem permanet, nec excernitur; & omnia ad caput euaporantia, vt cæpæ, alia, sinapis, erucæ, & concoctu difficilia, vt carnes omnes aunosæ, & duræ, caseus vetus, lacticinia, & quæ ex his parantur, oleum, & fructus omnes oleosi, & iuglandes, auellanæ, & oliuæ; ex odoribus verò odorata excalefacientia, qualis est moschus, crocum, & similia. Hæc quidem omnia naturalem cerebri intemperiem, eiusque naturales virtutes afficientia, destillationes commouent. Quæ foris adhibentur, vt venæ sectio, capitis tegumentum, & eius perfusiones, & linimenta, quibus plerunque mulieres ad capillos tingendos, & crispandos vtuntur, aut caput alterando, aut eiusdem poros constipando, catarrhos producunt; capitis quoque sordities, potositates constringendo, catarrhos facit. Quamobrem errant, qui interdum non lauant caput, quoniam ex sorditie pori obturantur, & vapores non purgati incrassantur, qui in aquam versi deorsum fluunt. Sectio autem venæ, si modum excesserit, aut ab ipsa quis statim frigori, aut calori, seu labori sese incommodè exposuerit, ad catarrhos disponit, dissoluendo corporis meatus, pasibilioraque reddendo membra, tum à calido, tum à frigido: nec ad catarrhum tantum intempestiua sanguinis missio promouet, sed ad orthopnœam, & apoplexiam, & alia multa verenda, quæ nono methodi recenset Galenus. Capitis quoque tegmenta incongrua, si immodica fuerint, caput frigescere permittunt; si multa, excalefaciunt, & texturam aperiunt, & sic catarrhos vtroque modo promouent. Quæ intrò, forisque accedunt, vt aer, ventus, radij Solis, & Lunæ, qui intrò inspirando trahuntur, foris sua qualitate afficiunt, & alterant; & aqua, cuius vsus, vt in corpore, ita extra, citraque corpus multus est: hæc profectò omnia, quæcunque qualitate affecta fuerint, eadem caput afficiunt, si importunè diutius inhæserint. Aer verò ambiens, & corporis, & capitis temperiem commutat, vel calidior impendio, vel frigidior, vel humidior euadens; idque longè efficacius operatur, si tenuior quàm par fit, extiterit: hic enim ob eius facilem penetrationem vndique cerebri substantiam circumfundit; quare ipsum impensius lædit, & ad quancunque alterat qualitatem. Nebulæ autem, ac caligines sua humida, ac tenui substantia per capitis meatus vndique penetrantes catarrhos potenter concitant. Venti quidem omnes, tum calidi, tum frigidi, violenter caput percutientes, excitandis catarrhis primas obtinent partes. Quæ nec intrò, neque foris adueniunt, tripartitò diuiduntur; in Animi, & Corporis, & vtriusque communes affectus: Animi passiones cerebri intemperiem, & innatas virtutes afficientes; sunt diuturna studia, continuæ magnatum auscultationes, difficilia, ac grauia negotia, fortes cognitiones, & perturbationes; sicuti ira, mæror, &

cura.

cura. Corporis verò affectus eiusdem cerebri temperaturam, & facultates permutantes, sunt repletio, excretionum suppressiones, intemperata venus, & quies, & exercitatio immoderata, ac nimius luctus, & clamor. Vtriusque tum animi, tum corporis communes affectus cerebrum afficientes sunt, somnus, & vigiliæ superfluæ: somnus quidem diurnus non assuetis caput replendo, ac humectando catarrhum concitat: regio, locus, aer, & exercitium, si hæc (inquam) frigida, & humida extiterint, ad catarrhum excitandum plurimum prævalent. Hæc profectò omnia, vt externæ, ac præcedentes effectrices caussæ, variè, ac diuersè naturales cerebri virtutes afficientes, varios, ac diuersos etiam catarrhos promouent. Sexus autem, & ætas inter internas potius, quàm externas recensentur caussas. Sed hactenus de externis, ac euidentibus causisis ad abditas, ac internas properemus.

Intrinsecas capitis intemperies catarrhos facere. Cap. XVI.



NTERNAE autem destillationis caussæ, sunt malæ totius capitis intemperies: si enim pericraneum intemperatum, maleq; affectum fuerit, catarrhos quidem faciet, licet leues, & paucos; non enim multis abundat excrementis. Verùm proxima illi cutis, etsi multa excrementa generet, cùm tamen porosa sit, facile quidem à medicamentis discutitur, quibus obuia est. Si verò partes interiores afficiantur, multas destillationes generant, nec contemnendas ægritudines producunt. Harum itaque partium intemperies, tum simplices, tum compositæ, natiuas earundem virtutes inficientes, catarrhi sunt caussæ: afficitur nanque caput, & naturali, & præternaturali qualitatum omnium, tam simplicium, quàm compositarum intemperie, quæ innatas eius virtutes alterat, & infirmat. Huiusmodi profectò intemperies, siue primariò affectæ fuerint, siue alterius membri consensu, siue à natiuitate contractæ, siue ex tempore acquisitæ, siue purę immateriales, siue cum materiei pręsentia, naturales semper cerebri virtutes vitiant, & debilitant; à quibus catarrhi immediatè per se effluunt. Materiales tamen malæ cerebri intemperies sunt ipsis immaterialibus fortiores; nam præter id quòd maiores catarrhos efficiant, alias quàmplures etiam ęgritudines parturiũt. Internæ itaque materierum destillantium proximæ caussæ sunt naturalium cerebri virtutum debilitates à mala eiusdem temperatura productæ; à frigidiori nanque habitudine, concoctrix; ab humidiori retentrix; à calidiori expultrix vtplurimum vitiatur; licet immoderata quælibet discrasia virtutes omnes deijciat: nam concoctrix facultas, etsi à calore perficiatur, nihilominus ab excellenti intemperato calido corrumpitur.

Quomodo à frigida intemperie destillationes fiant: Cap. XVII.



ED ad frigidæ cerebri intemperiei incommoda declaranda accedamus. Hæc quidem intemperies concoctrices cerebri virtutes vbique debilitat; siue enim simplex frigida fuerit, siue cum sicco, aut humido coniuncta, innatas semper eius vires euertit. Iam enim supra enarrauimus, quòd frigoris proprium est naturalibus facultatibus contrariari, illasque adeo sopitas reddere, vt nulli functioni ex vsu esse possint. Si itaque in cerebro, aut in eius menyngis frigidam intemperiem contingat fieri; tunc statim concoctrices labefactantur virtutes; proinde malè, ac perperam humores concoquuntur, vnde pituitosa excrementa multiplicantur, quorum pondere, & praua qualitate expultrix irritata ad partes inferiores illa detrudit, ac fluxum facit. Huic incommodo adiungitur, quòd hæc intemperies vapores ad ipsam delatos non dissoluit, sed sua frigiditate in humores conuertit, ac deor-
Capite 11. ,, sum illos stillatim proijcit. Quamobrem benè Auic. quinta tertij dicebat: Frigida cerebri in-
,, temperies non digerit illud, quod peruenit ad ipsam de nutrimento, & non dissoluit quod ad
,, ipsam peruenit de vaporibus; conuertuntur enim superfluitates nutrimenti in aqueam naturam, sicuti conuertitur in alembico illud, quod ascendit ad ipsum de cucurbita; quare assidui
Cap. 24. sunt in ipso fluxus. Idem ferè Auer. tertio col. scripsit. Consimili profectò ratione tertio de symptomatum causis Galenus asserebat, talem fore habitudinem concoctricis cerebri ad catarrhũ, qualem esse habitudinem concoctricis ventriculi ad diarheam: nam sicut per ventriculi inconcoctionem fit diarhęa, sic per cerebri inconcoctionem fit destillatio. Concludimus deniq; ex horum omnium sententia, quòd frigida cerebri intemperies, & eius concoctricis facultatis imbecillitas pituitosa plurima gignunt excrementa, & ex inconcoctione, & ex vaporum con-

gelatorum aggregatione, quæ cùm deorſum truduntur, frigidas pariunt fluxiones, tum acidas, tum inſipidas, tum alijs frigidis differentijs præditas, de quibus infra. Hæc quidem omnia vehementius accidunt in frigido, atque humido cerebri temperamento; in quo non ſolum concoctrix à frigore læditur, ſed ab humido etiam ignaua, & hebes redditur. Verùm præter huius ignauiam, & debilitatem retentrix quoque facultas ab humido plurimum vitiatur. Retentrix enim virtus, vt ſicco multum innititur, ita humore multum offenditur. Humidum quidem (inquit Gal.) licet ad auctionem, & nutritionem accommodatum ſit, ad alias tamen functiones valde contrarium reperitur. His igitur virtutibus infirmis exiſtentibus, ac multo humore capite repleto, magnum admodum fieri defluxum neceſſarium eſt. Frigida quoque, & ſicca cerebri intemperatura hæc ipſa operari conſpicitur, ſicut in frigidis, & ſiccis ſenibus eſt videre, qui deſtillationibus, grauedinibusque quàmplurimum vexantur: hæc enim intemperies ambabus qualitatibus concoctrici virtuti ex oppoſito aduerſatur; concoctrix nempe facultas calido, humidoque conſiſtit: quare à frigida, & ſicca intemperie, vt à contrario, facile permutatur, & imminuitur. Hinc ex deprauata concoctione excrementa multa neceſſariò generantur; & ex vaporum etiam congerie in humidum reſoluta, ex quibus deinceps frigidæ emanant fluxiones. Hæc de fluxu à cauſſa interna frigida dicta ſufficiant: ad calidam accedamus.

Tertio de ſympt. cauſ. cap. 3.

Qua ratione intemperies calida catarrhum generet. Cap. XVIII.



CALIDA cerebri intemperies ſecundum ſui ſimilitudinem operans, calidos per ſe humores generat, & tenues, & acres, & amaros: qui vbi cerebri vias oppleuerint, expultricibus facultatibus infeſti fiunt, à quibus facile deorſum expelluntur; quoniã tenues, acres, amarique ſunt. Quantò enim humor tenuior eſt, tantò vt educatur aptior eſt, magisq; expultrici obſequitur, ſine impedimento anguſtos cerebri anfractus pertranſiens; & quò acrior, amariorq; extiterit, eò expultrici moleſtior redditur, ac ideo magis fortiter expellitur: generantur enim & in calidiori hepate frequentius biliosi bi ſucci; qui per cauæ venæ ſurculos ad iugulum, & caput tendentes, ſurſum ad cerebri ſubſtantiam repunt, ipſamq; vndique bilioſo madore perfundunt; quorum mordaci qualitate expultrix concitata, deorſum illos rurſus expellit, & fluxũ facit. Sic quippe calida cerebri, & hepatis intemperies bilioſos procreans humores deſtillationes per ſe cõciliat. Altero ab hoc prędicto modo calida capitis intemperies defluxum concitat, materiam à toto ad caput multam attrahens, quę poſtea & proprij põderis impulſu, & cerebri expultricis vi deorſum truditur, & fluxum parit. Pręeſt nanque caput toti, (refert Hipp.) ſicut medica cucurbita, vnde & tenues humores, & eorum omnium, quę ingeruntur, ſuperfluitates attrahit. Cùm verò præter naturam excalefactum fuerit, tunc id accenſi caloris vi fortius obtinebit. Si autem & cum calida mala intemperie dolor etiam complicabitur, multò quidem vehementius attractionem faciet, cùm duplicatæ attractionis cauſſæ aderunt, & dolor, & calor. Dolor enim (inquit Gal.) perpetuò trahit, ſicut & calor: & hac de cauſſa ſcripſit Auicenna: Et quando ſoda accidit, cum catarrho addit in eo cum attractione. Hæc de cerebri calida intemperie: ſupereſt humidam exponere.

Ad Demetrium Regẽ.

Secundo de diff. feb. c. 11. & 13 method. c. 8.

Vt cerebri humida intemperies deſtillationem generet. Cap. XIX.



HVMIDA autem cerebri intemperies catarrhum efficit, ſuo madore humores adaugens, ac capitis vias, per quas ille facile dilabi poſſit, aperiens; nam tametſi humiditatis vis in agendo debilis ſit, nihilominus ſuo contrario debitè appoſita, dummodo validior extiterit, perpetuò agendo operabitur. Humidum enim per ſe ſemper humectat, & humoribus incrementum addit: quoniam ſimile vbique ſuum ſimile fouet, & adauget. Cùm itaque immoderata humida capitis intemperies affuerit, tunc plurimos humores procreabit, ac vltra modum etiam vias dilatabit, per quas facillimè adauctus humor percurret. De hac quidem intemperie ſexto aphor. ſermonem faciens Gal. dixit: Eos igitur, qui ſunt humidiores, ſiue ſecundum cerebrum tantum, ſiue corpus vniuerſum, non contingit ſalubrem vitã omnis expertem noxæ traducere: verùm continuò deſtillationibus ex parua occaſione capiuntur; & ſi ſuperfluitas eius ad inferiora per palatum deſcendit, partes ſubiectæ offendentur, fauces, guttur, aſpera arteria, pulmo, gula, ventriculus: tuſſes itaque ipſis fieri, & difficiles anhelitus,

Aphor. 2.

litus, anginas, cruditates, & ventris proflunia est necessarium; nonnunquàm verò & difficultates intestinorum, quando quod destillat salsum quodammodo fuerit. Hæc Galenus. Si verò humidum cum calido coniunctum fuerit, ita quòd humida, & calida sit cerebri intemperies; tunc multò magis fluxioni obnoxia redditur: nam humidi ratione, vltra quòd excrementa eius gratia multa generentur, peruiæ eius viæ nimium ad fluxum efficientur. Iis eisdem molestiis calidi caussa caput grauabitur: nam præter quòd attrahendo calidum plurimum caput impleat, rarefaciendo quoque amplas, ac latas vias ad descensum parat. Sic igitur calida, ac humida cerebri intemperie laborantes, duabus inuicem fouentibus caussis ad catarrhum gignendum afficiuntur. Sed de his satis.

A sicca intemperie fluxiones per se non fieri. Cap. XX.

De sicca autem cerebri intemperatura non est quòd amplius dicamus; cùm nullas, seu paucas admodum superfluitates habeat, ex quibus fluxio fieri posit. Iam enim supra diximus, quòd siccum destillationis medela, & præsidium est nulla senus excitans caussa. Multi verò in vltimo senio siccitatem destillationis caussam faciunt: Nos autem & in illa ætate, sicut in reliquis, verius frigidum, quàm siccum, caussam destillationis censemus. Potest tamen cutis capitis sicca intemperies eiusdem poros recludens, quibus halituosi, & fumosi excernuntur vapores, per accidens destillationis caussa esse: cerebri enim fumosæ, & vaporosæ excretiones omnes, statim quòd occlusas cutis capitis vias offendunt, in humores vertuntur, qui per caluariam extra cadentes molestos defluxus per insolitas producunt vias: & hæc quidem cutanea sicca intemperies frequenter in senio est destillationis occasio; verùm (vt patet) hoc per accidens existit, non per se, destillationis caussa. Sed hæc de sicca intemperie dicta sufficiant.

Qua intemperiei magis apta sit ad catarrhi factionem. Cap. XXI.

Si quis verò curiosius quærat, quænam harum intemperierum ad catarrhum faciendum efficacior sit, calida an frigida, seu humida aut sicca; de humida breuiter respondemus, minimè ambigendum esse, quòd siccæ præualeat; quando illa per se destillationem efficiat, hæc autem ipsius sanatio, & curatio existit. De calida verò & frigida, simul cum doctissimis viris dicimus, quòd si nocumentum per essentiam fit in cerebro, & non per consensum aliunde sibi communicatum, tunc intemperies frigida longè efficacior existit, quoniam cerebri virtutes magis prosternit. Quòd si ab hepate, vel à ventriculo, vel ab vtero communicetur cerebro nocumentum ex transmissione humorum, vel vaporum, calida distemperantia habet in hoc maiorem vim, vtpote potior caussa commotionis, excitationis humorum, & vaporum ad caput ascendentium. Frigidum itaque virtutem debilitans maxima destillationis caussa asseritur: calor verò materiam plurimam capiti suggerens, & ipse quoque præcipua destillationis nominatur caussa. De connata autem intemperie sermonem faciens Auicenna, quærit, quænam innatarum intemperierum, calida an frigida, ad catarrhum proclinior sit, hisque verbis hanc quæstionem soluit. Et habentes complexionem calidam vehemētius sunt præparati ad recipiendum caussas extrinsecas facientes coryzam, quàm habentes complexiones frigidas, & humidas: & habentes complexiones calidas, in seipsis plus sunt securi ne accidat eis ex caussis corporeis, quàm habentes complexiones frigidas.

Quinta fen. tertij ca. 2.

Quòd principalium partium inæqualis temperies, & mala conformatio, catarrhi intrinseca caussa sunt. Cap. XXII.

At vltra cerebri, & eius menyngarum intemperies inter internas destillationis caussas mala corporis conformatio, & inæqualis principum partium temperies annumerantur, vtputa hepatis, cordis, seu vteri calida intemperies simul cum cerebri frigiditate coniuncta. Harum itaque partium dissimilis intemperies præcipua destillationis caussa assignatur: nam vapores ob subiectarum partium calorem continuato fluxu ad caput feruntur; vnde eius frigiditate densantur, & fluxum faciunt: & hac de caussa tertio de loc. aff. dicebat Gal. eos maxime plenitudini capitis esse subiectos, qui calidi hepatis sunt.

Ventriculi

Ventriculi quoq; imbecillitas inter has recensetur caussas, ex eo quòd tardè, & diminutè concoquit, & plurimam pituitam generat, cuius vapores perpetuò ad caput ascendunt per vias latas. Indecens autem corporis conformatio, sicuti est capitis paruitas cum magnitudine, aut mediocritate subiacentium partium, & ipsa destillationibus occasionem præbet: nam vapores ad caput eleuati ob eius paruitatem introcluduntur, & frigore cerebri innato incrassantur, & deorsum cadunt. Quod verò laxis, & latis suturis craneum consistit, ijs quæ ab externis excitantur caussis, fluxionibus expositum est; è contrario se habet, quod firmioris, ac densioris suturæ est craneum; quando iis defluxibus, quæ ab internis fiunt vaporibus, est obnoxium. Inter internas quoque effectrices catarrhi caussas, flatus qui intra cerebri riuulos includitur, ab
Hippocrate recensetur in lib. de Flatibus, dum ait: Cùm igitur venæ circa caput aere repletæ »
sunt; primum quidem caput ipsum propter flatus inclusos aggrauatur, deinde conuoluitur spi »
ritus cum sanguine propter angustiam viarum; tenuissimum autem ipsius sanguinis per venas »
excluditur, atque idipsum tenuissimum liquidum, cùm coaceruatur, per alios meatus fluit; & »
vbi tandem cumulatim progrediens constiterit, ibi constituitur & morbus. Si itaque ad ocu- »
los peruenerit &c. Stephanus autem Athenieusis tres omnis ad caput influxionis caussas facit, plenitudinem scilicet, febrim, & capitis infirmitatem: inquit enim, quoniam tres sunt caussæ fluxionum, quæ ad caput feruntur; multitudo in toto corpore contenta, febris calidior, succos in vapores dissoluens, & exhalationes ad caput mittens; capitis imbecillitas, siue in primo ortu genita, siue postea ex aliquo errore aduenerit, acquisititiaque sit. Has easdem nos ad inferiores partes defluxus internas caussas dicimus; nam quàmprimum fluor horum occasione caput attigerit, vt deorsum iterum descendat necesse est. Verùm satis de his (iudicio meo) disseruimus: nunc ad explicandas caussas singularum differentiarum accedendum.

Calidi catarrhi caussa. Cap. XXIII.



CALIDUM catarrhum dicimus, vbi calida destillat materia; frigidum verò, vbi frigida: pariter tenuem, crassum, & viscidum nominamus catarrhum, vbi tenuis, crassa, & viscida materia fluit. Calida autem, & frigida destillans materia, præterquàm quòd tactu tales appareant, gustu quoque multis saporum differentijs apprehenduntur. Nam acris, amara, & multa salsedine prædita materia, calidæ omnes valde sentiuntur: Acida verò, insipida, & modica salsedine, & dulcedine affecta, frigida iudicatur. Harum itaque singularum materierum fluentium caussas explicare, & primò calidarum, aggrediamur. Calidæ, acris, seu amaræ fluentis materiei efficiens caussa est calida mala cerebri intemperies, si per se à male affecto cerebro materia fluxerit: si secundariò, & alterius membri consensu, vtputa iecinoris, hoc contigerit, ipsius calida mala discrasia in caussa existimatur. Iam supra ostēdimus, quomodo biliosa calida intemperies, biliosos per se calidos humores producit, & nequaquàm pituitosos. At verò biliosorum succorum materialis caussa est sanguis ipse præter naturam calidus: sed acres ex calidiori, tenuiorique sanguinis portione; amari verò ex crassiori, terrestriorique eius parte nascuntur. Fit nanque acutus sapor à calido sicco subtili parum humidi aquei continentis: è contrario amarus oritur à calido sicco admodum terrestri; nec imus inficias amarum & à calido, & à frigido æquè generari; quando terrestris sicca amari complexio, *Auer. lib.* vt à calido resoluente, & adurente, gignitur; ita à frigido constipante, & astringente fit; qui ta- *5. colliget.* men in animante corpore amator reperitur, longè frequentius à calore, quàm à frigore producitur. *cap. 27.* Si verò defluens materia salita pituita extiterit, huius efficiens caussa (secundum Galeni sententiam) minimè intemperies erit, sed putridus, & feruidus calor insipidam pituitam adurens, ac ipsam soluens; seu serosus salitus humor eidem admistus pituitæ. Salsa itaque pituita apud ipsum efficitur, cùm calidi & humidi humores in capite, aut quauis alia parte supercreuerint, & præter naturam excalescant, seu putrescant; tunc ratione excalefactionis, & putredinis ebullitio quædam in humiditatibus fit; vnde adustiores, terrestrioresq; aliquæ earum partes redduntur, quæ postea vniuersæ immistæ substantiæ, salsuginem eidem toti impartiuntur; sic enim contingit pituitam salsam fieri. Salsi itaque humores certa salsedine præditi, & acuti, vnà cum amaris ab efficientibus, materialibusque calidis caussis semper efficiuntur, & calidarum fluxionum materiæ fiunt, à quibus calidi denominantur catarrhi. Qui quidem omnes, & salsi, & acuti, & amari succi, modo primario, & (vt aiunt) per essentiam in capite consistunt; (dum essentialiter ibidem à mala cerebri intemperie, & proportionata eorundem materia geniti fuerint) modo secundario, hepatis scilicet consensu ibidem collecti cernuntur; nam dum humores isti ab hepate (succorum omnium prima origine) vi proprij caloris, & materiei habitudine fuerint orti, tunc hi per cauam venam, per diaphragma, & medias thoracis regio-

nes, per sublime semper ad claues, & iugula tendunt, ad caput tandem, & cerebrum pertingunt, vbi calidi defluxus materiæ efficiuntur; nec quidem humores solum, sed & fumi, & vapores quàmplurimi eadem ferè cum humoribus natura præditi ab hepate cerebro transmittuntur, & communicantur.

Frigida destillatio qua sit, & quæ illius caussa. Cap. XXIIII.

FRIGIDVS autem catarrhus nominatur, cùm frigida destillat materia; hæc quidem præter tactum, gustu quoque multis saporum differentiis percipitur. Nam acidi, & insipidi succi, (vt diximus) & pauca dulcedine, & salsedine affecti huiusmodi omnes frigidi existimantur. Horum itaque fluentium frigidorum succorum caussas explicare contendimus. Frigidam enim cerebri intemperiem (cùm concoquentes virtutes ipsa debilitet) acidæ, insipidæ, ac modicè dulcis pituitæ per se constituentem caussam esse prædicamus. Aciditatis verò caussam facimus, aut diminutum generatricis facultatis calorem, diminutè, & imperfectè siccum terrenum cum humido aqueo in humoris generatione commiscentem; aut eiusdem geniti succi imminutam connatam caliditatem impotentem temperatam sic ei cum humido mistionem in propria seruare substantia. Acidus nanque sapor à calore fit diminuto, idest qui non planè concoxit, & commiscuit humidum aqueum cum terrestri sicco; vel qui propterea diminutus est, quòd ex misto illo corpore exhalauit pars calida purior, seu mitior. Hac certè de caussa flaua bilis acida euadit: dum enim feruescit, proprius calor exhalat; quare arescit, & in atram conuertitur bilem. Pituita verò acida fit à frigida intemperie, & concoctricis facultatis imbecillitate diminutè concoquentis, & imperfectè humidum aqueum cum sicco terrestri permiscentis. De hac quidem acidæ pituitæ specie tertio aphorismorũ Galenus sermonem habuit, dum dixit: Quæ enim à forti fit frigiditate, acida euadit; quæ à caliditate, replent caput, salsa; sicuti & quæ à pauca fit frigiditate, vel paucam habet dulcedinẽ, vel nullam manifestam qualitatem. Fortis enim, & multa cerebri frigiditas (inquit Galenus) concoctrices debilitans viriutes, debiliter & imperfectè alimentum concoquentes, acidam producit pituitam, interdum & actu frigidam, sicut huiusmodi ab ægrotantibus descendere multoties percipitur, quæ factricem caussam valdè frigidam ostendit. Parua verò, ac imbecillis cerebri frigiditas, parum extra naturam ad frigidam intemperiem alterat, vnde cerebri concoctrices in eodem ferè robore seruantur; quæ naturalem procreant pituitam, tum insipidam, tum modica dulcedine præditam. Salsa autem pituita (addit ipse) à caliditate caput repleute proficiscitur; hæc quidem vbi in capitis humoribus accensa fuerit, caput vberiori succorum copia replet, ac ipsos adurit, & salitos facit; & si maximè adurens fuerit, maximè salsos, & calidos faciet; si modicè, modicè quoque calidos, & salsos reddet. Modica enim dulcedine, seu salsedine affecta pituita frigida existimatur, quoniam frigida à tota substantia existit, & frigus in ipsa secundum naturam præualet, nec patitur à paruo conuinci calore. Quòd verò Galenus dicit, pituitam dulcem, aut saporis expertem, à pauca fieri frigiditate, intelligit naturalem, vel parum naturam excedentem, respectu inquam acidæ, quæ à validiori, & quod præter naturam est, efficitur frigore. Acidi itaque, insipidi, & pauca dulcedine, & salsedine præditi humores frigidi sunt à frigidis geniti caussis: quę verò destillans materia non ad aliquid horum extremorum ad calidum, & frigidum notabiliter declinat, ex his extremis composita est; idcirco nihil in præsentia refert ipsorum caussas recensere, cùm ex dictis fit manifesta. Cuncta autem hæc prædicta ferè semper contingunt, quòd vtplurimum calida à calidis, & frigida à frigidis, & mista à mistis proficiscantur caussis. Attamen euenit aliquando, vt calidi catarrhi à caussa procreantur frigida, & è contra frigidi à calida: cùm nanque caput calidis humoribus refertum fuerit, frigus verò superueniens, humores in cerebro residentes constringens, perinde atque manus spongiam imbutam aqua, earundem calidum defluxum in partes subiectas promouet. Si autẽ contingat, quòd non calidis, sed frigidis, & congelatis humoribus cerebrum repletum fit, & capite aperto quis sese statim ambienti calido, aut Soli ardenti exposuerit; tunc calor ambiens, & Solis ardor concretos cerebri humores dissoluens, frigidam parit destillationem, procreanti caussæ prorsus dissimilem. Huiusmodi nempe complicati catarrhi statim terminantur, & ferè semper à procatarcticis excitantur caussis. Neque enim rationi consonum est, vt permanens frigida cerebri intemperies calidos producat humores; nec è contra calida frigidos: in his enim à mala cerebri intemperie factis catarrhis, necessariò semper, & materia defluens, & capitis intemperies inuicem similantur, & eandem seruant discrasiam. Et hi vtplurimum longæui, & diutini sunt; contra breui finiuntur, qui dissimilem habent discrasiam, & à procatarcticis facti

sunt

Aphor. 12.

sunt caussis. Multoties quoque catarrhi diuersam à suis principijs intemperiem obtinentes producuntur, vt sunt qui fiunt ab alicuius principis partis consensu; nam hi in longum tempus extenduntur. In dies enim cernimus, diutissimè tum acrem, tum salsam materiam hepatis consortio à mala frigida cerebri intemperie destillare. At de his hactenus.

Fœtidi catarrhi caussæ. Cap. XXV.



OETIDA verò destillatio à corrupta, & putrida prouenit materia, ac putridum calorem ostendit: putrescunt quidem in cerebro, sicut & in quauis alia corporis parte, humores, cùm non satis ob conculcatam multitudinem difflari possunt; tum ob alias etiam putredinis caussas: ex ipsa nanque putrida coogerie materia fluens fœtidum producit catarrhum. Quòd verò in cerebro putrescant humores, uooo de vsu partium declarat Galenus, dicens: Vnde postea in cerebro collecta excrementa putrescunt tandem, ac sic acriora simul, & calidiora reddita, inflammationes, erisipelata, herpetas, carbunculos, febres, innumerabilemque aliorum morborum turbam exsuscitant: quare magnam semper curam natura adhibuit, vt excernerentur superflua.

Mordacis fluxionis caussæ. Cap. XXVI.



RIGIDI, & calidi succi mordaces existunt: hinc destillatio acrix, & mordax vtranque qualitatem potest participare. Mordacitas enim (scribit Gal.) à tactu propriè, & non à gustu sentitur; tribusq; saporibus communis dicitur, acido, amaro, & acri: verùm acido vt frigido, simulatque subtili; amaro verò, & acri vt calidis; communis, nempe passio & calidi, & frigidi immoderatius aucti, est mordicatio. Frigidum enim diuellendo, mollemq; substantiam in arctum contrahendo, ac breuiter continuitatem per diuulsionem soluendo, molestum, & mordax est: calidum verò mordax efficitur dissoluens, liquans, distrahensq; substantiam. Quare non eadem vtriusque qualitas est, tum ijs quæ frigore mordicant, tum ijs quæ calore: In illis enim protinus & contractionis, condensationisq; sensus percipitur, in ijs fusionis, & dissolutionis, quin nec par est vtriusque affectus celeritas. Verùm in refrigerantibus quodammodo tardior est mordacitas: at in excalefacientibus celerrimè penetrat. Hæc quidem à calido effecta mordicatio, si fortius intendatur, exulcerat, & excoriationem facit. Quamobrem de ipso acri ita Gal. loquitur: Acres enim sapores primùm exactè esse calidos dicimus, deinde exedentes, vrentes, crustam molientes, & colliquantes, si vel ipsi cuti imponãtur. Amborum itaque istorum mordacium fluentium humorum caussas constituimus; frigidorum frigidam congelantem intemperiem, calidorum calidam adurentem; in capite si per essentiam; in hepate & ventriculo, si per horum consensum destillatio fuerit.

Quarto de simpl. med. facult. 16.

Eodem citato libro.

Quarto de simpl. med. facult. 18.

Quid sit catarrhus crassus, viscidus, tenuis, ac mediocris, horumq; omnium caussæ. Cap. XXVII.



MODÒ ad tenuem, crassum, mediocrem, & viscidum, aliasq; catarrhi particulares differẽtias exponendas accedamus: priusq; quidnam horum singulum sit, docebimus; mox eorundem explicabimus caussas. Quæ enim celeriter in tenuia comminuuntur, (quarto de simpl. med. facult. refert Gal.) tenuium appellantur partium; quæ verò id perpeti nequeunt, crassarum. Postea exemplificat, dicens: Tenuiarum itaque partium aer est, crassiarum terra, medium eorum tenet aqua; tenue quidem est (inquit Gal.) quod celeriter ob eius minimam resistentiam, in tenuia dissoluitur, ac facilè (vt ita dicam) alieno termina tur termino; veluti sunt aer, & aqua; quæ ob materiei raritatem modicè resistunt: quare facillimè partitionem ad minima suscipiunt, ac citò alieno finiuntur termino. Sed quoniam aer ex propria natura magis hoc assequitur, quàm aqua; ideo tenuior existimatur. Aer nanque ad sensum rarior aqua existit, magisq; funditur, & fluit; proinde aerem aqua rariorem, tenuiorem q; dicunt: tenue igitur apud Galenum erit, quod celerrimè sectionem, terminationemque recipit. Huius verò per se caussa humidum est, quod ob propriæ materiei raritatem paucæ resistentiæ existit, & facilè alieno perfinitur termino. Quantò igitur rei humidior fuerit, tantò quidem tenuior dicitur esse, & sectioni, comminutioniq; promptior, ac paratior. Tenuitatis itaque prima, ac per se immediata caussa humiditas asseritur; quæ sicuti cum calore, & frigore indifferenter coniungitur; ita & tenuitas cum his vtrique æquè sociatur. Humidam itaq; cerebri intempe-

Cap. 2.

temperiem tenuium fluxionum per se primò caussam dicimus. Crassum autem cōtrario modo sese habet; nam difficulter in minima partitur: est quidem crassum multę resistentiæ, quoniam concretum, vnitumq; existit; virtus enim vnita, potentior est seipsa dispersa, quare fortius dissoluenti resistit. Crassiarum autem partium Galenus terram nuncupat, quòd summè sicca sit: siccitati nanque suapte natura conuenit, vt constipet, ac denset corpus illud, in quo primò, ac per se inest: maximè enim densa, & constipata est terra; hæc quidem constipatio à Philosophis crassities quoque nominatur: quamobrem rectè & densa, & crassa nuncupetur terra: pariter & atra bilis, cùm terrea sit, crassa, & densa à Medicis dicitur. Huius verò densitatis, ac crassitiei prima caussa siccitas est. Densitas itaque omnis, & crassities exsiccatione quadam efficitur; sicuti contra, liquefactio, & tenuitas per humectationem producitur. Siccæ itaque capitis intemperiei primò competit crassescere, & constipare, mox hoc idipsum munus & calidæ, & frigidæ æquè conuenit. Calor nempe fluidum humidum adurens, & in vaporem resoluens, densiorem, & crassiorem materiam reddit; frigidum verò hoc etiam efficit, humidum aqueum condensans, & in vnum cogens, partesque terrestriores simul congregans. Hac enim ratione

Cap. 7. » secundo prædictionum dicebat Galenus: Quineriam syncerus humor crassior redditur; pitui

» tosus nempe propter frigiditatem quasi concretus, biliosus verò propter caloris exuperantiam

» euaporatus, & tanquàm assatus: hæ enim duæ caussæ contrariæ crassitudinis sunt, calidum ad-

» modum, ac frigidum: calidum enim euaporat, & frigidum adstringit. Hucusque Galenus, quibus apertè ostendit, quemadmodum præter siccitatem, tum calor, tum frigus crassitiem faciũt. Crassior igitur materia defluens, si à frigore fuerit, frigida; si à calido, calida nominatur fluxio. Hæc autem humorum crassities non vniformis reperitur: nam aliqua est cum lentore, & tenacitate; alia verò minimè lenta, & tenax: tenax autem, & viscidus humor, vltra crassitiem, tenacitatem, & duritiem quandam obtinet; vnde extensionem recipit, nec absciuditur, dum extenditur. Duplici quidem ratione expulsioni contumax est viscidus humor, crassitie scilicet, & visciditate: crassitie, peruios obturans meatus, per quos egredi debet visciditate, vasorum parietibus tenaciter inhærens, vnde vlterius progredi negatur: fit nanque viscidus humor ex glutinosis, & viscidis cibis ingestis, & ab infirmo, ac imbecilli calore non plenè concoquente, ac permiscente humidum aqueum cum sicco terrestri. Ab humido itaque aqueo viscida pituita extensionem, duritiem verò, & resistentiam à terrestri recipit sicco. Tripartitò itaque in corpore, sicuti in terra, succi gignuntur, crassi scilicet, tenues, & glutinosi: qui verò inter hos medij existunt, mediam quoque horum naturam redolent.

De principijs Colorum. Cap. XXVIII.

HACTENVS de subtili, crassa, & glutinosa fluentis humoris substentia: superest coloratorum humorum fluentium caussas exponere; rufli scilicet, albi, subpallidi, liuidi, fusci, ac nigri. Neque enim colorum caussas in vniuersum explicabimus, ne nimis in longum protrahatur oratio; sed breues, ac ipsas claras illorum tantùm rationes afferemus; vt primorum simplicium corporum coloratorum natales, quibus ferè cuncta in animantibus colorantur, omnibus innotescant. Sanguis verò, pituita, flaua, & atra bilis, etsi simplicia, fluidaque corpora sint, terminata tamen, & permista re vera corpore sunt; quando ex primis quatuor constant elementis, ac terræ commistione terminationem quandam consequantur. Horum autem vnusquisque peculiarem colorem habet: Sanguis rubeum, Pituita album, Bilis flauum, melancolia atrum retinent, & conseruant; quemedmodum à principio ex tali, & tanto lumine, & tali, & tanta perspicuorum, & opacorum corporum ad se inuicem commistione illos suscepisse creduntur. Sunt itaque colorati corporis omnis tria constituentia principia; Lumen scilicet, Perspicuitas, & Opacites: Quæ tria nimirum ad omnea colorum concurrunt species faciendas. Lumen enim vt actus in coloris formatione se habet: Perspicuum vt potentia: Opacitas verò vt per accidens principium; necessarium tamen, sine quo quicquam colorari non potest. Sicut enim priuatio materiei assecla per accidens ad formæ productionem se habet, ita & opacitas diaphaneitatis comes, per accidens ad coloris formationem se gerit. Ex lumine igitur diaphano, & opaco colorata corpora omnia, vti à proprijs figurantur principijs. Hæc nempe coloris principia apertè Author de coloribus nos docuit,

» dum inquit: Ad veritatem autem, certasque similitudines deprehendendas oportet habere co

» gnitas, ac perspectas procreationes, & colorum ipsorum natales. Atqui horum caussam optima

» rem dicimus, lucem Solis, lucem ignis, aerem præterea, & aquam: nam hæc plus, aut minus con

» temperata, omnes (vt ita dicam) colores perficiunt. Hęc ille. Subticuit autem Author iste opa

Tex. cō. 67. cum, tanquàm quid necessarium, aeris, & aquæ diaphaneitatem concomitans. Auerroes autem

secundo

secundo de anima tria hæc ipsa apertè explicat, dum dicit, Coloris vniuersalis caussa est lux, & „ conspicuitas, vnà cum terrestri opaco. Sed ad horum claram notitiam, quid opacum, & per- „ spicuum, lumenque sit, prius exponemus.

De Opacitate: Cap. XXIX.



PACITAS priuatiuè lumini opponitur: vt enim lumen diaphanum vbique illuminat, & collustrat; ita opacitas eundem obumbrat, & obtenebrat. Fit autem deficiente lumine, vt Author de coloribus refert. Ipsa quidem luminis priuationem duobus insequitur modis; aut simpliciter eius absentiam, & carentiam, vt dum in peruio, ac interminato diaphano lumen obit, aut aliunde abit; aut intermedij defectu, corporis (inquam) densioris, ac solidioris, lumen eijcientis, ac repellentis. Nos autem opacitatem hic intelligimus obscuritatem, & tenebrositatem, quæ luminis priuationem insequitur ob densioris corporis partium crassitiem lumen non admittentis, sed repellentis. Hæc quidem obscuritas luminis est priuatio: at non simpliciter; nam præter luminis priuationem, corporis affectionem etiam dicit, quæ luci aduenienti repugnat, & refragatur. Etsi enim ad variam coloris formationem cooperatur, non propterea vt per se principium, neque vt forma, neque vt materia, sed per accidens tantùm. Non vt forma, quoniam opacitas verior priuatio, quàm forma dicitur. Nullus nempe in ea actus cernitur, per quem forma dici posit id, quod apprehensionis modus ostendit: ideo enim obscuritas visu apprehenditur, quoniam visum non mouet, non autem quia sui specie visum afficiat: neque vt materia, quia contrarium contrarium destruit, non recipit. Opacitas enim lumini opposita est; quare ipsum potius tollit, quàm recipiat: ac eadem de caussa non licet dicere, quòd colorem recipiat, quando ei, æquè ac lumini, aduersetur. Præterea sermo est de principijs; color principiatum, & non principium est: sequitur igitur, vt per accidens tantùm coloris formandi principium sit, pro quanto diaphano accidit: at ipsum vario modo, aut amplè scilicet, aut exiguè, aut intensius, aut remissius in luminis receptione concomitatur. Neque enim diaphanum lumen vnquàm reciperet, nisi ei opacum assisteret, quod illo priuaret; si illum nanque reneret, neutiquàm ipsum assumeret; ex eo quippe sumit, quod priuatum est. Hoc autem ab opaci affinitate diaphanum assequitur. Quod verò sine opaco est diaphanum, aut clarum, aut lucidum inuenitur, vt ignis, & splendentia sydera; aut colore formatum, sicut terminata cuncta perspicua. Ab opaco igitur terrestri, vt à non colorato, sed apto colorari, atque aduenienti luci locum daturo, color fit, & proficiscitur.

Secundo de anima text. com. 70. 71

De Diaphano. Cap. XXX.



IAPHANVM grecè, perspicuum latinè, & transparens corpus dicitur, luminis, colorisque susceptiuum. Natura enim quædam corporibus omnibus, & sublunaribus, & cœlestibus communibus inuenitur perspicuitas dicta, per quam perspicua dicuntur corpora, quæ natura non vniformiter omnibus inesse percipitur; quorundam enim horum perspicuitati lumen, colorùe comes existit; quorundam opacitas cum pro pensione ad lumen, coloresq; omnes recipiendos. Ignis enim & cœlestia sydera præter id quòd sunt perspicua, luminosa etiam cernuntur. Hæc maximeab Alex. perspicua dicuntur, quoniã omnia collustrant, & cæteris in caussa sunt, vt apparere possunt; mista autem, & composita corpora colorata appellantur perspicua; nam cum perspicuitate indutum semper colorem habent. Aer verò, aqua, & terra, comite opacitate, perspicua & ipsa sunt cum naturali potentia ad lumen, coloresque omnes suscipiendos. Hæc profectò perspicuitas vbique in mistis corporibus colorum receptaculum nominatur, cùm apta nata sit colores suscipere; & de hac quidem, & de opacitate pariter dicimus, quòd non omnibus his corporibus æqualiter inest, sed quibusdam magis, quibusdam minus. Aeri enim maxima inesse perspicuitas cernitur, & minima opacitas. Aquæ verò minor perspicuitas, & maior opacitas; Terræ autem minima omnium perspicuitatis natura inest, & illa in superficie tantùm; at opacitas summopere inesse dignoscitur. Quæ autem multum perspicua corpora existunt, cum modica opacitate luminosis corporibus propinqua sunt, & ab eis facillimè illustrantur, & albescunt: quæ verò contra, multum opaca sunt, & parum conspicua, à lucidis corporibus longinqua existunt, & difficulter illuminantur, & nigrorem naturaliter induunt. Item aiunt, corpus esse perspicuum, aut per se totum, aut in extremo: si per se totum transparet, dicitur perspicuum interminatum, sicut aqua, & aer: si in extremo tantùm apparet, vocatur perspicuum terminatum, sicut mistum, & compositum omne

Alex. 2. de ani. text. 39
Secundo de anima 68. lib. de sen. & sensi.
Alex. 1. de anim c. quæ sunt per se sensibilia, et quæ per accidens.
Nullũ esse corpus omnino perspicuitatis expers, lect. antiquar. lib. 9. cap. 2.
Alex. lib. 1 quæst. natural. cap. 2.

corpus. Interminatum perſpicuum eſt, quod per ſe totum, & in ſe toto, tanquàm propriam for-
mam lumen recipit, quod ob ſui raritatem continere non valet; nam ſi retinere poſſet, ſemper
ſplendidum eſſet, & clarum: non igitur vt ſubſtantialem actum ei præbentem eſſe illud recipit,
ſed vt aſsiſtentem formam, qua ipſum conſpicuum redditur viſibile. Propria etiam natura in-
terminatum perſpicuum abſcolor eſt (inquit Philoſophus:) nam cũ aliorum colorum ſit ſuſce-
ptiuum, & miniſtratorium, nullum ipſorum paſsiuè recipit; & ſi aliqui in peruio diaphano
Alex. 1. de anima capite citato. cernuntur colores, non veri, ſed inſtabiles ſunt, & qui alij propè, alij longè appareant. Termi-
natum autem perſpicuum eſt compoſitum corpus, ſolidum, ac denſum, certis ac firmis colori-
bus præditum: hæc enim perſpicuitas vbique colore formata conſpicitur. Hac quippe ratione
„ dicit Alexander: Perſpicuitas verò, quæ in ſolidis, & duris corporibus reperta eſt, intraneum,
„ atque immiſtum colorem habet. Idcirco nequaquàm accidit, vt nonnunquàm colorem ha-
„ beat, nonnunquàm colore careat; ſicut perſpicuis, quæ interminabilia ſunt, euenire ſolet, vt
„ interdum lumen habeant, interdum non habeant. Cæterum eorum quæ hoc pacto perſpicua
„ ſunt, alia plus, alia minus perſpicua eſſe animaduertimus; quod ex quantitate miſtionis eius
„ corporis accidit, quod vnum minime omnium perſpicuum eſt, id autem eſt terra, quæ eo-
„ rum quibus immiſcetur perſpicuitati impedimento eſt. Hæc Alexander. Iſta verò perſpicui-
tas, quæ in ſolidis corporibus inuenitur, cùm in naturali potentia ſit ad colores omnes ſuſci-
piendos, eorundem ſubiectum, & materiale principium dicitur. Neque veram materiam
facimus, ſed ſecundum proportionem, & analogiam tantum: ſicut enim in reliquorum ac-
cidentium generatione ſuum ſubiectum, & materiale principium ſecundum ſimilitudinem
datur, ita & in coloris productione: vt enim quippiam ſit alicui formæ ſubiectum, non ſatis
eſt eſſe ſubſtantiam; verùm neceſſe eſt habere talem potentiam ad illam formam ſumendam,
vtpura in caſu noſtro, ſubiectum coloris eſt colorabile: atque hæc facultas, poſſe ſcilicet co-
lorari, à Peripateticis nominatur perſpicuitas; & hæc colorum ſubiectum, & materia dici-
Eodem libr. & capite. tur: quod quidem & Alexander confirmat, dum ait: Cùm enim corpus omne colorem ſu-
ſcipere natum ſit, plus minusque eius naturæ particeps eſt, quam perſpicuitatem appella-
mus. Hæc enim continens materia colorum eſt: neceſſarium eſt enim vbi color adfuerit, ſu-
ſceptricem quoque coloris materiam eſſe. Cùm verò hæc adeo manifeſta ſint, vt non indi-
geant longiori declaratione, de iſtis nihil aliud diſputabimus.

De Lumine. *Cap. XXXI.*



Eodem citato loco. LVCEM autem fieri dicit Alexander per habitum earum rerum, quæ illuſtrare poſ-
ſunt ad ea, quæ colluſtrari nata ſunt: hanc autem à lumine multi diſtinguunt; di-
centes lucem lucidi corporis per ſe affectionem eſſe, quæ circuncirca ipſum re-
fulget: lumen verò lucis imaginem, ac ſimilitudinem eſſe, extra ſcilicet diffuſam,
& propagatam. Nos autem hæc confundimus, cùm re idem ſint, ne vocum multitudine
lectorem confundamus. Dicimus igitur lumen duobus conſiderari modis, vno modo ſe-
cundum quòd defluit, & emicat à luminoſo corpore, vtpura à Sole, aut ab igne; ſic quippe
luminoſi corporis nominatur affectio, ſiue perfectio. Alio modo in lucida ſui natura ſimpli-
citer conſideratur, prout illuminat, coloratque perſpicua corpora omnia; & ſic actus, & co-
Secundo de anima text. com. 69. & 70. lor perſpicui appellatur actus interminati diaphani, color verò terminati perſpicui. Lumen
enim, dum peruium, & interminatum diaphanum vndique colluſtrat, illius forma, & actus
nominatur, qui ab illo ſeparabilis eſt, & ſicut aſsiſtens ipſum perficit, luminoſum, & viſile
reddens. In terminato autem, & finito diaphano ſecus profectò lumen operatur, dum illi
commiſcetur, & temperatur; ipſum nanque inſeparabiliter perficit, ſuoque lumine proprium
format colorem: vnde & terminati diaphani color dicitur. Coloris enim forma à luminis forma
in perſpicuo opaco immerſa proficiſcitur. Dum enim diaphano opacitati iuncto commiſce-
tur, imperficitur, & in deteriorem permutatur formam, quæ color dicitur. Etſi enim lux co-
lori naturam formamque elargiatur, non propterea idem cum colore exiſtit; coloris enim na-
tura alia eſt à natura luminis, & licet originem formamque habeat à lumine, degenerat ta-
men à luminis ſpecie, in ſpeciem lumine inferiorem, & imperfectiorem. Quoniam igitur tria
hæc coloris principia in miſtis cunctis corporibus reperiuntur, idcirco vniuerſaliter miſta cor-
pora omnia ab interiori colorari cenſentur. Quòd verò colorum principia compoſitis cunctis
corporibus inſint, inde liquidò patet, quòd omnia miſta ex quatuor compoſita ſunt elementis;
quorum de numero ignis eſt luminoſus, aer verò, aqua, & terra, perſpicua ſimul, & opaca, licet
ſecundum magis, & minus huiuſmodi dicantur. Cùm itaque quatuor elementa coloris prin-
cipia in ſemetipſis includentia miſtis corporibus communiter inſint; meritò igitur hæc
ipſa

. G

ipsa mista corpora ab interiori colorati, & proprij coloris caussas in seipsis retinere dicuntur. Nunc istis vt fundamentis declaratis, quomodo fiat color exponamus.

Quomodo Color generetur. Cap. XXXII.



As non est dicere colorem simpliciter, vt à subiecto seiunctus est, effici, & formari: quoniam compositum, & non forma, neque accidens apud Peripateticos generatur. Color enim (inquit Alex.) è numero illorum entium existit, quæ in alijs nata sunt esse, quæ minime fiunt, sed à subiecto fluere dicuntur. A perspicuo itaque subiecto lucido contemperato corpori color emicat, & emanat, sicut & reliqua accidentia omnia à suis subiectis emanare visuntur. Terminata autem perspicua ipsa sunt, quæ actu colorata fiunt; nam cùm lucidum corpus terminato diaphano opacitati iuncto commiscetur, suo lumine naturaliter illud perficit, & colorat: sic vtique terminatum diaphanum colore ornatur, & actu coloratum fieri dicitur. Quòd autem terminata corpora colorata fiunt, ex luminis, & diaphani temperie mutua id assequuntur: quòd verò proprios, & certos colores retineant, à terra id habent. Hæc nanque fluidis permista elementis, firmitatem, & constantiam eis impartitur; eiusque virtute mista corpora colorem retinent, & conseruant; id quod alia elementa præstare non possunt, cùm fluxibilia, & interminata proprio termino sint. Est igitur terra in caussa sua constantia, quòd terminata corpora certum sibi retineant colorem: & quoniam exteriores terræ partes sui crassitudine, & opacitate internis obstant partibus; (obumbrant enim illas, neque lumē ad eas penetrare sinunt) hinc euenit, quòd colores in profundo misti corporis clausi videri prohibentur. Etsi enim terminata, & solida corpora per totum ex lucido, diaphano, & opaco sint permista, & vndique æqualiter, & in imo, & in superficie colores ex ijs principijs formantur; nihilominus nullibi hi actu cernuntur, nisi in superficie, & corporis termino. Cuncta quidem solida corpora à visu per suas extremitates aspiciuntur; quæ verò in imo colorata sunt, nunquàm visuntur, nisi per crassarum partium, medij illuminationem prohibentium, remotionem, ac ideo potentia visibilia dicuntur. Aristoteles autem visibilium colorum finitionē tradens, hos solummodo, qui in corporis extremo sunt constituti, definit, quando hi soli sunt, qui actu visuntur, ac ideo bene dixit: Color est extremitas perspicui in corpore terminato. Terminati perspicui extremitatem hic visilem colorem Philosophus nuncupat, pro eo quòd in corporis extremo aspectui accommodato ille locatus est. Sola quidem perspicuitas, quæ in terminati corporis termino consistit, colorem recipit, qui actu semper visilis est, medio illuminato existente. Nullum enim prohibens obstaculum adest, dum medium est illuminatum, quin videri posit. Quamobrem & benè exposuit Alex. Idcirco inest, inhæretque superficiei color, in qua omnis apparentia colorum est: sola quippe corporis extremitas apparens, & manifesta est. Itidem quoque color idem est, quod apparet, & manifestum est: qua parte enim visiles colores sunt, eadem coloratum quidpiam esse dicimus; in extremo autem, & superficie visiles sunt; quò fit, vt color terminabilis perspicui, qua perspicuum est, terminus iure dicatur. Hactenus ipse. Perspicuitas itaque, quæ in determinati corporis superficie reperitur, dum lumini miscetur, perficitur, & colore formatur. Huiusmodi nempe perfectio, & actus, & terminus, & extremitas à Philosopho, & Alexandro nominatur. Idem profectò ac si dixisset: Color est forma perspicui in extremo terminati corporis: & hæc res ipsa est, quæ interminatum diaphanum actu mouet, & visum immutat. Qui verò in profundo absconditus est color, secundum actum mouere diaphanum non potest, nec visum immutare, cùm crassities, & densitas terrestrium partium lumen non admittentium id prohibeat. Sic vtique color, vt actu & diaphani, & visus est motiuus, à Philosopho definitur.

Lib. de sensu, & sensi.

Primo de anima ca. quæ sunt per se sensibilia.

De extremarum specierum coloris productione. Cap. XXXIII.



Ic quidem color prima sui diuisione in duas primas species partitur, album (inquam) & nigrum: & hæ extremæ, & contrariæ species colorum dicuntur, quibus affines sunt flauum & fuscum; flauum scilicet albo, & fuscum nigro: album nanque in colorum genere se habet vt habitus; nigrum vt priuatio: ideo cùm lumen sit forma coloris, à quo scilicet coloris natura per degenerationem quandam descendit, in albo est plurimum luminis, pertinetque album ad lumen. In nigro exiguum luminis est, plurimumq; opaci, pertinetq; nigrum ad tenebras. Neq; dicendum in nigro colore nihil luminis inesse, quoniā verum non est: nam in nigro aliquid luminis adesse summa est necessitas; siquidē

Decimo metha. text. 7. & 2. Phys. text. 25.

color non esset; sine lumine enim color non fit, nec contingit aliquid colorari: id quod infecto res lanarum maximè ostendunt, dum ex glasto tincturam conficere student; ij nunquàm illam absoluunt, nisi glasti infusioni opportunè commiscuerint fœcum adustarum cinerem, quam magistram vocant: hæc enim lumine pollet; quod tincturæ iustè impartiens, illam perficit, & colorat. Intelligimus igitur nigredinem in mistis fieri, non per omnimodam luminis absentiā, sed propter exiguam illius quantitatem: in illius enim mistis, quæ nigra sunt, minimum inter omnes colores luminis esse censetur: sicut è contra in albis mistis plurimum luminis inter reliquos colores iure esse perhibetur. Fit itaque albus color, cùm summa, multaque lux intenso perspicuo, exiguæ, & debili opacitati iuncto, commiscetur. Per claræ enim lucis commistionē cum summo perspicuo terminato remissam opacitatem tenenti exoritur albedo; è contrario color ater fit, cùm modica, & imbecillis lux remisso diaphano multæ, ac intensę opacitati iuncto, commiscetur. Per exigui itaque, & debilis lucis commistionem cum terminato remisso diaphano, multam, ac illam intensam opacitatem vndique habenti, nigredo nascitur. Hac profectò ratione, dixit Auer. *Lib. de sensu, & sensi.* Aer igni commistus claro colorem efficit album; densus autem, & turbidus ignis terræ commistus, atrum nimirum producit colorem. Diaphaneitatis itaque natura multipliciter, & variè cum terrestri opacitate coniuncta, ac diuersimodè à lumine illustrata, & colorata, diuersitatis formationis coloris in albore, & nigrore, & in reliquis medijs coloribus omnibus caussa existit. *Pri. de anima c. quæ sunt per se sensibilia, et quæ per accidens.* Cuncta hæc omnia coloris formationis discrimina Alexander descripsit, dum ait: Enimuerò color in omni perspicuo fit lucis cuiuspiam aduentu: huiusmodi autem se habet ignis, siue extrinsecus sit, siue immistus; differentia verò plus minusùe perspicui exilior, vberiorùe mistio eius, quod collustrare natum est, discrimina colorum efficit: album enim, & luminosum apparet, vbi purius perspicuum, & plus lucis est; minus autem, & remissius est id, quod ad nigrum decliuat; hactenus enim ibi perspicuum esse dignoscitur. Illud idem inferius repetit, dum inquit: Atque hæc profectò natura perspicuis terminabilibus insita, atque immista alijs exuberantius, alijs exilius colorum generationis, & discriminis caussa existimanda est. Hæc igitur tria, lux, diaphanum, & terrestre opacum, omnium tum extremorum, tum mediorum principia colorum constituimus; quando ex horum inuicem compositione æquè medij, sicut extremi formantur, & ex varia horum proportione, & mistura varietas in his omnibus innascitur: etsi enim ex primis, & simplicibus coloribus inuicem temperatis, & secundum proportionem mistis medij gignantur colores, atque ex eorundem etiam mediorum sibi inuicem permistorum temperamento medij quoque alij fiunt; prima tamen omnium mistura ex his simplicibus principijs oritur. Sed hæc aliàs declaranda dimittimus, & ad quatuor humorum colores explicandos properemus, Flauum inquam, album, rubeum, & nigrum.

Cur bilis, flauo, vel pallido infecta sit colore. Cap. XXXIIII.


FLAVVM igitur superius, albo propinquum facimus ex Philosophi mente in libr. de sensu & sensili cap. de sapore, qui flauum sub albo, & fuscum sub nigro comprehendit. Est etenim flauus color subalbus, splendore, luciditateque quadam præditus: efficiturque huiusmodi à luminoso corpore subobscurum perspicuum illustrante, ac splendorem illi impartiente. *Cap. 2.* Hoc quidem Alex. annuit in quæstionum naturalium libr. primo, vbi inquit: Ignem sua natura album esse, sed flauum videri mistione fumi nigri existentis. *Cap. 1.* Author verò de coloribus hoc idipsum clarius explicat, dum caussam refert, ob quam lixiuium fit flauum: ait enim, Quocirca etiam lixiuium efficitur flauum flammeo, & nigro aquā colorante; cinis nanque, qui aquæ iniectus, lixiuium facit, puluis est, in quem materia vsta redigitur: hic pallido colore, ex flammeo, nigroque contemperato præditus est; cùm enim reliquiæ exustæ materiæ cinis fit, hac vtriusque coloris mistura coloratus inspicitur: flamma nanque suscipit flammeum, quem flauum refulgentem, ac corruscantem nuncupant: à rei combustæ fumo nigrum arripit colorem; ex his vtriusque temperatis connatus pallidus eius color generatur: hic postea aquæ iniectus, suę originis vestigium seruans, flauo illam ornat colore. Huius itaque lixiuij exemplo apertè Author hic insinuauit, non diuersa ab Alexandri sententia, ignē & Solem flauos nominasse. Sed de hoc aliàs. Ad bilis modò colorem explicandum veniamus. Flauo nempe colore tenuis, & amara bilis colorata inspicitur: nam luminosus ignis in perspicua, & modicè opaca eius substantia prædominans, flauo ipsam afficit colore: iccirco & benè de ea Galenus scripsit, quod enim veluti igneum in bile splendet, ipsam reddit flauiorem. Flauam igitur bilem facimus, ob ignis colorem, qui cùm flauus sit, & multus ibidem vigeat, flauo illam colore adornat. Hæc quidem flaua bilis aliquando ruffa, aliquando pallida apparet:

ruffus enim, & pallidus color ad flauum proximè accedunt; in hoc quidem differentes, quòd flauus ad splendidum, ruffus verò & pallidus ad album vergunt: sed longè magis pallidus quam ruffus ad album tendit. Ruffa namque, & pallida efficitur flaua bilis ex albicantis humoris admistione, qualis est serosa humiditas: hæc enim flauo admista humori splendorem remittit; & penès huius remissionem, modò ruffum, modò pallidum illum reddit. Quare & rectè octauo de Hipp. & Platonis decretis scripsit Gal. Iste sanè humor flauus omnino colore est, atque interdum multa admista serosa humiditate ruffus, ac pallidus euadit. *Cap. 4.*

Cur Pituita alba sit. *Cap.* XXXV.



PITVITA autem alba efficitur clari luminis præsentia illustrata: aqueus nanque pituitę humor cùm diaphanus valde sit, & modicè opacus, ab omni claro, & perlucido innati calidi lumine (in sui productione) illustratur, & albescit. Plato verò albam pituitam facit, quia in eius generatione multæ paruæ ampullæ in ea continentur, quæ omnes speciem quandam exhibent, qua talis color visui conspicuus redditur: de ea siquidem in hunc modum scribit. Quum verò ex recenti, & tenera carne aliquid cum aere aliquescit, ventumque intus concipit, ab humiditate corripitur, ampullæ quædam inde existunt, quę cùm ob paruitatem singulæ visum effugiant, vniuersæ molem quandam exhibent videndam, coloremque ex spumæ generatione album habent; hancque omnem tenerioris carnis eliquationem spiritu inflatam album phlegma esse dicimus. nec multò post item de ipso ita scribit. Album sanè phlegma ob ampullarum spiritum intus inclusum, infestum admodum est, foras verò expirans ad cutim, mitius quidem euadit, varijs tamen corpus albis maculis, & vitiliginibus inficit, aliosque huiuscemodi morbos parit. Hactenus Plato, qui propter paruarum ampullarum multitudinem spiritum intus inclusum habentem, pituitam albam constituit. Alij autem citò ab hoc munere se expedientes aiunt, quòd cùm aquæ, & aeri per se albus attribuatur color, Pituita verò aquea cùm sit, & aquæ elementum præseferat, alba vtique ipsa naturaliter erit, sicuti & aqua; nam vt substantiam, ita etiam colorem ab ipsa mutuauit. Sed ad sanguinis ruborem declarandum properemus.

Cur pituita alba sit secundum Platonem in Thimæo.

Sanguis cur sit purpurerus, rubeusque. *Cap.* XXXVI.



PVRPVREVS color, puniceus, & rubeus, etsi inuicem differant secundum magis intensum, & remissum; siue penès obscurum, vmbrosum, clarum, & apertum: omnes tamen pro vno rubeo colore in pręsenti capimus, quoniam has particulatim differentias perquirere non intendimus: Innascitur nanque purpureus color à multo, intensoque lumine terminato, perspicuo permisto summam obscuritatem patienti. Cùm enim copiosum, & intensum lumen obscuro perspicuo contemperetur, rubicundum statim colorem visui repræsentat: hoc quidem Author de coloribus confirmat, (per nigrum, & vmbrosum, diaphanum opaco immersum intelligens) dum inquit: Quamobrem niger, & vmbrosus mistus lumini, puniceum; nam nigrum mistum lumini, tum quod à Sole, tum quod ab igne emicat, conspicimus semper esse puniceum; & nigra ignita omnia mutari in puniceum: etenim fumosæ flammæ, & carbones, quando sunt accensi, cernuntur colorem habere puniceum. Ex intensiori itaque lumine terminato perspicuo, opacitatem in profundo habenti, permisto, rubeũ fieri corpus asserimus. Rubeus autem sanguis efficitur à viuido innato animantis calido; qui cùm lucidus, & splendidus sit, crassam, & opacam eius substantiam simul perficit, & rubro colore adornat. Quòd verò innatus calor splendidus, & luminosus sit, cùm ab igne esse habeat, non est quòd amplius comprobetur. Quòd autem sanguinis substantia opaca, & quodammodo densa sit, fibræ, quibus vndique eius substantia est referta, ostendunt: fibrarum enim natura terrena est, & consequenter densa, & tenebricosa; vnde & sanguinis essentia tenebrifica, & densa redditur. Quamobrem damarum, ceruarumque sanguis, (dicebat Philosophus) cùm fibris careat, dilutior, aquosiorque exstit. Quòd autem fibrarum præsentia, veluti concreta sanguinis substantia sit, ostendit Philosophus, dum ait: At verò quandiu in corpore continetur, humidus est, propter calorem animalibus inditum; remoto autem calore, statim concrescit, & densatur non à calore siccescente, (addit ipse) sed à frigore: iure igitur opaca, & quodammodo densa sanguinis substantia dicetur. Et quoniam supra asseruimus, quemadmodum à multo, & intenso lumine terminato perspicuo obscuritatem in imo patienti, contemperato verò rubeus,

Secundo de par. anim.

& puniceus

& puniceus resultabat color; idcirco iuxtà prædicta concludimus, quòd sanguinis substantia rubro formatur colore, à valido, & intenso connato, lumine proprio subiecto, opacitatem multam habenti, commisto, & temperato. Quod quidem lumen si fortius intendatur, ac luminosius splendeat; rubeum cum flauo colorem sanguis permutat, sicuti in sinistro cordis ventriculo sanguinem est videre flauo colore præditum, à luminoso igne ibidem plurimum vigente elaboratum. Hoc profectò Author de coloribus annuit, dum dixit: Copiosum autem lumen, & primo nigro temperatum, puniceum, qui cùm floridus est, ac corruscans, in flammeum colorem mutatur; est etenim flammeus color valde flauus, qui refulget, & corruscat vt flamma; corruscans verò, ac refulgens nihil aliud est, nisi luminis quædam collectio, & densitas: species verò auri emergit, cùm flauum, & solare benè condensatum enitescit. Hactenus prædictus Author. Hoc idipsum (de flauo scilicet sanguinis colore) primo de crisibus Gal. intendit, dum ait: Quoniam & sanguinis color nonnunquàm flauior existit, nonnunquàm rubicundior apparet, vnde & sanguinem ipsum aliquando flauum, aliquando rubrum dicunt, nunquàm verò sanguis maximè flauus eundem habet cum bile ad summum etiam flauescente, colorem, sed est illa quidem flauior, sanguis verò rubicundior; nam qui apprimè flauus est sanguis, medius est inter bilem, ac exquisitum sanguinem in ijs, qui secundum naturam se habuerint. Sed satis de sanguinis rubore: ad melancholiæ nigredinem explicandam accedamus.

Lib. 6. de plac. Hipp. & Plat. c. 8

Bilis atra cur nigra. Cap. XXXVII.

NIGRVM autem colorem progredi superius diximus ab exiguo, & imbecilli lumine commisto terminato perspicuo, opacitatem in profundo, & vndique multam habenti: modicum enim lumen modicam emittit lucem; quare obscuro corpori iunctum, non nisi atrum, & obscurum producet colorem: Rectè quidem Auerroes dixit, densum ac turbidum ignem terræ commistum atrum creare colorem. Melancholia verò cùm crassior, terrestriorque cæteris sit humoribus, ex propria natura illis opacior, & obscurior erit: cùm enim exigua admodum ei luminis copia infecta fuerit, sine multa, sed crassa, & turbida, (vt inquit Auer.) non nisi atrum sibi colorem asciscerre potest. Nigrum itaque colorem melancholia naturaliter habet à confuso, & exiguo lumine, & à crassa pariter, & opaca connata substantia. Atra verò bilis per adustionem genita, adustionis vt huiusmodi colorem sortitur, & obtinet. Quamobrem multi aiunt, quòd aqua, & aqueus vapor dum siccescunt, vel vi ignis, vel etiam sensim vi sicci alterantis, & exsiccantis in nigrum vertuntur colorem: hinc fumus lignorum humidorum ater est, carbonesq; atri sunt, fumo scilicet illo crassiori, & aqueo intincti. Hoc nempe modo Author de coloribus de nigro scripsit: Nigrum autem colorem fieri contingit, cùm aer, & aqua ab igne comburuntur; quare & omnia ambusta nigrescunt, velut ligna, & carbones igne extincti: quin & fumus, qui ex latere prodit; vbi humidum, quod lateri inerat, excernitur, & comburitur. Nigrum quidem colorem effici hic Author docet, dum humidum ab igne aduritur. infra autem non solum ab igne, sed à quouis altero exsiccante id fieri asseuerat. Nos verò, qui per luminis in opaco extinctionem nigrum generari colorem diximus, non multum ab ipso discrepantes, vnà cum Medicis asserimus, & à calido, & à frigido atrum hunc creari colorem: innatum nanque lumen (vt experimento omnibus manifestum est) tum à calido, tum à frigido imminuitur, & extinguitur; consimiliter & humor ab his vtrisq; æqualiter absumi contingit. Siue igitur per luminis extinctionem, siue per humoris exsiccationem nigrum fieri contingat, hæ vtique duæ nigredinis contrariæ caussæ rectè semper à Medicis recensentur; calor inquam, & algor: secundo enim prædictionum, & primo de crisibus inquit Gal. Siquidem nigredo aut ob vehementem accidit frigiditatem, (qua ratione sanguis quoque nigrescit, congestis globulis; & quicquid extinguitur, in plenum nigrescit) aut propter exuberantem calorem; etenim sanguis rursus trahit nigrorem, si crematur, quemadmodum alia omnia corpora; & qui diutius in Sole diuersantur æstiuo, nigri redduntur. Hæc de melancholiæ colore dicta sufficiant. Ex iam dictis clarè patet, quænam sint ruffi, pallidi, fusci, ac liuidi coloris caussæ: quos omnes inter destillantis materiei colores supra recensuimus. Ruffi nanque, & pallidi, quoniam albo affines sunt colori, eædem quæ albi, & illorum caussæ dicendæ sunt; sed tantò infirmiores, quantò ab ipso cadunt. Idem de fusco, & liuido tradendum; qui cùm nigro colori sint propinqui, eædem ferè ipsorum caussæ explicandæ erunt, quæ superius de nigro explicatæ fuere; eò tamen imminutæ, & remissæ, quò ab ipso discedunt. Hoc idipsum de viridi colore quarto colliget. Auer. asserit, dum dicit: Viriditas principium est nigredinis, ob hoc caussæ, quæ faciunt nigredinem, eædem sunt cum caussis, quæ viriditatem operantur; excepto quia in viridi sunt debiliores. Sed de colorum caussis satis superque dictum sit.

Cap. 12. & Auer. 4. collig. cap. 22.

Multi,

Multi, paucique catarrhi caussæ. Cap. XXXVIII

AD MVLTI, paucique catarrhi caussas exponendas veniamus. Multi autem catarrhi caussa est multitudo primò, ac exuberantia humorum in cerebro, aut à procatarctica potenti generata caussa, in corpore repleto præcipuè, ac multis succis referto; aut à magna, vehementique cerebri, seu alterius principis membri communicantis, & demandantis discrasia creata in eodem plectorico corpore. Contra parui, modicique catarrhi caussa est modica, exiguaque materia in cerebri meatibus existens; aut à debili præincipienti caussa effecta, in moderato scilicet corpore, aut à parua, nec nimis sæua mala cerebri, siue alterius mandantis nobilis membri intemperie genita, in eodem (inquam) temperato corpore. Hactenus de singularum differentiarum catarrhi caussis penès materiei partitionem excerptis. Superest, vt reliquarum catarrhi distinctionum penès defluxum caussas exhibeamus, Et prius à magni, celeris, crebrique defluxus caussis enarrandis exordiemur: mox parui, tardi, & rari caussas dicemus. Aet. sermo. 12. cap. 8.

Quam ob rem destillatio aliquando sit magna, celeris, & crebra. Cap. XXXIX.

SVPRA ostensum fuit, capitis superfluitates trifariam deorsum semper descendere, proprij scilicet ponderis impulsu, tractionis vi, ac expultricis virtute: at longè frequentius humores à capite expelluntur, quàm vt trahantur, aut proprio pondere cadant: expultricis enim cerebri facultatis munus est excrementa singula pro viribus pellere, siue fuerint nutrimenti reliquiæ, siue superflua inutilia, siue per inconcoctionem quomodocunque ibidem collecta. Idque maximè expultrix ipsa molitur, dum ab eorundem nocua irritatur præsentia; aliquando verò absque irritamento id propria virtute operatur, cùm valida, & fortis extiterit: valida nempe, & potens facultas, etsi inutilium materierum collectio moderata sit, innato tamen robore multoties magnas illarum excitat excretiones: si vero ingens excrementorum congeries fuerit, & malis qualitatibus affecta, quibus expultrix cerebri vis plurimum molestetur, immoderatos vtique defluxus semper parturiet, & magnos, & celeres, & crebros, per omnesque subsidij rationes illam extrudere nitetur; præcipuè si potens virtus ipsa constiterit. Porrò in excessibus auxilij rationes in vniuersum tres sunt, magnitudo videlicet, celeritas, & crebritas: harum etenim natura aliquando vna tantum, aliquando duabus, aliquando tribus omnibus simul vtitur, penès varia irritamenta, ac multiplicem eius necessitatem. Magna autem excretio dicitur, vbi ampla materiei copia excernitur: celer verò, quæ in modico, breuique tempore illico fluit: at crebra appellatur fluxio, quæ ab vna ad aliam fluxionem breue quietis tempus habet; vel quæ modico interposito tempore alteram excitat fluxionem. Hæ namque tres præsidij differentiæ excretionum cerebri excessibus opitulantur; harum autem præsidij rationum (vti diximus) modò vna, modò altera, modò omnes simul expultrici cerebri facultati subseruiunt: quum enim nimia, ac nocua humorum copia cerebri vis tur grauata fuerit, & cùm hoc ipsa valida, & firma constiterit; tunc excretionum magnitudine se exonerare contendit, humores plurimos expellens: si verò cum harum excretionum magnitudine non subleuetur, tunc celeritate nouum præsidium quærit, celerrimas earum purgationes moliens. Si autem nec magnitudine, nec celeritate etiam exoneraretur, sed adhuc opprimitur, ac irritatur; vltimum crebritate subsidium tentat, crebriores earundem dejectiones faciens: neque enim vbi expultrix facultas magnitudine se planè exonerat, celeritatem asciscit; neque crebritatem, vbi ab ambabus auxilium consequitur; alterius enim illarum semper defectu corrigitur altera, magnitudinis celeritate, celeritatis crebritate. Hæ autem celeres, magnæ, crebræque fluxiones sunt, quas nos planè auctas nuncupamus; quamuis paruam, raram, & tardam, de quibus mox dicturi sumus, ab auctæ fluxionis ambitu non excludimus: nam etsi istæ, paruæ scilicet, raræ, ac tardæ (respectu magnæ) celeres, & crebræ dicuntur; nihilosecius solitarum excretionum naturalium rationes, & hæ auctæ, præternaturalesque sunt. Sed ad has manifestandas properemus. Quarto aphoris. aphorismo 2. Gal. primo de caußis pul. cap. 3.

Caussa

Caussa fluxionis paruæ, tardæ, ac raræ. Cap. XL.

PARVA fluxio nominatur, vbi pauca materia excernitur, siue virtutis, siue materiei vitio contigerit. Tarda verò defluxio est, quæ multo, longoq́ue tempore finit fluxum, motumq́ue suum. Rara verò destillatio dicitur, quæ longum quietis tempus habet, anteaquàm altera exoriatur. Hæ quidem omnes præternaturales sunt, & excretionibus naturalibus superadditæ. Itaque paruæ fluxionis caussa, & ad virtutem, & ad materiam referenda est: virtus enim in caussa existit, dum infirma, imbecillisque est, impotens ad multas excernendas purgationes: quare exiguam, ac modicam tantum detrudens, paruum efficit defluxum: si verò materia caussa fuerit, tum sola materiei paucitas, nulla mala qualitate infesta, huius caussa dicetur; nam pauca ipsa existens parumq́ue expultricem stimulans, quantumcunque virtus sit potens, non nisi modica excernetur materia pauci defluxus immediatè caussa. Raræ autem, ac tardæ destillationis caussæ, & frigiditas, & virtus, & materia esse constituuntur: frigiditas prout materiam immobilem, ac torpidam reddit; virtus nanque prout infirma, imbecillisque est; sic quidem non nisi interposita mora, longoq́ue conamine materiam expellere potest: tarda tamē fluxio magis quàm rara infirmiorem virtutem demonstrat. Materia autem tardæ, ac raræ fluxionis caussa dicitur, tum ratione propriæ substantiæ, (nam crassa, viscidaque existens expulsionis contumax est) tum qualitatis ratione, quoniam nulla mordaci aut acuta prædita est qualitate, qua expultrix irritetur virtus, ac commoueatur ad ipsam propellendam. Hæc satis dicta sint de paruæ, raræ, & tardæ fluxionum causis.

Quæ sit catarrhi intempestiui caussa. Cap. XLI.

INTAMPESTIVVM autem fluxum nominamus, & qui consuetū præuenit tempus, & qui post debitam, & consuetam horam accedit. Illius autem qui debitum tempus anteuertit, caussa est materiei copia malis qualitatibus affecta, vehementius expultricem stimulans; quæ celeriter absque mora nullam procrastinationem faciens, ad eam propellendam insurgit, & debitum fluxionis tempus anticipat. Intempestiui verò defluxus, qui post consuetum tempus moram interponit, caussa est, paucitas, & inopia materiei, nulla mala prædita qualitate, qua expulsiua virtus irritari possit, & insurgere ad ipsam pellendam: quæ quandiu pauca, & inops fuerit, impotens expultricem excitare, tandiu vtique defluxum retardabit: siquidem necesse est expultricem irritati, si suo munere fungi debeat: (hæc enim maximè inter naturales virtutes à noxis, & irritamentis exercetur) optima igitur ratione fit, vt tanto tempore tardet expulsio, quanto (inquam) irritatio morabitur.

Catarrhi subitò ruentis caussa. Cap. XLII.

DEFLVXVS, qui subitò, confertimq́ue ruit, caussa est, aut retentrix virtus ipsa, aut proprium excretionum instrumentum, peluis videlicet, & glandula; per quæ excrementa pedetentim excernuntur. Retentrix enim facultas huius caussa dicitur, dum propter exuberantem humorum copiam, aut ob prauam aliquam eorundem discrasiam labefactari contingat; tunc enim præcipites (nulla vi retinente) deorsum propria grauedine succi trahuntur. Idem etiam euenit in proprij instrumenti resolutione, peluis scilicet, & glandulæ; his nempe quauis occasione resolutis, illico humores proprio impetu deorsum feruntur, nam remoto continente, vt statim ruant necessum est.

Continuarum, & intermittentium destillationum caussa. Cap. XLIII.

CONTINVAM autem destillationem dicimus quæ quidem assiduè destillat, nec vnquàm vsque ad iudicium, & solutionem desinit. Intermittens verò appellatur fluxio, quæ secundum tempus fluit, & fluere desinit, & solum per interualla est molesta. Continuæ quidem destillationis, quæ nunquàm desinit, donec omnino ad finem suum peruenerit, caussa est materia multa stabilis, & pertinax; cuius paucæ duntaxat portiones educuntur, nec tota vnquàm excernitur, nisi finito morbo, multoque interposito tempore.

tempore. Huic etiam morbosa subest dispositio, quæ nouum semper regignit humorem, aut aliunde suscipit, & nouæ, recentique fluxioni perpetuò materiam præparat: sicque continuata materia continuus fluxus producitur. Intermittentis verò destillationis, quæ per interualla tantùm destillat, caussa est materia pauca fluida, citò terminabilis; hæc quidem vbi tota ab expulsiua pellatur virtute, intermissionis caussa fit; nam tunc natura per aliquod temporis spatium quiescit; mox iterum noua coaceruatur materia, aut mala cerebri dispositione, aut quacunque alia de caussa, quæ postquàm abundè creuit, huius copia expultrix cerebri irritatur facultas, quæ denuo vniuersam illam detrudit, & catarrhi interpellationem efficit. Huiusmodi verò cum quiete mista fluxio, intermittens nuncupatur destillatio: totius itaque in vnum humoris excretio, intermissionis vera est caussa; cùm per tantundem temporis, quòd noua regeneratur materia, natura quietem habeat: morbosa verò, quæ huic subest dispositio, & certis temporibus excrementa aceruat, non primò, & per se, sed cumulatorum excrementorum interuentu, interpellationis caussa censenda est.

Breuium, diuturnarumque fluxionum caussa. Cap. XLIIII.

LONGI, diuturnique catarrhi dicuntur, qui longo, diuturnoque tempore finiuntur. Horum verò caussæ variæ existunt, iuxtà eorundem varietatem: aliæ profectò sunt frigidi diutini catarrhi caussæ; aliæ sunt calidi. Frigidi autem longi catarrhi caussæ, duæ præcipuæ constituuntur, virtus inquam, & materia: virtus enim diuturni efficitur catarrhi caussa, prout infirma, imbecillisque existit, vti in corpore senile, & in longa frigida ægritudine euenit; & hoc quidem, si salubris, & non læthalis morbus fuerit: debilis nanque & infirma virtus naturaliter & catharrum, & quamcunque ægritudinem ad salutem terminandam protrahit; quoniam non suppetunt vires vt celerius eam deuincat; sic quippe expulsricis, vnà cum concoctrice cerebri, facultatis imbecillitas frigidi extensi, ac salutaris catarrhi caussa constituitur. Materia verò longi, ac diuturni frigidi catarrhi caussa efficitur, ex eo quòd multa, crassa, ac viscida intra meatus cerebri ipsa reperiatur; vnà etiam cum frigida cerebri intemperie, & tempore, & loco frigido, ac reliquis procatarcticis caussis, tum intemperiem, tum materiam fouentibus: frigida enim, crassa, & viscida excrementa dissolutioni nimirum resistunt; & maximè si multa fuerint, ac conseruantes habuerint caussas; quamobrem vt longo protrahantur tempore, necessarium est: è contrario in omnibus res se habet, in breui, ac cito sanaturo frigido catarrho. Calidi verò diuturni catarrhi caussæ sunt calidæ tum cerebri, tum hepatis malæ intemperaturæ, quæ longiori tempore partes has obsederint: diutina enim calida cerebri intemperies, quæ primario affectu calidi catarrhi materiam gignit; non nisi longo tempore, cùm altius radices iecerit, auferri potest; hæc quidem diutina calidi humoris generatione, diutinum calidum protrahit catarrhum. Pariter longæua calida hepatis intemperies, quæ secundariò, ac cerebri interuentu calidum catarrhum produeit, calido (inquam) vapore, & humore capiti communicato, diuturni calidi catarrhi caussa constituitur; quando & ipsa eadem ratione (quòd validiores scilicet radices egerit) difficulter solubilis fit: hæc enim hepatis intemperies longa, & diutina calidorum humorum, & vaporum generatione, longè etiam, & diutinè calidum conseruat catarrhum; quum ijs vtique omnibus longæuis intemperaturis, imbecilles semper naturales reperiuntur virtutes; quæ cùm impotentes sint breui fixas intemperies soluere, necessariò illas protrahunt; præsertim si futuræ salubres sint: è contrario cuncta hæc se habent, in breui, ac de facili terminatura calida fluxione, quoniam & virtus potens, & valida existit, & cerebri, & principum partium communicantium intemperaturæ recentes sunt, nec nimis intensæ, & validæ, cum exiguæ, ac modicæ materiei præsentia, & cum nullis, seu paucis externis fouentibus, & conseruantibus caussis: quæ omnia breuem, & citò sanaturum catarrhum ostendunt. *Aet. 12. ser. cap. 9.*

Cur aliquis Catarrhus magis die, quàm noctu affligat: & è conuerso. Cap. XLV.

QVÒD verò catarrhus quis in die, magis quàm noctu inualescat, humor, qui destillationem efficit, in caussa est, vtputa bilis ipsa, quæ die plusquàm nocte præualet, & mouetur. Hæc enim cùm plurima in capite abundauerit, & catarrhum promouerit, die plus quàm noctu vberius effluit, quando tunc temporis multum promoueatur, & excrescat. Rationabile vtique est, vt eo tempore copiosior humor fluat, quo & pluribus ipse fuerit

se fuerit, & plurimo cietur motu. Sed præter id etiam adest, quòd diei calore cetebri meatus, per quos excrementa purgantur, magis peruij, & aperti redduntur; quare procliuius succi descendunt, & maiorem pariunt fluxum. Quòd noctu autem magis quam die excrescat catarrhus, caussa est frigidus, & humidus humor destillans, qui noctis frigiditate, & humiditate sit perauctus, vberius nimirum nocte quàm die commouetur. Sed præter superauctum humorem adest noctis frigiditas, quæ externam corporis superficiem densando, cutis meatus constringit, vnde vaporosæ excretiones, quæ non nisi rarefacta cute difflari possunt, intrócluduntur, & incrassantur, & materiam catarrhi adaugent; quare abundantius fluere contingit: & hæc quidem quamsepissimè caussa existit, quòd tam calidi, quàm frigidi catarrhi noctu, quàm die magis inualescant, quoniam multò plus officit noctis frigiditas densando, & poros obstruendo; quàm diei caliditas dissoluendo, & peruias vias reddendo.

Singula anni tempora catarrhum generare. Cap. XLVI.



QVAE anni quatuor tempora sequuntur destillationes, caussas habent ipsorum quatuor temporum naturas, vt efficaces externas præincipientes caussas. Hyemalis enim constitutio cùm frigida, & humida naturaliter sit, caput frigefaciens, & humectans; frigidas destillationes potenter conciliat. Huic coniungitur, quòd caput, & cerebrum pariter frigida, & humida sunt: vndè facilè à consimilibus alterantibus caussis ad frigidam, & humidam trahuntur intemperiem, à qua frigidæ emanant materiæ frigidarum fluxionum proximæ, & immediatæ caussæ. Frigus enim (refert Gal.) cutim constipat, & humores digeri prohibet. Humiditas autem non modo remouet à corpore quicquam, sed etiam adijcit. Hyemalis quidem humiditas aquea est, quæ corpora circumambiens vndique madefacit, ac frigidis humoribus incrementum addit. Frigus verò naturales concoctiones debilitans, frigidorum crudorum humorum generationi magnam præbet occasionem. Idipsúmque externos cutis meatus adstringens, introrsum succos compellit, & fluere deorsum facit. His quidem modis hyemalis constitutio destillationes excitat. Quamobrem benè scripsit Hippocrates: Si verò hyems frigida sit, homines capita humida, ac pituitosa habere par est, & ventres ipsorum frequenter exturbari pituita à capite influente.

De morbis vulg. com. 2.

De aere, aquis, & locis.

Ver autem, etsi salubre, temperatúmque sit, & salubres, temperatosque ex propria natura prægignat humores, nihilominus & fluxionis est caussa: nam ipsum (vt Auicenna scribit) cum æqualitate sua, quam nominauimus, declinat parumper ad caliditatem subtilem cœlestem, quæ quidem caliditas humores, qui quieti erant, currere, ac fluere facit, cùm impotens sit ipsos dissoluere. Humores itaque, qui hyberno tempore coaceruati sunt, & quodammodo concreti in cerebro persistunt, Veris calore funduntur, & fluxum faciunt, tum calidum, tum frigidum, iuxta currentis humoris naturam. Hac profectò ratione multi asseuerarunt catarrhum humorum multitudine productum, verno tempore vigere; nam qui hyeme multiplicati fuerunt humores, & immobiles vi frigoris persistebant, Veris tempore superueniente commouentur, & vberiorem parturiunt fluxum.

Fen 2. prim. lib. doctr. 2. capite 6.

Aestas etiam suo calore destillationem efficit, primò vltra modum calidiores humores, & in capite, & in vniuerso corpore adaugens: hi enim superaucti, quoniam tenues sunt, facilè labuntur, & fluxum faciunt. Feruidi quidem succi, dum in capite, aut per se, aut alterius membri consensu supercreuerint, vt deorsum descendant, expultrice (inquam) concitata, necessum est. Secundo loco æstas destillationem procreat, capitis vias rarefaciens, ac eiusdem pariter virtutes sua caliditate resoluens, & debilitans; quibus debilibus factis, excrementa multa gignuntur, quæ per meatus peruios ab ea factos facilius labuntur, ac fluxum agunt.

Porrò Autumnus & suas pariter procreat destillationes; nam cùm frigidus simul, & inæqualis existat, eadem nempe die aliquando calorem, aliquando frigus continet, in prima & vltima diei parte frigus, media verò die calorem. Prius enim sua inæqualitate caput afficit, mox diei calore ad catarrhum illud disponit. Hic quippe calor capitis meatus aperiens, peruiam frigori ad intima ingredienti viam reddit, quod cerebri substantiam attingens eam refrigerat, quæ frigidæ futuræ fluxionis materiam subministrat. Alia præterea ratione Autumnus catarrhum concitat: sua enim subita ad frigiditatem commutatio eos, qui hactenus difflabantur, & per sudores euacuabantur humores, ad cerebri interiora detrudit, & in catarrhi materiam vertit. Ita sanè Autumnus suas conciliat fluxiones.

Vt à Cælestibus corporibus fiant fluxiones. Cap. XLVII.

SED præter quatuor anni tempora, humida etiam cœli constitutio cum maleficis stellis, ac capiti infestis communis destillationis, quæ vbique gentium vagatur, caussa inuenitur. Saturnus enim, & Mars in annis reuolutione in aqueo signo constituti, & iuncti, præterquàm quòd & ventorum, & pluuiarum multarum sunt occasio; vniuersalis quoque destillationis (quæ communiter & omnes afficit) maxima dicuntur caussa: Saturnus enim caput pituita replet; Mars autem suo excedenti calore illam dissoluit, & fluere facit; sicuti superiori Anno M. D. LIIII. his prauis syderibus in signo Piscis constitutis, euenit: tunc enim temporis (vt recens adest memoria) molestæ, & graues destillationes omnes ferè Italiæ partes infestarunt; quæ nisi Veneris benignitas, eius domina adfuisset, longè admodum grauiores, & molestiores illæ fuissent. Huius ergo solius syderis gratia vbique ferè incolumes extiterunt.

Cur non semper catarrhus per easdem vias fluat. Cap. XLVIII.

QVÒD verò catarrhus quis per solitas, & proprias vias, & quidam per insolitas, ac impropias descendat; aliquis verò per venas, & arterias defluat; materiei tum copia, tum situs, necnon vasorum habitudines in caussa sunt: Materiei quidem locus, & situs in caussa est, quòd per easdem fluidę materiæ deportantur partes, per quas consistunt, & locantur, vtputa si in vijs ductuum, per quas cerebri recrementa purgantur, aut intro venas, & arterias materiæ persistunt, per eosdem pariter locos, & situs hæ naturaliter deferuntur. Si verò adeo excreuerit, & abundauerit materia, vt soliti meatus minime ei satisfaciāt, tunc vndique spargitur, & vndelibet fluit, per improprias scilicet, & inordinatas à natura vias. Vasorum autem habitudines materierum ad intra vasa fluentium caussæ asseruntur, cùm præter eorundem raritatem, & colliquationem introgreditur materia, quæ extra persistebat, & per ipsorum internos riuos descendit: si contra, densæ, fortisque texturæ vasa extiterint, & materia extra resideat; tunc extra vasa vndecunque defluet. Quæ verò à capitis vertice extrinsecè materia destillat; si in venis existet, per easdem fluet; si extra, vndique per pericraneum, & insolitas vias descendet. Hactenus catarrhi caussis penès fluxum, & motum consideratis: superest nonnullas illarum distinctionum caussas percurrere, quæ tum fluxui, tum materiæ communes dicuntur; & prius ab illorum defluxuum caussis exordimur, qui tum primariò à cerebro, tum per aliorum membrorum consensum genita dicuntur.

Per essentiam, consensumque Catarrhi generatio. Cap. XLIX.

PRIMARIVM à cerebro genitum defluxum nuncupat Gal. qui per se primò à malè affecto cerebro, & in similaribus, & in dissimilaribus partibus prouenit. Quamobrem & tertio de sympt. cau. ipse scripsit. Grauedinis, destillationisque caussa est cerebrum, vt pars quidem similaris vel à frigore, vel à Solis ardore ad intemperiem reductum; vt instrumentum verò quatenus à plenitudine infestatur. Itaque cerebri mala intemperies, & eiusdem cerebri meatus plurima repletus materia ob hanc ipsam intemperiem primarij à cerebro geniti defluxus, verè, ac per se immediatæ sunt caussæ. Secundarij verò, & qui per aliorum membrorum consensum fiunt defluxus, sunt qui non ab essentiali cerebri nocumento, sed aliunde sibi communicato nascuntur. Hi nanque defluxus, etsi à materiei copia cerebri receptacula replente statim descendant, & procreentur, attamen materia ibidem coaceruata non vi propriæ cerebri intemperiei aggregata est, (quamuis eius frigiditatis præsentia multa etiam sit genita) sed ab inferioribus membris longè petita, & accersita fuit, ventriculi scilicet, aut hepatis, aut vteri, aut cuiusuis potentis membri discrasia. Præcipuum quidem membrum excitans in viris catarrhum ventriculus existimatur; in mulieribus autem vterus; in vtrisque autem hepar. Nam ab ipso humores ad caput transmissi catarrhos faciunt. Hepar enim primum humores per venam cauam expurgans, quæ ad iugulum tendit, ipsos apoplecticis vocatis venis interioribus, & exterioribus communicat, quæ postremò eosdem ad caput

traducunt. Hinc illi sua qualitate expultricem irritantes, & copia retentricem grauantes, catarrhos producunt, & per partes intrinsecas cerebri, & per extrinsecas confluentes. Eæ autem omnes fluxiones contumaces diuturnæ, & periculosæ sunt: neque enim aliter quæ per partes extrinsecas fiunt fluxiones, perniciosæ inueniuntur, nisi ab hepate per istas vias in caput humores transmittantur, & à capite per illas easdem defluant. Hæc dixisse sufficiant de præsenti differentia: nunc exponamus, quid sit catarrhus cum plenitudine, vel plectoria.

Quæ caussa catarrhi cum plectoria, & cachochymia. Cap. L.

CORPORIS autem plenitudinem dicimus, aut puri, synceríque sanguinis, aut omnium æqualiter humorum redundantiam, tum in vasis, tum in totius corporis habitudine. Eam igitur in duo iustè dissecant genera; vnum, cùm humores omnes seruata qualitatis mediocritate supra iustam, & naturæ congruentem mensuram accumulantur, & ingrescunt: de quo tertiodecimo meth. scripsit Galen. quando æqualiter inter se succi adaucti sunt, id & plenitudinem, & plectoriam, seu succorum redundantiam vocant. Alterum verò genus dicimus, cùm syncerus, & purus sanguis vltra debitam proportionem reliquos in venis humores exuperet. Hoc quidem Gal. in libello de plenitudine innuit, dum ait: Potest igitur
» sanguis in plectoricis affectibus vehementer præcellere, aliorum humorũ nullus; nam si illorum
» aliquis plurimum auctus fuerit, cachochymia, & non plenitudo nominatur. Idem confirmat li-
» bro secundo de comp. med. sec. loc. dum inquit: Plenitudo fit, quatuor humoribus proportione
» auctis, aut solo sanguine. Si verò aut syncerus sanguis, aut succi omnes ita æqualiter aucti sint, vt lata vasorum spatia distendant; tunc plenitudo, aut multitudo ad vasa nuncupatur: hanc quidem contra Iulianum Galenus scribens duplicem facit, vnam in quo vasa plus humoris habent, quàm habere debent; aliam quæ non solum naturalem mensuram excedit, sed præterea intrò vasa nõ recipitur. Vbi autem humorum redundantia tanta est, vt vires grauare possit, tunc multitudo ad vires appellatur: huic quidem accidit, quòd & multa mediocrisque sit, pro virium robore, & imbecillitate: incipereque potest cum bonitate humorum, non tamen diu potest cum illa permanere; quandoquidem omnino necesse est, humores qui regi à viribus nequeunt, putrescere, & corrumpi. Ipsam autem virium plenitudinem duobus apud Gal. modis corrumpi contingit; aut exiguè, & diminutè, aut amplè, & completè: si diminutè, & parum, ita vt sanguis eo, quod ipsum vitiat, euacuato, ad suam naturam redigi queat; tunc adhuc plenitudinis nomen seruat: verùm si magnam, & vltra modum euersionem patiatur, sic vt non possit iterum ex naturæ concoctione ad primam humoris redire bonitatem, hanc simpliciter corruptionem nominat Galenus. Cachochymiam autem humorum affectionem Iuniores nuncupant, tũ quantitate, tum qualitate communiter in omni corporis parte obnoxiam. Hanc quidem modò ex prauis, & vitiosis succis, modò ex putredine, & corruptela fieri tertio de temperamentis
Capite 3. scribit Gal. Non immeritò igitur ex horum redundantia humorum cachochymiam fieri loquiuntur; nam quàmprimum hi vltra solitam proportionem excreuerint, illicò praua se induunt qualitate. vnde & quantitate & qualitate obnoxij redduntur. Quamobrem tertiodecimo meth.
» dicebat Gal. Vbi vel flaua bili, vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum est corpus,
» cachochymiam nominant. Hoc idem in libello de Plenitudine repetit, dum scribit: Si sola pal-
» lida bilis, quam & flauam nuncupant, aliquando superauerit, vt in regio morbo laborantibus,
» non adhuc plenitudo, vel plectorica dispositio, sed cachochymia huiusmodi affectus est. Hoc pacto in atra bile, & pituita dicendum. Hanc ipsam multi in duas etiam dissecant partes, in mitiorem scilicet, & deteriorem. Mitior, cùm pituita, aut vtraque bilis, seu serosus humor immodicè accumulati sunt, seu cùm in sanguine non sua iusta naturaliq; proportione, & concordia tenentur: Deterior, cùm prænominati hi succi à conuenienti, & propria constitutione in vitium prolapsi sunt, quod aut substantiæ eorum, aut intemperiei corruptio quædam est, atque horum vtrunque rursus, aut cum putredine, aut citra putredinem contingit.





Febrium

Febrium, quæ cum destillatione sunt, caussa. *Cap. LI.*



MODÒ ad febrium catarrhi caussas explicandas accedamus. Hæ nanque tum in capite, tum in subiacentibus partibus possunt consistere: in capite quidem febrium catarrhi caussæ dicuntur inesse, prout ipsius catarrhi materiæ multæ, & superuacuæ in capite consistunt, ibidemq; constipatæ, coaceruatæque sunt; quæ cùm non satis ob multitudinem difflari possint, putredine concepta, putridarum febrium caussæ fiunt. Et de his quidem excrementis febrem accendentibus nono de vsu partium Gal. locutus fuit, dum excrementorum cerebri nocumenta recensuit, dicens: Alterum verò scilicet detrimentum, quod » collecta hæc excrementa tandem computrescunt, eoque modo acriora simul, & calidiora reddi » ta, inflammationes, herysipellata, hærpetas, carbunculos, febres, innumerabilemque aliorum » morborum turbam exsuscitant. Ne quid igitur eiusmodi accideret, & maximè in partibus » principibus, Natura magnam curam adhibuit, vt superflua excernerentur. In subiacentibus » verò partibus febres in catarrhis excitantur, tum in vasis, tum extra vasa: in vasis, dum ad intra canales materia fluit; hæc enim sui copia, seu lentore, aut crassitie facillimè angustos vasorum obstruit meatus; quæ postea obstructio innati calidi euentationem, & transpirationem prohibens, putridam accendit febrem. Extra autem vasa febris à destillatione gignitur, propterea quòd defluentes humores ibidem extra vasa multi colliguntur; qui quoniam in loco incongruo, & affecto impacti continentur; & proprio calore destituti ex quacunque occasione corrumpuntur, & putredine adiuncta, calorem intendunt, putridamque accendunt febrem. Sed præcipuè biliosæ fluxiones febrem parturiunt; eo quòd & intra, & extra vasa statim putrescant coarctatæ. Hæc quidem satis de caussis febrium catarrhos insequentium.

Quid catarrhus cum tussi, & huius caussa. *Cap. LII.*



CVM generatim singulas catarrhi differentias persequebamur, alios cum tussi, nõnullos autem cum difficili respiratione dicebamus, quæ cùm declaranda supersint, cogimur omnino illius caussas recensere. Verum quia hæc rectè cognosci non possunt, nisi prius quid ipsa sit tussis, & quotuplex declaremus; propterea ab ipsa exordium sumemus. Tussis igitur est motus instrumentorum anhelitus a virtute animali motrice, qua natura intendit expellere quod in trachea arteria lædit, vel in propinquis membris: est enim (inquit Gal.) in quocunque animali particula facultas, quæ quod molestat, aut quod præter naturam in ipsa est collectum, expellit. Sed præter naturalis expultricis facultatis excernentes motus, tres maximè recensentur, tussis inquam, sternutatio, & vomitus; quibus natura obnoxium contristansque omne validè protrudit. Etsi enim animal nec sternuere, nec vomere, nec tussire vnquàm didicerit; nihilominus cùm morbosa caussa aut nares, aut ventriculi ostium, aut respirationis meatus obsederit, protinus eam vel sternutamento, vel vomitione, vel tussi reijcere aggreditur. Huiusmodi profectò motus naturæ opera existunt; inter symptomata tamen, & deprauatos motus numerantur, ob caussas naturam ipsam, vt sic moueatur, cogentes. Deprauati nanq; motus omnes in triplici consistunt differentia, aut enim ab affectibus, qui præter naturam sunt, tantùm oriuntur, natura ad horum productionem nihil operante, sicuti est palpitatio, & cõuulsio; aut à morbo simul, & natura proficiscuntur, vt tremor, & motus torpidi omnes, qui ab ægra caussantur virtute. Tertiò deprauati efficiuntur motus (vt eod. lib de sympt. cau. recenset Gal.) à natura ipsa, non simpliciter, sed stimulata, & coacta à caussa præter naturam; quales sunt tussis, sternutatio, & vomitus. Tussis igitur, de qua præsens est sermo, deprauatus est motus, & facultatis motricis voluntariæ symptoma; licet infra Gal. inter naturalis quoque facultatis symptomata illam reponere videatur, dum a simplici spiritualium instrumentorum intemperie tantùm excitatur. Hanc autem tussim, quam voluntatiæ facultatis symptomata faciunt, ita Galen. describit. Tussis est vehemens asperæ pulmonis arteriæ efflatio, qua spiritus celeriter foras erumpens, impetu suo extrahit, exploditque excrementa meatus ipsos obstruentia; cùmque aggressu pellere quod offendit non valet, bis terque id tentare non grauatur, donec voti compos fiat. » Expelluntur autem facilè, quorum nec nimis aquosa, nec glutinosa essentia fuerit: aquosa » nanque propter tenuitatem potius, à spiritu deferuntur, quàm vltra deferantur; glutinosa pertinaciter arteriæ adhærent. Particulæ autem motum istum efficientes ex Galeni doctrina interiores intercostales musculi maximè sunt; inquit enim ipse lib. secundo de motu musculorum: *Circa finem.* Qui intus ad costas musculi sunt, efflationis opifices dicuntur. Idem repetit lib. 4. de locis aff. »

" dum ait: Sanè exſpirationem faciunt vniuerſi thoracem contrahentes muſculi: exſufflationem, " quæ vehemẽs exſpiratio eſt, intercoſtales maximè: ſtrepentem exſufflationem, qui in faucibus " ſunt. Hæc ille. Faucium itaque, & intercoſtales thoracis muſculi, exſufflandi, crepitamque exſufflationem emittendi, quæ tuſsis dicitur, poteſtatem habent. Cùm enim vias ſpirituum lædi (quibus præſunt) hi præſentiant, tunc tenduntur, & pulmonis bronchios, ac aſperam arteriam vehementer comprimunt, & ſpiritum extra cum impetu, & crepitu ad noxia excutienda celeriter propellunt. Hæc quidem ſtrepens, & ſimultanea ſpiritus expulſio tuſsis nominatur. Huic nempe ſuffraganrur quatuor laryngis muſculi, qui ſecundam eius cartilaginem tertiæ copulant: hi quidem in tuſsi cõtrahuntur, & ſummum laryngis oſtium aperiunt, & exeunti ſpiritui patentem faciunt viam; ſubſidium quoque eidem præſtant ſeptum tranſuerſum, exteriores intercoſtales, & qui ad thoracem perueniunt ex ſcapulis, & collo muſculi: hi omnes pectus dilatando ad aeris inſpirationem operantur, qui efflationis, & tuſsis materia fit. Muſculi autem ſupradicti, quos tuſsim facere declarauimus, vt ipſum efficiant, dupliciter concitantur: vno modo cùm in propria alterantur ſubſtantia, altero modo cùm viæ ſpirituum, tracheia ſcilicet ipſa, & pulmonis bronchij læduntur. Si nanque eorundem ſubſtantia inæquali intemperie, ſiue calida, ſiue frigida afficiatur, exiguam, & aridam procreat tuſsim, quæ inter naturalis facultatis ſymptomata numeratur; quoniam ab expultrici naturali muſculorum facultate genita eſt: thoracis nanque muſculi, & intercoſtales interiores inæquali intemperie laborantes, moleſtiam patiuntur; quare eorundem expultrix vis irritatur, & ad illam inſurgit expellendam per aſperas pulmonis arterias. Dum verò id quod contriſtat per pulmonis bronchios extrudere contendit, propriam ipſorum muſculorum ſubſtantiam contrahit, & concutit, ad quam contractionem, & concuſsionem aſperæ quoque pulmonis arteriæ ob mutuam cognationem eodem ferè contractionis, & concuſsionis motu trahuntur; vnde ſpiritus agitantur, & foras erumpunt, & paruam, ac ſiccam efficiunt tuſsim, ſiue lenem quendam tuſsiendi impetum, (inquit Gal.) quem Græci *cerchnos* vocant. Alter verò modus, quo thoracis, & intercoſtales muſculi ad tuſsim moliendam irritantur, eſt cùm viæ ſpirituum, tracheia ſcilicet ipſa, & pulmonis bronchij afficiuntur, ac obſtruuntur. Tunc enim vehementer muſculi ſeſe pulmoni inijciunt, ac ipſum violenter conſtringunt, quo ſcilicet multum ſimul, & celerem efflatum moueant, vt ſuo impetu obſtruentia, lædentiaque omnia propellant. Prædicti enim muſculi hoc ipſo compreſsionis motu à motrici voluntaria facultate ornati fuere, propter ſpiritus viarum ſalutem, & tutelam: ipſis nanque præſunt, & ſuis motibus à contingentibus malis pro poſſe eas tutantur. Etſi enim efflatio hæc, & tuſsis per ſe primò à prædictis excitetur muſculis, nihilominus non propriè illorum dicuntur affectiones, cùm non ipſorummet gratia moueantur, ſed aſperæ arteriæ, & bronchiorum pulmonis cauſſa, ſuos conſtrictionis motus exercent. Non immeritò igitur tuſsis, quæ voluntariæ motricis facultatis ſymptoma eſt, pulmonis, ac aſperæ arteriæ nominatur affectio, quando ob horum nocumentum explodendũ hi motus præcipuè aguntur. Quæ verò propter intercoſtalium muſculorum, ac faucium inæqualem intemperiem excitatur tuſsis, (quam intra expultricis naturalis ſymptomata recenſuimus) ipſorummet efficientium partium propria nominatur affectio: quando ipſæ eædem affectæ partes ob ſuas removendas affectiones hunc tuſsis efficiant motum. Sed ad harum cauſſas explicandas veniamus. Duo tuſsiũ genera fecimus; vnum ad naturalem, alterum ad animalem pertinere facultatem diximus: licet Auic. vnum duntaxat tuſsis genus conſtituat; quam enim ab expultrici naturali virtute fieri diximus, ipſe ab illa ſolum exordiri, mox à voluntaria motrici perfici aſſerit, dum ait: Tuſsis " eſt ex motibus, quibus expellit natura nocumentum à pulmone, & ex membris ei coadiuuan" tibus, & communicantibus, & completur cum dilatione pectoris, & conſtrictione eius, & mo" tu velaminis. Nos autem vnà cum Gal. duo illa obſeruamus genera, & dicimus, quòd cauſſa tuſsis, quæ ad naturalem expultricem virtutem pertinet, eſt mala intercoſtalium muſculorum, & faucium abſque materia intemperies, tam calida, quàm frigida, tam humida, quàm ſicca; ſed vt humida inter omnes minus efficax reperitur, ita ſicca omnium efficaciſsima exiſtit, leues partes exaſperando. Inæquales igitur iſtarum partium intemperies, aut ſolæ, aut inuicem coniunctæ, dummodo ſine materiei præſentia fuerint, perpetuò hanc tuſsis ſpeciem generant. Si verò cum materiei copia intemperies iungatur, tunc materierum cauſſa viæ ſpirituum offenduntur, aut compreſsione, aut quocunque alio modo; quare altera malignior producitur tuſsis ſpecies, quæ ad voluntariam motricem ſpectat facultatem. Hæc quidem tuſsis à nocumento ſpirituum vias lædente ſemper excitatur: quamobrem voluntaria thoracis muſculorum expultrix ad illud propulſandum, & tuſsim hanc faciendam neceſſariò compellitur. Mala vtique proprij reſpirationis organi affectio, tracheiæ inquam, & aſperæ pulmonis arteriæ, in ſimilaribus, & " in organicis partibus vera, & propria huius generis tuſsis excitatrix cauſſa exiſtit: omne enim

impedimen-

Lib. 6. de morb. vulg. & quarto aphor. aphor. 54.

Primum genus tuſsis.

Alterum tuſsis genus.

Tuſsis quæ eſt paſsio aſperæ arteriæ, & bronchiorum pulmonis.

Tuſsis intercoſtaliũ muſculorum eſt paſsio.

impedimentum, quod spirituum cursum in asperę arterię, & pulmonis bronchiorum meatibus retardat, siue id materia à capite destillans sit, siue inter adendum, & bibendum casu dilapsa, siue ibidem collecta, aut aliunde transmissa, qualiscunque huiusmodi fuerit, voluntariam semper constrictricem thoracis facultatem ad constringendum, & hunc tussis motum efficiendum cogit, & compellit: idque longè fortius molitur (inquit Auic.) dum consistit; & firmum offensaculum permanet, quàm dum mouetur, & per latas tracheiæ vias discurrit. Pariter affectio omnis, quæ tum tracheiæ, tum bronchiorum pulmonis similares afficit partes, aut alterando, seu diuidendo, vel pungendo, aut vellicando, & exasperando, aut quocunque alio modo permutando, siue primario affectu, siue secundario, siue immediatè, siue mediatè, quomodocunque illam malè affecerint, perpetuò expultricem thoracis musculorum facultatem ad tussim istam prægignendam concitabit. Extrinsecus autem tussim excitant, quæcunque membra pectoris alterant, & respirationis organa offendunt; qualia sunt nix pota, aqua gelida, frigidus inspiratus aer, & quæ frigida pectori imponuntur; itam nimium excalefacientia, & exsiccantia, sicut fumus, puluis, & calcx. Sapor prætarea acutus, aut acetosus tussim mouent, quam acetum, acria, & austera omnia præstant. Constat apud Authores lapillos in animæ canalibus ex viscosa materia progeneratos, qui asperrima tussis vexatione eiecti sunt. Paulus inter sanguinis reiectiones calculum quendam expuisse vidit. Infantes præterea cùm à vermibus vexantur, tussiunt incessanter. Diligentiores in eodem spiritus tramite animalia gigni tradidera, quæ cùm mouentur tussim faciunt. Tussis præterea alia sicca est, alia humorem continet, alia recens, alia vatusta. Sed de his aliàs.

Lib. 3. fen. 10. tract. 3. cap. 5.

Difficilis respirationis caussa. *Cap. LIII.*

NVNC agendum de ea catarrhi differentia, quæ cum difficili raspirationa coniungitur: sed prius declarabimus, quid respiratio sit, vt quæ dicemus faciliora sint. Igitur respiratio est thoracis, pulmonisque per dilationem, & constrictionem motus, quem facultas efficit animalis, quo caloris natiui mediocritas conseruetur. Thoracis enim distensio frigidum inspirans aerem, innatum calidum modicè frigefaciendo, & ventilando conseruat. Idem quoqua operatur thoracis constrictio, haliuosum, ac fumosum sanguinis excremantum excernens. Fauilla enim, & fumus, & fuligo, (inquit Galenus) & omnis huiusmodi vstæ materiæ superfluitas nihilominus quàm aqua ignem extinguere consueuit. Itaqua (addit ipse) ex ventilationa principij caloris insiti, & ex moderata refrigeratione, & ex eius quod in ipso veluti fumosum est in totum defluxione, vnum coaceruatur caput, & summa, conseruatio videlicet caloris naturalis. Huius profectò nobilissimæ functionis, tres recensentur caussæ, materia scilicet, efficiens, & finis. Materia est aer, qui per os, & nares trahitur, bifariam partitus, cuius altera quidem, & minor pars ad cerebrum per nares suggeritur; altera verò maior per asperam arteriam ad pulmonem dilabitur. Efficiens est facultas voluntaria, ac instrumenta ei deseruientia, sicuti est septum transuersum, thorax, & eius, & abdominis musculi, ac nerui istis omnibus motum impartientes. Aspera verò arteria subseruit, vt respirationis via, sicut & pulmo, vt materiæ attractæ receptaculum, cuius dilatationem, & constrictionem septum transuersum, & thorax gubernant. Finis verò cuius gratia hæc omnia aguntur, est vt innati caloris symmetria, & commensuratio seruetur. Voluntas itaque (subdit Galenus) similis equiti existit, qui habenatum motu equos ipsos impellit. Habenis autem sunt nerui similes, quemadmodum equis musculi. Aer est ipsa res, quæ ad finem consequendum infertur, & affertur. Finis verò est calidi innati temperies, & vita: hæc quidem temperia semper conseruatur. Cum igitur innatus animæ calor nimio languet ardore, illico voluntaria motrix facultas ad opem illi pręstandã, frigidum (inquam) aerem attrahendo, intemperiemqua corrigendo commouetur, idipsumque & diaphragmatis, & thoracis ope assequitur: diaphragmatis, si modica instat necessitas; thoracis, si vehementior vrgeat. Diaphragma nanque frigidi aeris attractionem molitur, dum se deorsum trahit, sicq; consequentia quadam pulmones secum adducit, & distendit; qui leues, atque rari, facilè ducuntur quocunque velis. Thorax autem hoc idem operatur, dum vi intercostalium musculorum se distendit, & attollit; qua distensione primùm quidem, & maximè succingentem membranam ei subiectam dilatat, ac eleuat. Per hanc verò & pulmones, qui molles, & laxi sunt, paratos quamlibet motum insequi, etiam distendit, & dilatat. Hi vtique distensi, & dilatati facilè frigido aere per asperam arteriam illabente implentur; qui innatum refrigerat, ac temperat calidum. Postquàm autem diaphragma ad naturalem situm se receperit, atque thorax sua ipsius grauitate sese contraxerit, vnà etiam pulmones contrahuntur, & comprimuntur:

De vsu respirationis.

Eodem libr.

De caussis respirationis.

De caussis respirationis.

qua compressione, quicquid in illis fuliginosum, fumidumque reperitur, per exspirationem excluditur: atque hac ipsa etiam exspiratione innatus quoque contemperatur calor. Hæc quidem voluntariæ facultatis inspirandi, ac exspirandi functio facilis semper, & salubris seruabitur; quatenus eiusdem prænarratę caussæ omnes salubriter se habebunt. Cum verò aliquę harum, aut omnes insalubres factæ fuerint; tunc illico innaturalis, ac difficilis respiratio redditur. Difficilis autem, ac innaturalis respirationis, quæ citra febrem existit, tres apud Græcos differentiæ numerantur; Dyspnęa scilicet, asthma, & orthopnęa: quæ omnes sub densæ, & crebræ respirationis genere continentur: nam prout se intendit læsio, aliud, & aliud nomen nanciscitur.

Celsus li. 4. cap. 4.

Gal. lib. 3. de diffi. respi rat. cap. 5.

Densus enim, & creber spiritus dum modicè sic angit, neq; ægrum ex toto strangulat, Dyspnęa appellatur. Cùm verò intenditur, & vehementior fit, vt spirare æger sine sono, & anhelatione non possit, Asthma vocatur. Cùm accidit id quoque, ne nisi recta ceruice spiritus trahatur, Orthopnęa dicitur: quæ quidem omnes indifferenter à Galeno Dyspnęæ etiam, tanquàm communi, & generali nomine nuncupantur. Harum ergo difficilium respirationum, quæ citra febrem crebrum, ac densum spiritum insequuntur, caussam à destillanti capite exortam nunc dicere intendimus: reliquas omnes, cùm innumeræ sint, alibi declarandas seruamus.

De caussis respirationis.

Cum itaque duo genera respirationum sint, nempe facilis, ac difficilis; habeatque vtraque istarum duas proprias partes, inspirationem videlicet, & exspirationem; fit vt in totum quatuor sint respirationis partes. Nos autem hic difficilis tantum inspirationis, & exspirationis, crebræ inquam, ac densæ caussam inuenire studemus, præsertim quæ à destillatione euenit, quando ad nostrum hoc spectat propositum. Crebri igitur inspirati, exspirati spiritus potissima caussa est asperæ, & pulmonis bronchiorum (qui peruij esse debent) angustia, & constrictio: nam cùm satis hi dilatari ob angustantem materiam nequeant, vsusque vrgeat, id quod deest, crebris, ac densis dilatationibus suppletur: quoties enim ex destillatione lenta, aut crassa, aut multa pituitosa materia in aspera arteria, ac pulmonum bronchijs cumulatur, ita vt eorundem obstruat meatus, ac spiritus vias obsepiat; tunc densus semper, ac creber redditur spiritus; quoniam cor natiui caloris principium debita, ac solita refrigeratione, & mundificatione priuatum, ob spirituum vias impeditas, vtrique vrgenti necessitati, quibus angitur, crebra inspiratione, & expiratione satisfacere contendit; quando nec magnitudine, nec velocitate voti compos esse possit: occlusæ enim, & adstrictæ spirituum viæ cum attolli, & dilatari à materia coarctante prohibeantur, magnę respirationi incommodæ sunt. Pari fortuna cùm liberum non habeant spatium, per quod velociter distendi possint, celeri respirationi incongruæ existunt: at crebritati, quæ duro innititur instrumento, minime nocuæ sunt.

Lib. primo de caussis pulsuum.

Cùm igitur repurgandi, & ventilandi instanti necessitati cor nec magnitudine, nec celeritate satisfacere valeat; crebritate id assequi conatur: neque enim in his corrigendis affectibus alij sunt opitulantes modi, hęc quidem res ipsa est, quę perpetuò defectus supplet, ac corrigit. Quamobrem benè dixit Gal. vna omnino caussa est crebritatis omnium actionum defectus, qui earum accidit singulis. Asperæ itaque arteriæ, ac pulmonis bronchiorũ angustia, & obstructio, eorundem solitam, ac debitam dilationem prohibentes crebræ inspirationis, & exspirationis caussę dicuntur: hincq; ipsi angustiæ, cùm iuxtà materiei multitudinem & intendi, & remitti contingat; penès suæ intensionis, & remissionis varias differentias, varię quoque densæ, ac crebræ respirationis species fiunt.

Primo de caussis pulsuum.

Quòd modo inspiratio, modo exspiratio crebrior, ac difficilior reddatur; necessitas, seu defectus maior, & minor, aut refrigerandi, aut expurgandi iri caussa est: id quod in inspiratione euenit, cùm larynx, & aspera colli arteria, vel lenta, vel crassa, vel multa repletur materia; vnde inspirato aeri aditus occluditur. In exspiratione verò hoc prouenit; cùm pulmonis bronchij, ac intimæ eius fistulæ, & cauernæ oppletæ fuerint; quare & viæ pariter fumoso egredienti spiritui clauduntur. Hoc idipsum etiam quod contractionis scilicet vsus, vsu distensionis prępolleat, operatur magna materiei copia intra thoracis spatium congesta, pulmonum bronchios constringent, & meatus fuliginoso exeunti vapori adimens. Quòd verò quis in densa respiratione non perpetuò tussiat, cùm viæ spirituum offensæ sint, sicuti perpetuò spirat difficulter; caussa est, quoniam tussis, quæ motricis facultatis voluntariæ symptoma existit, cum magna semper, & celeri efflatione perficitur, quæ peruias, & non occlusas vias exposcit; & quæ motricis robur insequitur, & non imbecillitatem, vt crebra, & frequens respiratio.



Quid

Quid sit vox, & quæ illius instrumenta, quidq; vox rauca sit, & eius caussa. Cap. LIIII.



NVNC explicandum, quid sit catarrhus cum raucedine: atq; vt res hæc commodius fieri posit, quid vox sit, eiusq; naturalia instrumenta enucleabimus; alioquin quid sit raucedo, omnino ignorabimur. Itaque vox (vt inquit Philosophus) est respirati aeris ad vocalem arteriam resonans percussio, ab anima in pulmonis, cordisque partibus existente, facta. Neque enim omnis animalis sonus vox est, sed oportet animatum esse verberans, & cum imaginatione aliqua. Significatiuus enim quidam sonus est vox, & non respirati aeris, sicut tussis. Galenus autem ab eadem anima in cerebro, & non in corde sedem habente vocem proficisci affirmat, dum ait: Vox est principalissima omnium actionum animæ, cùm cogitationum mentis nuncia sit; quare oportuit eam fieri per instrumenta, quæ neruos à cerebro assumerent: ab ea igitur potissimum nerui à cerebro longè à suo principio protenduntur. Tria vtique ad vocem formandam necessariò expetuntur; efficiens, quod est ipsa anima, cuius passiones per eam notificantur: materia, sine qua vox effici non potest: & instrumenta, per quæ perficitur, & absoluitur. Anima quidem conceptus suos, & passiones explicare intendens, mediante efflatione, & vocalibus instrumentis, vocem gignit. De vocis autem materia sic scribit Galenus libro 6. de vsu partium, dum ait: Quo loco maximè admirabilis est Naturę prouidentia; nam cùm nobis vocem inesse satius esset, fieri autem omnino eam sine aere non posset, quicquid superuacaneum alioquin, atque inutile erat exspirandum, id in vocis materiam conuertit. Quarto verò de locis affectis particularius id explicans dicit: Propria quippe vocis materia (generatim quidem loquendo) est exspiratio; secundum speciē autem, atque propriam differentiam exsufflatio, quæ quidem est, cùm affatim spiritus foras effertur, intercostalibus musculis ad hanc actionem concurrentibus. Flatum itaque, & exsufflationem vbique Galenus vocis materiam facit. Vocis autem instrumenta in duplici sunt differentia; quædam enim longinqua, & communia dicuntur; quædam propinqua, & propria: longinqua, & communia vocis instrumenta sunt exspirationis, ac efflationis organa; veluti thorax, pulmo, septum transuersum, intercostales interiores musculi. Propinqua verò sunt aspera arteria, larynx, hanc aperientes, claudentesq; musculi, eiusdemque interior subciogens membrana, epiglottis, recurrentes nerui: sed inter hæc omnia laryngis lingula efficacissimum dicitur. Hæc quidem omnia vocis organa duplici nomine dicuntur, & quia sonora propria substantia sunt, & quia artificiosè, & concinnè ad vocem formandam articulata sunt. Anima quidem vocis primum efficiens, siue in capite, siue in thorace existat, propinqua semper ei adsunt vocalia instrumenta; in cerebro recurrentes nerui, in thorace aspera arteria. Quoties igitur per vocem suos promere conceptus voluerit, prius per musculos semper aerem in thorace contentum sursum per asperam arteriam cum impetu pellere contendit ad laryngis lingulam, & rimulam, vtputa congruum, ac appositum vocis instrumentum, ibi demúque sonus passionum animi significatiuus effingitur, quando ad hunc ipsum affectum fuerit ab ipsa pręmotur. Hunc autem sonum vocem omnes appellant. Septimo autem de vsu partium perbellè docet Galenus modum, quo animal vocem efformat, dum ait: Vt autem vocem edat animal, indiget omnino ea spiritus motione, quæ ab infernis repente simul erumpat; nam si leniter, & molliter spiritus efferatur, exspiratio fit sine sono; sin verò repente simul, ac vehementer spiritus effundatur, tunc vox verè efficitur; indiget præterea transitu angustiore, qui in larynge est: nam si amplus omnino totus fuerit, relaxatis iam primis duabus cartilaginibus, & à sese distantibus, aperta etiam tertia, haud quaquàm fieri vox poterit: non tamen simpliciter angustiore transitu indiget, sed qui paulatim ex amplo ad strictius tendat, paulatimque rursus ex strictiore amplificetur. Id quod modulantur laryngis aperientes, claudentesque musculi, & recurrentes nerui; sed præcipuè (inquit Galenus) hoc efficit laryngis lingula, à Græcis glottida dicta. Hæc quidem linguæ alicuius fistulæ similis est, quę eius foramina ad sonum formandum dearticulat. Pariter hæc instar illius laryngis ostium conformat ad vocem edendam. Melius autem esse (addit ipse) non assimilare corpus hoc fistularum linguis, sed eas huic potius; quandoquidem (vt arbitror) natura & prior tempore sit, & in operibus sapiens magis quàm ars: quare si corpus hoc naturæ est opus, illud autem quod in fistulis, est artis inuentum; nimirum hoc ad illius imitationem effectam erit ab aliquo sapiente viro, qui naturæ opera & cognoscere, & imitari potuit. Cæterùm quòd absque lingula inutilis sit fistula, ipsa per se res iudicat; pariter & larynx ad vocem edendam inutilis absque lingua existit; cùm ostensum sit vocem formari non posse, nisi transitus gutturis arctetur, occursusque exeuntis spiritus vehementior, repentinusque sit,

in locó

Hipp libello de carnibus.

Secundo de anima cap. de sono.

16. de vsu partium. cap. 3.

7. de vsu part. ait, non omnis repercußio facit vocem.

Lib. 3. fen. 10. tra. 2. „ in loco angusto. Hanc eandem Galeni doctrinam Auicenna insecutus dixit: Vocis factor est „ lacertus, qui est apud epiglottim, cum mensuratione apertionis, & expulsione aeris egredien„ tis, & percussione eius; & instrumentum eius est epiglottis, & corpus simile linguæ fistulæ: & „ est instrumentum primum in veritate, & reliqua instrumenta sunt emittentia, & adiuuantia: „ & emittens materiam eius est velamen & lacerti pectoris, & deferens materiam eius est pulmo, „ & materia eius est aer, qui inundat apud epiglottim. Quum igitur res ita se habeat, (inquit Auicenna) tunc nocumentum accidit voci, aut ex caussis efficientibus, aut propter caussam mittentem materiam: & eius quidem nocumentum est, aut destructio, aut diminutio, aut alteratio propter raucedinem, aut acuitatem, aut grauitatem, aut asperitatem, aut tremorem, aut aliud alterum. Nos verò in præsenti raucedinis tantùm caussas explicabimus, quę ad nostram hanc spectant tractationem; reliqua aliàs tractanda dimittimus. Rauca enim vox, quæ obtusa, & obscura etiam dicitur, vocalium instrumentorum, & facultatis vocem edentis symptoma est. In raucedine quidem vox à proprio, & connato sono est permutata; hæc profectò à mala instrumẽtorum temperie, & præsertim ab humida, vt per se caussa, proficiscitur. Humida enim organorum vocis intemperies eorundem soliditatem, & firmitatem adimens, siue cum calido, siue cum frigido iuncta, siue cum materiei præsentia, siue absque fuerit, vocem semper impedit, & obtundit; præcipuè si quatuor proprios laryngis musculos, qui secundam cum tertia cartilagine connectunt, affecerit; nam vocis organum relaxans, vocem obscurat. Eorundem quoque asperitas inæqualiter aeris illisionem recipiens vocem scindit, & frangit, ac raucam, & obtusam illam facit; capitis verò ad guttur, & asperam arteriam destillatio membranam guttur subcingentem madefaciens, & frequens & maxima caussa raucedinis est. De ea enim sexto „ de sanitate tuenda sic Galenus scribit: Ergo is larynx ab ijs, quæ à capite decidunt, madefactus „ principio quidem raucam vocem facit, procedente autem tempore paruam; si verò longius „ etiam procedit malum, totam adimit, quippe cum larynge arteria quoque ipsa vnà humectatur. „ Hoc idem primo de comp. medic. secundum loca repetit, dum ait: Cùm sanè vehementius, „ & difficilius vocis instrumenta humiditate irrigantur, vox aboletur; cùm moderatius hu-

Lib. 2. fen. „ mescunt, rauca efficitur. Hanc ipsam doctrinam Auicenna imitatus dixit. Mala intemperies

10. tra. 2. „ cum materia, & propriè ex catarrho humectante accidente epiglotti raucedinem facit. Et in„ fra animaduertit, quòd raucedo, quæ prouenit ab humido, à pauco prouenit humido; & cùm „ multiplicatur, parumper tremit; & si multiplicatur plurimum, destruitur. Humiditas itaque madefaciens, & relaxans vocem, iuxtà sui copiam modò strangulat, modò obscurat; quamobrem inquiunt fistulam ex ligno confectam in plenilunio inciso, propter multum humorem, quem à plenilunio retinet, nunquàm fore bene sonoram. Ex procatarcticis caussis raucedinem facientibus sunt cantus, luctus, & clamor, humores ad guttur, & asperam arteriam attrahentes. Luporum autem visus inter caussas vocem obscurantes recensentur; quoniam noxijs toruorum oculorum radijs aerem inficiunt, qui inspiratus vocalia afficit instrumenta, & ad vocem

9. Eclo. promendam inutilia reddit. Hinc rectè dixit Poeta:

Vox quoque Mœrin,

Iam fugit ipsa: Lupi Mœrin videre priores.

Sed de his hactenus.

In fluxionibus capitis dolorum caussa. Cap. LV.



SVPEREST, vt dolorum, qui cum destillatione fiunt, caussas manifestamus. Sed quoniam capitis dolores, qui vnà cum catarrhis iunguntur, modò ab eadem, quâ catarrhi fiunt, proficiscuntur caussa, modò aliunde proueniunt; idcirco conueniens

Septi. de Hip. et Plat. decretis. indicamus, summatim prius doloris ad Galeni mentem caussas percurrere; deinceps capitis doloris iuxtà eiusdem doctrinam rationes reddere; mox illius, qui ab eadem destillationis pendet materia, modum exponere. Duodecimo enim methodi medendi, ipsius do-

Idem libro de trem. & a 3. metho. cap. 6. „ loris simpliciter caussas recensens Galenus ait: Nunc confessum hoc principium sumentes, ne„ cesse esse, vt affectus, qui dolorem excitet, vel diuisio sit, vel alteratio non sensim, sed confer„ tim, & violenter facta. Hoc autem supposito, declarat deinde, quænam sint alterantia, & detrimenta ista, quæ dolorem pariunt; & inquit, quòd ex alterantibus, quæ dolorem gignunt, sunt vehementer calefacientia, & refrigerantia. Substantiæ autem continuitatem soluentia tripartita reperiuntur; nam vel ruptio, vel contusio, vel erosio in caussa existit. At ruptio ex distentione quadam, contusio ex grauante aliquo, erosio ex mordente prouenit qualitate. Ergo cùm nihil extrinsecus fit, quod vel distendat, vel grauet, vel erodat, sed ex seipso horum aliquod corpus sentiat; neminem latere potest, distentionem ab aliqua interna substantia, quæ

multi-

multitudine sua corpus se continens distendat, aut immodica siccitate, prouenire: contusionem, quoniam aliquod corpus extrinsecus occursarit, quod vel durum, vel magnum, vel graue, vel simul ambo extiterit: erosionem verò ex succo aliquo, qui mordens natura insit. Vbi igitur vehemens dolor vrget, scrutandum nobis est, an succus plurimus, an spiritus, cui non sit exitus, an grauis moles, an mordens humor, an siccus affectus subsit. Ad hæc (sicuti inter initia diximus) an aliquid, quod valenter excalfaciat, vel refrigeret, quorum rursum caussæ vel in spiritu, vel in humoribus, vel in solidis ipsis sunt statuendæ. Quicquid enim eorum vehementer excalfactum, refrigeratumuè fit, quando quod vicinum est, tangit, graue illi, molestumque redditur. Has quidem omnes cursim duodecimo methodi doloris caussas recensuit Galenus. Sed modò ad capitis doloris caussas explicandas veniamus; breuiterque ex Galeni mente dicimus, quòd capitis doloris caussę internę (siue primariò, siue secundariò alterius membri consensu caput doleat) sunt humores, vaporesque tum quantitate, tum qualitate peccantes; & ipsius cerebri, aut suarum membranarum inæqualis, & mala intemperies calida, & frigida, necnon flatulenti, & tenues spiritus ipsi, qui exitum quærentes impetum faciunt, & simul membrum distendunt, ac vnitatem soluunt, & dolorem excitant. Exactiorem autem capitis sensum minimè inter eius doloris caussas recensemus; cùm aptitudinem, & propensionem quandam tantùm ad dolorem dicat, & nequaquàm illum excitet. Humorum autem copia citra obstructionem (inquit Galenus) caput grauat; cum obstructione verò, siquidem ea moderata fuerit, moderatè dolorifica fit; sin fortis, vehementer affligit. Quòd si mordacem etiam habeat qualitatem humoru copia, hac quoque parte dolorem augebit, vellicando scilicet, & pungendo. Hoc idem secunda fen libri primi affirmat Auicenna, dum ait: Humores mali dolorem efficiunt, aut propter ipsorum qualitatem, sicut cùm mordicationem faciunt, aut sua multitudine, sicut cùm extenduntur, aut propterea quòd vtraque coniunguntur. Flatulenti verò spiritus dolorem faciunt propter extensionem. Mala autem cerebri, & suarum membranarum intemperies dolorem caussans est frigida, & calida intemperatura, violenter, & athrœos facta. Hæc vtique perpetuò tristem, & malam cerebro, & suis membranis sensationem infert. Ex ijs autem commistus affectus, vt inflammatio, quæ & intemperie, & continui solutione constat, & ipsa etiam caput dolore nimirum excruciat. Has verò singulas doloris species Galenus primo ad Glauconem enumerans ait: Porrò qui cum grauitate dolores capitis fiunt, multitudinem indicant: qui autem cum mordicatione; vaporis, humorisuè acritudinem: cum pulsu verò, inflammationem: at cum tensione, siquidem sine grauitate, ac pulsu, spiritus flatulenti, & crudi multitudinem: si verò cum pulsu, inflammationem corporis membranosi. At si adsit grauitas, multitudo intra membranas contenta significatur: sed si humor intus putrefit, ardentior redditur, & febrem excitat, qualem phlegmon ortus. Quum igitur omnia distinxeris, (addit ipse) caussam ex qua horum singula fiunt, considerare oportebit, veluti si vaporis copia, atque humoris in cerebro contineatur; aduertere oportet, nunquid ob magnitudinem febrium humores diffusi, ac veluti efferuescentes ad caput ascenderint, aut propter eius partis imbecillitatem, aut ob totius corporis plenitudinem. Quod verò ad naturam affectarum particularum pertinet, (subdit Galenus) interdum quidem extra caluariam affectio fit, aliquando intra: & interdum quidem omnes externas, aut internas partes infestat: interdum autem non omnes, sed vnam tantùm speciem corporis, arteriam nempe, aut venam, aut neruum, aut membranam, aut cutim, aut ipsum denique cerebrum: at quibus intra caluariam est dispositio, ijs ad oculorum vsque radices ipse dolor extenditur; quòd nimirum a cerebro, & ab vtraque membrana, necnon à vasis, quæ in ipsis sunt, veluti germina quædam, illuc deducantur. Sed & eorum, quibus dimidia capitis pari dolore infestatur, (vocantur autem ij hemicranici) alij extra caluariam, alij in capitis intimis partibus dolorem percipiunt. At de his satis.

Lib. 2. de compo. medic. secundum loca. cap. 2.

Doctrina 2. cap. 25.

Secũdo de cõp. med. secundum loca.

Ad capitis dolorem, qui ab eadem, qua defluxus fluit, caussa pendet, declarandum accedamus: & dicimus, quòd acris, & mordax humor pungendo, ac stimulando simul mordacem dolorem creant, & expultricem ad defluxum excitant. Pariter exuberans humorum copia in cerebri riuulis obstructionem faciens, eiusdem membranas grauans, & distendens, expulsiuam ad fluxum stimulat, & malum, ac noxium efficit sensum. Inæqualis autem cerebri intemperies, tum calida, tum frigida, si vehementes admodum fuerint, & ipsæ dolorem faciunt. Abnegantes verò cerebrum & sensu, & dolore affici posse, vel hac sola tantùm ratione conuincuntur; quoniam Medici principibus facultatibus cerebrum præditum vbique asseuerant. Si nanque animali facultate cerebri substantia ornata sit, & tactrici similiter facultate consequenter ornata erit; quando hæc animalibus cunctis facultatibus perusa semper reperiatur: hæc enim ex Galeni etiam sententia animatarum virtutum omnium radix, & fons

Secundo de anima text. 21.

7. & 8. de Plac. Hipp. & Plat. & Auic. prim. fen. pri. lib.

doctrin.6. cap. 5. Gal. in lib. de oculis, cap. 1. „ existit; id quod clarè primo de elementis manifestat, dum ait: Quòd si neque dolor, neque „ voluptas omnino inest impatibilibus elementis; neque memoria, neque recordatio, neque „ phantasia; radix enim quædam, & veluti fons horum omnium est sensus; quòd si nihil horum, „ neque vlla alia operationum animalium, quare neque anima. Hæc Galenus. Ex ijs sanè concludimus, quòd si cerebri medullaris substantia principibus facultatibus prædita fit, ex consequenti etiam & sensu, & motu prædita erit. Ideirco primo de placit. Hippocr. & Plat. bene infert Galenus. Ex quibus omnibus rectè dictum esse constat, cerebrum iom sensuum omnium, tum incitatorij motus in animalibus originem esse: quod apertè ex neruorum substantiæ explicatione manifestat. *Septimo, & octauo de placit.Hip. & Plat.* Nerui enim (inquit ipse) ex medullari substantia à cerebri, seu nucæ substantia excerpta, paritérque à duabus membranis ab eiusdem cerebri, aut nucæ membranis assumptis compositi sunt. Primo enim processu tenui, secundo autem crassiori membrana inuoluuntur: quas membranas si quando iuxtà singulos neruos ademeris, nulla pars offendetur, in qua neruus demissus fuerit; eum videlicet membranæ ipsæ tegmina tantùm sint & cerebri, & spinalis medullæ; sensus autem, & motus vis in medulla, quam comprehendunt, existat. Quòd si nerui partem medullarem secueris, statim membrum, in quod neruus deferebatur, sensus, motusque omninò expers reddetur. Hæc quidem omnia septimo de placitis Hippocr. & Plat. docet Galenus. Quòd verò non ita viuo, & acuto polleat sensu, sicuti & nerui, tenuitas, & raritas eius substantiæ in caussa est, quæ ad nobiliores valde, & perfectiores ordinatur operationes; & non ad sensum, & motum tantùm, quemadmodum nervorum essentia dura, ac densa fuit constituta. Sed præter innumeras Galeni, & aliorum auctoritates, adest clara, & aperta sententia in libro de sacro morbo Hippocratis dicentis: Por„ rò expedit homines noscere, quòd ex nulla alia nobis parte voluptates contingunt, & lætitiæ, „ & risus, & lusus, quàm ex cerebro: itemque mœrores, & anxietates, tristitiæque, ac eiula„ tus, & querelæ. Et hoc sapimus maximè, ac intelligimus, & videmus, & audimus; & co„ gnoscimus turpia, & honesta; mala, & bona; iucunda, & iniucunda; partim consuetudine „ discernentes, partim vtilitate percipientes. Horum itaque omnium cerebrum caussam esse Hippocrates affirmat. Sed nimirum præter intentum protracta fuit de catarrhi caussis oratio: quamobrem ipsis finem imponimus, & ad eius vniuersalia tempora cognoscenda accedimus.

Destillationis vniuersalium temporum caussa. Cap. LVI.



CATARRHI autem vniuersalia tempora, quæ aliàs caussarum vniuersales motiones Galenus ad Trasybulum nuncupauit; quatuor esse Medici asseuerant, principium, augmentum, statum, & declinationem. Hæc quidem tempora caussarum morbi motiones dicuntur; propterea quòd dum variè, ac diuersè morborum caussæ mouentur, varias, ac diuersas morborum differentias constituunt; quæ ætates, & tempora nuncupantur. Cùm enim morborum caussæ agere incipiunt, principium eorum fit; cùm vehementer illæ vim suam exercent, incrementum constituitur; status autem aduenit, cùm eundem tenorem seruant: declinatio verò sequitur, quando earundem vis minuitur, & frangitur. Vbi igitur effectrices catarrhi caussæ virtuti prædominantes, destillationem præmouere inceperint, tenues, acres, aut aquosos succos vniformiter generant, quæ fluere prorsus intercepti, aut moderatè fluentes, insalubris destillationis principium circumscribunt: cùm verò eius caussæ fortius intenduntur, tunc acriores, copiosioresque procreantur humores, & defluxus copia augescit; & si quæ alia adsunt lætalia, symptomata excrescunt, quæ catarrhi incrementum definiunt. Cùm autem ad summum insalubris catarrhi caussæ venerint, continuatoque tenore huiusmodi persititerint, aequè tunc, & acres vberrimè humores defluunt, extremam eru ditatem, ac innaturalitatè præseferentes; quæ si adeo auctæ fuerint, vt vires vndique superent, *De totius morbi temporib. c. 5.* tunc ægrum in summo morbi vigore interimunt: neque enim aliter (refert Galenus) quis perire potest, nisi natura victa sit, morbusque ea superior euadat: sicuti è contra, neque seruari aliquis potest, nisi natura morbum prostrauerit. Atque hæc sanè lætalium destillationum tempora sunt, penès accidentia, & cruditatis signa descripta; per quæ in vitæ discrimine ægri consistunt. Si autem morbus naturæ præualere non possit, sed potius è contrario ipse ab illa euincatur, & subiugetur; tunc quatuor destillationis tempora procreantur, quæ ex quatuor varijs salutaribus concoctionis signis circumscribuntur. Vbi enim præenarratæ effectrices catarrhi caussæ agere ceperint, fluxibiles crudos humores procreando, sed postea vi naturæ prædominantis concoquendo, & alterando, retrogredi illæ coguntur, & humores pariter ad bonum disponuntur; hæ enim salutaris destillationis principium faciunt. Galenus verò summa cru-

ditate

ditate destillationis principium claudit: inquit enim in libello de totius morbi temporibus. Quinetiam humorum, qui è cerebro per palatum, & nares defluunt, initium quidem est, cùm aquei, tenuesque, atque copiosi, & acres apparent: nam extremam hæc cruditatem significant. Hucusque Galenus, qui extrema cruditate destillationis principium definit. Nos autem eius doctrinam in primo libro de crisibus insecuti, vbi salubrium morborum initium debilibus, ac diminutis concoctionis notis determinat, asserimus, salubris destillationis initium fore, dum paucus, ac modicè acris humor fluet, subobscura quadam concoctionis nota alteratus: & hoc bene quidem; nam dum natura malæ cerebri intemperiei resistit, ei reluctans, in eius pariter materiam agit, alterando, & concoquendo illam: sed quoniam maxima adest repugnantia, difficillimè id assequitur; hinc prouenit, quòd non nisi modica, & exigua adest eius impressio in materia tunc temporis excerpta. Quòd verò ibi Galenus scribat, extremam cruditatem principium esse; dicimus illud asserere, vel in lethalibus, & vehementioribus destillationibus, vel quia modicè hæc inter se differunt, cruditas inquam, & exigua concoctio: perpetuò enim infima, & imbecillis concoctio propè cruditatem existit. Cùm postea effectrices catarrhi caussæ subigi, & manifestè diminui cœperint; tunc natura fortius vim suam exercet, & impressionem, ac alterationem euidentem in materia facit; proinde excrementa, quæ tunc excernuntur, manifestam concoctionem ostendentia, morbi incrementum significant. Cùm autem eædem catarrhi caussæ in eodem tenore, & statu imminutæ, ac repressæ perseuerant, tunc natura maximam aggreditur pugnam, & superare prorsus intendit; quare materiam vndique vicit, ac perfectè concoquit; vnde excrementa, nulla noxia qualitate affecta, reijciuntur: quæ perfici victoriam, & salutaris catarrhi statum esse apertè ostendunt. In declinatione tandem omnino minuitur, euanescitque destillatio, cùm calor natiuus malam cerebri intemperiem absolutissimè vicerit, eiusque lædentem materiam penitus confecerit. Sed hactenus de catarrhi temporibus: reliquum est, vt ad specierum catarrhi signa manifestanda properemus.

Futuri catarrhi signa prognostica. Cap. LVII.

EQVIDEM destillationis signa bipartita sunt; nam quædam prognostica, quædam demonstratiua dicuntur: de prognosticis prius dicemus, cuius euentus ea sint, deinceps quænam ad bonum, & malum prognostica appellentur. Quæ enim futuram destillationem præsagiunt signa, sunt ipsius tum antecedentes, tum procatarcticæ caussæ: neque enim incongruum putamus, idem sub diuerso respectu, & caussam & signum nuncupari posse; dum verò in animante caussat, seu caussare aliquid potens est, nominatur: dum autem aliquid eorum, quæ in corpore fiunt, ostendit, aut ostendere potest, signi nomine donamus. Procatarcticæ autem, & antecedentes retrodictæ caussæ omnes, cùm tales cognitæ fuerint, quòd naturaliter aptæ natæ sint destillationem parere, quàmprimum aderunt, statim ipsis agnoscentibus futuram prænuntiabunt destillationem. Externæ itaque præincipientes caussæ destillationem, ac grauedinem magnopere præsagientes erunt ambientis nos aeris frigidæ, & humidæ, & subitæ, ac incostantes intemperies; necnon austrinæ, & pluuiosæ temporum constitutiones, de quibus 3. aphor. Hipp. sermonem habuit, dum scripsit: Si verò hyems austrialis, & pluuiosa fuerit, ver autem siccum, & aquilonium; senioribus destillationes accidunt cito interimentes. Hoc idem in libro de aëre, locis, & aqua repetit: Si hyems austrina fiat, & pluuiosa, & clemens; ver autem boreale, & siccum, & tempestosum: pituitosis dysenterias fieri verisimile est, & mulieribus, pituita de cerebro defluente propter naturæ humiditatem: valdè autem senibus defluxiones propter raritatem, ac eliquationem venarum, adeo vt aliqui quidem de repente pereant, aliqui verò semisiderati, aut dextra, aut sinistra parte fiunt. Ab his vtique iners Auic. sumpsit, quod secunda fen primi libri scripsit: Quum hyems multarum fuerit aquarum, catarrhi tunc multiplicabuntur, & propriè in senibus, & descendent in membra eorum occulta, & quandoque morte morientur subita, adeo quòd viæ spiritus subitò ex multitudine obstruuntur. Vniuersaliter tandem austrinæ, pluuiosæ, & inconstantes temporum constitutiones, præsertim si post austrum boreas spirauerit, catarrhos maximè futuros demonstrant, cùm illæ ipsæ sint, quæ maximè illos promouent, ac concitant. Hoc idipsum Auicenna cap. proprio de coryza, & catarrho affirmat, de ipsorum præsagijs verba faciens: Catarrhi quidem, & ægritudines catarrhi multiplicantur, cùm flat ventus septentrionalis, & propriè post austrinum; & multiplicantur etiam in hyeme, & propriè cùm fuerit æstas post ipsam septentrionalis, paucæ pluuiæ, & autumnus austrinus, pluuiosus; & quandoque etiam multiplicantur in regionibus meridionalibus propter repletionem capitum. Hanc quidem sententiam ab Hippocrate

Caussæ cùm apparent, suos repræsentant effectus.

Aph. 12.

Cap. 7.

Fen 5. li. 3. tract. 1. c. 11.

Aph. 12. et 13. Ter. aphor. 16. 17. 20. & 23. aph. 2. in lib. de aere, locis, & aquis.

pocrate tertio aphorismorum habuit, dum dixit: Si verò æstas sicca fuerit, & aquilonia; autumnus verò pluuiosus, & australis; dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque grauedines; quibusdam autem & tabes. Quòd verò frigida, & humida, ac inæqualis cœli intemperatura futurum prædicant catarrhum, vltra multas Hippocratis, & Galeni auctoritates, adest quòd ipsius effectrices caussæ asseuerantur, vti supra enarrauimus: Quare ex hoc, quòd illud efficere maximè valent, ipsum futurum clarè prænunciant. Pari profectò ratione & de alijs procatarcticis caussis, de quibus supra nos egimus; quas Galenus & euidentes, & recentes, & multoties morborum occasiones nuncupat, asserimus; quòd hæ omnes futuram præsagiunt destillationem, prout destillationis ipsius excitantes caussæ cognitæ fuerint. Sed hactenus de procatarcticis præsagientibus caussis: superest, vt declaremus, quemadmodum antecedentes caussæ futurum prædicant catarrhum. Antecedentes autem caussæ venturam destillationem nunciantes, potissimè sunt frigidæ, & humidæ ipsius cerebri intemperie, de quibus supra abundè diximus: pariter eiusdem infirmæ, ac debiles concoctrices virtutes. Hæ nempe cùm destillationem patere promptæ sint, illicò cùm adsunt, quamprimum

Aph. 2. ipsam futuram ferè præmonstrant; hac enim ratione Galenus secundo tecgni, & sexto aphorismorum scripsit; quòd frigida, seu humida cerebri intemperie prædita ... ex caussa grauedinibus, ac destillationibus capiuntur. Ob quam rem etiam tertio aphorismorum Hippo-

Aph. 31. „ crates inter seniorum affectus destillationem commemorans dixit: Senibus accidunt difficul-
„ tates spirandi, destillationes tussim afferentes, articulorum dolores, apoplexiæ, vertigines,
„ oculorum & narium humiditates, & quæ sequuntur. Senectus enim, cum frigida, & humida cerebri discrasi laborat; vt facilè destillatione tentatur, ita facilè quoque illam venturam denunciat: calida enim cerebri intemperies qua ratione defluxus materiam ad caput attrahit, eadem illam futuram prædicit: sed multò (inquam) id efficacius præsagient calidiores, tum hepatis, tum cordis temperaturæ, vapores & humores ad caput multos excitantes. Indecens autem corporis conformatio, sicuti est capitis paruitas in corpore iustè composito secundum naturam, pariter inæqualis principum partium intemperies, vtputa cerebri frigida, & subiacentium principalium calida intemperatura, futuræ destillationis iudicia faciunt; vi enim caloris inferiorum principum partium vapores plurimi ad caput eleuantur, vbi eius frigiditate incrassantur, qui mox deorsum stillatim cadunt. Idem euentus in capite paruo; nam vapores ad ipsum delati, ob loci paruitatem detenti coarctantur, & innato cerebri frigore densantur; vnde præcipites ad inferiora ruunt: hæ namque corporum constitutiones, vt ad catarrum disponunt, ita ad eius præcognitionem nos ducunt. Latorum autem pororum, ac raræ texturæ corpora, præcipuè secundum caput, venturi catarrhi testimonia fiunt: facilè enim hæc corpora ab externis læduntur caussis, tum calidis, tum frigidis; vnde calore liquescunt materiæ, frigore autem comprimuntur; & fluxus vtroque generatur modo. Quod autem

Com. 4. Hippocrates in secunda commentatione sexti epydimiarum scripsit: Lienis vitijs laborantes minus capitis grauedinibus tentantur: Huius verò caussam & Ruffus, & Sabinus dicunt, (vt refert Galenus in comment.) quia sanguis per grauedinem repurgatur: propterea enim putant nihil in lienem descendere: at satius fuerit (inquit ipse) ad communem rationem, & non ad priuatam hæc verba redigere. Petrarum enim est, in omni corpore duo aliqua membra
„ æqualiter esse debilia: nam in plurimis vnum planè eiusmodi esse deprehenditur, in quod
„ superuacua corporis omnia feruntur: vnum autem si hæc præoccupauerit, reliqua membra
„ in sanitate permanent. Hoc verò commune cùm sit, & vniuersale, proprium eorum, quæ
„ nunc dicuntur, aliquis adijciat: in quibus quidem pituitosa humiditas, aut tenuis, & aquo-
„ sa colligitur, quales profectò & illi sunt, qui capitis grauedine vexantur: istis haud ita sæpè
„ præter naturam tumores in liene procreari, qui ex crassis, melancholicisque humoribus con-
„ stant. Hucusque Galenus, à quo Auicenna arripuit quod capite de catarrho, & coryza scrip-
„ sit de hac sententia, dicens: Inquit Hippocrates pluribus eorum, quibus accidunt catarrhi,
„ splen non accidit. Galenus ait, quoniam plurimum qui ægritudinem habet in membro
„ vno, tunc alia membra habet incolumia: dico autem fortasse, quoniam paratus
„ catarrhis subtiliores habet humores: & ille, cuius humores
„ incrassantur, non præparatur catarrhis
„ multum. Sed de his
satis.



signa

Signa salutem, vel mortem prædicentia. Cap. LVIII.

PRtus verò salubria, & lethalia destillationis prognostica signa declarabimus: mox quæ ipsam breui, aut longo tempore terminaturam ostendunt, exponemus. Hæc autem tum ex destillationis natura, eiusque caussis, ac varijs eiusdem excretionum differentijs excerpta sunt; tum ex corporis constitutione, viriumque robore, ac infirmitate. Destillationis verò natura salutem & mortem prædicit; si enim parua, benignaque ipsa fuerit, ita quòd facilè feratur, & sine labore suis iuuetur præsidijs, salutem pollicetur. Si autem magna, maligna, & difficulter feratur, periculosa existit, & mortem minatur. Hæc quidem naturæ vires, & artis præsidia superat. Eodem ferè modo & destillationum caussæ hoc idipsum ostendunt; leues siquidem, benignæque effectrices caussæ salutarem illam pronunciant; vehementes autem, aut malignæ, vel insanabilem, vel mortalem. Idem testantur destillationis excrementa; nam si facilè promptèque emittuntur, & bonis qualitatibus prædita visuntur, salutem præsagiunt: si verò laboriosè excernantur, & malis qualitatibus affecta, ac plurimum à naturali statu euariauerint, mortem, vel incurabilem illam denunciant. Suffocatiui catarrhi præsentaneam mortem indicant. Celsus etiam refert, quòd si in nares ex capite destillat humor, leue est; si in fauces, peius; si verò in pulmonem, pessimum est: at valde pestiferum est quod pulmonem exulcerauit, aut asperam arteriam, aut ipsius caput potissimum, si ad eius cartilagineam substantiam peruenerit. Proba autem corporis constitutio bona omnia sperare iubet, improba autem difficultatem, & malum minatur; nam in corporibus pessimè affectis, & imbecillis, aut lethales, aut qui nullo modo, vel ægrè admodum curentur, morbi nascuntur. Validæ etiam, & infirmæ corporis vires hoc idem testantur; nam tunc mors expectatur, cùm in graui affectu vires debiles subsint: salus autẽ speratur, si validæ existant: difficilis verò affectus, si æquale est pugnantiũ robur. Sed ad longę, breuisq; destillationis signa declarãda accedamus.

Lib. 4. de grauedine.

Gal. 7. de vsu partiũ.

Prognostica longi, & breuis catarrhi. Cap. LIX.

ABisdem autem fontibus, à quibus salutaria, & lethalia destillationis signa assumpsimus, & longitudinis, & breuitatis quoque eiusdem signa assumemus, vtputa à destillationis natura, eiusque caussis, varijsque eiusdem excrementorum differentijs, necnon à corporis constitutione, ac facultatum robore, ac imbecillitate. Pauca enim, ac placida destillatio, & quæ facillimè fertur, & absque labore suis iuuatur remedijs, celerrimè soluitur. Multa autem, ac vehemens, & quæ difficulter tolleratur & curatur, pro finis diuersitate, ad salutem scilicet, vel ad mortem, & breuem & longam esse contingit: breuis vtique fit, si ad perniciem tendit: longa autem euadit, si saluti terminabitur. Quamobrem rectè asseuerant, quòd quæ interimunt destillationes, quantò maiores extiterint, tantò sanè promptius finiuntur; tantò verò tardius, quantò minores. Contrarium in salutaribus euenit: nam quæ mitiores erunt, eò celerius absoluentur; quæ verò fortiores, tardius ac difficilius. Paruæ nanque, & benignæ destillationum effectrices caussę celerem, fidam, & omni modo perfectam solutionem promittunt; magnæ autem, & malignæ pro illarum excessu, vel mortalem, vel incurabilem: si mors enim præuenerit, breuis admodum erit catarrhus: si salus subsequetur, longus & extensus fiet. Huius profectò generis sunt catarrhi, qui nunquàm abigi possunt, quales sunt senum destillationes, quæ nec perimunt, nec curantur vnquàm, sed ad mortem vsque eos concomitantur. Pariter fluxiones, quæ ad crura, & articulos ferri consueuerunt, hominem non deserunt, nec tamen extinguunt. Huiusmodi omnes diuturnæ sunt; nam à fortibus caussis, quæ altius radices iecerint, progrediuntur, & patientis corporis virtus valida conseruatur; vnde æqualis semper pugna existit inter caussas has, & naturæ, remediorumque vires, nec planè vinci, nec vincere valent. A crassis quoque, viscidis, & multis succis longi nascuntur catarrhi; ad quas quidem caussas temperatura ægri, sexus, ætas, vitæ conditio, cœli status, anni tempus, & cætera huiusmodi, quæ scilicet vel tales humores gignunt, vel ostendunt, quæ eos procreant, rediguntur. Quæ autem excernuntur excretiones, & ipsæ breuem, longumque demonstrant catarrhum: breuem nanque declarant concocta, & quę facilè promptèque expurgantur: diutinum verò, quæ crassa, viscida, seu tenuia inconcocta excernuntur: quæ verò cum strepitu, & tussi molesta regeruntur, cùm difficultatem ostendant, molestia hæc longitudinis est testimonium. At vires validæ salutaribus, debiles verò lethalibus celeritatem addunt. Contraque validæ lethales producunt, & imbecilles salutares protrahunt. Sæpe incurrentes catarrhum à periculo non sunt omnino tuti, sed varijs obnoxij ægritudinibus. Hactenus de his. Nunc ad demonstratiua catarrhi signa explicanda accedamus.

Signa demonstratiua antecedentium, & procatarcticarum caussarum. Cap. LX.



EMONSTRATIVA signa fluxionem actu ostendentia multiplicia sunt: quædam enim defluxus caussas demonstraut, quædam materias fluentes, aliquæ eorundem differentias, quædam verò vias per quas defluunt, & terminos ad quos tendunt, & terminantur. Quæ caussas iudicant, aliquæ procatarcticas, antecedentes aliquæ ostēdunt: procatarcticæ quidem caussæ, vltra quòd seipsas manifestant (nam quàmprimum apparent, suos illicò repræsentant effectus) desit tamen ipsarum maximum indicium, multitudo scilicet tunc temporis destillationum grassantium; vbi enim multi vna destillatione homines corripiuntur eadem tempestate, in id conferenda caussa est (ait Hipp.) quòd sit communissimum, quoue maximè vtimur vniuersi, hoc est quod spiritu attrahimus, ipsum scilicet aerem. Sed has missas faciamus, quoniam particulatim ab assidentibus, ægrotantibus externæ narrantur caussæ. Signa verò antecedentes destillationis caussas indicantia sunt venarum, & viarum cerebri obstructionis, ac plenitudinis notæ, necnon ipsius cerebri, tam simplicis, quàm compositæ malæ intemperiei signa; calidioris scilicet, frigidioris, ac humidioris; & compositæ similiter, calidæ videlicet & humidæ, frigidæ & humidæ, ac frigidæ & siccæ: de quibus secundo artis medicinalis abundè Gal. agit. At naturalium cerebri facultatum imbecillitatis indicium, & præcipuè concoctricis, est sensuum perturbatio, & caput, quod à quacunque leui occasione offenditur. Vbi verò destillatio ex cerebri indigestione non fuerit, tum sensus liquidiores apparent, tum caput lædentibus caussis fortius resistit. Venarum autem, & arteriarum capitis obstructio ex earundem tumore, & tensione dignoscitur, atque ex pulsus plenitudine, & febre ex prohibita transpiratione accensa, necnon ex capitis pondere, & grauitate, & difficili inspiratione, & respiratione narium, seu difficili narium difflatione: siquidem magna obstructio extiterit, ex signis prædictis auctis deprehenditur, adiuncta mentis tarditate, sensuumque hebetudine, & ad motum pigritia. Viarum autem capitis plenitudo (quam alteram catarrhi antecedentem caussam facimus) sui ipsius pondere, & grauedine percipitur. Hac quidem plenitudine animales virtutes, & internæ, & externæ æqualiter offenduntur: hinc alices, oscitationes, & segnities ad motum, & turbulenta eueniunt somnia; quoniam cerebrum multum grauatur.

Secundo de natura humana.

Signa demonstratiua materiæ fluentis. Cap. LXI.



ATERIES fluentis demonstratiua signa sunt excrementa ipsa actu cadentia: hæc enim dum actu fluunt, actu quoque defluxum ostendunt. Sed præter effluentia excrementa, vrina etiam huius generis dicitur, quòd cadere à capite humores demonstrat; etsi hæc Gal. fortasse non affirmet, cùm asseueret vrinam supra capitis affectum vim indicatricem minimè habere: isti tamen inquiunt, quòd si in vrinæ circulo granulosæ bullæ circunstant in vase, reumatismos ad inferiora delabi significant: & si huiusmodi circulus crassus fuerit, nimiam capitis plenitudinem, & dolorem indicant. Si verò nullo inquiescante tremulus apparuerit, pituitæ, & aliorum humorum defluxum à capite per collum, posterioresq; partes ad inferiora denotat. Bullæ autem, quę in vrinæ corona circunsistunt, & à capite, & à renibus proficiscuntur: quæ à renibus veniunt, vt plurimum obscuriores, & crassiores cernuntur; quæ à capite, magis albæ, & tenues, ac lucidæ apparent: hæ quidem & eiusdem dolorem, & fluxionem æqualiter nunciant. Quæ verò fluere intercipiuntur materiæ, aut ob lentorem & crassitiem, aut propter obstructionem, & inconcoctionem, magis, minusúe propensæ ad fluxum dignoscuntur.

Prim. de crisibus. ca. 7.
Quarto aphor. aphor. 77.
Septimo aphor. 34.

Singularum differentiarum catarrhi, signa demonstratiua. Cap. LXII.



IGNA verò eadentis materiei differentias demonstrantia multa sunt, pendes varias ipsius differentias. Sed quoniam inter omnes, quæ est secundum actiuas qualitates, superius primam fecimus, idcircò huius signa primò tradentur. Quæ enim calore, & frigore inuicem separantur fluentes materiæ, multas & varias habent cognitionis notas: nā pallor, albedo, liuiditas, lentor, insipiditas, & aciditas, si fluidæ materiæ comites erunt, ipsam frigidā nunciant. Ruffus verò, & subruffus color, ac nigredo adusta, & acuties vrens, atq; exulcerans, & multa dulcedo, salsedo, & amaror calidam testificantur materiam. Quòd si ętas, &

complexio,

complexio, & tempus anni, regio, ars, ratio, victus, alteri istorum calori, seu frigori iungantur, eò magis illas declarabunt. Vrina quoque hoc ipsum ostendit; nam si tenuis, & crassa ipsa inspiciatur cum eiusdem coloris circulo desuper granuloso, calidam vtique testatur materiam. Si verò tenuis, & pallida cum granuloso circulo, vel loco circuli spuma alba per granula diuisa adsit, frigidum ostendit humorem. Paulus autem frigidi, & calidi catarrhi describens notas ait: Qui igitur ex æstu grauedinem, vel destillationem concipiunt, his particulæ incalescunt, acris tenuisque humor destillat, tum per nares, tum per os, tum facies rubescit, & nasus. Qui ex frigore, ijs caput vndique, & frons distenditur; meatusque, qui in ossibus sunt, quæ ethmoida nominantur, clauduntur, ne vox deorsum per nares transmeet; pituita educitur, nunc cruda, & liquida, nunc viridis; quibusdam & febris superuenit, quæ ob æstum laborantes nihil iuuat, frigore præssis etiam concoctionem efficit. Crassities verò sola frigidi catarrhi minimè est nota, sicut neque subtilitas calidi: res enim tum à calore, tum à frigore crassescunt. Pariter tenuitas & cum calida reperitur bili, & cum aquea frigida pituita. Tenuitas autem, & crassities, etsi tactu, & visu agnoscantur, his quoque deprehenduntur notis. Tenuis enim cognoscitur ex eo, dum expuitur, quod labilis sit, & fluens; at è diuerso crassa in globum vertitur, & in se permanens non fluit. Si quid verò in medio crassum, & in circumiacentibus partibus tenue fuerit, tunc indica destillationem omnino esse tenuem, cùm hæ partes ad crassitiam nondum deuenerint. Ex velocitate quoq; fluxus alterum distinguens indicium sumitur. Nam si velociter fluat, & præsertim ad partes distantes, vtputa ad pulmonis vias angustas, subitò suffocans, subtilis existit: si verò tarde, crassa indicatur. Hæc multoties ob eius crassitiem vix euelli potest. Quæ verò inter crassitiem, & tenuitatem media reperitur, mediam horum naturam sapit. Cæteræ autem materiei differentiæ facile cognoscuntur; nam quæ coloribus inter se distant, visu discernuntur; & qui saporibus, gustu; odoratu quidem, quæ odore diuersæ sunt. Acutus quoque, mordicatiuus, & corrosiuus à non tali ab ipso effectu facilè secernitur. Multa autem, & pauca catarrhi quantitas, præter multas, & paucas catarrhi excretiones, magna etiam, & parua capitis grauedine deprehenditur. Signa autem complicati catarrhi ex calida excitante caussa, & frigida stillante materia, seu è contra ex frigida caussa, & calida fluente materia, sunt complicata signa, calidam quidem concitantem caussam ostendentia, & quædam frigidam fluentem materiam declarantia; aut è contrario frigidam promouentem caussam significantia, & calidam aliquæ attestantia materiam. Destillationum autem differentiæ, quæ circa solum fluxum considerantur, sensu ipso, ex sensibilibus ipsius motus differentijs facilè innotescunt. Nocturnus autem, & diurnus, similiter æstiuus, & hyemalis, & aliarum constitutionum temporis, ipsi se demonstrant. Pariter & cum febre, & cum dolore, & cum plenitudine, & cachochymia iuncti catarrhi ex notissimis his affectibus clarè omnibus patent. Quæ autem per consensum est destillatio, si à toto fuerit, cognoscitur; quoniam totius nocumentum adest, vtputa febris, aut aliqua alia vniuersalis affectio, in cuius paroxismis catarrhus augetur, & ipsis imminutis imminuitur, & ablatis aufertur: & si à particula aliqua particulatim caussatur, illius similiter nocumentum prius aderit, & illo aucto augetur catarrhus, & diminuto diminuitur: quæ nanque primario affectu in capite destillatio existit, ex continuitate, & perennitate, necnon ex eius magnitudine, & vehementia cognoscitur, vel quia nullæ adsunt particularium membrorum ægritudines, à quibus pendere illum suspicari possimus. At destillationes, quæ fiunt per externas cerebri partes, his notis discernuntur; quoniam si per pericranium fluat, defluxio leuis erit, & modica: cutis præterea, tum vniuersi capitis, tum frontis, & dolore, & grauedine, & extensione afficietur; quòd si per venas fluxerit, facies tumida erit, quinetiam & oculi, atque venæ, quæ in collo, & facie, fronteque latebant, adeo intumescunt, vt manifestè videantur. Porrò quæ per internas capitis partes materia defluit, ex mox dicendis cognoscetur. Viæ enim per quas emanant cerebri defluxus, suis etiam agnoscuntur indicijs; quæ enim ad nares, aures, oculos, palatum, & os materiæ deportantur, liquidò patet, quòd per proprios vniuscuiusque harum partium ductus, & canales hæ deportantur. Quæ enim ad ventriculum per œsophagum materia ducitur, aut quæ ad thoracem per asperam defertur arteriam, hæc quidem tussi, & difficili anhelitu; illa verò primo gustu in descensu præsentitur; postquàm verò descendit, & nausea, & propensione ad vomitum dignoscitur; si à stomaco ad intestina humor delabitur, tum fluxu, tum ventris torsione præter alia symptomata notificatur. Quæ enim per ceruicis vertebrarum foramina ad artus, & iuncturas materia transmittitur, aut quæ per internas iugulares venas, & arterias ad pulmones ducitur, proprijs cognoscuntur notis. Hæ quippe fluxiones & periodicæ sunt, & noctu plurimum inualescunt: at qui ad artus, & iuncturas per vertebrarum foramina descendit humor, earundem partium mala affectione, dolore, & motus priuatione deprehenditur. Quæ autem ad pulmones per internas

 & venas,

Lib.3c.28.

& venas, & arterias portatur fluxio, fit manifesta exausta tussi, spirandique difficultate, ac multa, innaturalique screatione, nullo altero sensibili defluxu percepto; tunc clarum profecto indicium est, materiam per interna vasa ad thoracem descendere. Orthopnœa nanque, siue spiratio recta distinguens vtique signum est, an per interiores arterias, an per venas materia fluat. Si enim per venas destillat, nulla, seu pauca admodum in ipso defluxu spirandi difficultas præsentitur: si verò per arterias defluat, tunc parua, densaque respiratio, ac veluti suffocatio quædam fit, ob obturationem, & coarctationem in vijs spirituum, & respirationis organis à materia decurrente factam: quæ quidem materia si tenuis, & acris fuerit, sua tenuitate, & acredine venarum orificia multoties aperit; si salsa, corrodente salsedine tunicas erodit; si crassa, & flatulenta, suo impetu venarum tunicas rumpit, & sputum sanguinis facit, mox phtisim, & tabem. Destillans enim materia, quæ staphylim, idest vuam parit, & quæ antiades pariter, & quæ paristhmia facit, per internas faucium venas ad has gignendas decurrit, & non per solita palati foramina; Quæ verò in ceruicis, auriumque glandulas materia descendit ad parotidas, & strumas faciendas; & per extrinsecas ad fauces venas, & per insolitas, inordinatasque cerebri vias illuc vsque decurrit. Quæ autem ad vniuersum corpus materia defluit, tum per venas, tum per nucham, neruos, & inde super musculos, & iuncturas spargitur, ex effectibus quos producit, cognoscitur; si enim tenuis, & calida sit materia, corpus excalefacit, attenuat, & imbecille reddit, & multoties putrida febre afficit; si crassa extiterit, & laxæ sint iuncturæ vniuersales, articulorum dolores molitur: & si ad aliquod membrum plus fluerit, dolorem, & tumorem, & plerunque illius membri contractionem operabitur. Hi quidem affectus huiusmodi fluentem materiam attestantur. Sed ad particulas fluxionem suscipientes dignoscendas accedamus: ex ijs enim multæ sunt, quæ sensui patent, sicut sunt tonsillæ, fauces, gurgulio, nares, oculi, & aures: de quibus Gal. & Aetius ita scripsare: Manifestum est, & gurgulionem, & tonsillas affici, quin & parulides, & glandulæ, & dentium erosiones, vlcerationesque, & putredines oris, & serosas ex capite in ipsum os destillationes sequuntur. Interiores autem particulæ, vt gula, ventriculus, intestina, pulmo, aspera arteria, & eius extremum; hæc sanè cuncta cùm fluxionem suscipiant, & malè afficiantur, suis deprehenduntur notis: quæ cùm in proprijs singulorum affectuum describuntur capitulis, superfluum hic eadem ipsa recensere putamus.

Sext. de tuē da san. Serm.8.cap. 83.

Signa quatuor catarrhi tempora distinguentia. Cap. LXIII.

SVNT deinceps signa salutaris, & lethalis catarrhi temporis declarantia, breuiter declaranda. Cùm enim tenues, crudi, & acres succi excerni incipiunt; seu cùm omnino intercepta est eis fluxio cum immensa capitis grauitate, & lethalium symptomatum vestigia apparent; insalubris destillationis hæc principium circumscribunt: cùm verò hæc ipsa & in cruditate, & in pernicie augeantur, incrementum ostendunt; quando ad summum vigorem venerint, & ægrotantium vires ab his victæ, prostratæque fuerint, status, & exitij terminus manifestatur. Declinationis tempore mortales destillationes carent, quoniam tunc temporis non contingit ægrum mori. Salutaris autem destillationis principium demonstrant salubrium symptomatum indicia omnia, & tenues, crudique succi non difficulter excreti, seu modica, & perexigua tantùm concoctione affecti. Quando autem incrassari, ac digeri cœperint, ac liberius excernuntur, & salutaria alia signa clarius innotescunt; hæc quidem augmentum definiunt, Status verò manifestatur, cùm crassi, & concocti secundum naturam excernuntur humores, & reliqua salutaria signa perspicua adfuerint. Quum verò apertè minuitur, & euanescit destillatio, declinationē declarat. Sed hactenus de signis, & destillationum caussis omnibus.

Libri Primi Finis.



SEBASTIANI PAPARELLAE DE CATARRHI CVRATIONE, LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.



Ostquam superiori Libro ea illa omnia declarauimus, quæ ad destillationis contemplationem pertinebant; reliquum est, vt de curatione mentionem faciamus, cuius caussa præsens labor susceptus est: in qua declaranda, rationes ipsas, indicationesque contemplabimur, quibus innixi multas à nemine (quòd sciamus) declaratas opiniones ingeßimus; reliqua demum firmißimis rationibus comprobauimus, suo quaque ordine collocantes. Vbi verò res dubia videbatur, excellentißimos in re medica viros, Hippocratem, Galenum, Auicennam, aliosque conuocauimus: hæc est nostra tractationis ratio. Sed ne pluribus lectorem detineamus, iam tam ad rei declarationem festinemus.

INDICATIONES CVRATIVAE. CAP. PRIMVM.



Voniam principium curationis & à morbo, & ab eius caussis maximè habetur; scire oportet destillationem malè affecti cerebri symptoma esse: mala enim cerebri affectio & in intemperie, & in meatibus, & in cauitatibus eius morbus est: materia verò, tum qualitate, tum quantitate obnoxia, & morbi, & symptomatis à Gal. caussa asseritur; hæc nanq; sua qualitate factam intemperiem fouet; & si facta nondum est, facit: sui verò copia obstructionem parit, & repletionem; defluxum verò molitur, dum deorsum cadit. Tertio de sympt. caus. Prima igitur indicatio secundum methodum curatiuam exigit, vt per contrarium tollatur illud, quod est præter naturam. Cùm autem in destillatione, & defluxus, & intemperies, & meatuum repletio, nocua materia præter naturam sint; hæc quippe omnia per sua contraria erunt tollenda: defluxus per ea, quæ sistunt, & aliò diuertunt: intemperies per ea, quæ ad meliorum formam permutant: meatuum repletio per ea, quæ multitudinem euacuant: nocua verò materia, & per alterantia, pariterque euacuantia. Procatarcticæ autem caussæ, etsi ab eis nulla sumatur indicatio curatiua; nihilominus & ipsæ cum symptoma adaugent, & fouent; si remotæ non fuerint, per sua contraria remouentur. Verùm ab aliquo prædictorum in curatione exordiendum est; quando hæc eadem ipsa sunt, quæ nos ad agendum mouent: sed à defluxu

hoc consequi minimè possumus, cùm symptoma sit; neq; enim ab ipso curationem, sed lenitionem tantum molimur: hoc nempe non nisi per suarum caussarum ablationem ritè aufertur. Superest ergo, vt ab intemperie, aut à repletione, & noxia materia curationem aggrediamur; quoniam hæc ipsa sunt, quæ fluxum faciunt: in omnibus tamque, in quibus caussæ facientes adhuc adsunt, ab ipsis curatio inchoanda est, dummodo affectus alter non vrgeat, & periculum minetur, sed quia multoties euenit, præsertim si ab externis causis destillatio excitetur; vt intemperies cerebri absque materia sit, nec eum repletione, & multa iungatur materia; destillationem tamen & ipsa pariter materiam gignens, at geuitam sine vlla mora confestim excernens; vt etiam euenit in malis temperiebus pericranei, partiumque circumiacentium, quæ vtplurimum vel cum modica existunt materia, vel cum nulla. Ab hac itaque intemperie in præsenti curationis exordium faciemus, Gal. doctrinam insecuti, qui à mala capitis intemperie, vtpote malorum omnium fonte, catarrhi sanationem auspicari docet. Hæc quidem absque materia intemperies paucissimis, & leuissimis curatur præsidijs, & citò terminatur. Sed si negligetur, (addit Celsus) longa esse consueuit. De hac igitur breuiter expediti, ad alteram, repletioni ac multæ materiæ coniunctam, longioribus, ac validioribus auxilijs accingamur.

Septimo methodi.

Sexto de tuē da sanit.

Lib. 4. c. de destillat.

Ratio medendi singulis intemperiebus cerebri sine materia. *Cap. II.*



Hac autem à procatarcticis causis facta intemperies, dum recens est, absque materia, (vti diximus) seu cum modica semper reperitur. Quare si vniuersum corpus salubre, & mundum fuerit, tutò nulla præmissa euacuatione, alterari, & permutari poterit. Sic quippe Gal. sexto de tuenda sanitate destillationis calidæ curationem aggreditur, dum ait: Quibus igitur ex calida intemperie caput male habet, hos frequenter balneo dulcis aquæ fouere expedit; quo & calidos vapores, qui in capite sunt, euocemus; & totum capitis temperamentum melius reddamus. Hoc ibidem inferius repetit: Quibus verò caput vehementer calidum, æstuausq; est, atque ob id assiduè destillationibus vexatur; ijs præstat æstatis tempore rosaceo perungi, quod ex rosis in oleum omphacinum salis expers, iniectis componitur. Consimili quoque modo in frigida destillatione progreditur Paulus. Quòd si frigida intemperies caput afficiat, & morbus contumax sit; modico vtendum cibo est, caput calefacientibus, ac tenuibus oleis, nardino scilicet, rutaceo, & similibus perungendum erit: irinum autem non solum illinitur, sed naribus instillatur. Auicenna eadem incedit via: sed frigidæ est sollicitudo, cùm incipit commotio, & sternutatio, in calefaciendo caput, & vaporando ipsum panno calefacto, vsque quò sentiat calorem iam peruenisse ad cerebrum, & conseruando caput secundum illam dispositionem. Rhasis etiam ad Almansorem idipsum innuit, dum scribit: Cùm caput alicuius in egressione balnei detectum fuerit, aut post exercitium, aut post aliud, fueritque aer frigidus, & ventus septentrionalis; & accidit inde naribus, & palato pruritus, & commotio, & sternutatio; pannus tunc calefaciendus est, & capiti superponendus, in quo tandiu moretur, donec æger calorem in capitis profunditatem sentiat penetrasse. Adsunt & istorum, & Galeni etiam aliæ auctoritates, præsertim in de composi. med. secundum loca; quæ nos admonent proficuum esse leuia aliqua localia applicare, capite non admodum exquisitè purgato. Secus profectò res se haberet, si cum materiei copia iuncta capitis intemperies foret, & vniuersum corpus immundum, ac repletum extiterit; vt mox de ipsa infra dicetur. Sed narremus, quæ sint illa, & qua ratione, & via possint applicari, & temperaturam omnem in melius mutare.

Lib. 3. c. de graue.

Cap. de catarrho.

Vt remouenda intemperies frigida immaterialis. *Cap. III.*



Frigidæ igitur capitis intemperaturæ calida apponimus tegmenta, tum lanea, tum linea indifferenter; hæcque actu calida pluries repetuntur; humidæ verò sicca, & fortiter exsiccantia; quoniam longè difficilius humidum arescit, quàm frigidum calefiat. Frigidæ autem, & humidæ semper ferè ita iunctæ reperiuntur; quibus calida, & sicca tegmina adhibentur. Hæc quippe sicca reddimus, calidis & siccis fouendo suffitibus, sicuti quibusdam leuibus aromatis; vt si mastiche, aut thure suffumigarentur, aut modico cinnamomi, aut maceris, aut consimili aliquo: hæcque tandiu actu calida apponenda sunt, quandiu (inquit Auic.) æger sentiat calorem iam peruenisse ad cerebrum: & regimus

caput

caput secundum hunc ordinem vno, vel altero die, iuxtà temporum consistentiam, & affectus naturam. Frigidior nanque, & humidior affectus in frigida cœli constitutione potentiora calida, & sicca remedia, ac illa perseueranter exposcit: contrarius verò mitiora, & contrario modo. Sunt qui ponunt (& est vulgare) linum supercalefactum, & siccatum, vt exsiccetur ipsum caput. Sacculi etiam ex milio, & sale calidi apponuntur, vt in interiora calor penetret. Sunt qui faciunt ex tenui serico tegmina pulueribus quibusdam siccioribus imbuta; veluti anthu, gariophyllis, nuce moschata, agallocho, seu ligno aloes, mastiche, & rosis; & capiti adiungunt. In eundem vsum suffimenta quoque adhibemus, quæ ex consimilibus caput calefacientibus, & exsiccantibus parantur, veluti ex styrace, thure, mastiche, thymo, hyssopo, melanthio, & huius generis alijs. Vnguenta insuper nardina, & reliqua odorata excalefacientia, odore iuuant; nam cerebrum roborant. Pulueres etiam capiti appositi maximum præstant auxilium, qualis inter omnes est puluis ille Auẽzoar, qui quidem hoc conficitur modo. Recipe cinnamomi electi, maceris, gariophyllorum, singulorum vnc. s. fiat tenuissimus puluis, qui vbi eius caliditas timeatur, lauetur rosacea, & exsiccetur; postremò verò coronali capitis suturæ applicetur.

Quomodo calida intemperies absque materia remoueatur. *Cap. IIII.*



Vbi autem sit mala temperies calida; admonet Auic. vt sis sollicitus in refrigerando caput aliquibus virtute frigidis; veluti est in dulcis aquæ balneum quotidianus ieiuno stomacho in aurora ingressus: necnon capitis, & extremitatum, & fuminis, & ani, & testiculorum, & quæ in eorum ambitu sunt, ex violaceo inunctio, & embrochæ administratio factæ ex hordeo, papauere, violis, & chamæmilla. Galenus etiam eandem hanc intemperiem frigidis inunctionibus, & aquæ dulcis balneo curat; dum inquit. Atque aliquando cerebrum ipsum fluxionem transmittit, debetque huius intemperies totius capitis epithematis corrigi: in calidis enim haud expedit ijs, quæ ex thapsia, & sinapi fiunt, medicamentis vti; immo contrarijs omnino, oleo crudo, & hispano, & rosaceo; tum frequenti ex aqua dulci in balneo lauatione. De oleorum autem illinitionibus vnum animaduertit Auicenna, & inquit: Oleum verò (in quantum potes) fac ne tangat caput, nisi inueneris excusationem, ita vt indigeas infrigidatione fixa, aut calefactione fixa, & sit post euacuationem. Nos autem in his discrasijs caput ablui iubemus; aut lixiuio minimè forti, in quo quinta, aut sexta pars aquæ rosatæ admista fuerit; aut rosarum decoctione tantummodo; ita quòd nihil præter rosas in leui lixiuio apponimus. Aliqui & rosis addunt pugillum myrtillorum, chamæmillæ, corticum papaueris, violarum, & florum nymphææ. Suffumigium ex camphora, & aqua rosata, seu ex santalis, & rosis mirumimmodum prædicto catarrho confert. Multi frigidos puluueres componunt ex rosis, myrtis, violis, & balaustijs. Alij etiam his addunt flores nymphææ, cortices papaueris, & santalos, tum albos, tum rubeos: & ex eisdem quoque pulueribus sacculos componimus, & capiti admouemus. Hæc omnia administranda sunt, vbi sola mala complexio adest, & corpus vniuersum mundum existit: sed quia rarò euenit, abundante catarrho caput esse mundum; ideò rarò contingit, vt non oporteat aliquantisper mundare caput: quod fiet saltem inedia, & pilulis leuioribus quibusdam exhibitis. De inedia in posterum dicetur. Pilulæ autem leniores sunt de hiera, mastichinæ, de assaiereth, & aliquando de tribus; sed his fortiores sunt elephanginæ, de hiera cum agarico, agaricus præparatus, & huius generis multa: his enim caput purgamus, & postea (si opus fuerit) localia apponimus. Vbi verò tempus anni esset calidum, & corpus totum superfluè fuerit excalefactum; tunc hora somni post leuem cœnam saluberrimè experimur cassiam cum agarico commistam exhibere; vt puta cassiæ vnc. 1. agarici trocisch. dracm. 1. aut minus, penès necessitatem. Simplex, & pura cassia præter id quòd caput non attingat, in catarrhis damnatur à multis; eo quòd plurimum humectat: eam tamen Raynaldus de Villa noua in quocunque catarrho, ac in omni tempore, & ætate miris laudibus extollit. Cochiæ, & aureæ pilulæ in huiuscemodi leuibus affectibus pariter culpantur, propterea quòd vehementes nimirum sint.

Lib. 3. c. 11.

Tertiodecimo metho. cap. 22.

Indicationes curatiuæ in mala cerebri intemperie cum materia. Cap. V.



D CAPITIS intemperiem cum multæ, & nocuæ materiei præsentia curandam properamus, quæ fuit altera ex primis intentionibus tuuentis executioni mandanda. Hæc verò innaturalis intemperies, siue per essentiam ex interuis principijs, siue con fortij lege, aut humoris, aut alterius membri talis existat; si cum multæ, & nocuæ materiei præsentia iuncta fuerit, à materiei euacuatione suæ sanationis initium semper sumit, tanquàm à re vrgente, & periculum minante, & tanquàm à caussa sine qua intemperies ipsa commodè sanari minimè potest. Nunquàm enim rectè intemperies sanabitur, fouente (inquam) caussa præsente. Nec obstat, quòd inuicem caussæ sint, & mutuò se foueant: nam longè maiora nocumenta materia portendit, quàm intemperies. Hæc quidem sua intemperie, & concoctricis imbecillitate, nocuam tantum materiam gignit: illa verò sui qualitate intemperiem fouet: sui quantitate instrumentalem in via, & meatibus morbum facit: suo verò defluxu plurimorum affectuum occasio efficitur. Rectè quidem in intemperiei cum materia sanatione à materiei curatione exordimur; vt à re, quæ magis vrget, & quæ intemperiei sanandæ plurimum confert: huic enim dum occurrimus, & meatuum, & cauitatū cerebri repletioni pariter occurimus; quando & horum repletio ab eadem procreatur materia. Hanc igitur euincere tentantes, duabus superius innentis intentionibus, repletioni inquam, & nocuæ materiæ simul satisfacimus. Sed curationem aggredientes, dicamus, quòd mala capitis intemperies cum materia ferè vnquàm euadit, quin calida, aut frigida ipsa sit: & si contingat catarrhum complicatum fore, aut ex caussa materiei fluenti opposita, aut ex oppositis materiebus, calidis inquam, & frigidis, à contrarijs fontibus manantibus; nihilominus ferè semper (vti diximus) lędens cerebri intemperies, aut calida, aut frigida existit. Quòd verò in actiuis bis temperata reperiatur, & in humiditate tantùm excedens, raró admodum accidit. Sed à calida intemperie cum materia in præsenti libet curationem exordiri. Dicamus itaque, quòd vbi hæc calida capitis discrasia, cum immundo, & oppleto corpore coniuncta sit; prius vniuersum corpus, mox caput ipsum venit euacuandum, & mundandum; totius nempe euacuatio particularem vbique præcedit apud

Lib. 2. & 4. de comp. medic. & 13. metho. Galenum: neque enim rectè caput enacuari potest, pleno existente toto corpore. Hac profectò ratione prima tertij cap. de canonibus vniuersalibus curationis capitis dixit Auicenna: Et si » fuerint humores alij, cōsiderabimus tunc, si est cum communitate corporis totius, euacuabimus » corpus totum: deinde intendemus ad caput solummodo, & administrabimus euacuantia, quæ » sunt ei propria. Ad hoc tamen nō penitus erimus ausi, nisi post corporis totius euacuationem;

Quarto de cōp. med. Tertiodecimo method. cap. 95. artis medicæ. » & totum illud faciemus, si sciuerimus materiam in ipso esse concoctam. Omnes denique conueniunt, vt primò vniuersum corpus euacuetur, dein ceps caput, mox localia tum discutientia, tum roborantia applicentur medicamenta. Imminet nanque periculum, (immundo existente corpore, & capite non purgato) ne à calidioribus medicamentis applicitis maior fiat attractio, ac vberior reddatur fluxio. Meminisse verò in omnibus, quæ membratim docentur, communium præceptorum oportet; (refert Gal.) quorum vnum id est, digerentia medicamina, vbi redundantia in toto corpore subest, si particulis quibusdam applicentur, implere potius, quàm vacuare. Itaque corporis totius redundantiæ euacuandæ incumbemus; postea quæ capiti inest, purgabimus: vltimò localia applicabimus.

De venæ sectione in catarrho. Cap. VI.



NIVERSVM autem corpus multifariam euacuatur, & à multitudine immune efficitur, & balneis, & exercitio, & frictionibus: sed his tribus præcipuè, Phlebotomia videlicet, Inedia, & Pharmacia. De Inedia inferius agam; nunc de alijs duobus pertractandum. De Phlebotomia itaque, & Pharmacia Iuniores primò ambigunt, si par inest vtriusque necessitas, à quo prius sit exordienda curatio. Secundò, an ratione ipsius catarrhi consentiente virtute, ætate, & reliquis coindicantibus, sit secunda vena. Ad primum aiunt, quòd quando vtroque euacuationis genere indigemus, ab eo exordium ducere lubet, sine quo alterum tutò exequi non valemus. Quamobrem à locis affectis, alteri harum euacuationum magis pronis, indicationes sumentes, primò destinguunt, an crudi, & vitiosi succi in primis venis circa hepar existunt, idest in meseraicis, quæ ventriculum, intestina, & splenem circundant. Tunc longè salubrius fore prædicant, hos noxios humores propè vias ductuum

existentes

existentes, ob loci opportunitatem, per aluum purgante pharmaco educere, quàm secta vena per incongruas, inconuenientesque regiones per hepatis substantiam illos trahere: sectio enim venæ vitiosum humorem in iecoris cauo, & mesenterio existentem, ad venas quæ vltra hepar sunt, vt ex inanitioni trahit: quare & partes sanas inficit, & obstructionem maiorem reddit. Iustè quidem in humorum vacuatione circa has partes residentium venæ sectioni purgationem præmittunt, vtpote sine qua neque ipsa venæ sectio, nec cæterarum vlla felicior euadet. Hæc quidem ipsa est humorum cruditas, de qua 13. meth. scribit Gal. quòd venæ sectionem prohibet. Si autem crudi, & vitiosi succi in venis vltra hepar extiterint, tunc ex Gal. doctrina primò sanguinis missione minuendi sunt, mox pharmaco soluente purgandi. Imminuta enim plenitudine, qui redundant praui, & noxij humores expeditius postea à medicamento purgante trahuntur; sed parca sanguinis missio in cruditate humorum commendatur, cùm vires in hac constitutione parum firmæ reperiantur, quæ sanguinis missionem limitant; eapropter Gal. non semel, & vniuersè, sed sensim, & partitè emittendum esse docet. Hoc quidem Actuarius comprobat, dum scribit; quòd si quando contraria in eodem concurrunt, & quædam eius administrationem suadeant, & alia dehortentur, quænam præpolleant inspectandum; atque illis opem ferentia admoliendum, ita tamen vt ne dehortantia quidem negligantur; sed illis quoque in quantitate aliquid est indulgendum, ac securitatis gratia gratificandum: nam in validiori bus, & magnis auxilijs, aliquid de euacuatione remittitur, securitas ęgro conciliatur. Sed fusius de his alibi. Nos igitur in catarrhi curatione, quoniam praui, & noxij succi nimirum supra hepar, in venis scilicet cerebri persistunt, à sanguinis missione exordium capiemus; tum quia omnium vniuersalior est; tum quoniam pars affecta venæ secandæ commoda, opportunaque est ex vasorum consensu; tum quia hoc vnico præsidio tres simul curatiuas intentiones adimplemus, euacuationis scilicet, reuulsionis, & alterationis: per hanc enim omnes humores corporis euacuantur, & si qua mala qualitas adest, simul difflatur. Humores quoque à nobilioribus ad ignobiliora trahuntur per conuenientes, & congruas regiones. Ad alterum autem quæsitum de vena secanda in catarrhi curatione Mesue, ex recentioribus multi eum insecuti, dicunt, venas in catarrho tribus solummodo rationibus secandas esse, si fluxio sit feruens; pari modo in corpore calidiori, in quo oculorum candidum rubefiat cum grauedine capitis; aut si materia ad oculos præcipitetur, vel fauces, vel pulmones, aut latera, ita vt collectionem de facili augurari videatur; vel si huic affectui febris accedat molestior, & tussis quoque infestissima, vel lateris compunctio. Ex recentioribus alij Galenum imitantes rationabiliter asserunt, in quocunque catarrho, etiam frigido, vbi virtus admittat, & ætas consentiat, venam fundendam esse. Sed de hoc infra. In præsenti verò cum ijs sentimus, qui in prænarratis calidæ destillationis casibus, fidenter sanguinis missionem imperant, si vires, & anni tempus permittunt. Vbi animaduertendum non omnium virium imbecillitatem prohibere sectionem venæ; sed quæ ab inanitione, & resolutione tantùm est debilis. Nam quæ ob grauitatem, & oppressionem imbecillis est virtus, illam verius expostulat, quàm interdicat. Harum verò vtriusque discrimina, pulsus, præter alias notas, ostendit: nam cum æqualiter semper languidè pulsauerit, tunc virium exinanitionem, & dissolutionem indicat; vbi verò dissimiles, differentesque pulsationes se habuerint, ita quòd nunc languidè feriat, pulsetue nunc vehementer, hæ vtique onus, & suffocationem ostendunt. Hæc autem venæ sectio molienda est pro intentionum diuersitate, licet semper caput sit inspiciendum: si nanque intentio maxima sit ad caput, cephalica; si æqualis ad caput, & ad totum corpus, media secanda venis; si magis ad vniuersum corpus, vtputa si fuerit corporis ingens repletio, tunc scindenda est basilica, & postea cephalica. Nos autem libentius vtplurimum prius lenito ventre mediam cubiti venam scindimus, quoniam ex superioribus, æquè ac inferioribus vacuat: hæc nanque totius corporis repletionem aufert, & materiam à capite partim euacuat, partim retrahit. Quantitas autem mittendi sanguinis sit, vt ætas, & vires tolerant, & morbi magnitudo permittit.

De cur. rat. per sangui. mission.

Lib. 3. c. 1.

Secundo de tuenda san. cart. 8 5.

Concoquentibus, alterantibus, & præparantibus ante purgationem vtendum. Cap. VII.

CVm euacuatum fuerit corpus, & materia imminuta per venæ sectionem, purgationi pro ratione materiæ peccantis intendendum est, Sed quia commodè materia purgari non potest, nisi prius fuerit concocta, ideo eius concoctioni prius erit incumbendum. Nihil autem refert concoctionis, & præparationis terminos hic nos confundere, quoniam Medici ijs eisdem vtplurimum abutuntur, cùm harum vtraque eidem ferè fini subseruiat:

subseruiat: præparatio nanque pro crassorum succorum attenuatione, & viscidorum incisione, ac tenuium incrassatione, necnon pro vasorum apertione, vbique vsurpatur. Hæc quidem aperit, incidit, attenuat, & abstergit semper, & substantiæ ineptitudinem omnem remouet, & ad commodam disponit expulsionem. Concoctio autem (quicquid de ipsa recentiores scripserint) est calidi innati, & concoctricis virtutis in noxium humorem alteratio, vt à nocuis qualitatibus ipsum euincat, & à bonis separet succis, ac habilem expulsioni reddat. Quòd verò eiusdem substantia in concoctione adæquetur, vt refert Auicenna, non est à ratione dissonum. Cùm igitur hæ omnes indifferenter & præparationes, & concoctiones, & alterationes in nocuis humoribus semper desiderantur ad commodam, & pronam eorundem expulsionem; nihil mirum, si ijs abuti Medici paruifecerint. Digerere verò pro concoquere valde nimis abutimur: digeruntur enim humores, cùm materia contenta in ambientem discutitur; concoquuntur autem ad suppurationem, & boni à malo segregationem: dicimus enim alimentum in ventriculo prius concoqui, deinde corpus digeri, idest distribui. Prius itaque humores sunt concoquendi, & præparandi; mox salubriter purgandi, & educendi. Si verò quis curiosè instaret, quòd materia in ipso defluxu plusquàm oportet, excernitur, & prona est excerni, quare nulla externa indiget præparatione ad opus istud moliendum, cùm per se idonea sit, ac perpetuò expellatur: Ad hæc dicimus, quòd crudæ, & nocuæ materiei caput replenti, & sub antecedenti defluxus caussa præexistenti concoctio per se primò debetur, (vt commodè, ac salubriter excernatur, & à defluxu vindicemur) & nullatenus materiæ actu fluenti, nisi prout ipsa obnoxia, & molesta est in ipso defluxu, & prout partem aliquam sua cruditate afficit; tunc nocumento cadentis materiei succurrendum venit; & ipsa pariter in membro delapsa materia (iuxtà sui, & membri naturam) concoquenda est. Et hoc fortasse Galenus 6. de san. tuen. innuit, dum contra antiquiores Medicos scribens inquit: Caput, velut omnium malorum fontem, primò sanandum, mox recipientibus partibus succurrendum, secundum affectus, & loci naturam. Sed iam tempus est declarare instrumenta concoquentia, & purgantia.

Bilis, conconctio, & purgatio. Cap. VIII.

MATERIAE verò calidæ concoctionem, & præparationem faciunt; medicamenta frigida, & humida. Si nanque materia destillans calida, acris, & tenuis sit, & sui tenuitate in membra penetret, & in ipsis imbibatur, vt vix extrahi possit; hæc frigidis, & humidis abluentibus, & abstergentibus perpetuò corrigitur: humida nempe frigida abluendi, ad abstergendi vim habentia in penitioribus locis imbibitam materiam extrahunt, & abstergunt. Hæc quidem frigida abstergentia, & non incrassantia esse oportet; nam abstersione, & extractione indigemus, non autem incrassatione. Huiusmodi quidem erunt Prisana, quæ quidem abstergendi vim habet, abluendi, & refrigerandi: item potus aquæ hordei, & aqua mulsa bene diluta, vt sint octo partes aquæ, & vna mellis, vel ponatur saccharum loco mellis. Maiorum quoq; seminum decoctum in aqua, vtputa peponum, cucurbitarum, cucumerum, & citrulorum, in hunc eundem vsum commendatur. Si verò materia destillans suo acri calore ferueat, mordeat, & exulceret; hæc frigidis, & humidis incrassantibus, & oblinientibus temperatur, & præparatur. Frigida enim incrassantia, & oblinientia, siue emplasticam vim habentia bilis feruorem temperant; acrimoniam enim obtundunt, tenuitatemque eius pariter incrassant, & ad æqualitatem redigunt. Talia profectò inter syrupos sunt, ille qui est ex nimphæa, violaceus, de portulaca, de papauere; qui si superfluæ aderunt vigiliæ, sicut adesse consueuerunt, bile dominante, præ cæteris est eligendus; nam præter hoc quòd incrassat, feruorem, & acredinem reprimit, summum quoq; conciliat. Syrupus iuiubinus, & myrtinus plurimum valent, quoniam calorem refrigerant, humorem crassant, fluxum sistunt, & sputum facilè reddunt. Si autem hepatis inflammatio aderit, serapinum ex rosarum infuso, & induuia commendantur, cum aquis violarum, endiuiæ, nimphææ, rosarum, cucurbitæ, portulacæ, seu cum eorundē decoctis, & consimilium rerum frigidarum, vt acetosæ, lactucę, cichorij, plantaginis, & reliquorum eiusmodi. Hæc quippe omnia bilis tenuitatem, acrimoniam, & feruorem alterant, moderant, moderandoque innatum calorem temperant, qui mox eiusdem concoctionem, & separationem molitur: vltra nanque supradicta vitia habet nocuus iste humor, quòd sanguini, & reliquis bonis humoribus est commistus; quare vt salubriter expellatur, segregationem à bonis exposcit, id quod concoctione per calidum innatum consequitur. Horam autem idoneam sumendi existimamus, aut in diei diluculo, aut per tres, aut quatuor horas à leui cœna post completam in ventriculo ciborum concoctionem: neque enim cum illis sumus, qui statim post cœ-

Tex. 22. nam exhibent, & cum ingestis cibis illos permiscent; quoniam Hipp. tertio de ratione victus

in morb.

in morb. acut. ventriculo ieiuno, & non cibis referto; hos propinandos monet: primò, dum de mulsa sermonem facit, & ait; Mulsa tamen post ptisanæ sorbitionem epota, valde replet, inflat, & hypochondriorum visceribus est inutilis: sed si ante sorbitiones bibatur; non vt superepota lædit, sed iuuat. Hoc idipsum de oxymelite loquens, clarius repetit: exiguum autem potius huius nocte quidem, & ieiuno ante sorbitionem dare expedit: quanquàm etiam à sorbitione, modò longum interfit tempus, nihil vetet bibere. Quod autem de mulsa, & oxymelite refert Hippocrates, illud idem nos & de serapijs asseueramus, quando eiusdem ferè rationis existant. Sed de his satis. At præter hæc, victur precipuè ratione catarrhi materia concoquitur, & electuarijs, & ijs quæ in ore retinentur: quamobrem rectè dicebat Auic. in curatione catarrhi: æquatio autem essentiæ eius est sicut administratio electuariorum, & receptio diatragacanthæ, aut granorum cytonij in ore, vt permisceatur crassitudo eorum subtili, quod descendit, & incrassetur ea, & fiat viscosum, & non descendat ad profundum, & fiat cum ea facilè sputum. Mesue Auicennam insequutus, idem asseruit, dum inquit: Calidæ, & acutæ materiæ maturatio per refrigerantia, & inspissantia perficitur; inspissantia autem necessaria sunt, vt subtile acutum, quod descendit ad guttur, incrassetur, & non descendat ad profundum, immò facilius adunatum excreetur. Et ex hoc facientibus est diatragacantha, & electuarium eius, & mucilago psyllij, & semina cytoniorum, & aqua iuiubarum, & sebesten, & syrupus eorum, eclegma ipsorum, & eclegma de papauere. Hactenus de tenuis, & acutæ materiei fluentis præparatione. His igitur, & similibus remedijs materia expulsioni parata, medicamentis bilem purgantibus venit educenda; vtputa cassia fistulari, manna, rhabarbaro, syrupo ex multiplici infusione rosarum. Multi commendant decoctum fructuum à Rhasi descriptum nono ad Almansorem cap. de catarrho. Alij exhibent electuarium de sebesten, tum lenitiuum, tum solutiuum. Auicenna autem inquit, decoctio verò myrobolanorum, & prunorum, & fumiterræ, & syrupus de fructibus, & syrupus violaceus, & decoctum cassiæ fistulæ, & quæ sunt istis similia, facta fortia scammonio, & reliquis secundum dispositionem corporis, aut vacuitatem ipsius à febre, aut essentiam eius in ea, secundum dispositionem ætatis, & virtutis. & horum similium, sunt conuenientia humoribus cholericis subtilibus. Vbi autem pilulas optaremus; commendantur pilulæ sine quibus, specierum hieræ. sed in hoc genere omnibus alijs vehementiores pilulæ aureæ sunt. Sic quippe calidi catarrhi tenuis biliosa purgatur materia.

Tex. 35. — *Quinta tertij tract. 1. cap. 13.* — *Prim. tertij cap. 29.*

Salsorum humorum concoctio, & eorundem euacuatio.
Cap. IX.

SI autem materia, que destillauerit, salsa fuerit, hæc etiam, anteaquàm educatur, præparanda est prius: sed quoniam & tenuem, & crassam ipsam contingit esse; ideo si tenuis, & salsa fuerit; tunc frigidis incrassantibus syrupis venit concoquenda, quales erunt syrupi de portulaca, de nymphæa, de soncho, de endiuia, de acetositate citri, necnon rhodomel cum aqua sacchari, nymphææ, portulacæ, endiuiæ, cucurbitæ, lactucæ, seminum maiorum frigidorum, & huius generis talium. Si verò crassa, viscida materia fuerit, tunc incidentibus, & attenuantibus, ac detergentibus est concoquenda, vtputa acetoso simplici, oxymelite simplici, syrupo de betonica, bisantino, de duabus, seu tribus radicibus cum aceto; cum aquis, seu decoctis betonicæ, cichorij, sampsuci, saluiæ, melissophylli, & consimilium. His concoctis, ac expulsioni paratis; tenuis, & salsa materia educitur syrupo ex rosis multarum infusionum, cassij, electuario rosarum Mesue, & succi rosarum, alijs salsam pituitam à capite educentibus. Crassa autem, pariterque salsa materia euacuabitur electuario de dactilis, catapotijs de fumaria similiter, & aggregatiuis. De his autem sermonem faciens Auic. inquit: Solutiua verò, quæ euacuant caput cum communitate corporis, sunt pilulæ de hieris, & pilulæ cochiæ, & de stachade: & istæ quidem conuenientiores sunt humoribus adustis, in quibus dominatur bilis, & in quibus cum hoc est crassities; immo sunt sicut communicantes biliosis, & pituitosis. Sed de his hactenus. Commodum autem tempus horum exhibendorum à multis reputatur hora somni, à parca & tenui cœna per duas horas: nec medicaminum cum cibis mistionem pertimescunt; quoniam & Hipp. & Gal. pluries hæc vtiliter commisceri docuerint. Rabi autem, Mesue, Damasc. & Auic. particulatius hanc rem considerantes dixere, & catapotia, & reliqua medicamenta purgantia post cœnam adhibenda esse, cùm intentio fuerit caput purgandi: & rationem afferunt, quoniam medicamenti virtus simul cum vaporibus à cibo eleuatis ad cerebrum conuehit, ibidemque faciliter vasa ingrediens, vberius ac potentius illa expurgat. Horum autem sententias, & Aetius, & Paulus affirmarunt: tertio

Prim. tertij cap. 29. — *Secundo de reg. ac. mor. tex. 4.* — *13. meth. c. 15. & 14. meth. c. 17.* — *Aui. pri. tertij ca. 29. &*

nanque

6. fen. 3. ca. de curation. linguæ. nanque fermone, ca. 23. Aetius aloem post cœnam exhiberi iubet. Paulus autem lib. 1. ca. 43. & aloem, & epithimum, & terebinthinam fidenter à cœna commendat fumenda. Nos autem liben ter hos infequimur, præcipuè cùm longus vſus, & vera experientia certiores nos fecerint; eadē hora hæc femper proficua adminiſtrata fore, & plus iuuamenti perpetuò, quàm detrimenti attu liſſe. Sed ſi timor adſit, ne ob crebras egeſtiones tota nos ducatur in ſomnus, & æger ex ſomni amiſſione multum lędatur; tutius tunc erit hæc ipſa ſummo mane exhibere. Sed denuò quærūt alij, an poſt aſſumptum pharmacū ſit dormiendum: ad quod breuiter dicimus, ꝙ medicamenta in duplici exiſtunt differentia. Aliqua, quæ facilè in actum reducuntur à natura, vt liquidiora, & lenientia; qualia ſunt caſsia, & manna, & huiuſmodi: ſuper his non eſt dormiendum, niſi parum fortaſſe à principio. Aliqua ſunt, quæ difficulter à natura in actum reducuntur, vt ſunt omnia dura, & ſolida, ac fortiter ſoluentia: poſt quorum aſſumptionem dormire aliquantiſper permit timus; vt per retractionem calidi innati ad intra facilius in actum reducantur. Poſtquàm opera Quarto aphor. 14. ri cæperiot, à ſomno omnino eſt abſtinendum; dicente Hipp. Quum volueris magis ducere bel leborum, moue corpus: cùm verò ſiſtere, ſomnum facito, & non moueto. Sed de his ſatis.

Phlebotomiam & frigido conuenire catarrho. Cap. X.



Bi verò frigida ſit cerebri intemperies, cum multæ, & noxiæ materiei præſentia, ita quòd plenitudinis ſigna exiſtant; & ſi non plenitudinis, ſaltem adſint ſigna obſtructionis vaſorum; lenito prius ventre, vt in catarrho calido, deinceps minuetur materia ſectione venæ, ſtante virtutis robore, & ætate florida: & hoc eſt de mente Gal. & » aliorum eum inſequentium; quarto enim methodi ſcribit ipſe: Si verò valens aliquis morbus » vnà cum virium robore affligat, vel ſi redundantis ſanguinis concurſus non adſit, nemo eſt, qui » non ſanguinem detrahat, qui vtique in artis operibus fuerit exercitatus. Et octauo eiuſdem me thodi libro obſtructionis tantùm cauſſa in diaria febre venam ſecandam iubet, etſi plenitudinis ſigna non adſint; dummodo ætas, & virium robur permittant: præſtat enim (inquit ipſe) vitioſi ſucci maiori parte emiſſa ad detergendas obſtructiones accedere; cùm alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis, priuſquàm vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas. Hac eadem profectò ratione, magnitudinis (inquam) cauſſa, & obſtructionis gratia, in frigido catarrho nos venam ſecamus; virtute, & ętate conſentiente. Si nanque venam ſectam ratione obſtructionis partium minus principalium Gal. commendat; eò magis nos, ſi in cerebro principi membro obſtructio extiterit, illam commendabimus. Signa autem obſtructionis venarum, & viarum cerebri, ſuperius, vbi de ſignis locuti fuimus, deſcripta ſunt. Magnum autem catarrhum dicimus, quem magnæ diſcraſis, ac multæ, copioſæque excitarunt materiæ, & qui pariter magna, verendaque ſymptomata gignit. Si enim frigidæ pituitæ deſtillatio ex cerebro per ceruicem in humerum, hincque in latus illabitur, qui deinde altius in muſculos coſtis interiectos, & in interiora penetrans, granem difficilemque pleuritidem excitat; hanc profectò eiuſdem lateris interior vena ſecta iuuat. Eadem lege pituitoſa deſtillatio in fauces, vel in pulmones irruens, ſi ſuffocationis periculum infert, phlebotomia è diſcrimine eripit. Conſimili quoq; ſubſidij genere frigidam deſtillationem cum febre, & capitis dolore iunctam, curamus; quoniam princeps membrum tribus malis effectibus afficitur, febre ſcilicet, dolore, & deſtillatione. Frigidæ igitur cuiuſcunq; deſtillationis curationem, dummodo virtus, & ætas conſentiant, venæ ſectione ſecurè aggredimur, ſi repletionis, aut obſtructionis ſigna extiterint, aut febris, ſeu capitis dolor affuerit, ſiue ad nobile aliquod membrum fluxio præcipitetur, vnde mala vereamur ſymptomata. Quò verò frigidis his capitis affectibus phlebotomia conferat, Auic. authoritate prima tertij capite de canonibus vniuerſalibus curationis capitis comprobabimus, dum ait: Quum mate-

Cap. 29. » riam euacuare voluerimus, contemplemur tunc, ſi ſignificatio oſtendit ſanguinem cum ipſa » abundantem eſſe, aut in ſanguine non eſt diminutio: quæcunq; ſit materia, incipiemus à phlebotomia cephalicę, & venarum capitis, ſicut frontis, & naſi, & venarum partis auris. Quòd ſi res » eſt magna, minuimus guidegi, idest venam, quæ eſt in vno latere colli, & nō declinamus niſi ad minutionem: & ſi alij etiam dominentur humores, tamen ab ea incipimus, quoniam phlebotomia » eſt communis humorum euacuatio. His quidem verbis admonet Auicenna, vt cùm caput quibuſcunq; malis humoribus affectum euacuare voluerimus, à ſectione venæ curationem aggrediamur, dummodo in toto ſanguinis imminutionis ſigna non adſint: nam tunc non ſtaret virtus. Hoc idipſum quinta tertij tract. primo de curatione catarrhi ipſe affirmat, dum in omni ca » tarrho, tam calido, quàm frigido phlebotomandi canones deſcribit, cùm ait: Et fiat ſolutio ven » tris, & incipiat ab extractione ſanguinis, deinde à fluxu ventris poſt ipſam, dum eſt neceſsitas » ſuper ambo ſimul: & rarò quidem acceleratur ad phlebotomiam, & propriè in principio; niſi propter

propter multitudinem, quæ non toleratur; & catarrhus, in quo conuenientius est non phlebotomare, est ille, qui euacuatur à tussi. Si autem tussis est parui sputi, necessaria est parua phlebotomia: & cùm inuenitur cum catarrho punctio in mammillis, significatur, quòd materia declinat ad latus; festina ergo cum phlebotomia. Hæc omnia indifferenter & de calido, & de frigido catarrho Auic. protulit, cùm de vtrisque æqualiter vniuersalem sermonem habeat: materiei itaque multitudo, & tussis, ac punctio in mammillis venæ sectionem in quocunque catarrho apud Auic. indicant. Nec obstat, quòd ibidem infra, dum frigidi catarrhi materiam purgare docet, phlebotomiam prætermittat, & purgantia pharmaca solum memoret, dum dicit: Materiei autem diminutio est cum administratione mundificationis corporis: in calida quidem cum sanguinis missione, & solutione ventris educente humores calidos, & clysteribus trahentibus materiam ad inferiora: In frigida quidem, cum medicinis soluentibus phlegma, quæ sunt ex eis, quæ bibuntur, & quibus fiunt clysteres. Ibidem nanque specialiter frigidi catarrhi materiam purgare docet, qui communiter frequenter & senibus, & exanguibus (ob ætatis, & frigidæ naturæ cognationem) accidere solet: quibus haud expedit, cùm senes sint, & imbecilles, venam secare, sed pharmaco soluente tantùm purgare conuenit. Idem de frigido diuturno catarrho, in quacunque ætate contingit, tradere credimus, qui ob virium pariter infirmitatem ex longæua intemperie contractam minimè venæ sectionem admittit, sed purgatione præcipuè curatur. Superest, vt arguentium obiecta, phlebotomiam in frigido catarrho prohibentia, dissoluamus. Ii nempe primò dicunt, quòd in frigido catarrho ideo sanguinis missio non conuenit, quia ex tali sanguinis missione magis, & magis debile, & imbecille redditur caput, & plurimum frigescit, & maximè, quia caput est de se factum à catarrho frigido imbecille, & debile. Ad hæc respondimus, dicentes, quòd indicatio mittendi sanguinem modò à materia peccante, modò à morbi magnitudine sumitur. In magno itaque frigido catarrho, & in quouis alio magno frigido morbo, indicatio scindendæ venæ, non à frigida morbi materia, sed ab eius magnitudine capitur: & hæc est Galeni doctrina tertiodecimo methodi in curatione lethargi. Alio modo ad obiectum respondimus, & ex eiusdem præceptis quarto de tuen. sani. declaramus, qualiter frigido morbo ex frigido humore sanguinis missio non conuenit: ponit enim Gal. ibi vulgatam methodum mittendi sanguinem, non solum de humore frigido pituitoso, sed melancholico, & bilioso, & dicit, quòd si huiusmodi humores fuerint maximè distantes à natura sanguinis, & penitus alieni; non debet mitti sanguis. Et sic de catarrho frigido dicendum, quòd vbi humores pituitosi penitus distant à natura sanguinis, & sunt in extremo frigiditatis: tunc non secamus venam, nam ex eius sectione incommoda superius enarrata sequuntur. Sed si nõ penitus distant à natura sanguinis, & sint aliquo modo sanguini misti, aut saltem (vt refert Auicenna) nõ fit sanguinis imminutio in toto; tunc erit mittendus sanguis, quia vnà cum sanguine euacuatur pituita, ob cuius euacuationem æger parte oneris leuatur, & quod reliquum est, natura facilius perfert, idque citius, minorique negotio vincere potest, & detrimentum nullum veremur. At inquiunt: potest esse, vt in catarrho frigido humores sint penitus distantes, quia videmus puram pituitam à capite, & per secessum expurgari multoties: ergo videtur, tunc non conuenire. Dicendum, quòd stante virtutis robore impossibile est, vt humores pituitosi sint penitus alieni à natura sanguinis, quia cum hoc non staret virtus fortis, quæ consistit in calido, & non in frigido. Ad illud autem, quod dicitur, quòd pura pituita excernitur; dicimus, pituitam illam esse excrementum, & non materiam facientem catarrhum: quod excrementum à capite etiam sano expurgatur, non modo ab infirmo. Sed adhuc replicant: potest esse, quòd caput ipsum habeat huiusmodi humores ita alienos à sanguine, & reliquum corporis abundet bono sanguine. Ad obiectum istud respondimus, quòd hoc est impossibile, quum sanguis, qui elaboratur in capite, dependeat ab illo, qui in reliquo corporis existit: præterea saltem essent virtutes debiles prouenientes à cerebro, vt sensitiuæ, aut voluntariæ motiuæ. Concludimus tandem, quòd in frigido magno catarrho semper competit missio sanguinis, dummodo virtus consistat, idest dummodo humores frigidi non sint penitus alieni à sanguine, aut in sanguine diminutio non fit, vt ait Auicenna. Et de his satis.

Quibus autem ob ætatem, aut virium infirmitatem venæ sectio interdicitur; his soluenti pharmaco materiam minuere permittitur, vbi ingens materiei copia extiterit, ex Auicennæ authoritate, dum ait: Si nanque materia fuerit multa valde, & veremur, dum ipsa concoquentibus pharmacis calefit, ne augeatur eius quantitas, & pariat extensionem dolorosam, & apostema; (illic enim oportet, vt incipiamus, & euacuemus ex ea aliquid, deinde residuum decoqui incipiat) hanc quidem minuendi intentionem, in his quibus venæ sectio non competit, lenioribus catapotijs quibusdam explemus, vtputa catapotijs de hiera simplici, de assahaieret, de hiera cum agarico, & similibus.

Ibidē duob. locis Galen.

4. de sanit. tuend. & 2. apho.

Prima tertij. ca. 29.

Frigidi humoris præparatio, purgatioque. Cap. XI.



ENITO igitur ventre, & misso sanguine, aut pharmaco soluente imminuta materia, sequitur concoctio, quæ diuersimodè in crassa, & tenui perficitur materia. Si nanque fluens materia tenuis, aquosa, & cruda fuerit, moderatis calefacientibus, & exsiccantibus est concoquenda, quæ caput semper respiciant; qualia erunt mel rosaceum, mina cytoniorum cum speciebus, syrupus de corticibus citri, de betonica, de duabus radicibus sine aceto; cum suis aquis, saluiæ scilicet, betonicæ, menthæ, rorismarini, & huius generis; neque enim calidioribus attenuantibus opus est, cùm materia ex se tenuis, & fluida sit; ex his nanque tenuitas intenderetur, & fluxibilior, & per consequens magis nocua redderetur materia. Moderata itaque calida cum modica astrictione, & incrassatione, pro crudæ tenuisque materiei concoctione commendantur: ijs nempe materia calefit, & incrassatur, & minus fluida, ac rebellior efficitur. De his quidem sermonem faciens Auicenna inquit: Rectius autem quod inuenitur in concoctionem humorum manifestè cruditatis, est, vt sit curatio, & emplastratio cum medicinis æqualis calefactionis. Concocta verò, & præparata materia purgabitur myrobolanis chebulis, agarico præparato, pilulis alefanginis, de hiera cum agarico, & sine quibus Nicolai: his enim solidis medicinis maximè vtimur in capitis affectibus; nam ex eo, quòd in ventriculo multum morantur, vberius à capite educunt. Vnde & aliqui vnam ex omnibus magnam componunt, ex Auic. doctr. prima tertij cap. 29. dum ait: Solutiua verò facilia ad purgandum caput, sunt pilulæ assabieret, ex quibus sumitur pilula magna, vt paruum pondus operationem efficiat, sufficientem cum mora, & non noceat propter paruitatem suam iteratio, & dormiatur super ipsam, ita destruant motus & vigiliæ eius operationem.

Si autem destillans materia crassa, & viscida fuerit, calidioribus tenuantibus, & incidentibus medicaminibus venit præparanda, sicuti sunt syrupi, de stœchade simplex, & compositus, syrupus de betonica, de tribus, aut quinque radicibus cum aceto, oxymel simplex, & compositum, & huiusmodi fortiter incidentia, & attenuantia, vnà cum decoctis stœchadis, saluiæ, betonicæ, calaminthæ, pulegij, sampsuchi, hyssopi, & rorismarini. Vbi animaduertendum, vt ab imbecillioribus exordiamur, gradatim ad fortiora ascendendo: valentissima nanque attenuantia statim ab initio applicita multoties morbi vires excitant, & illum maiorem reddũt. Sic quippe seriatim crassam, & viscidam destillantem materiam concoquimus; quam postea euacuabimus medicinis ipsam aducentibus, vtputa pilulis cochijs, de agarico, pilulis de sarcocolla, electuario diaphenicone, hiera mista cum colocynthide, & similibus. Auicenna autem capite pluries allegato inquit, quòd si voluntas adest, vt iuuamentum fiat in extractione humorum phlegmaticorum; iuuetur pulpa colocynthidis, & gingibere, & turpeto, & stœchade. Sed de horum euacuatione hactenus. Ligni autem guaiaci decoctum, vt frigidæ destillationi non multum proficuum, ita calidæ maximè noxium longa multorum experientia nos docuit. In ijs verò destillationibus, quæ per hepatis consensum fiunt, & quæ cum lue gallica affinitatem habent, quis fortasse ipsum feliciter expertum fuisse testari poterit.

Primo tertij cap. 29.

Catarrhi ad fauces, & pulmones irruentis particularis curatio. Cap. XII.



POSTQVAM corpus vniuersum, & caput insimul per phlebotomiam, & pharmaciam euacuauerimus; superest, vt ad particulares eiusdem euacuationes, quæ per os, & nares fiunt, & ad reliqua deriuationum, ac reuulsionum genera veniamus. Hæc quidem & à capite ipso, & à membris capiti coniunctis moliuntur; sed non per membra læsa, sed per alia, quæ sunt pariter capiti annexa: si nanq; ad nares, & oculos catarrhus destillauerit, minimè caputpurgijs, aut sternutatorijs vtemur: similiter si ad palatum, aut asperam arteriam fluxerit, minimè gargarismatibus, aut masticatorijs euacuabimus; quemadmodum si ad vniuersum ruerit corpus, nec frictionibus, nec vinculis illum reuellemus. Pari ratione de quocunq; alio particulari membro malè affecto ex Galeni doctrina asserimus; quòd neutiquam sit per illud euacuandum, sed aut per membrum propinquum ipsi membro læso, si deriuationem; aut per remotissimum, si mauis reuulsionem cupimus. Hoc profectò intendit Auic. minimè per membrum læsum esse attrahendum, dum catarrhi reuulsionem ad partem oppositam docet, cùm ait: Attractio verò eius ad partem aliam, est sicut cum eo, cum quo opponitur catarrho descendenti ad guttur, cum facientibus sternutationem, & omnibus quæ mordicãt nares, & sicut cum eo, cũ quo opponitur catarrho calido currẽti ad inferiora, ex administratione vẽtosæ

Tertiodecimo methodi.

Quinta fen. 3. tract. 1. cap. 11.

super

super nucham, & similiter inclinatione capitis super embrochas factas ex odoriferis attrahentibus materiam ad partem nasi.

Vbi igitur ad fauces, asperam arteriam, & pulmones, catarrhus fluxerit, vniuersalibus factis euacuationibus, & sola à capite deriuandi intentione remanente: si calida, & acris fluxio extiterit, vtiliter sanguis à fronte, & è naribus mittitur; hoc quippe potissimum est in calidi catarrhi curatione, & maximè cùm nares fuerint solitæ esse apertæ, & fiunt suppressæ. Et ratio potest esse ex Gal. octauo de vsu partium, vbi habet, quòd primus ventriculus cerebri, inter alias vtilitates, quas habet, hanc posidet, quòd ibidem cerebri superfluitates colliguntur, & cum ipso primo ventriculo coniunguntur nares, & etiam colatorium, per quæ illę superfluitates congestæ commodè expurgantur. Ad hanc eandem deriuandi intentionem, venæ etiam sub lingua incidi solent: & fuit hoc Dioclis: & secantur præcipuè, cùm fauces, & guttur ex calida destillatione inflammantur. Scinduntur quoque, quando in cerebri menyngis est inflammatio: nam istæ venæ conueniunt cum venis membranarum cerebri. Sed vltra has sanguinis missiones, caputpurgijs quoque tenuis hæc, & acris materia purgatur; qualia sunt betæ succus butyro commistus, hordei decoctum, aqua violacea. Hæc ieiuno semper ventriculo naribus attrahuntur; & si validiora ipsa optauerimus, addimus & saccarum, & mannam, & rosarum succum, iuxtà maiorem, aut minorem educendi necessitatem.

Si autem destillans materia ad has easdem partes frigida extiterit; siue tenuis, siue crassa ipsa fuerit, neutiquàm supradictas capitis venas, vt in calido fecimus catarrho, incidere audemus; verendo, ne ex tali sanguinis missione caput ex frigido catarrho factum debile, magis debile, & imbecille reddamus; sed caputpurgijs, & sternutamentis ipsum expurgare nitemur. Caputpurgia itaque salubriter caput purgantia componuntur ex herbarum succis, betæ scilicet, cyclaminis, brasicæ, sampsuci, foliorum inulæ, & anagallidis cæruleum florem habentis, simul cum acrium medicamentorum speciebus permistis, piperis, (inquam) pirethri, niri, nasturcij, melanthij, castorei, hellebori albi, & consimilium. Nos verò sic ipsa paramus, idest, Recip. aquæ mellis vnc. ij. carpesiorum, melanthij, piperis albi, singulorum drac. s. multoties addimus vini albi aromatici vnc. j. tritu his, quæ opus est, commisceantur, & naribus infundantur: sufficit vna vice semunciam succorum infudisse. Admonendi sunt, qui sumunt, vt os aqua impleant, ne scilicet è naribus per meatus in os perfluant succi, caputque in posteriora reclinandum. Rhasis, & Serapio nares infundunt, & illiniunt aqua maioranæ, in qua helleborum album maduerit: Auic. verò admonet, ne hæc fortia statim à principio admoueamus. Idem quoque nos docet Gal. secundo de comp. med. secun. loc. dum scribit: Quippe valentissima non statim ab initio admouere conuenit, sed ab imbecillioribus auspicari: quinetiam ipsa valida medicamenta dum leuium mistura mitescunt, mediocria redduntur. Atque idcirco ego lacte muliebri recenti læuigans ipsorum quædam, & aqua, sępe etiam melanthio vsus sum ad nares illinendas; quandoque acri aceto pridie macerans, postero verò die aceto iterum læuigans, & naribus infundens; quandoque verò cum oleo veteri idem melanthium contero, & eodem modo vtor. Ita etiam Archigenes eo vsus est, ad narium obstructa foramina. Id verò, quod aceto paratur, ad arquatos adhibebat Crito. Hactenus Gal. Sternutamenta etiam & ipsa è speciebus prædictorum acrium medicamentorum conficiuntur, & harundine, seu calamo naribus insufflantur: admonendi sunt, qui sumunt, vt sursum rapiant. Hæc quidem sic conficere consueuimus. Rec. maioranę, nigellę, gariophyllorum ana scrup. ij. piperis albi, gingiberis, nasturcij ana scrup. i. diligenter tritis singulis, & commistis fiat sternutamentum. Vbi autem quis acribus istis vsus fuerit, debet postea per nares attrahere ea, quæ leniunt, & refrigerant, sicut aquam hordei, violarum, & similium. His singulis nunc cõmemoratis, caputpurgijs non est vtendum, nisi postquàm corpus vniuersum aut venæ sectione, aut purgatorio medicamento euacuatum fuerit.

Deriuantia, & reuellentia fluxionem ad nares, & oculos descendentem. Cap. XIII.

CVm autem catarrhus è faucibus, & gutture declinauerit, & ad nares, & oculos proruperit: si calida sit influxio, admonent multi, vt spinæ, & occipiti cucurbitulæ cum scarificatione admoueantur. Galenus autem simul cum Medicis antiquis, in calida ad oculos fluxione temporum arterias secare iubet, ac illas quoque in transuersum discindere. Sic quidem in libro de sectione venæ scribit: Consueuerunt etiam Medici interdum secare arterias, quæ in temporibus sunt, infestantibus oculos fluxionibus, tum calidis, tum spirituosis. Decimo autẽ tertio methodi in consimilibus affectibus illas prorsus

„ abſcindere docet, dum inquit: Eſt & quando calidus ſanguis, ac vaporum plenus, ad caput aſcen
„ dit, ac maximè in arterijs redundat. Cui vitio ſaluberrimum eſt remedium, vt eæ incidan-
„ tur arteriæ, quæ circa caput, & calidiores apparent, & maiorem exhibent pulſum: quæcunque
„ verò, & paruæ, & propè cutem reſident; harum & ſi partem aliquam excideris, (veluti facere in
„ varicibus crurium ſolemus) aptius erit: quòd ſi inter nudandum appareat tibi vas magnum, aut
„ magnum exhibere pulſum; tutius fuerit vinculo id prius excipere, mox quod in medio eſt præ
„ ſcindere. Hæc, & plura ſcribit Galenus. Verùm, quia idonei artifices ad munus hoc agen-
dum non ſuppetunt, & quia (vt addit ipſe) arteriarum vulnera ægrè ſupprimi poſſunt; ob id
Medici ipſas incidere metuunt. Hoc idem quarta primi Auic. comprobat, dum ait: Ex arte-
„ rijs verò, quæ ſunt in capite, eſt arteria temporis, quæ quandoque phlebotomatur, & quan-
„ doque inciditur, & quandoque extrahitur, & quandoque cauterizatur: & hoc fit, propterea
„ quòd acuti, & ſubtiles rheumatiſmi conſtringantur, qui ad oculos deſcendunt. In earum ta-
„ men phlebotomia ſemper exiſtit timor: & cum hoc tardatur conſolidatio. Sed præter arteria-
rum inciſiones, & cucurbitularum applicationem, apophlegmatiſmis, & gargariſmatibus ab
oculis & naribus materiam reuellimus. Ex mundificatiuis autem, quæ capiti ſunt propria,
(inquit Auic.) ſunt gargariſmata, in quibus omnibus almuſi ſit adminiſtratum: quòd ſi humo-
res fuerint cholerici puri, non vtaris in ipſorum mundificatione gargariſmate, timendo deſcen
ſum ipſorum ad pectus. Hac profectò ratione, & manſa, & gargarizata, in hac deſtillatione
Medici pertimeſcunt. Sed ſi aliquid horum iuuans eſt, (ſubdit ipſe) tunc oxymel de ſeminibus
cum endiuia laudatur gargarizare, & oxymel ſcylliticum, & ſyrupus violaceus cum aqua hor-
dei, lupuli, & prunorum, & quę huius curſu currunt. Hęc igitur prudenter adminiſtranda ſunt,
ne caput nimium exagitantia plus obſint, quàm proſint. Idipſum & de apophlegmatiſmis di-
cimus; quòd lenia, & mitia ſolummodo in hac acri commendantur deſtillatione. Satis itaque
fuerit, ceram cum maſtiche, ſeu paſſulas cum thure mandere, aut per ſe cortices radicum cappa-
ris, aut iuniperi grana, & huius generis reliqua.

Si autem quæ ad has partes deſtillat materia, frigida ſit, ſiue tenuis, aquoſa, ſiue craſſa, & viſci
da extiterit; nulla occipitij ſcarificatione facta, aut arteriarum temporum inciſione, fluxum
intercipimus: ſed apophlegmatiſmis, & gargariſmatibus ſolummodo ipſum à capite expurga-
Libro 1. „ mus, & à partibus illis diuertimus. Paulus etenim, & Oribaſius inquiunt: Humores, qui in ca-
cap. 46. „ pite ſunt, ſputis euacuamus: quòd ſi leuites facere voluerimus, piper cum maſtiche tempera-
Libro 1. „ bimus; ſi acrius vacuare libet, pyrethrum, aut herbam pedicularem mandi præcipiemus.
cap. 25. „ Item anemones vtriuſque radix manſa pituitam prouocat, capparisque radicis cortex, atque
„ huiuſmodi remedia ſeroſum excrementum vacuant: craſſam verò, lentamque pituitam ſinapi
„ cum oxymelite gargarizatum, aut ſapa, in qua origanum, aut hyſſoppum ſit incoctum. Ego
„ verò ſapam ſinapi cum oxymelite admiſceo. At ſi cerebrum muco purgari deſideret, acri-
„ bus cum remedijs, quorum nonnulla etiam ſternutamenta mouent, euacuabimus. Hucuſque
Paulus. Nos autem maſtichem, bacces lauri, & iuniperi mandere ſæpe iubemus, quæ quo-
niam aromaticæ, & gratæ ventriculo ſunt, nimirum iuuant. Multoties manſiles componimus
paſtillos, qui habent radicum pyrethri, gingiberis ana drach. ij. piperis albi drac. j. maſti-
ches, ceræ ana vnc. s. trita miſceantur, & fiant manſiles paſtilli; & cum vſus poſtulat, vnus
præbeatur mandendus. Vtendum autem apophlegmatiſmis matutino tempore, & tum po-
tiſsimum, cùm reliquis excrementis corpus iam vacuum ſit: poſt illorum vſum aqua calida os
abluendum erit, aut mellicrate. Gargariſmata quoque nos componimus, vbi craſſa, & lenta
ſit materia deſtillans, ex ſimplici oxymelite, ſeu ex compoſito, aut ex ſcyllitico ſimul permi-
Secundo de ſtis cum aqua mellis, aut hyſſopi, aut betonicæ, Galeni præceptum obſeruantes, vt à leuiori-
comp. med. bus exordiamur: nam à potentioribus ſi ſtatim auſpicamur, caput offenditur. Vbi autem hæc
parum proficiant, validiora ſic formamus. Recip. pulegij, origani, calaminthæ. ſingulorum
manip. s. radicum pyrethri, capparis, vtriuſque drach. ij. coquantur in aqua fontis iuſtæ quanti-
tatis, tantiſper, dum tertia pars abſumatur; deinde colo transfundantur, & ipſi decocti adij-
ciantur vnc. iij. oxymelitis: & omnibus commiſtis fiat gargariſmata. Ab hac nempe reuulſionis,
& deriuationis intentione non deſiſtentes, ad reliqua eorundem genera progrediamur, quæ
ſcilicet per frictiones, ligaturas, pedum oblutiones, cucurbitulas, clyſteres, menſtruorum, ac
hemorroydum apertiones adminiſtrantur, ac tandem quæ per ſynapiſmata fiunt, & cauteria.
Lib. 3. trac. Corporis nanque frictio (ait Auic.) ex eis eſt, quæ materiam ad inferiora trahunt; hancque
3. cap. 11. modò à ſupernis, modò ab infernis exordimur partibus, penès variam intentionem, aut de-
riuandi magis, aut reuellendi. Si enim intentio reuellendi potior fuerit, inferiùs à cruribus eas
inchoabimus ſub genibus, per crura vſque ad malleolos deſcendendo, poſtea à natibus vſque
ad genua, demum à ſpatulis ad nates, & vltimò per brachia vſque ad paruam manum. Si verò

deriuandi

deriuandi præualuerit intentio, tunc à supernis illas inchoabimus à nucha, & occipite, collo, spatulis, brachijs, & manibus, ad inferna descendentes membra, ad coxas, (inquam) genua, crura, & talos: fiantque pro modo corporis, & consistentia frictiones factæ, aut fortes, aut debiles; etenim addit Celsus, quòd vehementer inferiores partes perfricandæ sunt. Leuior frictio adhibenda est thoraci, leuior capiti. Huic conforme dixit Auicenna: Et motus membrorum inferiorum est valde proficuus ad catarrhos, propter attractionem materierum ad inferiora. Et alibi huic proposito subscripsit: Et quandoque purgatur caput leni exercitio, sicut frictione & compressione manibus facta, ita vt etiam pectitio capitis sit huius generis. Quidam etiam impiè reuellunt, dum vel barbam, vel capillos euellunt; seu dum in verticæ capitis magnam capillorum partem manu vehementer vellicant, donec crepitu cutis ab osse recedat. Vincula autem arctiora (ait Gal.) ijs, quæ ad contrarium reuocant, remedijs annumeranda sunt. Sed Scribonius in de sputo sanguinis contra Gal. de ijs ambigit, quòd non conueniant pro reuellenda materia, quoniam per compressionem sanguis propellitur ad supertora, & multò plus repellunt, quàm attrahant. Ad hæc dicimus, quòd si in extremis partibus, vtpote infra cubitos ad carpum, & brachiale, seu ad crura præcipuè hæc administrentur; & si aliqua etiam propulsio ibi fiat, nullum sequitur nocumentum: nam maius est commodum, quod ex doloris attractione consequimur ab illatis vinculis, quàm incommodum ex modica illa propulsione. Hac eadem quoq; reuulsionis caussa, pedes calidiori aqua lauamus, in qua rosmarinus, saluia, betonica, & consimilia caput iuuantia maduerint. Diuertunt & cucurbitulæ absque incisione, cum multo igne applicitæ ad nates, coxas, & crura, seu ad collum, spatulas, & lumbos; iuxtà maiorem, aut reuellendi, aut deriuandi intentionem, sicuti & de frictionibus supra retulimus. In mulieribus verò mensium enocatio, si suppressi fuerint, salubriter à capite diuertit; quemadmodum & in viris hemorrhoydum venarum apertio. Clysteres quoque, & glandes subditi, & ipsi è directo à capite reuellunt: quamobrem & secundo de compo. med. secundum loc. & quinto meth. clysteribus reuellendi caussa fœliciter Gal. vtitur. Vnum animaduertendum, quòd Auic. admonet, vt in calida materia ab acutis abstineamus clysteribus, quoniam hepar calefaciunt. Galenus autem in eadem materia primo ad Glauconem fortibus vtitur clysteribus: dicimus, Gal. intelligere de vno vel altero clysteri; Auic. autem de continuo vsu clysterium fortium. In frigida verò destillatione tutò fortibus vtimur clysteribus; qua de re & Aetius rectè scripsit: Porrò fortis clyster diuturnas sanat destillationes. Ii nanque vtplurimum componuntur ex saluiæ, & betonicæ decoctis, maioranæ, stæchadis, cartami, centaurij minoris, polypodij, & similium, quæ capiti conferunt, & ab ipso educunt; mox mel rosaceum, sal, & oleum ipsi decocto addimus; & hieram picram, & hieram Logadij; & diacolocynthidem, & huius generis alia secundùm opportunas occasiones, aut magis, aut minus educendi. Hac eadem profectò reuellendi caussa, glandes formamus eum melle decocto, & speciebus hieræ, aut colocynthidis modico, seu scammonij, aut agarici, iuxtà proprias indicationes. Has quippe omnes reuulsionum species rectè quoque administrantur vbi humores ab inferis ad superas ascenderint partes; vt prima tertij benè admonet Auicenna, dum ait: Et si humores fuerint ascendentes à latere, aut à corpore toto, trahemus ad contrarium, sicut si fuerit ex inferioribus corporis, aut ex corpore toto, administrabimus clysteres, & glandes, & ligabimus extrema, & propriè pedes, & euacuabimus membra, vtpote si fuerit stomachus, cum hiera picra, aut splen, cum eo, quod ei est proprium; & similiter vnum quodque membrum. Vomitus verò est ex eis, in quibus non fit iuuamentum in curationibus ægritudinum capitis, nisi fiat propter communitatem materiei in stomacho: nam tunc melior modorum expulsionis eius est vomitus. Hactenus Auicenna prim. 3. cap. 29.

Lib. 4. cap. de destill.

Octauo ser. cap. 53.

Crurium, brachiorumque cauteria, quibus prosint destillationibus. Cap. XIIII.



His omnibus præsidijs adhibitis, si catarrhus adhuc perseueret, multi ad continuam moliendam reuulsionem cauteria adhibent, in brachijs, in musculo epomoide; si morbus vigeat, & instet reuellendi tempus: sin minus, ita quòd morbus inducias præster; tunc ad magis longinqua, vtpote infra genua per quatuor digitos in ea parte, in qua sciinditur musculus vbi inuenitur concauitas. Ibi ergo cauteria faciunt, quæ multoties conferunt; quando scilicet cerebrum destillauerit, non solum per essentiam ex frigida intemperie; sed & per consensum aut hepatis, aut vteri, aut totius corporis. Quum enim caput camini instar se habeat in corpore aliarum partium respectu, ad quod *nono de vsu*

partium. vaporosæ superfluitates ferè omnes deferuntur, & maximè cùm ex frigida destillatione debile factum fuerit; tunc facilius absque labore illæ recipiuntur. In his quippe permistis catarrhis ex frigida cerebri intemperie, & vaporosis aliunde transmissis humoribus cauteria hæc adhibita rationabiliter conferunt, quoniam per ea vaporosæ superfluitates, quæ frigidum fouere catarrhum consueuerant, salubriter expurgantur. Nec enim obstat, quòd ad caput repant vapores: nam vt sursum, ita etiam ad latus, & inferius, ad brachia scilicet, & crura, diffunduntur, cùm humidi, & aerei sint. Et quoniam membra hæc in decliui posita sunt loco, & ex administratis cauterijs debilia facta; idcirco à toto, aut à principi parte ad ea facilè labuntur humores: promptè enim semper ad membrum læsum, & decliue, materiæ fluunt; & eò facilius, quò peruium adinueniunt locum, vnde commodè excernantur. Etsi enim caput ex catarrho, & crura, & brachia ex cauterio æqualiter debilia existunt; maiorem tamen de capite, cùm princeps, & nobile membrum sit, quàm de cruribus, & brachijs, Natura curam habebit. Quamobrem nunquàm desistit per hæc eadem cauterizata membra caput exonerare, vt potentior super residuum euadat, ac citius à morbo vendicetur. In his igitur & per essentiam, & per consensum factis catarrhis, cauteria hæc permittimus. Conueniunt etiam huiusmodi cauteria, cùm fluxio à pericraneo, eiusque venis per externas partes emanauerit; quoniam expurgationis locus fluenti materiæ opportunus, commodusque existit: at in simpliciter frigidis cerebri intemperiebus, vbi concoctrix maximè infirmatur, nequiquàm illa laudamus; quando societatem vllam inspiciamus, qua humores, superfluitatesq; illæ vtiliter, aut per brachia, aut per crura expurgari possint; & si aliqua affinitas adest, tenuis vtique, & longinqua multum illa conspicitur. Hæc de crurium, brachiorumque cauterijs dicta sufficiant.

An à parte affecta, an ex opposita faciendum sit cauteriū.

De capitis cauterio, ac sinapismate in catarrho. Cap. XV.

SI verò nec per enarrata cauteria, nec per aliquod aliud superius descriptum præsidium catarrhus minuatur, sed fluere adhuc perseueret, & timor sit, ne in dies morbus sæuiat, ac ægrum interimat; tunc ad sinapismata, & cranij suturarum cauteria, vt ad supremum auxilium, Medici confugiunt, dicentes, continuum, ac perennem defluxum, continuam, & perennem exposcere deriuationem, & frigidam fortem intemperiem, calefacientibus fortibus sanari. Ex recentioribus autem quidam dubitant, an cauteria, quæ super cranij suturis in catarrho fiunt, ei expediant; & cuinam magis; an calido, seu frigido; & cùm re vera conferant, quænam felicius commendantur, ac cum ferro, seu potius cum medicaminibus facta, vtputa cum sinapismate, & vesicatorio: Ad primum, vnà cum Gal. tertiodecimo methodi dicunt, in calidis catarrhis minimè expetere; quum calida hæc calidam adaugeant discrasiam: in frigidis autem commendantur, postquàm alia nequaquàm profuerunt, nec morbus termineiur, sed contumax perseueret. Laudantur quoque, cùm res vrgeat, & periculum adsit, ne æger suffocetur; aut ne materia descendens pectoris venas, aut pulmones corrodat. An verò ferro ignito, an sinapismate, & vesicatorio id tutius moliamur? inquiunt isti, securius ministrari medicamentis vrentibus, & vesicatorijs: neque enim ex his timent, caput lædi, sicut ignito ferro. Ad hoc namque suspensorium plerunque offenditur, quod duas cerebri menynges suspendit. Hæc breuiter est istorum sententia.

Nos autem in hoc quæsito prius quæremus, quinam sit cauteriorum, & sinapismatum vsus apud Medicos in catarrho: deinceps perscrutabimur, an horum vterque æqualiter & calido, & frigido conueniat catarrho; siue vnum magis, quàm alterum: mox ostendemus, quòd ferro admotum cauterium, siquidem à peritissimo administretur Chyrurgo, nullum inde periculum imminet; & si quid nocumenti affert, facilè corrigitur.

Cauterij vsus in catarrho. Ad primum, cum vniuersa Medicorum Schola dicimus, cauteriorum vsum in catarrho maximum esse, pro materiei fluentis deriuatione, & reuulsione; quod ipse curationis modus ostendit, qui semper in purgatione versatur: idipsumque quotidiana Medicorum experientia probatur, qui non nisi reuellenda, ac deriuanda materia huiusmodi in dies vtuntur cauterijs: nec imus inficias, cauterium membro admotum, eius frigidam, & humidam intemperiem alterandi vim habere, sicuti & omnes fatentur. Sed non est par ratio de cerebro, & alijs partibus: alias enim partes actu cauterium ferit, & vrit; vnde & bene potest ipsas ad contrariam qualitatem alterare: at in cerebro, cuius intemperiem in catarrho permutare intendimus, non idem euenit: nam & cranium, & dura, & tenuis menynx, mediæ semper sunt, & ille ferri candentis ictus super pericraneum illico intercipitur, vnde parum eius alteratio permanet; nec si permanserit, boni quicquam operatur, cùm præter rationem, & vltra artis mensuram consistat: actio enim

Lib. 1. cap. 2. Albucasis.

ignitì

igniti cauterij (inquit Albucasis) non peruenit, nisi ad membrum, quod cauterizatur: pericranei itaque, & cutis capitis vstio ex huius doctrina, cerebri intemperiem minimè corrigit. Præterea post casum escaræ, transactis aliquibus diebus cauterij locus frigidior, quàm prius erat, fit: nam quotidie vlceris præsentia pars illa inficitur, & debilior redditur. Non igitur alterationis caussa, sed euacuationis, & reuulsionis, Medici id moliuntur: & si Auicenna in remotione caussę efficientis catarrhum imperat cauterium; non ad alterandum, sed ad diuertendum, & deriuandum præcipuè illud imperare eum credimus. *Lib. 1. ca. 1.*

Vsus autem sinapismi, & rubificantium in catarrho efficax est ad alterandum, & diuertendum: alterat quidem frigidam excalefaciens intemperiem, ac humidam exficcans: diuertit verò ex alto ad superficiem materiam extraheos: longè tamen efficacior est ad alterandum; quod vsu Authorum primò ostendemus, postea rubificantis medicaminis ratione comprobabimus. Vbique enim Gal. legimus, & sexto de tuen. sani. & tertiodecimo meth. & secundo de compo. med. secun. loc. contra Medicos inuehi, qui indifferenter & in calida & in frigida intemparie huc præsidij genere ad materiam distrahendam vtebantur, tanquàm peculiari, & vsitato tunc temporis remedio. Semel tantum obseruauimus, hoc ipso Galenum abusum fuisse quinto methodi, dum nobilis cuiusdam romanæ mulieris capiti, calidam cum sputu sanguinis destillationem patienti, rubificans tale medicamen ex thapsia, & palumbium stercore confectum, imponi iussit; plus (ex more illorum) reuulsioni, quàm alterationi indulgens. Quicquid tamen fit de particulari casu illo; aliàs vbique Gal. exclamat, rubificantia ista frigidis tantùm intemperaturis vtiliter adhiberi, & nullatenus calidis; clarè testificans, (vt nos supra diximus) hæc longè efficaciora esse ad alterandum, quàm ad educendum, & multò plus incommodi afferre calidæ intemperiei applicitum, discrasiam augendo, quàm commodi materiam diminuendo. *Sinapismi vsus in catar.*

secundo nanque de comp. med. secun. loc. inquit ipse: Ego autem in quibus vel intemperies »
quædam humida, & frigida particularis patientibus inest, ipsa per se, aut propter frigiditatem »
eiusmodi humorum oborta; medicamenta, quæ ex sinapi, thapsia, & similibus præparantur, »
ipsis admoneo: calidis verò, & siccis non admoneo. Porrò ij qui nequeunt dispositiones co- »
gnoscere, ad huiusmodi medicamina veluti ad sacram anchoram confugiunt. Hoc idem Aetius tertio sermone affirmare videtur, dum ait: Sinapismus in diuturnis fermè omnibus mor- » *Cap. 181.*
bis, postquàm reliqua auxilia nihil profuerunt, efficacissimus reperitur: omnes enim resolu- »
tæ, ac frigefactæ partes hoc auxilio gaudent, & præcipuè caput. Idipsum profectò Auic. vult »
in curatione sodæ, quæ ouum nominatur, cùm inquit: Et scias, quòd ouum antiquum tempo- »
rale non eradicat, nisi quod est fortis calefactionis, & resolutionis. Idem in hemicraniæ cura- »
tione reperit: ægritudo enim cuius tempus est protractum, frigida est secundum omnem dispositionem, & indiget resolutione, & quòd calefaciat cum fortitudine. Concludimus tandem, sinapismis, & reliquis rubificantibus, frequentius, ac felicius rationales Medicos vti ad frigidam permutandam intemperiem, quàm ad nocuam extrahendam materiam. Id quod apertè etiam concluditur ex rubificantis medicaminis ratione, quæ est (vt ait Auic.) vt calefaciat membrum, cui obuiat fortiter, ita vt ad ipsum vehementi attractione sanguinem attrahat, peruenientem ad eius exteriora, & rubefaciat ipsum: & hoc est sicut sinapis, ficus, & calamintha. *Prima fen. 2. lib. tra. 1. cap. 4.*

Sed satis dictum sit de cauterij, & sinapismi vsu in catharrho: superest, vt modum declaremus, quo horum vterque tum frigido, tum calido catarrho conferat. Recentiores aiunt, (& est ferè praxim excercentium communis sententia) cauterium, vbi alia remedia parum contulerint, valde efficax esse in catarrho frigido: nam duplici ratione ei conuenit, alterationis scilicet, & distractionis; per calorem nanque frigida corrigitur intemperies; per excitatum vlcus continenter materia distrahitur à solito cursu. Modus verò distractionis materiæ, vt inquiunt, est quòd calor innatus cerebri vnà cum eiusdem naturalibus facultatibus (peruia facta via ex vlcere candentis ferri) confestim frigidam aggreditur materiam, digerendo, ac in vapores illam vertendo, quò melius per reclusum ostium expurgetur. Idque facilius etiam consequitur, quoniam pars vlcere affecta debilitatur, & ad partem debilem procliuius feruntur humores. Nec humoribus solum (adducunt ipsi) peruius est factus locus; sed & vaporibus sursum ad suturas repentibus, tam in capite genitis, quàm aliunde transmissis. Ij etiam dum cranei suturas feriunt, & clausos meatus inueniunt, tunc mora contrahunt, & cerebri frigiditate præhensi incrassantur; qui mox deorsum cadunt, in humores versi, & catarrhum augent. Ijs vtrisque ambobus, & digestis humoribus, & vaporibus sursum repentibus, ferri candentis ictus subuenit, idoneum locum vtriusque horum distractioni parans. Hic nempe est ordo, & modus, quo isti dicunt, cauterium frigido conferre catarrho. *Albucasis lib. 1. ca. 2.*

Nos verò, quoniam ab his discrepamus, dicimus, cauterium nullatenus frigido per se conuenire catarrho; nec alterationis nomine, nec reuulsionis caussa, nec vaporum expurgandorum

gratia;

gratia; præsertim si à cerebro, & non à partibus extra caluariam defluxus fuerit. Quòd verò alterationis occasione non competat, iam liquidò patet ex his, quæ supra diximus, dum de cauterij vsu sermonem habuimus. Quòd verò nec reuulsionis caussa id expediat, ratione probamus. Reuulsio nanque omnis, quam in qualibet molimur destillatione, humorem semper fluentem à proprio cursu diuertit. Humor itaque frigidus deorsum stillans, vt sursum retrahatur; aut violenter id prouenit, aut vi calidi innati attenuantis, & in vaporem permutantis contingit: sed neutrum horum possibile est consequi. Quòd violenter expellatur; nemo est, qui dicat; & si diceret, absonum foret. Quòd autem calidi innati vi digeratur, & in vapores vertatur, & motui sursum habilis reddatur; rationi consonum est; sed res admodum laboriosa, & difficilis iudicatur, vt tunc temporis cerebri natura id perficiat, quo frigidæ discrasis vi, & diuturnitate morbi imbecillis, & debilis facta est; & ob eius frigiditatem, vapores ad eum delati statim crassescunt, & deorsum cadunt. Si adeo quippe viget frigus in diuturno frigido catarrho, vt vapores in humores conuertat; quomodo igitur humores in vapores mutabit? Sed condonemus, non omnes in humores conuertit vapores, sed multos superesse, qui sic, vt halitosi sunt, excerni exposcunt. Quòd nec horum tantùm expurgandorum gratia cauterium factum in hoc catarrho prosit, hac sola probatur ratione; quoniam vapores suæ substantiæ tenuitate per cranij suturas aptè extra feruntur, & per cutis pariter capitis poros accommodatè expurgantur; præcipuè quum multitudine non se inuicem confundant; neque enim ibi multi gignuntur vapores ob cerebri actam frigiditatem: non igitur horum gratia purgandorum expedit caput ignito ferro vrere. Sic quippe contra communem practicantium vsum ostendimus, quòd cauterium neutiquàm frigido per se conuenit catarrho. Contrarium autem de sinapismo asserimus; nam huiusmodi rubificantia medicamina summopere frigidæ destillationi opitulantur, vt Galenus, Aetius, Oribasius, & cæteri Græci tradiderunt: ipsa nanque capiti frigidam patienti fluxionem admota, non statim, vti ignita cauteria, amouentur; sed diutius consistere permittimus, donec cutem exulcerent, aut cruento colore suffundant. Hæc igitur suo acri, & perseueranti calore, intemperiem permutant, & innatum cerebri calidum excitant, ad frigidos digerendos, & dissoluendos humores, quò facilius in halitus conuersi per cranij suturas distrahantur. Et hac quidem de caussa sexto de tuen. sani. & tertiodecimo metho. Gal. medicamen ex thapsia, & palumbium stercore confectum in frigida commendauit destillatione: at in calida plurimum damnauit, tanquàm malæ discrasis calidæ caussam fouentem, & morbum adaugentem; vti clarè etiam ex eius vsu licet inspicere. Secus profectò res se habet in calido, siue ex frigido & calido commisto catarrho: nam assiduæ reuulsionis caussa cauterium eis conuenit, & nullo modo sinapismus. Hoc quidem in calido capitis defluxu adhibitum iure duplici nomine laudatur: nam calidæ deorsum fluentis materiæ fit sursum reuulsio per excitatum vlcus, & aperitur ostium vaporum multitudini sursum repenti, ac exitum properanti: ij enim in calidiori capite plurimi semper abundant. Modus autem, quo calidos natura reijcit humores post factum cauterium, longè facilior est, quàm quo frigidos expellit; nam præter loci opportunitatem, tum ratione magnitudinis, tum ratione debilitatis, adest ipsius calidi humoris propensio sursum ad expulsionis locum ascendẽtis: & vltra humoris propensionem, validior quoque viget cerebri calor, validius humores ipsos attenuans, & in vapores conuertens, ac reiectioni idoneos faciens. Nec obstant, quòd in calido capite viæ omnes peruiæ, & apertæ sint; quoniam quantumcunque peruiæ, vaporum multitudini euacuandæ minimè satisfaciunt: idcirco cauterium adhibemus. Vbi autem illæ satis forent; tunc cauterij nullum esset opus. Igniti verò ferri nocumento succurrimus frigidioribus linimentis, vtputa oleo rosaceo, myrtino, infrigidante Gal. aqua rosacea, & consimilibus. Quòd autem antiquorum dictis consona dicamus, Gal. & Hipp. testimonio hæc ipsa comprobamus; nono enim de vsu partium Gal. declarat, quemadmodum non omnis humor, qui à capite destillat, aptus est per capitis suturas excerni, sed calidus, & vaporosus tantùm: refert etenim ibidem ipse, quòd excretiones, quæ à capite defluunt, siue ibidem genitæ sint, siue aliunde deportatæ, in duplici reponuntur differentia; quædam enim frigidæ, aquosæ, seu limosæ existunt, ex frigida intemperie, & concoctricis imbecillitate genitæ; quædam verò calidæ, vaporosæ, & fuliginosæ, à calida excitatæ, & productæ discrasi. Frigidæ verò, siue tenues aquosæ, siue crassæ limosæ extiterint, (inquit Gal.) propria natura ad destinata inferius excretionum loca delabuntur, ad nares videlicet, colatorium, & palatum. Calidę nanque, fuliginosæ, & vaporosæ superius suo impetu naturali ad cranij scilicet suturas feruntur; tanquàm ad suos quoque ordinatos excretionis meatus. Quum igitur cerebri excretiones omnes sub hac contineantur distinctione, & harum singula proprios expurgationis ductus à natura obtineat, calida sursum, & frigida deorsum; clare patet, quòd ad calidam, & non ad frigidam materiam attinet, per cauteria super cranij suturas facta,

ras facta, expurgari: hæc enim suo impetu naturali in sublime fertur, vbi calidæ intemperiei vi in halitum vertitur, qui mox per cauterij vlcus liberius expurgatur. Frigida verò excretio suo nutu, & pondere. deorsum naturaliter ad os, & palatum descendit, & nō nisi violenter, aut magna cum difficultate sursum trahitur. Hoc quidem est, quod primo aphor. nos docuit Hipp. dum ait: Quæ educenda sunt, eò duci per conferentia loca debent, quò maximè tendit natura. Si nanque calidæ excretiones sursum, & frigidæ deorsum, naturaliter per propria expurgationum loca mouentur; eò semper salubriter ducendæ sunt, & non contra ipsorum, & expultricis naturæ motum, illas insalubriter trahere oportet. Craoij enim suturæ, calidarum colatorium, & palatum frigidarum, expurgationis loci dicuntur. Per suos igitur vnicuique proprios ductus singula ipsarum salubriter excernetur. His veris existentibus, concludimus, vtilitatis, & commodi nihil frigido catarrho in capitis vertice cauterium factum præstare.

At, dices, nisi vertici, saltem inio cauteria competunt, cùm in decliui resideat loco, ad quem sponte materia deuenit: Huic respondimus, quòd illud non est conueniens locus, cùm à natura non sit institutus ad munus hoc exercendum; immo potius inconueniens, cùm per cerebellum, & nucham noxiam trahimus materiam. Adest præterea concoctricis imbecillitas impotens humores in vapores vertere, & illucusque transfundere. Sed præter hæc omnia adest, quòd nullus vasorum consensus inter cerebrum, & inium conspicitur, per quæ cōmodè fieri possit huiusmodi eductio. Hac vtique ratione Hipp. authoritati satisfacimus, dum ait: Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa prodest. Posteriorem autem capitis partem dolor molestans, si intra caluariam extiterit, cerebri menyngas affligit; si extra pericraneum, occipitij, & ceruicis musculos, & cutim offendit. Quæcunque autem harum partium læsa fuerit, à vena frontis secta auxilium consequitur. Vena enim frontis ramulus est maioris rami externæ iugularis secundum colli latus ad caput ascendentis; qui in plures surculos scissus, vndique per capitis partes, tum anteriores, tum posteriores transfunditur. Nonnulli etiam ex his surculis per cranei foramina ad duram menyngem pertingunt; per has itaq; rami externæ iugularis propagines adest affinitas inter sinciput & occiput, vnde inuicem salubriter expurgari possint; id quod inter cerebrum & inium non contingit; cùm nullus ibidem vasorum consensus appareat, per quem commodè euacuari possimus. At dices, vsus oppositum testatur, quoniam salubriter quotidie administrantur. Respondemus, nunquàm hæc feliciter experiri, nisi cùm fluxio est calida, aut non prorsus frigida fuerit, sed mista, vt mox de ipsa infra dicetur; siue cùm materia à capitis vertice per caluam extrinsecus fluxerit: tunc equidem vtilia inuenimus, non solum in inio, sed & vertice quoque facta: quando à loco affecto, atque eidem adhærenti, & affini, facilis & commoda semper fit eductio, siue frigida, siue calida materia extiterit. Et quoniam quis Paulum, Celsum, Aetium, & Alexandrum cauteriorum commendantes nobis obijcere potest, vnà cum Auicenna, Mesue, Actuario, & Albucasi, quos vniuersa practicantium scola in hac praxi insequitur: Has profectò tantorum virorum authoritates partim interpretamur, partim resellimus. Paulo igitur Aginetæ, qui in defluxione ad oculos, pulmonumq; bronchios caput ignito ferro inurere docet; dicimus, aut ex aliorum sententia allocutum esse, aut si ex propria non de frigido simpliciter, sed de calido, siue de frigido, & calido simul misto defluxu ipsum intellexisse. Ad Celsum autem, & Aetium, qui & in paralesi, & in frigida cephalea candentibus ferramentis vndique caput exulcerant: Respondimus, rationem parem non esse: nam & in cephalea, & in paralesi caput vtplurimum, & intra & extra caluariam afficitur; quare ferri candentis ictus, aut ipsam partem laborantem, aut ei valde propinquam statim attingit, & ferit; quod in destillatione à frigida cerebri intemperie non euenit, vti supra retulimus. At Auicennæ, Mesue, Alexandri, Actuarij, & Albucasis authoritates, etsi semper apud me plurimi momenti existant, hac tamen parte non approbamus, cùm nobis videatur, id parum firmis rationibus admisisse. Nec quòd istis contradicamus, mirum sit; quia veritatem, & rerum exquisitas rationes insequimur; atque propterea ab his viris doctissimis hac parte licuit discedere. Quòd verò frigidis simpliciter catarrhis cauteria minimè competant, seniorum catarrhi testimonio comprobatur, qui ex administratis cauterijs deterius in dies se habet. Nec enim refert, quòd in frigidis, & præfocatiuis catarrhis (vt isti arguunt) cauteria adhibita summum multoties auxilium faciunt; quoniam etsi hoc aliquando contingat, (prout rei veritas est) nihilominus non in simpliciter, & absolutè frigidis, sed in complicatis ex calidis & frigidis humoribus id euenit: caput enim (scribit Gal.) partibus corporis omnibus velut tectum quoddam calidæ domus est superpositum, vnde facilè excipit omnia, quæ à partibus subiectis sursum conferuntur vaporosa excrementa, & vnà cum vaporibus humores quoque sæpissimè arripit. Si etenim fortè euenit, vt frigida discrasi caput laboret, & spirituosis his calidis vaporibus, ac humoribus repleatur; tunc frigidæ discrasis caussa

Lib.6.ca.2.

Lib.4.ca.2.

Act.lib.6. c.28.et 50.

Nono de vsu partium cap. 1.

Hipp. de capitis vulneribus car. 586.

Tertiodecimo method. cap. vltim.

Idem ferè Mesue cap. de catar. curat. & Albuca. lib. 1. cap. 2. 56. meth.

caussa frigidis abundabit humoribus, ratione autem susceptorum vaporum, & humorum calidis. Ex his verò, calidis, & frigidis humoribus permistis, magni gignuntur catarrhi; qui adeo interdum excrescunt, vt ægros suffocent. His vtique complicatis, magis catarrhis cauteria super cranei suturas adhibita prodesse compertmus. Idque præcipuè super coronalem suturam molimur: nam præter reliqua (ait Gal.) tenuissimum, & rarissimum in eo loco est cranium, & è directo respicit affectionem, vnde commodius superflua excernuntur. Quòd verò ex frigidis, & calidis humoribus complicatis catarrhis, cauteria conueniant; antiquorum cauterizantium authoritate confirmatur: prima enim tertij Auic. cap. vltimò primi tractatus inquit: Ex eo autem, in quo materiæ humorum diuersæ, quæ sunt in capite, communicant, secundum intentionem cauterizantium est, vt fiat cauterium, vbi perueniunt index, & auricularis, ipsos extendendo ab extremitate nasi, aut vbi peruenit medietas fili, cuius longitudo est ab aure ad aurem, capite prius raso. Per diuersas autem materias, quæ sunt in capite, & calidas, & frigidas materias intelligit Auic. ex mente illorum, sicuti boni interpretantur expositores. Et quoniam vtplurimum complicati affectus longæui, & diuturni sunt; hinc est, quòd in diuturnis, & longæuis destillationibus cauteria commendantur, & vtilia inueniuntur: nam sicut continuus, & perennis est fluxus, ita continua, & perenni indiget euacuatione. Qui enim perseuerans est morbus, perseueranti quoque curatur præsidio. Hanc autem curationis perseuerantiam multi per quadraginta dies continuant, alij quoque per annum vlcus cicere, aliaue simili re apertum conseruant: si enim breui tempore recludatur, periculum imminet, ne materia solita fluere ad vlcus illud, nocumentum faciat. De loco autem, in quo cauterium administratur, multi reuulsionis rectitudinem obseruant; alij expurgationis commoditatem. Qui verò hanc venerantur, super coronalem suturam id fieri semper iubant: nam suturis omnibus laxior illa existit, & magis conspicua; & præter reliqua etiam tenuissimum est in eo loco cranium, & rarissimum. Qui enim reuulsionis rectitudinem colunt, & student, vt ad contrarium per rectum fiat reuulsio; ij si ad ventriculum, aut ad pectus, & pulmones materia descendat; coronali suturæ cauterium imperant. Si verò à posteriori capitis parte materia fluens ad spinæ vertebras, & iuncturas dilabatur: fluentis materiei rectitudinem seruantes in occipitio super lambdoidem suturam cauterium faciunt. Vbi verò ad oculos materia fluxerit, tunc retro aures in inio, hoc est posteriori capitis parte, quæ ceruici copulatur, cauterium, aut laqueum ex equinis setis contextum moliuntur. Hoc ipsum de sinapismi loco asseueramus, quando vna eademque fit vtriusque intentio, cerebrum (inquam) persanandi. At sinapismus longè magis amplum capitis spatium occupat, & diuturniorem moram super ipsum desiderat, quàm cauterium. Hoc enim illico suum perficit opus, & paruum admodum, & angustum vlcerat locum.

Ad nocumentum autem (quod aiunt) ignito ferro fieri, quòd suspensorium scilicet menyngum cerebri inde offendatur: dicimus, peritum chyrurgum secundum rationem operantem immunes à periculo isto nos facere: debet enim ipse ignitum ferramentum supra suturam ita ponere, vt cauterij gyrus iustè super suturam existat: cuspis verò à latere verti debet, ne dum ferit, directò suturam percutiat, sed eius latus, & extremum tantùm: dummodo enim ferri candentis ictus suturam ipsam actu non feriat; nullum inde malum veremur. Hoc quidem Albucasis confirmat, dum ait: Et scitote filij, quòd ex secreto curationis per cauterium cum igne, & bonitate eius super cauterium cum medicina comburente est, quoniam ignis est simplex, cuius actio non peruenit nisi ad membrum quod cauterizatur, & non nocet membro alio coniuncto cum eo, nisi superfluat. Hac igitur de caussa dixit Auicenna: Cauterizator prætereà sibi cauere debet, ne fortitudo cauterizationis ipsius ad neruos perueniat, nec ad chordas, neque ad ligamenta. Subtiliter igitur semper operaberis ita, vt cerebrum non ebulliat, neque ipsius panniculi corrugentur. Nocumentum verò, quod ex administrato cauterio vereri possumus, est, cùm cauterium non educit, nec diuertit materiam peccantem, & morbum facientem; vtputa si ad oculos per recondita in profundo vasa materia fluat, & cauterium, aut laqueus, in ea ceruicis parte, quæ occipiti est proxima, administretur: hoc quidem morbum adauget; nam nihil materiei, quæ ad oculos tendit, per ipsum retrahitur, cùm nulla sit ibi viarum affinitas, per quam hoc effici possit. Sed vltra quòd nullum bonum operatur, malum etiam agit, quòd pericraneum infirmat, cuius infirmitate & oculus consortij lege infirmatur: per adnatam enim tunicam, oculus pericranio coniungitur, & ex mala eius affectione, malè quoque & ipse per consensum afficitur. Sic quippe duplici onere oculus premitur, propria scilicet, & aduentitia per cauterium acquisita ægritudine. Hoc idem accidit de quocunque alio præter rationem in capite facto; nam quum materia morbum efficiens per cauterium non aboletur, tunc duplici morbo caput grauatur, solito scilicet, & recenter per cauterium assumpto; ex ipso quidem

Quarta fen. pri. cap. 29.

dem

dem caput semper læditur, tum præcipuè, cùm vtilitatis nihil molitur. Quibus autem valida hæc præsidia opem ferunt, & in morbi principio, & in augmento multoties molienda sunt, iuxtà opportunas occasiones, nec sunt procrastinanda, vt leuiora prius experiamur; nam qui segniter in principio curant catarrhos (inquit Galen.) à leuioribus incipiendo, longum parant ægris interitum: errata enim in fluxionum initio, affectus difficulter sanabiles, vel prorsus incurabiles faciunt. Sed satis, superque de cauterio, & sinapismo dictum sit.

Quinto et 13. metho. contra Erasistratum.

Calida remanens cerebri intemperies vt remoueatur. Cap. XVI.

MATERIA vndique, & è capite, & è toto corpore expurgata; ad malam capitis intemperiem alterandam, & permutandam accedamus. Hæc enim ex intentionibus superius inuentis vna fuit, quam etsi pro parte supra executioni mandauimus, prout scilicet ab externa caussa fuit excitata; superest, vt quatenus permanens est, & materiei iuncta, ipsam perficiamus. Vbi nanque hæc calida extiterit, ad frigidum alteranda venit; (cùm alteratio sit eius, quæ prius fuit qualitatis demutatio) sed moderatè semper; quum nobile membrum sit cerebrum, & suapte natura frigidum, à frigido aptum pati. Plurimis itaque medijs frigidius caput reddemus; inunctionibus scilicet, odoramentis, pulueribus, & lotionibus. Sexto enim de tuen. sani. Gal. calidum caput perungi rosaceo oleo iussit. Auicenna autem oleo violaceo illud inungere monet, dum ait: Et inunctio capitis, & extremitatum, & suminis, & ani, & testium, & quæ sunt in circuitu eorum, cum oleo violaceo. Mesue autem addit oleum chamæmelinum, & de papauere, si vigiliæ affuerint. Odoramenta fiunt ex aqua rosata, camphora, violis, rosis, nymphæa, santalis, & similibus. Ex eisdem quoque suffumigia paramus. Adest & Acorambonianobile suffumigium, quod habet camphoræ drac. ij. santalorum omnium drac. j. gariophyllorum drac. ij. puluerizata omnia in phiala ponantur; in qua sint aquæ rosatæ lib. i. s. aceti rosati vnc. iij. Pulueres verò, qui supra cranei suturis sparguntur ad calidam intemperiem permutandam, ex his eisdem frigidis odoratis conficiuntur: sed ab omnibus commendatur puluis ab Auenzoare superius descriptus, qui in frigido catarrho non lotus, in calido verò cum aqua rosata sæpius lotus, mox exsiccatus debet imponi; huic rubeos alicui adiungũt corallos, rosas, & santalos. Lotiones autem, & capitis perfusiones, vtplurimum ex aqua dulci administrantur. Quibus verò ex calida intemperie caput malè habet, (inquit Gal.) hos frequenter balneo dulcis aquæ fouere expedit; quo & calidos vapores, qui in capite sunt, euocemus; & totum capitis temperamentum melius reddamus. Tertiodecimo autem methodi ait: Atque aliquando cerebrum ipsum fluxionem transmittit, debetq; huius intemperies totius capitis ephitematis corrigi. Hoc idem Paulus affirmat, vbi calida præpollet intemperies; balneo vtendum est, caput aqua copiosiore calida perfundendum. Auicenna idipsum comprobat, dumq; scribit: Opposito autem caussæ efficientis, calidæ quidem est, vt sit sollicitus in refrigerando caput eo, quod est refrigerans, frigidum potentia, sicut introitus balnei dulcis omni mane, cùm est ieiunus, & effusio aquæ super extremitates, & embrochæ administratio factæ ex hordeo, & papauere, & violis, & chamæmilla, & effusio fortiter refrigerantium actu super caput. Hæc, quæ vltimò hic recenset Auicenna, ex Aetio octauo sermone eum deprompsisse credimus, dum dixit: Si verò ab his nihil leuiatur destillatio, præsentissimum auxilium capitis irroratio existit, maximè in æstate, & capitis temperatura calidiore. Oportet autem in balneis ex alto frigida aqua delabente caput subdere, vt violentum inde sustineat insultum; e vestigiò enim densitatem dissoluit: animaduersionem tamen habere oportet, an thorax inde facilè offendi possit: consueuit enim promptè à capite frigiditatem transumere, ac fortissimas vexationes perferre. Nos autem propter hanc, & superiorem dictam caussam, gelida hæc actu capiti fortiter infundere semper verebimur; nisi in vehementi calido, & acuto catarrho sputum sanguinis sui acredine minante: & hoc in valido, & viridi corpore benè composito; tunc fortasse cum Alex. hæc audebimus: ait etenim ipse lib. ij. suæ paraphrasis. Medela verò, quorum à capite delabitur acutus humor, consistit in applicatione rerum refrigerantium, & humectantium caput: his enim capiti adhibitis, calor eius sedatur, & decrescit acrimonia: quibus nanque gelida est capitis intemperies, huiusmodi calore, acroreque non infestantur. Qua de re oleum rosarum per se, vel adiecto aquæ frigidæ paululum, quo promptiùs penetret, capiti agglutinandum; neque alienum fuerit, hoc malo ita correptos in balneum perduci; ad temperandam verò capitis intemperiem, gelidam aquam non citra ratio-

Secundo methodi.

Ca. proprio de cura catarrhi.

Sexto de tuẽ. da valetudine.

Quinta fen. 3. cap. 21.

Cap. 53.

Cap. propter acres humor. sanguinis sputum cura tio.

nem

" nem eidem parti superfundito. Nec possum non demirari, quòd Gal. mirificus, ac summus Medicus, inter medelas huius mali nihil frigorificum, nihil item eorum, quæ humectant, recensuit; sed contra omnia fecit: nam intra initium confestim calorificis, siccisque vsus est, quibus mali caussam magis inflammauit, magisque exsiccauit; pulchrè nimirum excretionem sanguinis ab erosione ortam gnarus. Hæc, & plura alia contra Gal. Alex. Nos pro horum discordia, veritatis conciliandæ gratia, dicimus, quòd etsi calida calido catarrho Gal. propinat; non absque ratione id operatur: theriaceo nempe ipse exhibuit circiter quatuor menses ante confectam, pro defluxus astrictione, & incrassatione: habet enim id ætatis adhuc prævalentem papaueris succum; ideoque & somniferum est, & fluxiones tum siccat, tum leuiter crassat. Et siquidem calida sinapismata capiti imponi iussit; reuulsioni, & humorum purgationi magis incubuit, quàm intemperiei alterationi. Quòd in lacoonicum languentem duxerit, falsò et ascribit; quoniam apertis verbis in lauacrum, & non in lacoonicum duci monuit, dum dicit: interpositisque tribus horis in balneum duxi, ac laui. Alexander enim humorum distractionem, & fluxionis astrictionem despiciens, ad intemperiem, & malam qualitatem totum intentus, refrigerantia, & humectantia solummodo commendat, Galenumque tuculat; iustè, an iniustè, probus iudex dijudicabit. Quòd verò destillatio illius nobilis mulieris, quam quinto methodi Galen. describit, de qua verè hic Alexander intellexit, calida, & acris extiterit; facilè est argumentari ex sanguinis sputo, quod statim circa morbi principium apparuit; nam quòd in frigida destillatione sanguinis sputum accidit, non nisi post longum, & diutinum tempus id contingere solet. Sed ad frigidam cerebri intemperiem permutandam veniamus.

Vt frigida remanens cerebri intemperies propellatur. Cap. XVII.



Frigida nanque cerebri intemperies, & ipsa plurimis præsidiorum generibus alteratur, & ad calidum permutatur; inunctionibus videlicet, emplastris, odoramentis, pulueribus, & lotionibus: secundo enim de comp. med. secun. loc. inquit Ga-
" lenus: Si frigiditas sit recens, solum rutaceum oleum, si calidum effundatur sinci-
" piti, perfectè hominem liberat: si verò vehementiori calore sit opus, injicere euphorbium oleo,
" & quæ ex pipere parantur, oportet. Inungenda autem est facies, ac tum aures, tum nares, præ
" cipuè irino amaracino, & nardino vnguentis, necnon foliatis, spicatisque vocatis. Mox infra
" eodem lib. addit: Ego autem in quibus val intemperies quædam humida, & frigida particulis
" patientibus inest, ipsa per se, aut propter frigiditatem eiusmodi humorum oborta, medicamen-
Lib. 3. ca. 28. " ta, quæ ex sinapi, & tapsia, & similibus præparantur, ipsis admoueo: calidis verò, & siccis, non
" admoueo. Item Paulus, si frigida intemperies afficiat, & morbus contumax fit, caput calefacientibus, subtilantibusq; nardino, rutaceoque debet perungi: irinum verò non solum illinitur, sed etiam naribus instillatur. Aetius autem inquit: his verò, qui continua, & inueterata
Serm. 8. ca. 55. destillatione efficiuntur, caput radere oportet, & (factis scarificationibus) bituminosa empla-
Ca. propr. de cur. ca-tar. " stra imponere. Auicenna multa recenset, dum ait: Et inunctio extremitatum cum oleis cali-
" dis, sicut est oleum anethinum, chamæmellinum, de lilio, rutaceum, laurinum, inungantur eis
" testiculi, & quæ sequuntur eos, & anus, & sumen, & extremitates. Et administrentur super ca-
" put, & frontem linimenta ex sinapi, & costo, & huius generis: & quandoque necessaria est ad-
" ministratio medicinarum rubificantium, ita vt in eis recipiantur stercus columbinum cum si-
" napi, & ficus, & mentastrum, & gummi rutæ agrestis, & ad vltimum, capitis calefactio, & ipsius
" exsiccatio conferunt. Hactenus Auicenna. Odoramenta fiunt ex ambra, mosco, zibeth, styrace, xyloaloe, & similibus; & ex oleis pariter odoratis, quæ in delitijs habentur, vt oleum de spica, de citro, de cinnamomo, de gariophyllis, & huiusmodi alia. Ad id verò, quod quinta par
Aph. 28. ticula aphor. Hipp. dicit: suffitus aromatum muliebria ducit; sæpius verò & ad alia vtilis est, nisi capitis faceret grauitatē: dicimus, quòd immundo existente corpore, verè capitis grauitatem inducit; sed mundato, ac purgato, & capite præcipuè, nequaquàm illud operatur, sed confert, & ad calidum suauiter alterat; præsertim si moderatè, & opportunè administretur. Pul-
Mesue Cap. de capitis pur gis conferē tibus fode frigidæ. " ueres autem cranei suturis inspergendi, ex odoratis aromatibus componuntur, sicuti ex gariophyllis, cinnamomo, macere, nucemoschata, mastiche, stœchade, sampsuco, betonica, & similibus. Sacculi præterea capiti admouendi sunt, qui habeant florum chamæmillæ, meliloti, betonicæ, stœchadis, foliorum lauri, pulegij, origani, singul. M. s. cinnamomi, gariophyllorum ana drach. j. maceris drach. j s. nucis moschatæ drach. ij. galliæ moschatæ drach. j. conterantur
" omnia, & trita in sericum demittantur, formeturque sacculus, qui suturæ coronali imponitur,

Lotiones

Lotiones verò, & capitis perfusiones fiunt ex lixiuio quercino, vel vitis, in quo lauri folia, chamæmilla, saluia, maiorana, stæchas, betonica, melilotum, & alia capiti conferentia incoquantur; mox ad illud bene detergendum odoratis saponibus caput illiniunt: nonnulli etiam ad caput expurgandum, & mundandum loco saponi agarico vtuntur: multi postea ex vino cretensi vel lidisimo, in quo thus, & sandaracha efferbuerint, ipsum idem denuo ablui imperant. Auicenna autem inquit: Et quandoque est necessarium, vt fiat vaporatio cum sale, & milio; & quandoque fit vaporatio cum aquis calidis in fine, quo possibile est eas tolerare ex calefactione: & administrantur in ea embrochæ maturatiuæ, & resolutiuæ. Quòd verò artificiale balneum, tam humidum, quàm siccum, & capitis perfusiones catarrho expediant; superuacaneum putamus recensere, quoniam & à Græcis, & ab Arabibus præsidia hæc in catarrhi curatione, & præseruatione vbique commendantur. De eius enim præseruatione loquens Auic. dicit: Et ille qui consuetus est pati catarrhum, quandoque prohibet aduentum catarrhi suo subito introitu ad sudandum in balneum ante aduentum catarrhi. Quòd etiam in eius curatione expediat, ex iam dictis in calidæ discrasis remotione liquidò patet. In frigidi nanq; catarrhi curatione Auic. balneum non imperat, nisi prius concocta materia fit: ait enim, & oportet in hoc catarrho, vt non ingrediatur balneum ante maturationem, immo administrentur vaporationes siccæ. Mox infra idem repetit: & quando catarrhus est frigidus, non est conueniens introitus balnei ante maturationem; & si est calidus, propter illud non est multum malum, immo iuuabit eo. Hanc eandem doctrinam Mesue sequutus, dixit: In fine autem rei confert introitus balnei, & lauari in eo; sed quando cum catarrho fuerit febris, aut tussis, ex istorum præceptis balneum non adeat. Omnes denique aquæ dulcis balneum, & in calido, & in frigido catarrho, dummodo aliquid non fit quod obstet, suo debito tempore commendant. Quare hic non amplius insistimus.

Quinta fen. 3. cap. 11.

Balnea naturalia, arteque comparata calidis destillationibus proficua. Cap. XVIII.



NVNC ad naturalia balnea, ad thermas inquam, & guccias progrediamur; Et ex more perquiramus, qualiter ab antiquis in catarrhi curatione hæc approbata fuerint. Galenus sexto de tuenda valetudine; in calido catarrho sulphureas, bituminosas, & aluminosas aquas omnes protinus damnat: dulces verò sponte natas non liberè commendat; nam inquit: Quibus igitur ex calida intemperie caput malè habet; hos frequenti balneo aquæ dulcis fouere expedit; quo & calidos vapores, qui in capite sunt, euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus. Calidarum autem, quæ sponte nascuntur, noxius is vsus est: siquidem quæ ex his sulphureæ, bituminosæue sunt, ec. propterea quòd calefaciunt, inimicissimæ calido naturaliter capiti sunt. Aluminosæ verò, quoniam angustos meatus claudunt, caput offendunt: solis autem iis sponte natis, quæ dulces sunt, (si tamen ipsis vtendum sit) vti citra noxam poterunt. Postea de his quoque dubitat, dicens; nam quòd vtile etiam aliquid ipsæ præstare possint, hoc dicere non perinde tutum est, quando nec calidæ fortasse fouent, si omnis calefacientis medicamentosæ virtutis essent expertes. Hæc quidem Galenus, qui malam cerebri calidam intemperiem sanare intendens, aquæ dulcis balneum commendat, vt naturali aquæ frigore, & humore temperiem ad meliorem formam perducat, & habituali balnei caliditate noxios euocet vapores. Tertio nanque de tuenda valetudine tradit ipse, tepidum balneum, & refrigerandi, & humectandi vim habere, moderatè verò calidum humectandi, & calefaciendi, & ex accidenti per halitum vapores digerendi; duras, tensasque partes molliendi, flatui diffundendi, excrementum, putredinem (si quod intus ad cutim hæret) euocandi. Hæc vtique commoda omnia in calidi catarrhi curatione ex aquæ dulcis solio ipse consequitur; quorum nullum ex calidis, & astringentibus thermarum aquis assequi potest; nam illarum calore, calida capitis adaugetur discrasis, & ipsarum adstrictione vapores dissolui prohibentur. Quamobrem has omnes in calidi catarrhi curatione iustè damnat. Sed quoniam ex thermarum aquis (etsi raræ inuentu sunt) aliquæ tamen dulces reperiuntur, quæ & humectandi, & refrigerandi vim possident, & innato calore vapores, putreue omne dispergendi, has quidem etsi ambigere Gal. videatur, nihilominus admittit, cùm experientia illas addiscere nos admonet, dum ait: Satius autem est, eiusmodi aquas experiundo discernere, quando etiam raræ inuentu sunt: apud nos stadijs ab Vrbe paulò plus centum; in Prusia, minus decem. Huic conforme Herodotus scripsit in libro de præsidijs extrinsecus occurrentibus. Particularium sponte nascentium aquarum facultas, quum multam habeant differentiam; ex ex his, quæ experimento

Sexto de tuē da sanitate.

Cap. 5.

mento comprobantur, assumenda est: exquisitam enim de his per species traditionem facere non possumus, quum nec omnibus nos vtamur, nec in omnibus, quæ de his habetur cognitio, medicamentorum pollicitationibus respondeat. Frigidæ autem sponte nascentes fluxionibus omnibus competunt, affectibus, quæ circa vesicam sunt, capitis doloribus, ac vlceribus malignis. Aetas autem nostra in hisce regionibus longa experientia multa talia balnea adinuenit, quæ refrigerandi, & humectandi vim habent, & calidis diutinis affectibus medentur: veluti sunt Veronensia calderiana, & balnea Sancti Cassiani de fiuncella, & balneum villæ in agro Lucensi, & balneum Reginæ dictum, & de aquis in comitatu Pisarum. Hæc quidem ipsa in antiquato calido catarrho a Medicis commendantur, tum pro corporis ablutione in piscina, tum pro eiusdem potione: hæc nanque potata, simul vtranque, & alterandi, & euacuandi intentionem explent, & calidæ hepatis, renum, & vteri discrasi summopere opitulantur; à quibus diutini calidi catarrhi per consensum ferè semper fiunt: raró etenim calidum antiquatum videmus catarrhum, qui non aut hepatis, aut vteri, aut totius consensu talis extiterit. Horum igitur sanandorum caussa hæc præcipuè laudantur, & nil melius in eorundem sanatione imperari potest. Quod vèro de thermis diximus, idipsum & de eorundem naturalibus duciis asserimus; sicuti benè nos admonet Aetius, dum ait: Cæterum bituminosis, & sulphurulentis aquis salientibus, caput supponere non oportet; facilè enim inde læditur. Quis nanque ignorat, calida caput intemperie læsum, à calidis bituminosis aquis perfusum vehementius lædi? His etenim calidis cerebri affectibus, frigidæ, & non calidæ ducię conueniunt; quæ vbi naturales non adsunt, arte tales paramus, aut ex aquis frigidorum naturalium balneorum, aut ex stillatis, & potabilibus aquis. Multi enim ex aqua rosata laus lixiuio cōmista ducias conficiunt: alij ex aqua dulci, in qua ignitum ferrum pluries extinctum fuerit; mox huic prædictæ aquæ addunt camphoram, rosas, violas, & myrtos; & in ea bullire permittunt. Aliqui frigidiorem illam facientes, his addunt hyoscyamum, papauer album, folia salicum, vitium pampinos, & lactucam. Sed hæc de balneijs, & gucciis in calidi catarrhi curatione dicta sufficiant.

Tertio ser. ca. de naturalib. balneis.

Naturalia, & artificialia Balnea frigido Catarrho congrua. Cap. XIX.



IN frigidiori autem catarrho, (siue à principio à caussa frigida ipse frigidus fuerit, siue ex successu, & morbi longitudine talis extiterit) postquàm reliqua auxilia pauci fuerunt momenti, naturalia calidaùe balnea, salutaria semper experimur. Ait Aetius: Ex balneis naturalibus, quædam sunt nitrosa, quædam salsa, quædam aluminosa, aliqua sulphurulenta, aliqua ferri, aliqua æris qualitatem habent, quædam verò ex his composita sunt: horum autem omnium vis est siccare; sed quædam cum exficcatione egregiè simul calefaciunt, quædam exficcando constringunt, velut aluminosa: ex parte verò etiam salsa, & quæ æris qualitatem habent. Omnia autem sunt commoda humidis, & frigidis præter naturam corporibus, & talibus morbis diuturnis. Hucusq; Aetius. Hæc eadem præcisè de naturali balneo referunt & Paulus, & Oribasius, veluti qui ab vno Gal. eandem omnes doctrinam hauserunt. Ij nempe concordes asseuerant, quemadmodum calida naturalia balnea calefaciendo, & exficcando frigidis, & humidis intemperaturis maximè conducunt. Vbi igitur destillatio frigida, & diuturna fuerit, & alia remedia parum profecerint, ad balnea, tanquàm ad sacram anchoram, confugimus. Hæc quippe & potata, & super caput præcipuè instillata, commendantur: tunc enim salubriter potantur, quando cum frigida destillatione, aut ventriculus, aut vterus consimili frigida intemperie laborauerit; vnde destillatio fouetur, & incrementum arripit. Super caput verò effunditur, cùm destillationi maximè incumbimus, calefaciendo, exficcando, & astringendo: defluxio nanque omnis in sui sanitatione & exficcantia, & adstringentia perpetuò expetit; & præcipuè, si in humido, & laxo membro, quale est cerebrum, ipsa fuerit: frigida etiam intemperies, illam efficiens, calorificis maximè corrigitur. Rationabiliter ergo Aetius, Paulus, & Oribasius, nitrosa, ac salsa balnea (vtpote quæ calefaciendi, adstringendi, & exficcandi vim possident) capiti fluxionibus vexato conuenire tradiderunt: hæc etenim frigidam malam cerebri intemperiem per se alterant, suaque adstrictione idipsum roborant, & materiam facientem catarrhum calefaciendo partim discutiunt, partim exficcant. Suo igitur iure hæc sibi expetunt, si prius caput, & vniuersum corpus exactè sit purgatum; sic, vt non remaneat materia, aut pauca valde, quæ actuali aquæ caliditate resolui possit, nihil tunc profectò ex aquarum constrictione mali veremur, & tempus anni congruum sit; ita vt temporis constitutio non nimis humida, frigida, & pluuiosa extiterit. Naturales verò gucciæ fumigeratæ, quę frigido catar-

Serm. 3. ca. 136.

do catarrho conducunt, sunt quæ apud Castrum in Romandiola Sancta Maria in bagno nuncupatum, reperiuntur, & Petrioli, seu Sancti Philippi ducia in comitatu Senarum, & illa de Corseno in agro Lucensi, & plures aliæ, quas recensere superfluum putamus. Sed vbi harum naturalium duciarum prouutia aderit, aut ob aliquod impedimentum ipsas adire prohibemur; tunc arte has conficimus, nonnullis in communi aqua, quæ eas formare valeant, concoctis. Modus autem has parandi diuersus est, penès diuersas intentiones in curationibus habendas. Multi enim ex solis floribus, herbis, seminibus, ac radicibus illas conficiunt. Alij verò mineralia his addunt, modò vnum, aut alterum; modò plura: & hęc ipsa, aut in æquali pondere, & mensura; aut in dissimili, & non eadem; iuxtà opportunas occasiones morbo, & eius caussis succurrendi. Modus verò hæc ipsa simul cum aquis permiscendi, & componendi, & ipse varius est, secundum varias opiniones: multi enim aiunt, quòd decem, aut duodecim florum, aut seminum, aut herbarum pugilli; & vncia vna, vel circa, mineralium, quadraginta aquarum libras conficiunt: alij verò aliter dicunt. Sed quoniam quædam potius obseruantia est, quàm certa regula: ideo non insistimus. Deinceps hæc omnia simul permista per duas, vel tres horas, lento igne bullire permittunt; & ex hac eadem parata aqua ducias faciunt. Ego autem in frigidioribus capitis affectibus, & diutina destillatione; hoc artificiale balneum, quod habui ab amicissimo meo, simulque doctissimo viro, sui olim felicissimè expertus. Habet florum chamæmellę, stœchadis, meliloti, asari, rosarum rubearum, pulegij, polij montani, calaminthæ, ana M. xv. foliorum lauri, rorismarini, saluiæ, menthæ, rutæ, absinthij, amaraci, ana M. x. sulphuris viui, lib. iiij. nitri lib. iij. salis communis lib. xij. colophoniæ lib. ʃ. mastiches, maceris, ammoniaci, ana vnc. iiij. misce, & bulliant in aqua quantitatis trium foliorum ad consumptionem tertiæ partis, in qua ter extinguatur ferrum ignitum ponderis librarum quinquaginta: & ex hac aqua colata fiat ducia supra coronalem, & sagittalem suturam, semel in die, matutina hora, septem, aut decem diebus continuis. Cúmque aquam susceperit, per horam, seu ad minus per dimidium horæ exsiccetur caput panno calido absque multa frictione; & exsiccato capite, locus commissuræ inungatur oleo de spica, seu de gariophyllis; aut sacculus ex odoratis floribus, & herbis caput iuuantibus, superponatur. Aqua destillationis foliorum hæderæ (quæ sic destillata iterum quater destilletur) calida ieiuno ventre super suturas fricata, catarrhum siccat, & memoriam adiuuat. Ad hanc eandem alterandi intentionem perficiendam, multi conditum ex floribus stœchadis, aut saluiæ, aut rorismarini adhibent; & pariter diacorum, diambram, diamoscum, mithridatum, & theriacen: in morbis nanque frigidis præstantius est mithridatum; in demorsis autem à venenatis præstantior est theriaca; hæcque matutino tempore per quatuor, aut quinque horas ante prandium, in boli formam ad solius drachmæ, vel vnius cum dimedia quantitatem exhibeutur; mox haustum odorati vini superbibant. Huiusmodi profectò antidota semper ieiuno ventriculo sumenda, ac diutinè ieiunanda præcipimus, nec vnquàm statim assumpto cibo illa temperamus: nam præter quòd ingestum cibum corrumpant, ipsorum quoque vires compatiendo franguntur: quare nihil quod intendimus assequimur, neque cerebri alterationem, neque vaporum dissolutionem; immo fortius illorū copia caput grauatur ex mutua & cibi, & antidoti euaporatione, & agitatione. Hoc quidem Gal. affirmat in lib. de theriaca ad Pisonem, dum inquit: Cæterum medicamen hoc meo consilio sumes proba fruitus concoctione, nec cibis repletus. Idipsum Auic. in suo antidotario comprobat capite de theriaca, dum scribit: Et sit dosis eius integra, pondus drach. j. cum aqua tepida, in ieiuno. Sic igitur discrasim, & morbum curamus, vnde defluxus prouenit. Et hæc de alterandi intentione dicta sufficiant.

Lib. prima de antidotis circa principiū, et Auicenna in antidotario ca. de mithr.

Fluxioni per se lenitionem, per accidens curationem deberi. Cap. XX.

SI verò nec per capitis intemperiei alterationem, nec per euacuationem, & diuersionem catarrhus inhibeatur, sed fluere adhuc perseueret; (quamuis rarò fit, vt per hæc omnia adhibita non sistatur) ad vltimam perficiendam intentionem, quæ est fluxus constrictio, progredimur; neque enim cum illis sentimus, qui in catarrho à fluxione, vt à morbi caussa, curationem statim aggrediuntur: nam etsi catarrhus (vt aiunt) expulsio sit ab vno membro ad aliud, nihilominus in absoluta catarrhi contemplatione, defluxio semper vt symptoma cerebri malè affecti consideratur, & nullatenus vt caussa; nisi quatenus noua occasio efficitur morbi, membri illius, in quod delabitur. Huiusmodi enim consideratio, per se non ad catarrhum, & eius curationē; sed ad quod defluxit membrum, & nocumentum intulit, verius pertinet. Ad rem autem nostram redeuntes, dicimus, quòd defluxio prout symptoma est, ex sui natura mitigationē tantùm, & nunquàm curationem postulat: nam abla-

to morbo, & suis alijs caussis, statim recedit. Si verò contumax, & vehemens symptoma fuerit, ita quòd exacuendi, & intendendi morbum vim habeat, & vires pariter labefactandi; tunc morbum protrahit, caussæ vicem gerens; & adeo interdum sæuit, vt ægros interimat. Huiusmodi autem symptomata, ob eorum magnitudinem, & morbi, & caussæ morbi, rationem subeunt, & non mitigationem solum, sed & curationem, ac illam subitam absque mora expostulant: nam ex quacunq; cunctatione ægrum interimi cõtingit. Nos igitur primò ipsius defluxus quatenus molestum symptoma est, quod lenitionem, & correctionem tantùm exposcit, curationem trademus; mox illius, qui aut suffocando, aut perniciem aliquam inferendo, & morbi, & caussæ morbi, vim sortitur.

Quæ fluxionem leniant, mitigentque. *Cap. XXI.*



CVM itaque destillatio post tot tantaq; adhibita præsidia pertinax adhuc persistat, ac ægrum diu, noctuq; grauiter excruciet, ac vires offendat: tunc fluxum istum adstringendi statim insurgit intentio, vt quietiorem ægrum reddamus, ac facilius curationem expleamus. Quæ autem fluxum continent, sunt medicamenta adstringenti facultate prędita; qualia sunt austera, & acerba omnia, & quæcunque terrea sunt, & crassarum partium; qualitate verò tum frigida, tum calida; licet solam frigidam Gal. dixerit: his nanque adstringentibus medicamentis gargarismata, suffita, & odoramenta, ad fluxum cõtinendum componuntur. Ex eisdẽ quoque, & glutinantibus constat, quę in ore detinentur, & quæ degluttiuntur, ac lambuntur. Et quoniam laxitas, & amplitudo viarum, & raritas partium maximè est fluxionis occasio; ideo ijs constringentia gargarismata præcipuè conducunt; vias, ac partes illas solidiores, & compactiores reddendo, & aditum fluxioni intercipiendo, & præcludendo. Ex gargarismatibus autem ad calidum catarrhum cõmendantur, diamoron, diapapauer cũ hordei decocto, lentium, balaustiorum, & rosarum: aqua plantaginis, rosacea, solani, rubi, huic vsui etiam deseruiunt: lactucæ succus, gutturis & pectoris partes tuetur; non enim sinit in guttur materiam figi, nec ad pectus descendere. Quidam verò laudant. Rec. syrupi de papauere, diamoronis, ana vnc. ij. aquæ rosatæ vnc. j. s. vini granatorum vnc. j. misce pro gargarismate. Multa autem Auic. describit, dum ait: Abscisio autem cursus fit cum gargarismis laudabilibus frigidis cõgelatiuis, sicut gargarismate ex aqua frigida, & aqua rosata, & aqua lentis, & aqua coriandri, & aqua in qua decocti sunt cortices papaueris, & aqua granatorum. Ad frigidum verò gargarismata fiunt, ex vino austero decocti myrrhæ, aut olibani, aut sandarachæ, aut nucum cupressi, & similium. Ex suffimentis autem calidis sunt hordeum fractum, seu furfur, aut semen lini torrefactum, & in aceto infusum, mox accensis carbonibus inspersum, vapor aceti super lapidem molarem ignitum: similiter camphoræ suffitus commendatur. Sed obseruandum, ne horum vapores ad pectus, & pulmones descendant; quoniam ex siccis his adstringentibus membra illa multum læduntur. Ad frigidum verò suffita cõferentia sunt, quę ex laudano fiunt, ligno aloes, olibano, sandaracho, gariophyllis, styrace sicca; de qua ita Gal. scripsit: Styrax excalefacit, emollit, concoquit; quamobrẽ tussibus, catarrhis, pituitæ destillationibus, raucedinibus, auxiliatur. Ambra odorata, hoc est succinum odoratum, mirè cerebrum roborat infirmum, siue calidum, siue frigidum; nigellæ verò tostæ suffimentum mirabile est: de ipsa nanque sic Gal. ait: Videtur etiam tenuium esse partium; hoc enim nomine catarrhos sanat, in linteo admotum, atque assiduè olfactum. Inter odoramenta, quæ frigidam inhibent destillationem, hęc pila commendatur, quæ habet styracis, thuris, sandarachæ ana drach. iij. costi, spicæ, ana drac. ij. succini odorati drach. j. melanthij. drach. ij. moschi, camphoræ, ana scrup. s. cum gummi, & vino pilam conformamus. In caussa calida: santalorum omnium, rosarum rubentium ana drach. ij. camphoræ drach. s. rubricæ armeniacæ drach. vij. cum rosacea, in qua gummi arabicum maceratum fuerit, in pilam redigamus. Quæ verò in ore detinentur, & degluttiuntur, ac lambuntur, multiplicia existunt, iuxtà multiplicem ipsius fluentis materiei intentionem. Si etenim ad pectus, & pulmones materia fluat, & tenuis, frigidaque extiterit; exhibendæ sunt quæ calefaciant, exiccentque modicè; eaque omnia, quæ tenues fluxiones coire, ac vt educantur aptiora faciunt. Hæc igitur contrarijs facultatibus composita esse oportet: nam quatenus fluens est materia, adstrictione; quatenus verò fluxa, & in pectore contenta, lenitione; & eductione indiget. Huius autem generis medicamina sunt, diatragacanthum calidum, & compositio quæ recipit, succi glycyrrhizæ, dragacanthæ infusæ in sapa, vtriusque vnc. ij. misceantur pro pilularum formatione, quarum vna in ore sæpe contineatur. Est & alia compositio, quæ habet amyli, dragacanthæ, amygdalarum dulcium, ana partes æquales, sacchari quantum sufficit, fiat confectio in placentibus. Ad hanc quoque intentionem lambuntur, syrupus

Lib. 4. de simp. med. fac. cap. 9.

Octauo de simp. med. fac. cap. de styrace.

Septimo, & 6. de simp. med. facul. ca. de melãtio, et nigel.

myrtinus, & rhodomel. Si verò cadens materia tenuis & acris fuerit, tunc frigida lenientia modica aſtrictione prædita commendantur, qualia ſunt diatragacanthum frigidum, ſaccarum roſatum violato commiſtum, pilul. bichiechiæ dictæ, ſyrupus violatus, iuiubinus, de portulaca: multotiesque modicum boli armeni his adiungimus, cùm eum continere magis voluerimus. Hac profectò ratione in curatione catarrhi dixit Auicenna: Et non oportet, vt in potu detur ſyrupus de papauere, niſi in principio, vt prohibeat à pectore; cùmque retinetur, & neceſſarium eſt ſputum; non eſt conueniens iſte ſyrupus; immo quæ leniunt, & educunt. At ſi materia deſtillans craſsior fuerit; laudantur quæ attenuant, incidunt, & abſtergunt: veluti ſunt ſyrupi de glycyrrhiza, de hiſſopo, oxymel ſimplex, & compoſitum, & ecligmata, qualia ſunt loch de pulmone vulpis, loch de pinuſanum & expertum, & conſimilia. Si verò in pectore materia non contineatur, & catarrhus perenniter fluat; ne ad ipſum, & pulmones deſcendat, illum ſiſtendi ſola ſtat intentio. Ad frigidum autem (dixit Meſue) conferunt thus, & myrrha, & detenta in ore, & deglutita. At ſpica per ſe, ſi in ore contineatur, frigidas ſuſpendit fluxiones. Pilulæ itidem frigidum ſiſtentes catarrhum hæ ſunt. Recip. thuris drach. j. myrrhæ, croci, ſpicæ, ſtyracis, ana drach. s. opij. ſcrup. j. fiant pilulę; quarum vna in ore detineatur, nec deglutiatur ſaliua. In calida nanq; materia ſummopere laudatur ſaccarum roſatum, diatragacanthum frigidum cum bolo armeno paratum, diacodyon, tum in forma liquida, tum in tabellis confectum: à cœna memorabilis vtilitatis eſt, ſemen papaueris ſatiui albi ſaccharo obductum, ad lingulam deuoratum. Satiui papaueris ſemen (ait Gal.) confert ijs, qui catarrhi fluxu ienui à capite defluentibus infeſtantur: corporis autem nullum commemorabile præſtat alimentum: inhibet tamen, quæ ex pulmone, & thorace, tuſsi expuuntur. Præſtantiſsimum remedium (vt tradunt) præſtat terra lemnia, vel rubrica armenica cum vino. Habemus, vbi cætera non conferent, antidotum illud philonium, nono de comp. med. ſec. loc. quo debemus ſic vti. Recip. ſacchari roſati antiqui drach. j. s. philonij perſici ſcrup. ij. miſce, & exhibe quando vadit dormitum. Sed illud vnum, in quo valde confidimus, & potiſsimum, in quod nunquàm cadit deceptio, eſt illud diacodyon Gal. ſcriptum ſexto de comp. med. ſecun. loc. confectum cum ſapa: Catarrhum enim retinet, & ſomnum conciliat. Illæ pilulæ, quæ inſcribuntur de cynogloſſa, quæ paſsim circunferuntur à Medicis, vbi loco cynogloſſæ arnagloſſa poneretur, ideſt plantago; præſtantiſſimæ eſſent: quod videtur eſſe factum à Gal. octauo de comp. med. ſecun. loc. & ab Alex. medico, vbi agit de ſputo ſanguinis ex catarrho. Nec eſt, quòd horum narcoticorũ vſus, cùm res poſtulet, damnetur; quando & Alex. & Gal. hæc ipſa in tenui, acri, & difficulter ſanabili deſtillatione præcipuè commendarunt. Ijs itaque, & conſimilibus medicamentis catarrhum ſiſtere conamur, qui ſua moleſtia, & pertinacia ægros excruciant.

Primo de alimentis.

Gal. nono de ſim. med. fac. de terra ſam.

Galen. 12. met.

Alex. lib. 2. ſuæ par. ca. 5.

Fluxionem curantia, ſtatimque remouentia. *Cap. XXII.*

QVi verò perniciem, & ſuffocationem præſentaneam catarrhus minatur, qualis eſt quiſquis præcipiti curſu per internas venas, & arterias à capite ad partes inferiores dilabitur, citò interimens ab Hipp. & Gal. nuncupatus; hic ſubitam, & abſque aliqua cunctatione curationem expoſtulat. Hunc multi ſanare nitentes; tenuiſsima victus ratione iniuncta, ægrum in libero, ac frigidiori aere ſedentem ſtatuunt, pectore elato, pauciſque pannis tecto, vt facilius inſpirare, & reſpirare poſsit: deinceps ſupradictis adſtringentibus, & incraſſantibus, curationem perficere feliciter aiunt. Nos verò & cum Gal. & Meſue, longè tutius ægros ſanabimus, dum vltra tenuẽ victum venæ ſectione, & cucurbitularum fixione, & clyſteribus, & frictionibus, & alijs reuulſionum generibus, præcipitem, & ſuffocantem materiam diuertere conabimur. Regimen etenim diuerſiuum (inquit Meſue) licet dilatet materiam, & multiplicet; tamen conuertit multiplicatam ad partem communem, non timoroſam. Hæc poſtea ſi non contulerint, nec ſpes catarrhum continendi adſit; tunc narcotica conſtringentia exhibemus. Multi autem, ne quid intentatum relinquant, ſupra ſagittalem, & coronalem ſuturam continentia cerata applicant, quorum formæ paſsim apud omnes leguntur. Nos verò (ijs ſpretis) ad ſinapiſmata, & cauteria ſecurius confugimus; quoniam longè fœlicius experiuntur. Hæcque opportunè iuxtà occaſionem ſemper molienda ſunt, nec faciendum (ſicut dicebat Gal.) quod faciunt imperiti nautæ, qui non præuidentes naufragium, permittunt naues frangi, & poſtmodum conſulunt vt qui poteſt euadere, euadat. Præuidere debet futuros morbos Medicus, & ſymptomata, & animaduertat quantum ſit poſsibile. Ideo interdum circa morbi principium, (vt ſupra diximus) ſtatim factis euacuationibus, oportat modò ſinapiſmis vti, modò cauterijs, iuxtà catarrhi vim, & naturam. His quippe, & ſimilibus prædictis

In lib. de aqua, & aere, & loc. & 3. aph. aph. 12.

dictis præsidijs suffocantem, & perniciem minuentem catarrhum curamus, & à multis incommodis, vt est sputum sanguinis, & tabes, & infinita mala, quæ ab ipso contingunt, ægrum præcauemus.

Catarrhi Symptomatum Curatio. Cap. XXIII.



ACCIDENTIVM autem correctio, quam Medici ferè omnes vltimam catarrhi curatiuarum intentionum faciunt, perficitur curatione particularium ægritudinum, quas catarrhus gignit. Auicenna verò solius gutturis, & pulmonis nocumenta corrigit, dum ait: Antecessio autem est, sicut quo custodiuntur guttur, & pulmo à nocumento suo, & plurimum eius est cum cibis. In calido quidem est, cum inunctione pectoris ex oleo violaceo, & acceptio aquæ hordei cum violis nutritis, vel conditis, & aqua granatorum dulcium; & administratio sorbitionis factæ ex amylo, & farina hordei, & fabarum, & cum lacte, si non est febris: nocet enim lac si febris adsit; & administratio electuariorum, & syruporum lenium frigidorum. Et potus aquæ calidæ est iuuatiuus in catarrhis, maturans eos; & expellit ab eo nocumentum ipsorum, quod vicinatur membris anhelitus, maturando illud, quod descendit, & leniendo. Serapio verò inquit: Cùm in faucibus, & palato est asperitas multa, tunc necesse est, vt administremus emplastica, & oblinientia; sicuti sunt pilulæ factæ ex gummi arabico, dragacantha, amylo, & succo glycyrrhizæ, cum mucillagine seminis psyllij, & cytoniorum. In frigido verò confert (addit Auic.) inunctio pectoris cum oleo chamæmellino, & de ben; & administratio sorbitionum calidarum lenientium, sicut triticum, mel; & sicut aqua furfuris triticei cum oleo amygdalino, & melle: & sicut panis cum rob; & administratio electuariorum lenientium calidorum, & syruporum; & propriè qui facti sunt ex hysopo calido
Secundo de rum. In hac itaque accidentium correctionis intentione Gal. præceptum adimpletur; quòd
med. comp. vbicunque defluxio fit de membro ad membrum, vtrique simul venit succurrendum, man-
secun. loc. danti inquam, & recipienti: mandans, euacuando, & mundando: recipiens verò, roborando ne recipiat; & si quid receperit, pariter expurgando; si nobile, & multi vsus membrum fuerit: secus autem, si ignobile, & nullius vsus, seu expulsioni, ac excrementis fuerit destinatum. Robor autem membro adiungimus, eius intemperiem ad statum naturalem, & symmetriam alterantibus permutando; suęque raram, ac laxam compagis texturam, magis densam, ac firmam, adstringentibus medicaminibus reddendo; & si inanitum fuerit, simul quoque cibis ipsum reficiendo. Adstringentia enim medicamenta, præter id quòd extraneum non admittant, virtutis etiam tonum conseruant; quoniam condensando meatus, innatum calidum retinent, & seruant ne motu dissipetur, & dissoluatur. Si nanque consortij lege caput destillauerit, duo perpetuò in curatione consideranda sunt, & membrum quod mandat, & caput quod recipit; & vtrique pariter succurrendum, mandans euacuando, & mundando; caput recipiens roborando, ne recipiat. Si igitur per consensum, qui ei cum toto est corpore, aut cum aliqua principi parte, velut ventriculo, aut iecinore, aut vtero, caput destillauerit; curatio erit, aut totum, aut principem communicantem partem euacuare, & materiam aliò diuertere; mox capiti robur addere, frigidis, aut calidis adstringentibus secundum materiei dispositionem. Hoc quidem est, quod docet Auicenna in curatione sodæ factæ per communita-
Prim. tertij. tem, dum dicit; Oportet, vt soliciteris in omnibus speciebus sodæ factæ propter communi-
cap. 33. tatem membrorum, de illis membris: & vt ea euacues cum eis, quæ sunt eis propria: & vt ipsorum permutes complexionem: & cum hoc confortes caput confortatiuis, vt non recipiat, si fuerit in principiis cum frigidis, sicut oleo rosato, & aceto; post illud autem, si materia fuerit calida, & qualitas calida, facias illud idem opus semper; & si fuerit frigida, permuta te ad oleum chamæmellinum cum oleo myrtino, aut oleum in quo dissoluatur gummi cupressi, aut quod sit factum cum folijs cupressi. Consimilem ferè doctrinam scribit prima tertij cap. de canonibus vniuersalibus curationis, cùm ait: Et si humores fuerint ascendentes à latere, aut à corpore toto; trahemus ad contrarium, sicuti si fuerit ex inferioribus corporis totius, administrabimus clysterem, & suppositoria, & ligabimus extrema, & propriè pedes, & euacuabimus membra, vtputa si fuerit stomachus, cum hiera picra; aut splen, cum eo, quod est ei proprium, & similiter vnumquodque membrum.

Hæc quidem omnia Auic. à Gal. secundo de comp. med. secun. loc. habuit, dum inquit: Si caput lege consortij afficiatur, quod ei cum toto est corpore; curatione adhibenda, quomodo contra intemperiem, superantemque materiam pungemus? Si copia quidem premit, & maximè in venis, sanguis mittendus est; si autem magis qualitas vrgeat, purgante vtendum medicamine.

nitoe. Quòd si particula laborante aliqua condolescat, veluti iecinore, aut ventriculo, aut stomacho; his succurrendum est. Concludimus tandem, quòd destillationis per consensum curatio consistit in communicantis particulæ concoctione, & materiei sursum repentis reuulsione, & capitis pariter roboratione. Si verò materia communicans vaporabilis fuerit ascendens, aut à toto, aut à principi parte aliqua; (nam vtplurimum hoc euenit) eius curatio erit, prohibere vaporum ascensum; quod tribus consequimur modis. Primò per ipsorum diuersionem ad partem oppositam. Secundò per confortationem membri, à quo vapores surgunt, ne ipsos aut ipsorum materiam generet. Tertiò per vaporum ascensus prohibitionem, & repressionem. Sed notandum, quòd omnia prohibentia ascensum vaporum à membris, plus iuuant quando vapor est à ventriculo & intestinis, deinceps quando est ab hepate, postea quando à splene, deinde quando est à renibus & vtero, vltimò quando est à membris pectoris. Sed cùm hæc omnia ad plenum non satisfecerint, ad capitis iterum purgationem est deueniendum.

Qui verò cum febre, aut capitis dolore coniunctus catarrhus fuerit; febri, & dolori prius incumbendum, iuxtà eorundem proprias affectiones, tanquàm caussis catarrhum fouentibus, & morbum protrahentibus, & tanquàm à maius periculum minantibus; mox catarrhus suis præsidijs venit curandus: secus agendum, si quidem catarrhus magis vrgeret. Prima enim tertij. Auic. admonet, vt in omni soda, cui associatur rheumatismus, non declines ad refrigerandum caput, & humectandum cum oleis, & similibus; sed festina ad euacuandum, & stringendum extremitates, & fricandum eas, & ponendum pedes in aqua calida. [Cap. de soda temporali.] Consimili ferè ingenio catarrhum curabimus, cum cacochymia, aut plenitudine iunctum. Primò etenim cachochymiam, seu plenitudinem auferemus, vti caussam morbum adaugentem; deinceps catarrho indulgemus; nisi catarrhus adeo sæuiat, vt totam ad se trahat curationem. Qui autem cum tussi, aut difficili respiratione cõplicatus catarrhus est; hic mistis, & complicatis auxilijs ex adstringentibus, & lenientibus, ac edocentibus venit medendus, vt supra retulimus. Crassos aũt, & glutinosos in pulmonũ arterijs humores extenuantibus, & abstergentibus extrahi Gal. docet; quibus pariter humectantia addi suadet, alioquin quæ vehementer exsiccant, ex calefacientia nocens. Pari modo & cum raucedine iunctus catarrhus cõplicatis sanatur medicamentis, incrassantibus scilicet, & lenientibus, & mediocriter abstergentibus; qualia sunt dragacanthum, gummi arabicum, liquiritiæ succus, papaueris semen, & similia. Quamobrem & benè dicit Auicenna: Et si fuerit hæc raucedo humida ex catarrho, dentur habenti eam papauer, & rob eius: & ex eis, quæ clarificant vocem asperam, & turbidam, est masticatio cubebe. [Decima sen tertij cap. 3.] Nec est, quòd quis ambigat, qualiter humidum raucedinem faciat, ac ipsam pariter sanet; quoniam humidum madidum madefaciens, organi soliditatem amouet, & relaxans inæqualitatem eius producit, partem vnam super alteram eleuans, & ideò reddit vocem inæqualem, & raucam. At humidum abstergens, & mundificans, & modico sicco temperatum, madidum humidum discutit, & simul organi planitiem lenit, sic quòd aer æqualiter illidatur, vt clariorem vocem emittat. Qui verò ex contrarijs compositus catarrhus fuerit, ex caussa inquam effectrice frigida, & calida fluente materia; seu è contrario (cùm omnes huiuscemodi defluxus à procatarcticis excitati sint caussis:) horum itaque omnium studium erit, procatarcticas caussas, si remotæ non fuerint, remouere; postea proprijs medicaminibus fluxum sanare. Quibus autem inæqualis principum partium intemperies fluxionem concitauit, vtputa calida hepatis discrasis, & frigida cerebri intemperies: in eiusmodi verò contraindicantibus affectibus summopere est animaduertendum, ne dum alteri succurrimus, reliquæ noxam creemus, ideirco ex oppositis temperatis præsidijs sanantur; quamobrem cauere oportet, vt commoderationem assiduè obseruemos, & amborum membrorum offensam deuitemus: at si harum aliqua adsit, quæ magis vrgeat, illi vtique maiorem curationis portionem tribuere oportet. Qui subitò, confertimque ruit catarrhus, subitam expeditamque curationem exposcit; ruentem vndique materiam diuertendo, ac robur capiti adijciendo; vt cum casura virtus, tum resoluta, laxataque instrumenta confirmentur. Catarrhus verò, qui per colli, & dorsi vertebrarum foramina descendit; vnde frigidæ, & neruosæ particulæ læduntur, efficacissimis alterantibus, & concoquentibus disponitur, & non nisi validissimis sanatur purgationibus. Nos verò in his catarrhis, qui articulos, & neruos affligunt, terebentinam per multos dies (frigidis scilicet temporibus) exhibemus, & proficuam plurimum experimur. Qui verò per venas caluariam ambientes ad partes externas hepatis vterinæ consortio descendit catarrhus, extrinsecis admotis præsidijs multum adiuuatur, in reliquis vt alij per consensum facti catarrhi curantur. Quomodo autem catarrhus, qui ad oculos fluit, sanatur altè præcisa temporali arteria, apud Gal. tertiodecimo methodi est legere. Sed iam tempus postulat, vt ad victus rationem progrediamur.

De victus ratione in catarrho. Cap. XXIIII.



VÒD ergo ad victus rationem attinet, eam ita instituere oportet, vt intentionibus superius inuentis & ipsa subseruiat, alterationi inquam, materiei imminutioni, & fluxus contrictioni: pro fluxus nanque abstrictione obseruandum, vt quid modicè adstringentis, catarrhum compescendi vim habentis, in fine mensæ semper manducetur; vt cytonia, pyra, coriandrum, auellanæ torrefactæ, diacytonion, & saccharum rosatum, & huiusmodi stomachum roborantia, & fluxum sistentia. Pro materiei autem diminutione, tenuis quidem semper viuendi ratio in omni catarrho constituenda est. Quamobrem benè asserebat Aetius: In vniuersum autem, pauco cibo, & quiete vtendum est. Idem Auic. asseruit: A tenui victu curationem exordiens, & sitiat, & famem patiatur, & vigilet quantum potest, quoniam sunt iuuium curationis. Et infra idem repetit: Et ad summum oportet, vt cibum, & aquæ potum minuant. Mesue verò hos imitans, dixit; Primam autem rem complent, diminutio ciborum, & potuum, & prohibitio vini omnino, & repletionis, & nauseæ: parca vtique, ac tenuis diæta in catarrho ad materiam demendam perpetuò imperatur. Pro materiei verò catarrhi alteratione, ad contrariam semper qualitatem diæta instituitur. De hac quidem alteratione per victus rationem Io: Zachariæ filius ita scripsit: Attamen id in omnibus scire licet, quòd quò medicamentorum quæ exhibentur, temperies vergit; eò reliquus quoque victus inclinare debet: ea igitur qualitate prædita victus ratio constituenda est, qua reliqua exhibita medicamenta constituta fuere. Si calidus nanque catarrhus fuerit, frigidam victus rationem Medici commendant; si verò frigidus, calidam illam iniungunt; si crassa, & viscida catarrhi materia extiterit, victus attenuans maximè laudatur; si verò tenuis illa fuerit, tum exsiccans, tum incrassans diæta præcipitur: si ex calore, & frigore commistus, ac mediocris substantiæ extiterit, victum etiam, qui adhibetur, vtranque qualitatem, ac mediam substantiam obtinere necesse est; ac si quis magis præpolleat, illi vtique semper magis indulgendum. In calida verò, & tenui fluxione; frigida modicè incrassantia, seu emplasticam vim habentia, in cibo dantur; qualia sunt, alica, oryza, chondrus, (quem vulgares far appellant) ptisana hordeacea, & omnis denique cibus emplasticus; amylum cum lacte, si febris non affuerit, & oua sorbilia; panis in aqua cum amygdalarum, aut seminum melopeponis succo decoctus: inter olera verò, malua, atriplex, cucurbita, & spinacchium laudantur, cum amygdalino oleo parata sine febre, etiam num ex gallinacei pulli iure, aut perdicis: vitulorum quoque pedes conueniunt. Aetius in calidiori temperatura lactucæ cauliculos parumper feruefactos commendat; etiam si in posca ipsos intingant: caseum quoque tenerum, ac recentem, tanquàm vtilem, comestum approbauit. In frigida verò, & tenui destillatione, calidiora exsiccantia in cibis expetunt; qualia sunt, quæcunque siccæ, & calidæ carnes sunt, sicuti est leporina, & hœdina caro, necnon turtures, & turdi, & auiculæ in dumetis degentes, & quæ in turribus degunt, columbæ. Serapio commendat sorbitionem, quæ fit ex aqua furfuris, & tritico, confecto cum oleo de amygdalis, & melle mundo, vel penidijs. Ius quoque cicerum, cum passo, & roremarino conditum, laudatur, & sorbitio facta ex farina eorum, & maximè in decoctione caricarum pinguium cum saccharo. Præter hæc saluia, mentha, pulegium, rorismarinus huic catarrho conceduntur. In frigido enim, crasso, & diuturno catarrho, attenuans victus ratio proficua existit, & ab omnibus commendatur: prolixiores enim morbi, ex crassiori, frigidiori materia euenientes, vtplurimum ex solo victu attenuante aut mitiores redduntur, aut tolluntur penitus; vt dicit Gal. in initio libri de attenuante victu. Qualis autem sit victus attenuans, ab ipso ibidem describitur, & pariter ab Oribasio lib. quarto ad Eustathium filium. Obseruetur igitur, vt horum attenuantium cibi concoctu faciles sint, & boni succi; & vitentur ea, quæ cum eo, quod attenuant, sunt calidiora, & ficciora magis quàm oportet; veluti vrtica, eruca, sinapis, allium, cepæ, & huius generis alia vaporum copiam ad cerebrum transmittentia. Permittitur (condimenti, & voluptatis gratia) vti pipere nigro, gingibere, gariophyllis, cinnamomo, commistis rebus leuioribus, & mollioribus; veluti oleo, iuri, & elixis: de hoc enim attenuante victu sermonem habens Auic. dixit: Et vt declinet cum cibis ad illud, quod alleuiat, & subtiliat, & calefacit, & exsiccat; cum hoc, vt ex eo liniatur pectus. Prædictorum autem ciborum quantitas, præterquàm quòd moderata perpetuò esse debet, minor tamen in cœna, quàm in prandio sit. Neque enim cum illis sumus, qui in omnibus capitis effectibus pleniorem prandio cœnam imperant; quoniam hac vnica in catarrho ratione conuincimur, quòd in vberiori cœna, quantumcunque benè concoquatur, ex calidi innati ad intra collectione, plurimi tamen semper cuiuscunque generis congeruntur vapores; præcipuè humidi, & crassi, (cùm tunc temporis frigidus quoque prædominetur humor) qui quoniam

De curatione affectuũ cord.


per

per obstructos cutis meatus extra ferri non possunt; intra corpus detenti, atque sursum eleuati, caput nimirum oppleut, & deterioris fluxus caussæ fiunt. Post cibum verò, admonet Celsus, neque scribendum, neque legendum fore, neque quicquàm aliud moliendum, quod mentem exagitet. Quò ad potum, fere omnes vinum damnant in quocunque catarrho, & in quocunque eius tempore, præterquàm in declinatione; quicquid Paulus, & Auic. de dulci, & tempe-rato dicant; quoniam natura vini (inquiunt isti) est caput replere, & si quid vitij adhuc superfit, ipsum accendit, etiam quòd tenue, & aquosum sit. Quare in catarrho calido, & subtili, penitus abnegant: in frigido verò, non nisi mundato corpore, & potius medicaminis ratione, quàm potus gratia, exhibent. Loco etenim eius, in calido defluxu commendant vinum granatorum dulcium, iuleb rosaceum, & violaceum aqua commistum: alij aqua hordei salubriter vtuntur: quidam simul cum hordeo in aqua modicum cinnamomi superaddunt, aut coriandri, aut dulcis radicis, iuxtà varias intentiones. In frigida autem destillatione aqua mulsa vbique à Medicis imperatur, & saluiæ pariter, & rorismarini, ac betonicæ decoctum. Multi quoque, cinnamomi, anisorum, ac dulcis radicis decoctum salubriter experiuntur. Puram autem, ac simplicem aquam penitus abnegat Auicenna, cùm ait: Et ad summum oportet, vt minorent comestionem, & potum aquæ, & repellant eum omnino die, ac nocte, & remouebitur. Alba autem, & tenuia vina (in de attenuante victu inquit Oribasius) crassos succos incidunt, & per vrinas expurgant. Ipsius verò potus quantitas sit exigua: nam procurata sitis, catarrhi materiam exsiccando, multum confert. Hac quidem de caussa dixit Auicenna: Et sitiat, & famem patiatur. Idem quoque infra repetit: Et oportet etiam, vt toleret sitim. Idipsum Celsus affirmat: Siti, quanta maxima sustinere potest, pugnandum est. Sitque in vniuersum victus tenuis, pro morbi ratione, & corporis robore. Cætera ordinentur in contrarium, & morbo, & caussæ morbi; veluti aer, & alia quæ ad victum spectent. Aer igitur eligatur, vt neque impensè calidus, aut frigidus sit; verum si caussa fuerit frigida, parum ad calidum declinet; si calida, parum ad frigidum. In calidis itaque fluxionibus, Solis, & æstatis calores euitet æger, ignes, & calida balnea, neùe caput nimium grauiter tegat. In frigidis autem destillationibus, a frigoribus, septentrionali flatu, noctu Lunæ aspectu, & sub diuo ambulationibus, lauacris frigidioribus cauendum est, neùe detecto capite maneat; præsertim si post austrum septentrio flauerit. De exercitio autem, & motu dicimus, quòd qui patiuntur catarrhum, euitent exercitia, quæ caput repleut, vt voce contendere, legere, ac fortiter canere: de ipso namque ait Celsus; si in nares, vel in fauces materia destillat, protinus primis diebus multum ambulandum est; at si in pulmones quoque destillat, multoque magis & ambulatione, & frictione opus est; magis somno indulgendum, abstinendumque à negotijs omnibus aliquando, sed serius tentandum. Contrarium docet Aetius, dum inquit: In vniuersum autem pauco cibo, & quiete vtendum est. Idem asserit Mesue: & iniungatur quies; quoniam est res magna maturans ipsum. Dicimus, quòd hi materiei concoctioni, & maturationi indulserunt. Celsus autem eius resolutioni, ac diuersioni magis incubuit. Nos autem in calidi catarrhi principio quietem omnino eligimus: at in frigidi initio leuem ambulationem, & illam tectam permittimus, vtpote domi factam, vel extra, per loca tamen & à ventis, & à solaribus radijs minimè vexata. Somnus quærendus est nocte, ac parcius tantùm, nec statim à cibo, & in latus dormiat; non plumeo maxillari, aut culcitra, in calido maximè: decliui capite ad interius quiescat, si pectoris angustia non reclamet: nam scribit Auicenna; & oportet secundum omnem dispositionem, vt assiduet decliuationem capitis, versus anterius, & teneat decliue puluinar. Supra dorsum autem dormire, tanquàm noxium, omnes detestantur: quotidie ventris subductionem procuret, & hilaritatem, & gaudium in omnibus quærat. His quippe præsidijs omnibus (CHRISTO IESV Deo nostro fauente) catarrhus sanabitur.

Cap. 5. libr. primi.

Lib. 4. cap. de destill. & grau.

Serm. 8. cap. de destilla.



✠

Laus, & honor Sanctissimæ Trinitati, Beataq; Virgini Matri Mariæ in secula seculorum. Amen.

F I N I S.



Sciendum, quòd primus numerus denotat paginam, secundus verò lineam.

20	8	*fari* fieri
20	12	*elidit* eligit
20	19	*quaãdo* quando
10	29	*vniuoeo* vniuocè
12	14	*suspicis* suscipit
13	2	*diferens* deferens
13	44	*indeferenter* indifferenter
22	3	*numoro* numero
22	12	*apppellari* appellari
22	20	*minifestatio* manifestatio
23	2	*pronunsiabat* pronuntiabat
24	12	*nessarium* necessarium
25	49	*ob* ab
27	2	*fari* fieri
33	15	*doloret* doleret
33	31	*prabandum* probandum
33	43	*doloret* doleret
34	29	*plurimeq;* plurimiq;
34	36	*mendendi* medendi
35	10	*impoßibila* impossibilia
35	25	*potemta* potentia
35	37	*qualter* qualiter
35	56	*omia* omnia
36	20	*poßiuarum* pastiuarum
36	32	*euiusmodi* cuiusmodi
36	39	*costruitur* construitur
41	43	*esseueratur* asseueratur
45	1	*omia* omnia
45	29	*prefecta* perfecta
46	10	*congragationem* congrega- tionem
50	51	*natuæ* naturę
55	48	*adem* eadem
56	36	*ibdem* ibidem
56	36	*repiriantur* reperiantur
56	53	*protio* portio
57	58	*delactiuus* delutiuus
58	31	*eluerare* ulcerare
60	3	*speefica* specifica
62	32	*perquirrere* perquirere
65	27	*afferatur* efferatur
68	1	*supermo* supremo
70	21	*bomorum* humorum
72	38	*turrentur* torrentur
78	53	*appobatum* approbatum
79	20	*cosistere* consistere
80	20	*conftiuentes* constituentes
80	28	*admixionem* admistionem
80	53	*condictio* conditio
80	57	*condichone* conditionè
84	11	*superuenietibus* superueniē- tibus
90	35	*byme* hyeme
96	27	*enneiauit* enunciauit
107	6	*fin* fine
107	52	*delcarantes* declarantes

129	53	*moterem* motorem
130	51	*Album Asur* Albumasur
132	37	*eurruptionem* corruptionem
138	12	*proprinque* propinqua
139	28	*eesunda* secunda
139	36	*proprinquam* propinquam
140	38	*natutam* naturam
142	49	*assentia* essentia
144	17	*finguli* singuli
146	17	*vn* vt
154	1	*ecelistibus* cœlestibus
155	39	*Aelx.* Alex.
155	48	*defluxt* defluxit
156	57	*seruntur* feruntur
159	37	*proprinquæ* propinquæ
159	47	*infes* infert
163	42	*cbscondita* abscondita
166	41	*complet* complent
170	6	*gnis* ignis
174	25	*inferas* infernas
176	46	*Philosopus* Philosophus
177	29	*interreeantis* internecantis
178	43	*ignorates* ignorantes
185	18	*feeetunt* fecerunt
193	20	*dinominandi* denominandi
202	12	*magnidudinem* magnitudinē
203	45	*produeant* perducant
205	10	*mugnitudina* magnitudine
211	9	*proportoio* proportio
213	12	*aßimalatur* assimilatur
215	29	*earea* aerea
234	30	*syntomatis* symptomatis
235	13	*inquieremus* inquiremus
236	1	*temperanea* temporanea
237	7	*mixisti* misti
238	30	*poculdubio* proculdubio
238	33	*inta* intra
238	41	*nomem* nomen
242	38	*putrescile* putrescibile
247	9	*virtutibibus* virtutibus
250	10	*peterit* poterit
250	12	*putrescut* putrescunt
251	2	*eatim* etiam
262	33	*mltoties* multoties
262	54	*morientiam* morientium
265	58	*falefacta* calefacta
266	19	*tantem* tandem
267	39	*frididis* frigidis
267	58	*conferuatibus* cōseruantibus
272	4	*condiactrices* conditrices
272	29	*putridini* putredini
272	50	*eressa* crassa
272	58	*putridini* putredini
291	7	*spiritus* spiritu
293	1	*defferant* differant
306	30	*vrgit* vrget

311	28	*paraxysmus* paroxysmus
312	2	*paraxysmorum* paroxys- morum
320	41	*repletioni* repletioni
325	12	*præscribant* præscribat
331	15	*locis* locos
331	41	*serta* secta
333	4	*Hypoebon duo* Hypochō- drio
339	1	*recensetur* recensentur
344	31	*exioma* axioma
344	36	*singillatim* sigillatim
344	50	*progredendi* progrediendi
347	26	*exioma* axioma
361	2	*fabre* febre
363	53	*ipsis* ipsius
365	26	*obtutus* obtusus
373	43	*virus* vites
374	53	*abuacuatio* euacuatio
376	38	*Ferum* Fertum
379	18	*crandum* craneum
403	1	*bebent* habent
419	4	*affectus* affecti
419	7	*effecti* affecti
453	48	*contradieantibus* contrain- dicantibus
456	22	*contradicantium* contrain- dicentium
456	22	*deme* in
458	22	*exbidendi* exhibendi
463	27	*eelebro* cerebro
464	23	*colido* calido
472	29	*frigda* frigida
475	27	*aita* allia
480	25	*viritutes* virtutes
480	46	*aute* autem
487	27	*purpurerus* purpureus
493	15	*impropias* improprias
507	24	*corrusiuus* corrosiuus,
508	26	*fiuerit* fluxerit
509	29	*meliorum* meliorem
510	21	*cupus* caput
512	46	*à puo* , à quo
512	48	*secunda* secanda
514	26	*conconctio* concoctio
529	4	*saponi* saponis
532	2	*axacuendi* exacuendi
532	30	*decocti* ,decocto
532	56	*placentibus* placentis
533	5	*bichicebiæ* bechichiæ
533	16	*meteria* materia
533	49	*sinapismata* sinapismos
534	28	*compagis* compaginis
535	21	*aufferemus* auferemus
536	14	*tenis* tenuis
536	40	*rorismarinus* rosmarinus

INDEX RERVM

MEMORABILIVM, QVAE IN OPERE DE NATVRA HVMANA CONTINENTVR.



A



B

C

D

E

corum.

F

G

H

I

M

NATVRA

INDEX.

ZZ Temperies

V

INDEX CAPITVM, QVAE IN LIBRO DE EFFICIENTIA PRIMI MOTORIS CONTINENTVR.




INDEX CAPITVM, QVAE IN LIBRIS DE CALIDO CONTINENTVR.

Capitula Primi Libri.




Capitula Secundi Libri.




Capitula Tertii Libri.







INDEX CAPITVM, QVAE IN LIBRO DE INDICATIONIBVS CONTINENTVR.



Capitula Primi Tractatus.



Capitula Secundi Tractatus.



De tribus

INDEX.

Capitula Tertii Tractatus.

Capitula Quarti Tractatus.

Capitula Quinti Tractatus.



Capitula Sexti Tractatus.




Capitula Septimi Tractatus.



Capitula Octaui Tractatus.





INDEX CAPITVM,
QVAE IN LIBRIS DE CATARRHO CONTINENTVR.




Capitula Primi Libri.



Vt à Cæ-

Capitula Secundi Libri.


Explicit Index totius Operis.






SVPRASCRIPTA SEBASTIANI PAPARELLAE à Monte Sancto, Medici, ac Philosophi praeclarissimi Opera omnia, quae de Natura humana, de efficientia primi Motoris, de Calido, de Indicationibus, & de Catarrho inscribuntur, tanquàm (sicut à doctissimis viris, tum Sacrae Theologiae, tum etiam Medicinae professoribus accepimus) in nullo Sacrosanctae Romanae Ecclesiae aduersantia, approbamus, & confirmamus, ipsaque imprimendi licentiam concedimus, et impartimur. In quorum fidem &c. Dat. Maceratae, die xxx. Iulij. M. D. LXXXII.

Ita est ALEXANDER PELLICANVS *Vicarius Maceratensis.*





REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN
OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ.

Omnes sunt Terniones.



M A C E R A T AE,
Apud Sebastianum Martellinum.
M. D. LXXXII.



FINE